




SCHOLA
THEOLOGICA
SCOTISTARVM
Seu
CURSUS
THEOLOGICVS
COMPLETVS
AUCTORE
F. BERNARDO
Sannig Silesio
Ord. Min. S.
FRANCISCI
Reform. SS Theol.
Lectore Iubilato
et Provinciae Boemiae
& Ministro Provinciali
totius Ordinis
Patre.



SCHOLÆ THEOLOGICÆ SCOTISTARUM.

TOMUS II. CONTINENS

TRACTATUM de Incarnatione Verbi Divini.

TRACTATUM de Plasmatione Mundi corporalis.

TRACTATUM de Plasmatione primi Hominis; ejusque præcellentijs; & vario Statu.

TRACTATUM de Gratia Habituali, & Justificatione.

TRACTATUM de Gratia Actuali.



TRACTATUM de Merito.

TRACTATUM de Actibus Humanis.

TRACTATUM de Peccatis.


TRACTATUM de Beatitudine; Purgatorio; Inferno; Resurrectione; & Judicio Universali Hominum.



NEO - PRAGÆ,

Typis Archi-Episcop. in Emmaus, per Joannem Mattis Factorem, Anno M. DC. LXXXI.






E.mus & R.mus
Princeps ac D.D. CAROLUS
S.R.E. CARDINALIS PIO

EMINENTISSIMO, & REVERENDISSIMO

PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
CAROLO
S. R. ECCLESIÆ CARDINALI
PIO,
PROTECTORI
Statuum Hæreditariorum Augustissimæ Domûs Suæ Cæs: Majestatis, nec non Comprotectori Imperii.

Domino, Domino Patrono Gratiosissimo.

EMINENTISSIME PRINCEPS. Ea semper fuit illustrium Scriptorum rationabilis, laudabilisque consuetudo, ut monumenta sua litteraria, typis evulganda, sub nomine & Patrocinio celebrium Principum, aliorumque Magnatum in publicam ederent Lucem, ut ita ab illustri Patronorum splendore extrinsecum quoddam singularis æstimationis, honoris, ac authoritatis sortirentur incrementum. Quare & ego optimâ ratione Theologicas hasce meas lucubrationes sub EMINENTIÆ VESTRÆ Pa-

trocinio, ac Nomine, typographicæ committo editioni, utpote celeberrimo, tum ob raram ſanè antiquitatem Illuſtriſſimæ Styrpis Pianæ, tum ob inclytam nobilitatem ejuſdem, multiplicémq; Heroum Purpurâ, Bellò, Legationibus, litteris, alijſque publicis ornamentis, atque officijs conſpicuorum, ex eadem deſcendentium, geneſim. Enimverò ſi penitiùs famoſiſſimæ Domûs Pianæ incunabula potiora inſpiciam, deprehendo eam originem ſumpſiſſe à Manfredo, vetuſtiſſimo Principe Germanico Saxoniæ, ejúſque contho-rali Euride Filia Conſtantij Imperatoris, qui ex Germania in Lombardiam, florentem Italiæ Regionem, tranſplantârunt inclytam Dominorum Piorum Styrpem, multis deinde Dominijs temporalibus ampliſſimis ibidem auctam; de qua omnes ferme Italiæ inſigniores Hiſtorici honorificam faciunt mentionem in ſuis monumentis hiſtorialibus, ſignanter Alphonſus Loſchi in compendio hiſtorico; Gualdo in Scena Hominum Illuſtrium, & in hiſtoria Univerſali; Alphonſus Ullaus in vita Caroli V. Raphael Volateran. in commentar. Joannes Petrus Creſcent. in nobilit. Italiæ. Franc. Guiciardinus; Cardinalis Bembo in hiſtor. Venet. Hieronymus Briami, Alberti, Baraota, & complures alij. Si ejuſdem celeber-

rimi

rimi Stemmatis nobilitatem ſpectem, reperio illud in Euride (ut Saxonicorum Principum Genealogiam, hujus originariam pertranſeam) conjunctū fuiſſe cum Auguſta Domo Conſtantij Cæſaris; ſimiliter, cum Sereniſſima Regali Sabaudiæ, cum Illuſtriſſimo Principe Romana Caſa Conteſtabili Colonna, parentelas contraxiſſe; Nobilitati quoque Venetæ fuiſſe annumeratam; atque alijs principalibus Italiæ Familijs ſanguine junctam. Si geneſim nominatiſſimarum perſonarum, & Illuſtrium Heroum memoratæ proſapiæ inveſtigem, invenio in ea complures Eminentiſſimos Purpuratos S. R. Eccleſiæ Principes, inter quos digniſſimâ adhuc floret memoriâ D. Cardinalis de Carpi, & D. Cardinalis Caroli Emmanuelis; complures itidem litteratiſſimos, & eloquentiſſimos Proceres, quos Illuſtriſſimą hæc Domus continuatâ ſerie tanquam ſibi proprium & inſeparabile ornamentum procreavit; è quibus unicum duntaxat in medium afferam, Albertum de Carpi, ſubjectum omni litteratura inſtructiſſimum cujus etiamnum nota ſunt opera, qui Regibus & Imperatoribus fuit acceptiſſimus, eorúmq; Legationibus ad Clementem VII. ac alios Europæ Principes ſupremos functus. Reperio pariter

riter in elencho Virorum illstriū Pianæ Propaginis famosissimos Duces,& Generales Militiarū, qui Armadas S.R.Ecclesiæ, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, imò & Augustissimorum Cæsarum Romanorū gloriosis progressibus gubernàrunt; quos inter eminuit colendissimæ memoriæ Frater VESTRÆ EMINENTIÆ D. Princeps S. Gregorij, qui existens Generalis tormentorum in Germania tempore nuperrimæ obsidionis Philipsburgi generosissimo ausu, mira fortitudine, ac dexteritate Insigne illud Fortalitium Imperiale contra Gallos quassavit, oppugnavitque, & tandem sub eodem gloriosâ morte cum Pianæ Domûs perpetua celeberrima memoria occubuit. Et ut inclytæ Familiæ hujus splendorem, magnificentiam, & gloriam in brevi compendio, veluti Iliadem Homeri in nuce complectar, ipsam EMINENTIAM VESTRAM omnium Principum Piorum singularissimum ornamentum mundo moderno spectandū exhibeo; in quo, quidquid donorum, insignium qualitatum rararum, perfectionúmq; illustrium in alijs dispersum fuit, peculiari Authoris naturæ, & gratiæ beneficio mirâ compendiositate collectum, adunatúmq; cernitur: ut proinde jure optimo post feliciter, utiliterq; visitatas, & practicatas principales Europæ Aulas, Summus Pontifex

EMI-

EMINENTIAM VESTRAM assumpserit inter suos chariores Clericos de Camera, ac illicò sublimaverit in gradū officiúmq; grande Thesuararij sui Supremi; quo munere Ecclesiastico cùm functa fuisset præcellenti quadā maturitate, superiore sanè ætati tunc naturali, non tamen inferiore grandi suo spiritui, Sanctiss. Pater Beatæ memoriæ Innocentius X. purpurâ meritò condecoravit, admovitq; Legationi Statûs Urbinensis; & postea Alexander VII. Episcopatui Ferrariensi, ubi innumera penè exemplarissimæ pietatis, summæ justitiæ, & integerrimæ rectitudinis animi argumenta edidit, ac etiamnum hodie edit in ipsa Romana Aula, in qua cunctæ Nationes eandē admirantur tanquā Purpuratorum Patrum illustrius subjectum, gloriā, atq; Ornamentum totius Purpurati Senatûs, omnes suspiciunt ejus eximiam in tractandis quibusvis negotijs dexteritatem, venerantur benignitatem in sublevandis clientibus, patrocinium VESTRÆ EMINENTIÆ implorantibus; collaudant summam facilitatem ac prudentiam raram in discutiendis terminandisque causis publicis Sacrarum Congregationum, ad quas meritissimè deputata est cum ingenti Religionis, ac universi Statûs Ecclesiastici emolumento; celebrant perspicacissimi intellectûs sagacitatem, quâ in urgentissimis occasio-

casionibus Sacrorum Conclavium, ad effectum eligendorum quatuor Sum. Pontificum congregatorum semper usa fuit; stupent tandem summam Sapientiam, quâ EMINENTIA VESTRA felicissimè suprema quæque Augustissimæ Domûs Austriacæ apud Sedem Apostolicam pertractat negotia indefessâ applicatione eadem penetrat, ac auspicato eventu epilogat, cum omnimoda S. C. Majestatis LEOPOLDI I. satisfactione, EMINENTIÆ verò VESTRÆ gloria & applausu perenni. Patiatur igitur EMINENTIA VESTRA, ut sub isto glorioso, celebrique Nomine Opus hoc Theologicum publicæ lucis nanciscatur usuram, quod Author cum omni, quâ par est animi submissione dedicat EMINENTIÆ VESTRÆ, ennixè supplicando, ut solitâ Eminentissimi Patrocinij virgâ defensetur ab Adversariorum insultu. Dabam Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives FF. Minorum Reformatorum. Anno 1681. die 1. Martij.

EMINENTIÆ VESTRÆ.

Humillimus, & Obligatissimus Servus.

FR. BERNARDUS SANNIG,
totius Ordinis S. Francisci
Pater.

FACULTAS.

P. COMMISSARII GENERALIS.

FRATER ANTONIUS à SANCTO JOANNE Ord. Minorum Seraphici Patris nostri Sancti FRANCISCI Lector Jubilatus, & in hac Cismontana Familia tam Observantium, quàm Reformatorum COMMISSARIUS GENERALIS, & Servus. Dilecto nobis in CHRISTO Reverendo Patri Fratri BERNARDO SANNIG, Lectori Jubilato, Ex-Provinciali, nec non Ex-Diffinitori Generali, Provinciæ nostræ Reformatæ Bohemiæ, salutem in Domino sempiternam.

Ut opus à te compositum, cujus titulus est, Schola Theologica Scotistarum, *seu Cursus Theologicus completus, typis mandare possis. His nostris Patentibus Litteris, ad Sanctæ Obedientiæ meritum, & quantum in nobis est, facultatem concedimus, & impartimur, quatenùs postquam à duobus nostræ Religionis Lectoribus Theologiæ, revisum, & approbatum fuerit, in Lucem edere valeas, servatis cæteroquin servandis. Vale, Deùmque pro nobis exora. Datum Romæ ex Ara cœli, die 24. Mensis Maij. 1679.*

FR. ANTONIUS de S. JOANNE
Commissarius Generalis.

De Mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis.

FR. LUDOVICUS ab AQUIS,
Secretarius Generalis.

FACULTAS.
P. Ministri Provincialis.

Accenderat nuper lucernam non sub modio, sed super candelabrum collocatum Admodùm Reverendus Pater BERNARDUS SANNIG, Ordinis & Provinciæ Pater, Prædicator, & Lector Jubilatus, dùm Tomum primum Scholasticæ Theologiæ, sub titulo *Scholæ Theologicæ Scotistarum*, seu *Cursûs Theologici completi* per prælum publici Juris fecerat. Hujus lucernæ doctrinalis radios ut studiosiùs, & abundantiùs evibraret in omnes pro lucis incremento, secundum ejusdem Scholasticæ Theologiæ complevit tomum, qui cùm plurimùm conducat, ut intellectus illuminatus illuminetur ampliùs & magis ab omnibus ignorantiæ elongetur tenebris, Præsentibus meis facultatem impertior, ut prædictus tomus à duobus Ordinis, & Provinciæ nostræ Theologis accuratè revisus, per prælum omnibus communicari possit. Dabam Pragæ in Conventu B. V. Mariæ ad Nives 1681. 1. Julij.

FR. JOANNES EVANG: FRITSCH, Prædicator, Lector, & Almæ Provinciæ Bohemiæ Minister Provincialis.

CENSURA
Theologorum Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum.

Jussu Reverendissimi Patris ANTONII à S. JOANNE Totius Cismontanæ Familiæ, tam Observantium, quàm Reformatorum Commissarij Generalis perlegimus Tomum secundum Scholæ Scotisticæ ad mentem Doctoris Subtilis JOANNIS DUNS-SCOTI, ab Admodùm Reverendo Patre BERNARDO SANNIG, SS. Theologiæ Lectore Jubilato, Ex-Diffinitore Generali totius Ordinis, & Conventûs Pragensis ad Nives Guardiano Actuali, non minùs industriosè, eruditè, clarè, & solidè, ac reliquos tres ejusdem Scholæ Theologicos Tomos, elaboratum; quem quia in nullo Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus dissonum; sed potiùs sanæ doctrinæ, & veritati conformem reperimus: idcircò, ut in publicam lucem ad legentium utilitatem felicissimè prodeat, dignum censemus. Datum in Conventu Pragensi B. V. ad Nives. Anno 1679. die 18. Septembris.

FR. ANTONIUS HARTTMAN, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & actualis Professor.

FR. SEBASTIANUS SCHAMBOGEN, SS. Theologiæ Lector Generalis Actualis.

CEN-

CENSURA

Theologorum Ord. FF: Prædicatorum.

TOmum Secundum Scholæ Theologicæ Scotiſtarum, *ab Admodùm Reverendo Patre* Bernardo Sannig, *Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, Provinciæ Bohemiæ Ex-Miniſtro Provinciali, & totius Ordinis Ex-Diffinitore Generali compoſitum, æquali attentione, ac voluptate perlegi, quâ reliquos. Cùmque nihil in hoc opere repererim, quod Doctrinæ Sanctorum Patrum non ſit conſonum, ſubtilis ingenij acumine non præcellens, firmiſque Sententijs Scholæ Scotiſticæ non ſtabilitum; ſed per omnia reliquis Tomis in claritate, ſoliditate, & rationum ubertate ſit æqualis; pari titulo & hunc publicâ Luce dignum cenſeo. Dabam Pragæ ad S. Ægidium die 21. Januarij, Anno 1681.*

Fr: Albertus Mussik,
Ordinis Prædic. Magiſter, & per Provinciam Bohemiæ Prior Provincialis.

APPROBATIO ORDINARII.

HIſce facultatem impertior, ut Tomus ſecundus *Scholæ Theologicæ Scotiſtarum* à Patre Bernardo Sannig, Ordinis S. Francisci Reformatorum compoſitus, & à Theologis debitè reviſus.

Imprimatur

Wenceslaus Bilek
à Bilenberg Officialis.

PRI-

PRIVILEGIUM
CÆSAREUM.

Super impreſſione Univerſæ Theologiæ in quatuor tomos diſtributæ, P. BERNARDI SANNIG, Ordinis Minorum S. FRANCISCI Reformatorum.

PRivilegiô Cæſareô ab Auguſtiſſimo LEOPOLDO I. Cæſare, datô Pragæ in Anno 1679. die 19. Novembris (cujus tenor per extenſum continetur in principio Tomi primi, & Originale habetur in Archivo Provinciæ Bohemiæ FF. Minorum Reform.) cautum eſt, ne quis SCHOLAM THEOLOGICAM Scotiſtarum, in quatuor tomos diſtributam elaboratam à Patre BERNARDO SANNIG Ordinis Minorum S. FRANCISCI Reformat. infrà S. R. Imperij Regnorúmque ac Ditionum Hæreditariarum Domûs Auſtriæ recudat, aut alibi recuſam apportet, invehat, vel divendat, abſque licentia citati Authoris, ſub pœna confiſcationis librorum, & mulcta 15. marcarum auri.

LEOPOLDUS.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium.

J. LEOPOLDUS GUILIELMUS
Comes in Kinigsegg.

CHRISTOPHORUS BEÜER.

COnformiter ad allegatum clementiſſimum Privilegium Cæſareum licentiam impertior D. JOANNI MATTIS, Factori Typographiæ Archi-Epiſcopalis in Emmaus ut Tomum Secundum SCHOLÆ meæ THEOLOGICÆ SCOTISTARUM Typis mandare valeat. Actum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives Ord. Minor. S. FRANCISCI Reformat. Anno 1681. die 1. Januarij.

FR. BERNARDUS SANNIG.

INDEX TRACTATUUM, DISTINCTIONUM, ET QUÆSTIONUM.

QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS PRIMUS DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

Quæstio I.

Quæstio

TRACTATUS TERTIUS.

DE

PLASMATIONE MUNDI, PRIMI HOMINIS; EJUSQUE PRÆCELLENTIJS, ET VARIO STATU.

TRACTATUS QUARTUS.
DE
GRATIA HABITUALI
ET JUSTIFICATIONE.

TRACTATUS QUINTUS.
DE
GRATIA ACTUALI.

Quæstio

TRACTATUS SEXTUS.
DE MERITO.

Quæstio

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE

ACTIBUS HUMANIS.

Quæstio


TRA-

TRACTATUS NONUS.

DE

BEATITUDINE, PURGATORIO, INFERNO, RESURRECTIONE, ET JUDICIO UNIVERSALI HOMINUM.

Quæstio



TRACTATUS DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

PROLOGIUM.



Uotquot ex SS. PP. & TT. de ineffabili mysterio Incarnationis Verbi Divini lucubrationes moliti sunt, ingenuè fatentur illud esse investigatu difficile, abditum, mirabile, atq; *absconditum à sæculis, & generationibus*, ùt ait Apostolus 1. ad Coloss: unde idipsum vocat S. Cyrillus Alexand: *ænigma sacratissimum, quod summâ potiùs veneratione suspiciendum est, quàm humani judicij trutinæ subjiciendum.* Et S. Gregorius *cardinem, & verticem omnium miraculorum.* Et D. Dionysius, *ineffabilem JESU in carne apparitionem.* Quare rectè monet *citatus* Cyrillus, *non sublimibus inquisitionibus, aut ejusmodi curiosâ indagatione, quæ ingenij humani captum superet, opus esse illi Christi mysterio; sed fide potiùs, quæ simplici, nec ullo fuco adulteratâ traditione, constet:* cui salutari doctrinæ ego inhærendo, Tractatûs hujus quæstiones, juxta Fidei Orthodoxæ regulas, & SS. Patrum resolutiones humili, planóque stylo pertractabo; nihil tamen omittendo, quod ad utilitatem Lectoris, & institutum meum Scholasticum spectare judicâro. Unde fit

DISTINCTIO I.
DE INCARNATIONE SECUNDUM SE.

QUÆSTIO I.
De Possibilitate Incarnationis Verbi Divini.



Uæstionem hanc tractat Scotus in *3. dist. 1. q. 1.* Et licet supponat cum Fide Catholica hoc mysterium jam transiisse, fructuosè tamen, & cùm ratione ejus possibilitatem examinat, ut Gentibus, quòd id factum, & possibile esse negant, persuadeat. Pro cujus intellectu.

NOTA primò: Per hanc vocem *Incarnatio* importari actionem, quâ Divina natura substantialiter unitur naturæ humanæ in unitate ejusdem Personæ. 1. *Quid dicat ly Incarnatio.*

NOTA

2. *Quid intelligatur nomine Verbi.* NOTA secundò: Nomine *Verbi* intelligi secundam SS. Trinitatis Personam, quæ ideo *Verbum* appellatur, quia ad similitudinem verbi nostri mentalis est terminus productus à dicente, seu notitia genita de scientia Dicentis, id est generantis, ùt docui *in Tract. de Trinit. dist. ult. q. 3. Tom. 1.*

3. *Quid sit natura humana assumpta.* NOTA tertiò: Per naturam humanam assumptam à Verbo intelligi, compositum quoddam physicum, constans animâ, & corpore, quod aliàs dicitur humanitas; & quandóque homo; & quandoque tertia entitas distincta à partibus.

4. *Non repugnat ex parte Personæ Divinæ Incarnatio.* DICO primò: Ex parte Personæ Divinæ, seu Verbi, nulla est impossibilitas ad Incarnari. Est Scoti supra *cit. num. 4.* Et omnium Scholasticorum, contra Gentes.

Prob. ratione Scoti *cit.* si esset impossibilitas, aut repugnantia ex parte Personæ Divinæ ad Incarnari, seu quod idem est, terminare dependentiam naturæ humanæ, hoc esset vel in quantùm est *Persona Divina*; vel in quantùm est *hæc particularis Persona Verbi:* sed ex nullo horum est repugnantia: Ergo &c. Prob. Min. quoad primum; terminare naturam, non infert aliquod repugnans Personæ Divinæ puta compositionem, limitationem, aut potentialitatem; Ergo in quantùm Persona Divina est, potest terminare hujusmodi dependentiam. Prob. Ant. non compositionem rigorosam & physicam; quia ad terminare talem dependentiam sufficit, quòd terminans habeat entitatẽ independentẽ in eo genere, in quo natura assumpta ab illo dependet. Sed Persona Divina Verbi hanc habet; quia aliàs si haberet dependentiam, haberet imperfectionem, & limitationem: Ergo &c. Neque etiam infert in Verbo limitationem, & potentialitatem; quia natura assumptibilis non spectat ad complementum Verbi substantiale, vel accidentale actuans Verbum; sicut licèt Verbum terminet cognitionem creaturæ; non tamen inde completur, vel actuatur tanquam quid potentiale, & limitatum; Ergo terminare dependentiam in Verbo nullum assignatum repugnans infert.

Probatur etiam Min. Principalis quoad secundam partem, quòd neque repugnet Personæ, in quantùm est *hæc*, puta quòd hæc particularis Verbi Persona assumat, & non alia; quia licèt relatio consequens naturam Divinam, v. g. relatio creationis; vel ipsum terminare talem relationem, quæ relatio sequitur naturam ut est natura Divina, & Essentiale Prædicatum omnium trium, sit comune tribus Personis, juxta illud, *opera Trinitatis sunt indivisa*; non tamen est necesse, ut terminare relationem, quæ sequitur entitatem Personalem, sit commune omnibus tribus Personis, sicut est in proposito ly terminare dependentiam naturæ humanæ; quia etiam hæc Persona non est communis omnibus tribus: Ergo Verbum quatenus est *hæc Persona* Divina, adhuc poterit terminare & consequenter non est ulla repugnantia etiam ex parte talis particularis Divinæ Personæ.

DICO secundò: Neque est ulla repugnantia ex parte naturæ assumptæ ad Incarnationem. Est ejusdem Doctoris subti *num. 5.* & communis TT. 5. *Neque repugnat ex parte humanitatis assumptæ.*

Prob. Persona Divina potest esse terminus dependentiæ naturæ humanæ, Personæ communicabilis per modum formæ totius; Ergo natura humana potest à Verbo dependere; & sic ex parte naturæ nulla erit repugnantia. Conseq. tenet; quia ideo ex parte naturæ nulla est repugnantia ut personetur personalitate propria, quia propria personalitas potest esse terminus dependentiæ naturæ: Ergo à pari idem dicendum, quando Persona Verbi supplet vices personalitatis propriæ. Prob. ergo Ant. Persona Verbi distinguitur realiter à natura humana; item potest esse terminus aliarum dependentiarum creaturæ, puta, in ratione creantis, conservantis &c. Ergo poterit etiam esse terminus in ratione dependentis, & Personantis à paritate.

Conf. non potest esse possibilitas terminandi dependentiam, nisi etiam in aliquo alio sit possibilitas dependendi in genere personationis; sed probatum est supra ex parte Personæ Verbi esse possibilitatem terminandi dependentiam naturæ; Ergo in natura similiter debet esse possibilitas dependendi. Præterea quælibet natura substantialis potest carere illa entitate, quæ non pertinet ad ejus perfectionem realem necessariò; sed personalitas propria naturæ humanæ sic non pertinet: Ergo 6. *Alia rationes pro non repugnantia Incarnationis ex parte natura humana.*

Ergo natura humana potest illâ carere, & ad personalitatem Verbi assumi: & sic ex parte naturæ non est ulla repugnantia ad assumi hypostaticè.

7. *Verbum potest uniri humanitati, cùm non sit pars potentialis.* Objicies primò contra primam Conclusionem: ex Scoto actus purus, & infinitus, qualis est Verbum, non est unibilis cum ullo alio; aliàs fieret finitus & imperfectus: Ergo ex parte Verbi est repugnantia. Respondeo cum Scoto Dist. Ant. non est unibilis & componibilis cum alio, ita ut habeat rationem partis potentialis; aut incompletionem aliquam si uniretur; aut certè ut ex illo & alio resultet perfectior entitas Conc. Ant. ita ut non habeat rationem partis, vel incompletionis, aut ut nullum tertium perfectius ex unione resultet Neg. Ant. Itaque Verbum unitum naturæ humanæ non est pars potentialis Christi, rigorosè loquendo; neque completur per unionem illam cum natura; neque ex conjunctione ejus cum humanitate exsurgit Ens perfectius Verbô.

8. *Verbum includitur in Christo absq; omni imperfectione.* DICES primò: Verbum includitur in Christo: Ergo debet esse pars ejus. Respondeo Neg. Conseq. quia non quæcunque inclusio unius in alio arguit rationem propriam partis; sed quando res ita includitur, ut dicat dependentiam imperfectam ab alia comparte, ita ut sine comparte non possit esse secundùm se tam perfecto modo ens in omni casu possibili, quàm est quando unitur comparti; quod de Verbo non verificatur, cùm sinè inclusione in Christo sit omni modo perfectissimum.

9. *Christus non est perfectius Ens, quàm ipsum Verbum in eo inclusum.* DICES secundò: Christus dicit omnem entitatem Verbi, & ulteriùs etiam humanitatem: Ergo ex Unione Verbi ad naturam resultat tertium perfectius. Resp. Neg. Conseq. quia Verbum extra Christum virtualiter, & eminentialiter continet omnes omninò res, & consequenter ipsam Christi humanitatem, & sic ipse Christus non erit perfectius ens quamvis includat Verbum, & humanitatem; quàm sit ipsum Verbum.

10. *Quo pacto natura humana Verbo infinito uniatur.* Objicies secundò: Infinito formaliter tali, nil potest addi ex bona Philosophia: Ergo Verbo ut Infinito non potest addi, & uniri natura humana. Respondeo cum Scoto Dist. Ant. nihil potest addi, quod spectaret ad intrinsecam Infiniti perfectionem Conc. Ant. quod non spectaret ad intrinsecam Infiniti perfectionem Neg. Ant. Itaque natura humana non est de intrinseca Verbi infiniti perfectione; ac proinde potest ei uniri.

Objicies tertiò: Si Verbum Incarnaretur, pateretur: sed non potest pati: Ergo nec Incarnari. Prob. Min. Incarnare est agere: Ergo Incarnari est pati; nam omni actioni correspondet correlatio sua quæ est passio: Ergo &c. Respondeo Neg. Maj. & probationis ejus Conseq. quia licèt apud Grammaticos gentiles Incarnare significet actionem; non tamen Incarnari passionem; propter incapacitatem Verbi, in quo relatio realis passionis nequit subjectari. Ly *Incarnari* ergo apud T T. significat terminare dependentiam naturæ humanæ, quæ terminatio ex parte Verbi fit sine passione. Aut si Grammatici contendant debere adesse aliquam passionem, dico ipsis, eam non subjectari in Verbo; sed in natura assumpta, per quam sufficienter denominatur Verbum Incarnatum, id est unitum. 11. *Ly Incarnari non dicit passionem; sed terminationem dependentiæ humanitatis.*

QUÆSTIO II.

De Personalitate creata.



VT ostendat Scotus ulteriùs contra Philosophos Gentiles, esse omninò possibilem, & non repugnantem rationi Incarnationem Verbi Divini, seu Secundæ Personæ, tam ex parte Personæ; quàm naturæ; examinat *in 3. Dist. 1. q. 1.* Metaphysicam illam celebrem controversiam, de essentia, & ratione formali constitutiva Personalitatis creatæ, quæ dicitur ultimum complementum naturæ singularis: de qua quæstione tametsi fusè in *Schola mea Philosophica* agam; hic tamen eam etiam ex professo tangere placebat; quia rationes Scoti sunt potiori ex parte Theologicæ, quibus Thomistas impugnat.

NOTA autem primò: Scotum in hac quæstione multis videri problematicum; quia *num. 9. loco cit.* ait, *non asserendo potest mediari inter istas duas vias*; sed revera in progressu ejusdem numeri, & alijs locis colligitur illum se determinâsse ad propriam unam sententiam, prout ostendam infra. 1. *Scotus non est problematicus de constitutivo personalitatis creatæ.*

NOTA secundò: Ly *Persona*, suppositum, & subsistens; in hoc discriminari; 2. *In quo reperiatur.*

A 2

Perſona, Suppoſitum, & Subſiſtentia. minari; quòd *Perſona* Græcè idem quod hypoſtaſis, reperiatur in ſola natura ſubſtantiali intellectuali: *Suppoſitum* verò in quacunque natura ſubſtantiali, etiam non intellectuali: ratio tandem *ſubſiſtentia*, tam in natura intellectuali, & non intellectuali ſubſtantiali; imò etiam in natura accidentali; unde ſi Verbum accidens aſſumpſiſſet, deberet dici ſubſiſtens; non verò Perſona, vel ſuppoſitum.

3\. *Perſona eſt terminus antecedens ad Suppoſitum & Subſiſtens.* Ex his collige Perſonam eſſe terminum antecedentem ad ſuppoſitum, & ſubſiſtens; quia ex ejus veritate bene ſequitur Suppoſiti, & Subſiſtentis veritas v.g. Perſona eſt; ergo ſuppoſitũ, & ſubſiſtens eſt; non autem è contra: idem dic de ſuppoſito reſpectu ſubſiſtentis.

4\. *Definitiones Perſonæ, Suppoſiti & Subſiſtentiæ.* Ex dictis quoque elicies ſingulorum definitiones dicendo: quòd Perſona *ſit incommunicabilis naturæ intellectualis exiſtentia.* Suppoſitum verò *naturæ ſubſtantialis incommunicabilis exiſtentia.* Subſiſtentia tandem *naturæ cujuſcunq; etiam accidentalis incommunicabilis exiſtentia.*

5\. *In creatis datur Perſonalitas realiter diſtincta à ſingularitate.* DICO primò: Datur Perſonalitas in creatis realiter diſtincta à ſingularitate: hoc tamen ratione purè naturali evidenter non poteſt oſtendi. Eſt Doctoris ſubt. *3. diſt. 1. q. 1.* & communis in ejuſdem Schola ſubtili.

Prob. prima pars ex Scoto: ſecundùm D. Damaſcenum *lib: 3. cap: 11. Verbum aſſumpſit naturam humanam in atomo*, id eſt omnem ejus individualem, & ſingularem perfectionem; & tamen non aſſumpſit perſonalitatem ejus; aliàs eſſent in Chriſto duæ Perſonæ; quod eſt hæreticum: Ergo datur Perſonalitas realiter diſtincta à ſingularitate: Conſeq. tenet; quia ex mutua ſeparatione unius perfectionis ab alia colligitur defacto à Diſtinctioniſtis diſtinctio realis.

6\. *Hujuſmodi tamen diſtinctio nequit demõſtrari evidenter.* Prob. ſecunda pars: Nullus poteſt fieri diſcurſus, nec à priori, nec à poſteriori, independens à revelatione, ex quo colligi poſſet evidenter hujuſmodi diſtinctio realis, vertens inter Perſonalitatem creatam, & ſingularitatem: Ergo &c. Prob. Ant. nihil colligimus de Petro v.g. actu exiſtente, quàm quòd ſit ens per ſe exiſtens, non indigens complemento aliquo ſubſtantiali: ſed ſeclusâ revelatione quæ defacto eſt de myſterio Incarnationis, non poſſumus colligere, Petrum non habere hoc complementum, & exiſtentiam ab illis cauſis, à quibus habet eſſe ens ſingulare, conſtans materiâ & formâ: aut aſſignent Adverſarij aliquod ſpeciale principium colligendi, quòd hujuſmodi complementum ei advenire aliunde poſſit; quod difficulter facient: Ergo &c.

DICES: Petrus actu exiſtens debet concipi cum negatione exiſtendi in alio, & negatione indigentiæ alterius, ſi completè concipiatur; ſed tunc colligitur ejus Perſonalitas naturaliter: Ergo &c. *Contra*; licèt poſſimus naturali diſcurſu concipere hujuſmodi negationes; tamen non poſſumus colligere, utrum ſint ſeparabiles à natura ſingulari Petri, & conſequenter utrum ſint diſtinctæ realiter ab ea; quod tamen eſſet neceſſarium in propoſito: Ergo &c.

Itaque ſolùm dependenter ex Fide, & revelatis myſterijs poteſt colligi, quòd Perſonalitas aliquod realiter ſeparabile addat ſupra naturam ſingularem. Nec hoc mirum videri debet, cùm plura alia naturalia non cognoſcantur niſi dependenter à revelatione: exempli gratiâ, certum eſt, quòd accidens abſolutum ſit realiter diſtinctum à ſubſtantia; & quòd non dicat neceſſariam connexionem cum ſubſtantia à parte rei; & tamen hoc non ſciebant antiqui Philoſophi; nec nos ſciremus certò, niſi dependenter à Divino myſterio Euchariſtiæ, ubi manent accidentia ſine ſubſtantia panis. 7. *Ex ſola fide conſtat Perſonalitatem addere aliquid ſeparabile realiter ſuper naturam ſingularem.*

DICO ſecundò: Perſonalitas (idem dic de ſuppoſitalitate creata) in creatis, non conſiſtit formaliter in aliquo poſitivo. Eſt Scoti *in 3. diſt. 1. q. 1. num. 6.* & *diſt. 6. q. 1.* Et rurſus *Quodlib. 19. art. 3.* Et politiorum Scotiſtarum, nec non plurium RR. contra Thomiſtas, & ex RR. Arriagam, &c. Quorum ſententiam Scotus etſi judicet probabilem; eam fortiter impugnat. Unde. 8. *Perſonalitas creata non conſiſtit formaliter in aliquo poſitivo.*

Prob. ratione Scoti *cit.* primò: ex hac ſententia Thomiſtica ſequeretur, eſſe aliquam entitatem poſitivam in natura humana, quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo: ſed hoc dici nequit; Ergo &c. Prob. Maj. iſti ultimæ entitati poſitivæ, quam addit Perſona ultra ſingulare, repugnaret contradictoriè communicari; quia perſona eſt incommunicabilis rei exiſtentia; Ergo hæc entitas poſitiva eſſet inaſſumptibilis à Verbo. Prob. etiam Min. quia ſecundùm Damaſcenum *lib: 25.* quod eſt inaſſumptibile; eſt incurabile; ſed tota

natura

natura humana est secundùm sua positiva curabilis: Ergo & assumptibilis. Conf. eadem Min. aliæ entitates positivæ naturæ sunt in potentia obedientiali respectu Personæ Divinæ assumentis: Ergo à pari & Personalitas si consisteret in positivo: hoc autem est contra omnem Theologorum sententiam, quòd Personalitas sit assumptibilis ad Unionem Verbi; & est proximum Errori Nestorij docentis, in Christo esse etiam propriam Personalitatem præter Personalitatem Verbi: Ergo &c.

9. *Replica Adversariorum super rationem Scoti facta eliditur.*

Respondent Adversarij unanimiter Neg. Min. & ad ejus probationem interpretantur Damascenum dicendo; quòd loquatur de entitatibus pertinentibus ad naturam ut natura est; non verò ad personam naturæ; & ita dicunt etiam loqui Concilia sacra. Similiter dicunt entitates absolutas naturæ esse quidem in potentia obedienli ad Verbum; non verò naturæ quà singularis & personatæ. *Contra* tamen est; quia non est potior ratio de una entitate absoluta, quàm de alia: Deinde si solæ entitates absolutæ naturæ ùt naturæ essent capaces medicinæ, sequeretur quòd homines non salvarentur integrè secundùm absoluta; quod est ababsurdum. Tandem juxta Adversarios actiones sunt suppositorum, non verò naturæ; Ergo & peccata: Ergo etiam supposita sunt capacia medicinæ; unde extorquetur sanè D. Damascenus ab eis.

10. *Alia ratio Scoti inducitur contra positivam Personalitatis creatæ.*

Prob. secundò iterum ratione Scoti *cit.* sequeretur rursus ex Sententia Adversariorum; quòd natura quæ est assumpta à Verbo, careret illâ entitate positivâ; quæ tamen est ultima & actualissima in natura assumpta: sed sequela est inconveniens: Ergo Personalitas non consistit in positivo. Prob. Min. quia aliàs non esset per omnia similis nobis contra Apostolum Hebr. 2. *apprehendit semen Abrahæ; unde debuit per omnia fratribus assimilari.* Ergo est inconveniens, quòd careret aliqua entitate positiva.

11. *Rursus aliud argumentum ex eodem Doctore.*

Prob. tertiò aliâ ratione desumpta quoque ex textu Scoti: sequeretur iterum; quòd natura intellectualis posset produci à parte rei ut singularis, & actu existens, sine Personalitate; sed hoc est falsum: Ergo &c. Prob. Maj. ista realitas positiva nec realiter, nec formaliter est eadem cum natura ùt natura; imò natura est prior istâ realitate positivâ: Ergo posset produci à parte rei natura sinè ea: Prob. etiam Min. quam quidem supponit Scotus; sed non probat; talis natura non personata vel posset habere operationes aliquas, vel nullas? si aliquas; ergo frustra defacto ponitur personalitas in natura, & multiplicatur sinè ratione, ideo ut actiones sint suppositorum: si nullas; ergo signum est, quòd Personalitas debeat semper esse connexa cum natura, quâ debet posse operari.

12. *Positivum Personalitatis nec potest esse substantia, nec accidens.*

Prob. quartò; hoc positivum Personalitatis nequit esse Substantia, neque accidens: Ergo non est quid positivum, Prob. Ant. non accidens; quia sic non faceret unum per se cum natura singulari: neque Substantia; quia vel composita, vel simplex; non composita, aliàs constaret materiâ, & formâ, & sic in quolibet composito darentur duo composita physica intrinsecè; & consequenter duæ materiæ, & duæ formæ, quod est inconveniens: si simplex; ergo vel materia, vel forma; & sic similiter dabuntur vel duæ materiæ, vel duæ formæ, quod est multiplicare entia sine necessitate: Ergo &c.

13. *Adversarij mirè variāt in explicando positivo Personalitatis creatæ.*

Nota tertiò: quòd AA. qui tenent Personalitatem esse entitatem positivam, mirabiliter varient in ejus explicatione. Capreolus dicit esse ipsam existentiam rei. *Contra*; Essentia non distinguitur realiter ab Existentia, sicut distingui debet natura à Personalitate: Ergo &c. Heruæus dicit esse characteristicas quasdam proprietates, hoc est aggregatum ex omnibus accidentibus partialibus naturæ singularis. *Contra*; sequeretur ex hac doctrina suppositum quodvis non esse ens unum per se. Deinde Verbum assumpsit omnia accidentia absoluta naturæ; non tamen hos characteres. Cajetanus Suarez, & Aversa dicunt esse quemdam modum substantialem. *Contra*; nullus effectus, vel munus positivum hujus modi positivi substantialis potest assignari, qui ipsi deberet correspondere; prout correspondet omni enti positivo. Itaque cum Scotistis.

14. *Personalitas creata formaliter importat duplicem negationem.*

DICO tertiò: Ratio formalis Personalitatis creatæ consistit præcisè in duplici negatione, actualis scilicet, & aptitudinalis dependentiæ, id est unionis cum persona extrinseca. Hæc est ad sensum Scoti *3. dist. 1. q. 1. n. 9* Et recipitur defacto communiter à tota ejus Schola; imò & à multis Neutristis; unde dicit

dicit Waddingus Jeſuita, ſe legiſſe 38. DD. ex diverſis Scholis, qui eam tenent.

15. *Quid ſit dependentia actualis, aptitudinalis & potentialis; & negationes his oppoſita.* NOTA autem quartò pro intellectu concluſionis ex Scoto *cit.* triplicem conſiderari poſſe dependentiam, ſeu unionem, quas natura poteſt habere ad perſonam extrinſecam; Actualem ſcilicet, Aptitudinalem, & Potentialem. *Actualis dependentia* eſt, quâ actu quæcunque natura dependet à Perſona, ſicut defacto humanitas dependet à Verbo. *Aptitudinalis*, ſecundùm quam exigit natura connaturaliter dependere, licèt actu non ſit dependens; ſic anima rationalis ſeparata à ſuo corpore dependet aptitudinaliter. *Potentialis*, quâ poſſit dependere ſive per potentiam naturalem, ſive per extraordinariam; licèt non exigat hoc hic & nunc; taliter dependet natura Platonis, & quæcunque natura creata ad Verbum, vel Patrem Divinum; quia poſſunt ſibi illam unire hypoſtaticè. His dependentijs correſpondent tres negationes dependentiæ, actualis, aptitudinalis, & potentialis; de quibus paulò infra in Objectione.

16. *Natura creata ad ſui Perſonationem non eget negatione potentiali.* NOTA quintò: ad hoc ut natura creata ſit perſonata non eſt neceſſe, ut habeat tertiam negationem potentialem; imò eam abſolutè habere nequit; quia quælibet natura creata eſt in potentia, ut poſſit uniri tribus Perſoniš, & dependere ab eis, ſaltem in ſenſu diviſo, hoc eſt ſi Perſonalitas, quam natura quælibet actu poſſidet, ceſſaret in ea.

17. *Sola negatio actualis non ſufficit ad eſſe Perſonæ.* NOTA ſextò: Solam negationem actualem non ſufficere ad eſſe Perſonæ. Ratio eſt, inquit Scotus, quia anima ſeparata dicit hujusmodi negationem actualis dependentiæ; & tamen non eſt Perſona; eſt enim communicabilis ut Quò, id eſt, tanquam forma partis.

18. *Idem ſunt dependentia, & communicabilitas naturæ.* NOTA ſeptimò: Quòd dependentia, & communicabilitas in propoſito idem ſignificent; atque adeò negatio dependentiæ, & incommunicabilitatis: unde quòd nos per triplicem negationem dependentiæ explicamus, alij explicant per incommunicabilitatem; imò & Scotus his utitur terminis quandoque.

19. *Quid ſit communicari ut Quod, & communicari ut Quò.* NOTA octavò: communicari ſeu dependere *ut Quod*, eſt communicari alteri per identitatem realem, ſeu eſſentialiter; hoc modo communicatur omne ſuperius ſuis inferioribus; & quæ hoc modo communicantur, ſemper eſſentialiter prædicantur de illo, cui communicantur. Communicari *ut Quò*, eſt communicari, vel per modum informantis, vel inhærentis, vel dependentis: exemplum primi, anima communicatur corpori ut Quò, quia informat. Exemplum ſecundi, accidens, albedo v. g. communicatur parieti, quia ei inhæret. Exemplum tertij, natura humana communicatur Verbo, quia ab eo ſuſtentatur, & quælibet ſingularis natura ſuæ perſonalitati.

20. *Singulare nec actu, nec aptitudine communicari poteſt ut Quod.* NOTA nonò rurſus ex Scoto: Singulare ratione hæcceitatis habere hoc, quòd nec actu, nec aptitudine communicari poſſit *ut Quod.* Ratio eſt, quia non habet aliquod inferius de quo poſſit eſſentialiter prædicari: poteſt tamen communicari *ut Quò*, non quidem ut forma partis, ſed ut forma totius, proprio ſuppoſito, vel alieno, potenti ipſum ſuſtentare.

21. *Oſtenditur Perſonalitatem creatam pro formali importare duas negationes.* Prob. jam concluſio ex refutatione ſuperioris ſententiæ: quia ſi Perſonalitas creata pro formali non importet entitatem poſitivam; remanet, quòd negativam, hoc eſt negationem actualis, & aptitudinalis dependentiæ. Deinde non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi entitates abſolutas pro ratione Perſonalitatis creatæ: Ergo &c. Min. patebit ex ſolutione objectionum. Unde.

22. *Natura creata aſſumpta eſt ad Verbum cum inclinatione naturali.* Objicies primò: Si Perſonalitas creata diceret negationem dependentiæ aptitudinalis, deberet Verbum illam ſupplere in aſſumptione humanitatis: ſed non poteſt eam ſupplere. Ergo &c. Prob. Min. ſi ſuppleret, ſequeretur quòd natura eſſet violenter ſub Verbo; quod dici non debet: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Min. & ejus prob. Ant: quia ùt bene docet Scotus, nulla eſt violentia, ubi eſt perfecta potentia obedientialis; cùm ergo tota humanitatis entitas ſit in perfecta potentia obedientiali reſpectu Verbi, aſſumpta eſt ad Verbum cum omni omninò inclinatione naturali, quâ perſonaretur à ſua propria perſonalitate creata, ſi adeſſet. Ant. exemplô declarari poteſt; ſi Voluntas DEI ſe ſolâ lapidem ſurſum moveret, motus ille non eſſet lapidi violentus reſpectu voluntatis DEI; eò quòd lapis ſit in perfecta

fecta potentia obedientiali respectu DEI.

23. *Sola negatio per repugnantiam præsupponit positivum.* Objicies secundò: Negatio dependentiæ seu comunicabilitatis præsupponit aliquod positivum, ratione cujus faciat rem, quam afficit, incommunicabilem; sicut patet de negatione ista Ingeniti in Divinis, quæ præsupponit aliquid positivum in Patre Divino, ratione cujus illi conveniat: Ergo idem à pari de istis negationibus dicendum. Respondeo Dist. Ant. negatio quæ dicit repugnantiam ad communicari, præsupponit positivum Con. Ant. quæ non dicit repugnantiam Neg. Ant.

24. *Triplex est negatio in rebus.* Pro intellectu hujus distinctionis, Nota decimò: triplicem esse negationem, unam quæ negat actum solum: secunda quæ aptitudinem, vel actum & aptitudinem simul, non tamen potentiam; tertia quæ negat actum, aptitudinem, & potentiam: negatio primi generis est in lapide posito sursum per vim, ubi est negatio ubicationis deorsum quod ante habuit actu: negatio secundi generis est in superficie, quæ habet potentiam; neutram ad subjectandam vel albedinem, vel nigredinem, ad quas nec dicit inclinationem, vel exigentiam naturalem, nec etiam actum alterius v. g. nigredinis, dum habet albedinem: negatio tertij generis est in irrationalitate bruti, quia brutum non est actu rationale, neque aptitudine, neque per ullam potentiam potest esse rationale; cùm ei repugnet, & ideo vocatur hæc negatio per repugnantiam. Ad propositum itaque distinctionis prima, & secunda negatio, quæ conveniunt cuilibet personæ creatæ, non præsupponunt aliquid positivum; bene tamen tertia, quæ etiam convenit Personæ Divinæ.

25. *Cur sola Divina Persona consistat in positivo.* Objicies tertiò: Ex Scoto *cit.* Personalitas Divina pro formali ratione importat quid positivum: Ergo & Personalitas creata. Respondeo cum eodem Neg. Conseq. quia Persona Divina, & creata, non conveniunt univocè in ratione Personæ, si ratio personæ ut sic dicat pro formali negationem actualis, aptitudinalis, & per repugnantiam communicationis: hæc enim tertia negatio per Repugnantiam soli Divinæ Personæ convenit; & ob hanc causam debet esse quid positivum, ratione cujus hæc tertia negatio ei conveniat.

Nota undecimò: Quòd negatio per repugnantiam à Scoto frequenter appelletur, negatio simpliciter; aliæ verò duæ, negationes secundùm quid; hoc addo propter terminorum Scotisticorum intelligentiam. 26. *Quidam termini Scotici explanantur.*

Objicies quartò: Fides, & SS. PP. passim docent, quòd Personalitas Verbi in Christo suppleat personalitatem creatam; Ergo Personalitas creata non est negatio; aliàs suppleret Nihil. Respondeo Neg. Conseq. quia Verbum in hoc sensu supplet secundùm Fidem & PP. vices Personalitatis creatæ, quòd in illo instanti, in quo natura humana sibi relicta habuisset duplicem illam negationem, Verbum naturaliter negationem duplicem prævenit, ut sic natura à Verbo dependeret. Et in hoc sensu supplere *nihil*, id est negationem realem, non est majus inconveniens, quàm adstruere entitatem positivam cum Adversarijs, quam Verbum nunquam in natura singulari assumpsisset. 27. *In quo sensu Verbum suppleat in Christo personalitatem creatam.*

DICES; Non videtur, quomodo hæc negatio duplex possit convenire naturæ: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. quia convenit ei extrinsecè, id est per defectum causæ extrinsecæ assumentis, à qua non assumitur; & quia non assumitur, ideo resultant illæ negationes, & personatur natura. 28. *Duplex negatio actualis & aptitudinalis dependentiæ convenit extrinsecè naturæ creatæ.*

QUÆSTIO III.

Utrum aliquis intellectus creatus naturali cognitione possibilitatem & existentiam Incarnationis attingere possit?

NOTA primò Sermonem hic esse de cognitione naturali certa & evidenti, ità ut apertè positivè innotesceret possibilitas, & existentia Incarnationis. 1. *Status quæstionis aperitur.*

DICO primò: Nullus intellectus creatus potest cognoscere possibilitatem Incarnationis cognitione evidenti, & certâ. Est Scoti *quæst. 1. Prologi*, D. Thomæ, ac utriusque Scholæ DD. 2. *Nullus intellectus creatus potest evidenter naturaliter cognoscere possibilitatem Incarnationis.*

Prob. primò authoritate S. Scripturæ: nam Apostolus ad Ephes. 3. appellat hoc mysterium, *investigabiles divitias Christi; & Sacramentum absconditum à sæculis in DEO.* Item Isaias 35.

de

de eo dicit, *generationem ejus quis enarrabit?* id est, ùt exponit S. Leo Papa, *divinam & humanam*: Ergo nullus intellectus creatus potest cognoscere possibilitatem Incarnationis cognitione evidenti, & certâ.

3. *Authoritates PP. pro asserto præmissa.* Prob. secundò authoritate SS. PP. maximè D. Augustini *Epist. 3. ad Volusianum* dicentis, *hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare.* Et S. Dionysij *lib. de Divin: Nomin: cap. 2. JESU in carne apparitio, & ineffabilis est sermone & omni ignota intelligentiæ*: Ergo &c.

4. *Ratio Theologica ad idem.* Prob. tertiò ratione: ut possibilitas Incarnationis evidenter cognosceretur, hoc deberet patere; vel ex ipsis terminis, vel deberent dari aliqua alia principia, ex quibus hoc certò colligi posset: sed non patet ex terminis confusè conceptis ùti nos cognoscimus DEUM ex creaturis, aliàs non dubitaremus de ejus possibilitate; neque ex terminis intuitivè cognitis; quia Verbum non potest naturaliter intueri, & videri: Ergo ex terminis nullo modo cognoscitur possibilitas Incarnationis. Sed nec aliqua principia certa possunt adferri: Ergo &c. Prob. Ant. si aliqua, maximè omnipotentia DEI, ut volunt aliqui; sed ex hac non colligitur bene possibilitas ista; quia omnipotentia non potest se extendere ad impossibile, quale seclusâ fide ex principijs naturalibus putaretur esse Incarnatio Verbi: Ergo ut cognoscatur, quòd omnipotentia possit se extendere ad hoc mysterium, debet priùs aliunde sciri quòd sit ens possibile: Ergo ex omnipotentia non colligitur possibilitas ejus.

5. *Alia rursùs rationes pro eadem Conclusione.* Prob. quartò: Non possumus evidenter colligere, quòd capacitas obedientialis creaturæ respectu DEI se extendat ad hoc mysterium: Ergo &c. Tandem non cognoscimus naturaliter Trinitatem, in qua involvitur Verbum Incarnandum: Ergo neque possibilitatem Incarnationis. Unde licèt per rationes Scoti, supra *quæst. 1.* positas, alicui infideli valde possit suaderi possibilitas Incarnationis; non tamen potest illis convinci, ut eam cognoscat evidenter solis naturæ viribus: sunt ergo tantùm discursus probabiles, & aliquæ ejus propositiones fundantur in Fide, vel supponuntur de facto ùt certæ apud Fideles; possuntque solvi.

Objicies primò: Intellectus Angelicus cognoscit intuitivè naturam singularem distingui realiter à personalitate sua, & quòd possit conservari sinè ea: sed hinc potest certò deducere, esse possibile ut talis natura uniatur Personæ Verbi: Ergo &c. 6. *Angelus non cognoscit naturaliter naturam posse separari à sua personalitate.* Respondeo Neg: Maj. quia cùm personalitas sit formaliter duplex negatio, non potest Angelus cognoscere, naturam posse separari ab hujusmodi negatione; quod inde patet, quia nequit cognoscere, num negatio possit tolli à suo subjecto, nisi quatenus cognoscit, quòd possit poni forma opposita, tollens negationem, vel alia personalitas supplens vices hujus: Angelus autem non cognoscit quòd possit poni Personalitas Divina, præveniens hujusmodi negationes in subjecto: Ergo &c. Deinde Neg. etiam Min. quia cùm sint magnæ difficultates in Unione Personæ Divinæ ad naturam creatam, non potest eam Angelus viribus naturæ evidenter attingere, quamvis cognoscat naturam creatam esse sinè personalitate, posset enim rationabiliter Angelus dubitare, utrum ex tali Unione Verbum non mutaretur.

7. *Angeli non poterant evidenter cognoscere existentiam Incarnationis.* DICO secundò: Neque Angeli poterant naturaliter cognoscere cognitione evidenti etiam existentiam Incarnationis jam factæ, neque ullus intellectus humanus sensibus alligatus. Est communis TT.

Prob. Angeli nullam poterant habere cognitionem certam de Incarnatione jam facta, nisi experimentalem, vel intuitivam quâ directè viderent ipsam Unionem hypostaticam; vel certè aliam ex alijs principijs habitam: sed nullam harum habere poterant: Ergo &c. Prob. Min. non experimentalem aut intuitivam; quia nulla Unio quâ Unio potest causare immediatè cognitionem sui; cùm sit respectus, nisi etiam cognoscantur extrema ejus: cùm ergo extremum unum Unionis hypostaticæ, quod est Verbum Incarnatum, non possit naturaliter intuitivè seu experimentaliter attingi cognitione, neque etiam poterit attingi ipsa Unio. Hoc argumentum probat etiam alteram partem conclusionis de intellectu humano sensibus alligato à fortiori.

Nec etiam ex alijs principijs poterant Angeli habere hujusmodi cognitionem certam, puta ab operationibus

nibus Christi; quia operationes vel erant Divinæ purè, vel humanæ; si Divinæ, Angeli ignorabant, an hæ non procederent sine omni Unione Verbi ad naturam humanam; nam ad eas sufficeret intima præsentia Verbi, eò modò, quò de facto aliæ duæ Personæ Divinæ adsunt omni creaturæ: si humanæ, Angeli non erant certi, an non procederent absq; Unione naturæ ad Verbum, quod fieri posset: Ergo ex nullis similibus principijs poterant Angeli existentiam Incarnationis cognoscere certò, & evidenter.

8. *Neque ullus intellectus humanus.* Hæc ratio similiter probat intellectum humanum utpotè imperfectiorem Angelicô de existentia Incarnationis nullam evidentem habere potuisse cognitionem.

9. *Neque ex operationibus miraculosis, neque ex gratijs & perfectionibus Christi poterant Angeli scire existentiam Incarnationis.* DICES: Operationes Christi experimentaliter ab Angelis, & hominibus attingebantur ùt miraculosæ: itē gratiæ ejus, & perfectiones particulares ingerebant eis motivum sufficiens ad eliciendam cognitionem certam, quòd ipsi per Incarnationem esset conjunctum Divinum Verbum; Ergo &c. *Contra*; omnes operationes miraculosæ poterant procedere â Christo, ùt puro homine, per extrinsecam scilicet DEI cooperationem; uti colligitur ex Joan: 14. cap: ubi ipse Christus dicit, quòd aliqui homines Sancti *majora horum facient*. Similiter gratiæ, & perfectiones particulares Christi poterant â DEO poni cum gradu, si non æquali, saltem proximo, in puro homine; unde ex his Angelus non poterat habere motivum infallibile de existentia Incarnationis.

10. *Qualem cognitionem de generatione Verbi habuerint Sybillæ, & Platonici.* DICES secundò: Sybillæ certam habuerunt cognitionem de generatione Verbi, uti videre est in Bibliotheca SS. PP. exhibente earũ vaticinia de hoc mysterio. Similiter Platonici, qui in suis Scriptis multa de Messia scripserunt: sed hæc eorum cognitio erat naturalis: Ergo &c. Respondeo ad Sybillas; quòd hæ habuerint Spiritum Propheticum, qui est gratia gratis data, & ponibilis etiàm in infideli, ùt patet de Balaam ariolo gentili Num: 23. hæ ergo Sybillæ Spiritu afflatæ prædixerunt nonnulla de generatione Verbi, atque ita earum cognitin de Incarnatione Verbi non erat naturalis. Platonici autem doctrinam de adventu Messiæ hauserunt â Platone, qui libris, & conversatione Judæorum frequenter usi fuerat, maximè quando Studiorum gratiâ descendit in Ægyptum Palæstinæ vicinam.

11. *Dæmones ex sola revelatione cognoverunt Incarnationem Verbi.* DICES tertiò: Dæmones cognoverunt Incarnationem DEI in Christo; unde clamârunt in illis duobus obsessis Matth: 8. *quid nobis, & tibi JESU Fili DEI? venisti huc ante tempus torquere nos?* Ergo &c. Respondeo quòd si Dæmones agnoverint Unionem Filij DEI cum humanitate in Christo (de quo est dubium, quia Scriptura citata interrogativè eos tantùm inducit) dico hoc ipsis esse revelatum adhuc in via, ex cujus etiã invidia probabiliter peccârunt, ùt docui *in Tom: 1. Tract: de Angelis, Disp: 8. q: 1.*

12. *Intellectus creatus supposità Fide potest suadere possibilitatem Incarnationis.* DICO tertiò: Suppositâ Fide, intellectus creatus potest exemplis, & probabilibus rationibus mysterij hujus possibilitatem ostendere. Est communis DD.

Prob. quia SS. PP. olim sic probârunt hoc mysterium esse possibile; nam aliqui comparârunt illud conjunctioni animæ cum corpore, quæ cùm possibilis sit, intulerunt etiam esse possibilem conjunctionem Verbi cum homine. Alij conjunctioni unius arboris in alteram, per insitionem ramorum: alij aliter. Accomodissimum tamen meò judiciò erit exemplum de Natura seu Essentia Divina, quæ cùm possit esse in tribus Personis realiter distinctis; poterit quoque una Persona sustentare duas naturas: unam increatam, alteram creatam realiter distinctam; atque ita mysterinm hoc Incarnationis erit possibile, & quà tale conceptibile est ab intellectu creato, Fide informato.

QUÆSTIO IV.

Nùm Incarnatio Verbi jam sit peracta; & venerit verus Messias?



1. *Quia intelligatur nomine MESSIAS.* NOTA primò: hoc nomen *Messias* esse vocem Hebræam, & significare Græcè idem quod Christus, Latinè autem *Unctus*. Intelligunt autem Hebræi per Messiam hominem quemdam ex Judæis descendentem, â DEO & Prophetis prædictum, ac Nationi Judaicæ promissum in Regem & Salvatorem; qui tamen erit purus homo, & non conjunctus DEO.

2. *Incarnatio jam est peracta, venitque verus Messias JESUS Christus.*

DICO primò: Incarnatio jam est peracta; & consequenter venit verus Messias, qui est JESUS Christus, ex V. Maria natus. Hæc propositio est capitalis articulus Fidei Catholicæ, registratus in multis S. Scripturæ locis, atque Symbolis, Apostolico, Athanasij, ac Nicæno; tenetúrque ab omnibus Christi fidelibus; contra perfidos Judæos, & Gentiles.

Probari primò potest hæc conclusio specialiter contra Gentiles omnibus illis principijs, quibus *Tom: 3. Tract. de Fide, Dist: 1. q: 10* ostendi veritatem Fidei Christianæ contra quascunque Sectas. Contra verò Hebræos admittentes vetus Testamentum.

3. *Vaticinium Gen: 49. de adventu Messiæ veri expenditur.*

Probatur primò ex illo vaticinio Gen: 49. de futuro Messia, quod juxta vulgarem Latinam Editionem sic sonat; *non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de famore ejus, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium;* secundùm vero Hebraicam sic; *non recedet Sceptrum de Juda, & Scriba sive Legum Lator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh.* (id est Messias, ùt interpretatur Barrad: & noster Galat: *lib: 4. cap: 4.) cui nationes servient.* Secundùm autem paraphrasim Chaldaicam sic, *non auferetur, qui facit potestatem, de domo Juda, & Scriba de filijs filiorum ejus, usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi.* Secundùm tandem 70. Interpretes, *non deficiet princeps de Juda, donec veniant, quæ reposita sunt ei;* id est insignia beneficia, per Messiam promissa generi humano, ùt legit S. Augustinus *lib: 12. contra Faustum cap: 42.* sed jam ab annis 1679. irrecuperabiliter Sceptrum (id est Regia dignitas) & Scriba (id est potestas legislativa) ablata sunt à Juda, & tota gente Hebræorum, cum eorundem dispersione per orbem; unde de eis jam olim rectè dixerat vetus Scriptor Tertullianus *in Apolog: cap: 21. dispersi, palabundi, & cæli, & soli sui extorres vagantur per orbem, sinè homine, sinè DEO Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigiò salutare conceditur.* Et in hujus dispersionis Judæorum, & ablationis Sceptri, atque Scribæ tempora incidit Nativitas Messiæ JESU Christi: Ergo Incarnatio jam est peracta; & consequenter venit verus Messias JESUS Christus. Prob: Min: Herodes alienigena exclusis Machabæis arripuit Sceptrum Judæ; & teste Josepho Judæo regnavit annis 37. sub cujus regni finem natus est JESUS Christus ex Maria Virgine; nec ampliùs ab illo tempore Regiam dignitatem, aut potestatem legislativam adepti fuêre Hebræi: Ergo jam annis 1679. irrecuperabiliter Sceptrum, & Scriba ablata sunt à Juda, & tota gente Hebræorum.

4. *Primum responsum Hebræorum super memoratum vaticinium enervatur.*

Hebræi ad elidendum hoc argumentum varia excogitârunt effugia. Primò enim quidam eorum cum Rabbi Moyse Ægyptio apud Burgen: *1. par: Scrutinij dist: 3.* contendunt Sceptrum, & Regiam dignitatem respectivè ad suos Judæos adhuc remanere penes principales quosdam Hebræos de Tribu Juda, in Babylone commorantes, quos dicunt esse reliquias Judæorum, eò in captivitatem olim translatorum: vel certè penes alios inter montes Caspios inclusos tempore ejusdem captivitatis. *Contra*: hoc effugium fundatur in mero fabuloso commento; nam neque ex ullis veridicis historijs, Cosmographijs, aut relationibus authenticis constat, hujusmodi Hebræos Regiâ dignitate fulgentes reperiri in Babylone: & sanè cum hæc urbs cum sua ditione, tota sub fastuoso atque Tyrannico Turcarum imperio vasalla gemat, quod socium regiminis nequaquam tolerat, præsumendum est, nullum Hebræum Regis charactere ibidem pollere. Addo, quòd olim circa decimum ab hinc sæculum, Persarum Califfæ potiti Babylone, omnes Judæorum Scholas, Synagogas, & Academias penitus everterint, ac omnis eorum exigua dignitas, & præeminentia Patriarchalis duntaxat, quæ adhuc post transmigrationem eò remanserat, inter eos totaliter extincta sit.

5. *Aliud responsum eorundem refutatur.*

Secundò respondent alij; memoratum vaticinium non collimare ad adventum veri Messiæ; sed ad adventum Regis Saulis in Silo; unde tunc venit *Siloh*, quia venit Saul ad oppidum Silo, ut ungeretur in Regem. *Contra*; de Saule veniente in Silo non verificantur aliæ partes hujus vaticinij; nam ejus tempore non fuit ablatum Sceptrum de Tribu Juda; cùm Tribus Juda illud non tenuerit; sed Tribus Ephraim, de qua erat Samuel antecessor Saulis, qui cum charactere Judicis supremi rexerat Hæbræos; nec ipse fuit unctus in Silo, sed in Ramatha,

cha, quando Samuel effudit Lenticulam olei super caput ejus.

6. *Rejiciuntur rursus Hebræi allegatum vaticinium ineptè glossantes.* Tertiò dicunt alij hoc vaticinium loqui vel de Salomone, qui fuit Siloh, id est Rex pacificus, & Messias, quia liberavit populum Israëliticum ab infestatione hostium, pacémque universalem invexit in Judæam, uti patet 3. *Reg.* 4. unde meritò dicitur Siloh, id est Rex pacificus, & Messias; vel certè loquitur de Jeroboam Rege in Silo coronato; vel de Nabuchodonosore captivante Judæos ex Divino decreto. *Contra*; nec Salomoni, nec ulli ex memoratis conveniunt alia prædicata, præfato vaticinio inserta; nam Salomon non fuit *expectatio gentium*, siquidem nil beneficij eis contulit: nec ejus tempore fuit ablatum Sceptrum de Juda, cùm ipse fuerit Rex super Juda, uti & filius ejus Roboam. Jeroboam autem non fuit in Silo in Regem coronatus; sed in Sichem? uti colligitur ex 3. *Reg.* 12. Nec abstulit Sceptrum à Juda, sed illud remansit penes Tribum Judæ usque ad captivitatem Babylonicam. Nabuchodonosor verò captivando filios Israël in Babylonem, pariter regiam dignitatem tunc non extinxit in Juda, quia post illam captivitatem fuerunt nonnulli Supremi Principes super Juda, ùt Zorobabel, Esdras, & alij, nati de eadem Tribu.

7. *Alia iterum replica eorundem, confutatur.* Quartò alij reponunt; istud vaticinium adimpletum esse tempore captivitatis Babylonicæ. Ergo aut Incarnatio Verbi jam pridem peracta fuit, Messiasquè venit ante JESU Christi adventum; aut certè ex illo nihil probatur. Ant. patet, ex *cap: ult: Reg:* ubi habetur omnes Hæbræos cum suo Rege vastatâ Judæâ, & Jerusalem, à Nabuchodonosore ductos fuisse in captivitatem; atque ita ablatum quoque fuisse Sceptrum à Juda. *Contra*; tempore captivitatis penes Iudices aliquos supremos remanebat species quædam potestatis saltem legislativæ, seu Scribarum; uti constat ex historia Susannæ Dan. 13. & consequenter istud vaticinium quoad hanc partem non fuit adimpletum. Insuper post mortem Regis Iudæ Ioachim simul captivati in Babylone Zorobabel de Tribu Iuda constitutus fuit Præfectus, & Dux super Iudæos.

8. *Eliditur denuò recentiorum Rabbinorum erronea doctrina in proposito.* Sed instant Rabbini RR. saltem post hunc Ducem, & Esdram per 400. annos fermè nulla species dignitatis Regiæ, Ducalis, vel potestatis legislativæ ampliùs visa fuit penes descendentes ex Tribu Iuda, quia Machabæi tunc regnantes non erant de Tribu Iuda; sed de genere Levitico, & ordine Sacerdotali: Ergo totis illis 400 annis tempore Machabæorum Sceptrum fuit ablatum à Iuda; & consequenter antequam Christus nasceretur. *Contra*; Machabæi post mortem Esdræ per annos circiter 400. habentes Sceptrum super Iudæos revera censendi sunt de Tribu Iuda; nam post divisionem decem Tribuum à Tribu Iuda tempore schismatis Ieroboam, Tribus Levi, ex qua descendunt Machabæi, uti & Benjamin, coaluerunt cum Tribu Iuda per perpetuam confœderationem, & cohæreotiam; uti colligitur ex 1. *Paralip.* 13. ubi dicitur, quòd Roboam, audiens descivisse à se decem Tribus, *convocavit universam domum Juda, & Benjamin centum octoginta millia Electorum, atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, & converteret ad se regnum suum.* Et infra, *imperavit super Judam, & Benjamin; Sacerdos autem & Levita, qui erant in universo Israël, venerunt ad eum* (videlicet Roboam Regem Iuda) *de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Judam, & Jerusalem:* & per ejusdem confœderationem, atque coalescentiam Tribus Levi (de quâ prodierunt Machabæi) una quasi Tribus effecta est; & à Scriptura pro una reputatur illis verbis, *iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi Tribus Juda tantummodo*; in quo tamen Sacerdotes & Levitæ quoque erant. Unde cùm Machabæi sic inserti Tribui Iuda post captivitatem Babylonicam regnaverint usque ad tempora Christi, Regia vel Ducalis saltem dignitas remansit penes Iudam.

9. *Affertur alius passus efficax Scriptura Dan: 9. probans adventum Messiæ jam esse peractum.* Prob. secundò conclusio ex alio quoque vaticinio registrato Daniel 9. patet factum Incarnationis, adventus, & passio Messiæ jam peracta; nam *loc. citato* dicitur, *animadverte sermonem, & intellige Visionem; septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum; & super Urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte ab* exitu

exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades 62. erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas 62. occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio: confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in medio hebdomada deficiet Sacrificium, & hostia, & erit in templo abominatio desolationis; & usque ad consumationem, & finem perseverabit desolatio: sed istæ hebdomadæ 70. quæ faciunt 490. annos, intelligendo per unam hebdomadam 7. annos uti habetur Gen:29. *ver:* 26 jam effluxerunt à tempore prædictionis; sive capiantur anni pro annis Lunaribus, qui 11. diebus sunt breviores, ùt vult Iulius Affricanus; sive pro Solaribus, uti vult Lyra, Eusebius, Ambrosius, & communis Interpretum & TT. Sententia: Ergo jam peracta est Incarnatio, & venit verus Messias. Subsumo; sed nullus convenientiùs assignari potest, quàm JESUS Christus; nam ipsi soli conveniunt prædicata in præfato Vaticinio posita, cùm solus ipse sit *Justitia sempiterna, Sanctus Sanctorum: occisus à populo suo*, is circa quem adimpletæ sunt prophetiæ variæ, *finis prævaricationis Judæorum, delotionis peccati* per occisionem Filij DEI, & cui exactè computatio 70. hebdomadarum competit, ut pauló post ostendam: Ergo &c.

10. *Rabbinorū extorta replica in præfatum locum Danielis exploditur.*

Ad hocquoque argumentum infringendum proterviendo respondent Rabbini Hebræorum; quòd in allegato Vaticinio sit sermo de hebdomadibus longioribus, quàm 7. annorum; unde dicunt ibi sermonem esse de hebdomadibus vel Olympiadum, vel Jubilæorum, vel Sæculorum, notabiliter longiotibus secundùm ipsos, ac idcirco easdem necdum esse terminatas; & consequenter nec Messiam advenisse; quia si per olympiades fiat numeratio illarum hebdomadarum, resultant duo ferme millia annorum; si per Iubilæa; resultant viginti quatuor millia annorum; si per sæcula, quadringenta novem millia annorum. *Contra primò*; S. Scripturæ mos non est per olympiades computare annos, sicut faciunt Græci. *Contra secundò*: hebdomadæ secundùm morem Scripturæ, uti patet Gen: 29. computantur secundùm septennium, ita ut una hebdomas complectatur 7. annos, & non plus. *Contra tertiò*: Si hebdomades istæ Danielis per Olympiades, Iubilæa, vel Sæcula deberent supputari, sequeretur, Templum Ierosolymitanum, & Civitatem non fore dissipandam à populo cum Duce venturo (uti loquitur idem Vaticinium) nisi v. g. post 49. millia annorum correspondentium 70. sæculis, quod falsissimum est, cùm Templum, & Civitas Ierosolymæ jam dudum sub Tito, & Vespasiano Romanis Ducibus fuerint devastata, juxta prophetiam Christi dicentis, non remansurum ibi lapidem super lapidem.

11. *Variæ Sententiæ circa initium computandi 70. hebdomadas Danielis.*

Nota hic secundò: circa initium computandi memoratas 70. hebdomadas, esse sententias varias, & intricatas; ego judico earum exordium cepisse. sub Imperio Persarum, puta anno 28. Regis Artaxerxis Longimani, quô Edictum ejus de reædificanda Urbe Ierosolymæa fuit executioni mandatum, & tunc propriè fuit *exitus sermonis*, scilicet hujus edicti, *ut ædificetur Jerusalem*, sicut dicit textus citati Vaticinij; continuatio autem earundem contigit sub Monarchia Græcorum, & tandem terminatio incidit in initium Monarchiæ Romanorum, à cujus Monarchiæ initio usque ad Christi baptismum calculantur 59 anni videlicet 44. Imperij Augusti, & 15. Tiberij, sub cujus decimo quinto anno referente D. Lucâ Evangelistâ Christus baptisma suscepit in Iordane. Itaque si annos computes ab anno 28. Artaxerxis Longimani usque ad mortem Christi, reperies 490. qui faciunt exactè 70. hebdomadas, calculando pro una hebdomada 7. annos solares.

12. *Adducuntur rursus variæ Prophetiæ de Adventu Messiæ, jam impletæ in Christo.*

Prob. tertiò conclusio varijs alijs prophetijs, & vaticinijs veteris Testamenti; quibus varia circa verum Messiam venturum prædicuntur à SS. Prophetis; quæ omnia adimpleta sunt in IESU Christo; & consequenter jam Incarnatio est peracta, & venit verus Messias: sic Isaiæ 7. habetur prophetia de ejus nativitate ex Virgine, *ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, IESUS autem conceptus est ex Virgine Luc. 1. Et Mich. 5. habetur prophetia de ejusdem nativitate in Bethleem, *& tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Do-*

minator

minator in Israël, & egressus ejus ab initio æternitatis, &c. IESUS autem natus est in Bethleem Luc. 2. & Zachariæ 9. habetur vaticinium de ejus paupertate, *Ecce Rex tuus venit tibi justus, & Salvator, ipse Pauper, & ascendens super asinam*: quod totum verificatur de IESU Christo, qui dicit de se Luc. 9. *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Similiter Zachar. 11. ponitur prædictio de appretiatione Messiæ 30. argenteis, *appenderunt mercedem meam 30. argentis.* Et Sap. 20. de morte turpissima ejusdem, *morte turpissima condemnemus eum.* Et Psal. 21. de crucifixione & flagellatione, *foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea.* Et Psal. 56. de Resurrectione: *exurgam diluculo.* Et Psal. 62. de ascensione, *ascendisti in altum* &c. Et Ioël vaticinatur Spiritûs Sancti missionem dicens, *effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Et Baruch. 2. Legis novæ lationem, *& statuam illis alterum Testamentum*; quæ singula, & complura alia vaticinia futuri Messiæ ad amussim in Christo impleta leguntur in historia Evangelica, & deberent sanè movere intelligentiores Rabbinos ad credendum in eum: sed ut bene hic advertit noster eruditissimus Lyranus, sola obstinatio tenet eos in perfida expectatione Messiæ: Ergo jam Incarnatio est peracta, & venit verus Messias, qui est IESUS Christus.

13. *Fundamentum Hebræorũ negantium Messiæ adventum jam esse peractum.*

Fundamentum potissimum, ob quod Hebræi negant Incarnationem jam esse peractam, & venisse verum Messiam, est, quòd S. Litteræ Veteris Testamenti promittant tempore veri Messiæ quædam mira occursura; eundémque varia beneficia. & bona temporalia allaturum populo Israëlitico; nam in adventu ejus juxta vaticinium Isaiæ 11. *habitabit lupus cum agno, & Pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Item *cap. 2.* Idem S. Vates dicit, quòd *erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium,* id est elevatus super omnes montes: quæ omnia necdum contigerunt: Ergo necdum venit verus Messias. Respondeo; hæc & similia plura alia in S. Scriptura registrata non esse accipienda in sensu litterali, qui occidit; sed in sensu spirituali, qui vivificat, ùt eruditè exponit Lyranus, & alij post eum interpretes Itaque illa habitatio agni cum lupo &c. intelligitur vel de futura pace, tranquilla habitatione, & gloria Ecclesiæ militantis, per Messiam aliquando extinctis Tyrannis inducenda: Vel de cohabitatione Gentilium, & omnium Nationum barbararum mundi (quæ rectè dicuntur Lupi, Pardi, & Leones) cum mitibus Christianis ceu agnis & ovibus in eadem Ecclesia.

QUÆSTIO V.

De constitutione Messiæ, qui est JESUS Christus.

DICO primò: Messias mundi JESUS Christus, fuit verus homo; & simul verus DEUS. Est contra Hæbræos, pessimam mundi farinam; & nonnullos priscos Hæreticos Ebionitas, Elxaitas, Theodotianos. Paulianistas, Saturnianos, Marcionistas, Manichæos, Valentinianos, &c.

Prob. prima pars primò authoritate S. Scripturæ; Deut. 18. dicitur, *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Et Joan. 8. *quæritis me interficere hominem.* Item Joan. 1. *Verbum caro factum est*: ex quibus omnibus colligitur contra Hæreticos, Christum fuisse verum hominem. Probat. secundò authoritate SS. CC. veram humanitatem in Christo confitentium: sic dogmatizat Conc: Nicæn: *in Symbolo* Fidei. Et Calced: in decreto Fidei act. 5. &c.

1. *Messias mundi JESUS Christus fuit verus homo.*

Probat: tertiò authoritate SS. PP. eandem doctrinam passim proferentium; sic loquitur D. Fulgent. *lib. 1. ad Trasim. cap. 15.* Gregor. Nazian. Ambros. Tertul. &c.

Prob. quartò: Tota historia Evangelica convincit Christum fuisse simul verum hominem; nam in ea describitur ejus Genealogia, Conceptio, Nativitas ex Virgine, acta ejus humana; ut quòd ambulaverit, comederit, fatigatus fuerit, quæ fieri nequeunt nisi ab homine habente animam veram, & corpus verum: Ergo &c.

2. *Ille textus VERBUM CARO FACTUM est, est per Synecdochen intelligẽdus.*

DICES: ex illo textu, *Verbum caro factum est*; non colligi, Messiam Christum esse verum hominem; quia caro non est homo in recto: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. quia Scriptura S. more solitò loquitur hic per figuram Synec-

Synecdochen, in qua natura integra per partem ejus explicatur: & simili loquendi phrasi utitur Gen: 6. quando dicit *omnis quippe caro*, id est, omnis homo, *corruperat viam suam. Et* Gen. 14, *da mibi animas*, id est homines *catera tibi tolle:* itaque allata Scriptura vult dicere, quòd Verbum factum sit homo.

3. *Quatuor genera Synecdoches expenduntur.*

NOTA hic secundò: quatuor esse genera Synecdoches, quibus tam Ethnici, quàm Sacer Textus passim utitur. Primum quando, ùt dixi, sumitur pars pro toto: sic dicitur Act: 27. *eramus autem in navi universa anima ducenta sexaginta sex.* Secundum, quando totum pro parte, sic Joan: 19. ponitur homo pro corpore; *erat monumentum ubi posuerunt Iesum.* Tertium, quando species seu forma ponitur pro genere; sic Matth. 6. fœnum accipitur pro toto genere herbarum: *ficut fœnum quod hodie: &c.* Quartum, quando è contra genus pro specie sumitur: sic dicitur Gen: 6. *De cunctis viventibus sume*: ubi pro animali accipitur vivens.

4. *Messias Christus fuit quoque verus DEUS.*

Prob. secunda pars conclusionis primò authoritate Scripturæ contra Judæos: Isaiæ *cap*: 9. habetur, *vocabitur* (subintellige Messias) *admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* Et cap. 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos.* Contra verò Hæreticos probatur ex illo Joan: 8. *antequam Abraham fieret, ego sum*: quod non esset verum de Christo, nisi esset Deus ab æterno. Item ex illo Rom: 1. *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est Deus super omnia benedictus*: Ergo &c. Probat. secundò authoritate SS. CC. contra Hæreticos: nam Divinitatem Christi dogmatizant Synodus generalis Nicæna, Constanti: Ephesin: Calcedon: Lateranensis, &c. Ergo &c.

Probat. tertiò authoritate SS. PP. eandem Divinitatem Christi adstruentium; sic docet D. August: passim, Ambrosius, Gregor: Anselmus, &c.

Probat. quartò ratione: Deitas Christi Messiæ apertè constat ex tot miraculis in testimonium Deitatis conjunctæ ab ipso editis: ex tot oraculis, & prædictionibus Sybillarum, & SS. Prophetarum, tot centenis annis ante adventum Christi factis, de ejus Divinitate; quæ omnia eleganter hic urget S. Augustinus: Ergo &c.

DICO secundò: In Incarnatione Verbi nulla est facta conversio propria naturarum, neque intercessit rigorosa compositio physica, vi cujus resultaret tertia Entitas per se composita, & dicta Christus. Prima pars est communis TT. Secundam habet Scotus 3. *dist*: 6. *q*: 3. & veteres communiter; contra RR.

5. *In Incarnatione Verbi nulla intervenit conversio naturarum, uti patet ex Concil: Calced.*

Prob. prima pars, quæ est contra Eutichen, qui juxta Concilium Calcedonense docuit quatuor potissimos errores, quorum primus erat, quòd ex natura Divina, & humana una sit facta, intellige unitate per se. Secundus, quòd natura humana sit immediatè unita Essentiæ, adeòque quòd Filius non magis, quàm Pater, & Spiritus Sanctus sint incarnati. Tertius, quòd natura humana sit Verbo unita, solâ unione affectûs; quod etiam docuêre Nestoriani. Quartus, quòd corpus Christi fuerit tantùm apparens; quibus, & multis alijs relatis in Concilio Calcedonensi, utique maximo, quod celebravit Ecclesia, à toto Concilio contra fulminatum est anathema: & *act*. 5. in Symbolo dicit; *Confitemur in novissimis diebus Filium DEI, in duabus naturis inconfusè*; & post pauca, *salvâ utriusque natura proprietate.* Unde hujus Concilij Oecumenici authoritate probata manet primò hæc pars Conclusionis.

6. *Et rationibus Theologicis.*

Prob. secundò ratione eadem pars: si una ex illis naturis converteretur, deberet desinere Christus esse vel DEUS, vel homo; sed Christus est simul DEUS & homo: Ergo &c. Probat. Maj. quando natura ligni convertitur in cincrem, desinit formaliter esse lignum: Ergo à pari hic, Confirmatur; in hujusmodi conversione facta, non poterat desinere natura Divina; quia hæc est immortalis, necessariò existens, & incorruptibilis: neque desiit natura humana; quia hæc ad sensum in Christo omnes signaturas suæ remanentiæ manifestavit; Christus námque comedebat, patiebatur ex pugna elementorum frigus, & calorem, aliásque miserias corporales, & tandem ipsam mortem, communem omni naturæ humanæ: Ergo &c.

7. *Neque intervenit ibidem compositio rigorosa.*

Prob. secunda pars *de compositione rigorosa*: Divinitas, & humanitas sunt duæ naturæ completæ: Ergo ex illis non poterat componi physicè tertia Entitas per se rigorosè composita. Conseq: tenet; quia ad compositionem physicam tertiæ entitatis, requiritur

ritur incompletio partium; seu actus, & potentia; ratio perfectivi & perfectibilis, quæ in duabus naturis Christi non inveniuntur: Ergo &c.

8. *Qualis sit compositio in Christo.*

DIXI in conclusione *per se*; quia non est dubium, quin ex utraque natura resultaverit Ens compositum unum per accidens; cujus tamen naturæ erant physicè & intrinsecè inter se unitæ: ita definitur in Concil: Lateran: & Syn: VIII. Dico *quasi*; quia plùs accedit quò ad modum ad compositionem ex subjecto, & accidente, quàm ad compositionem physicam rigorosam; non est tamen Ens peraccidens absolutè, accidentali unione connexum; sed substantiali. Meliùs ergo diceretur, Ens unum unitum physicè; quàm taliter, vel taliter compositum.

9. *Sanctus Cyrillus & Athanasius tantùm negant plures naturas in Christo subsistentes diversis subsistentijs.*

Objiciunt contra primam partem Eutichiani: S. Cyrillus, & S. Athanasius in Concilio Calced: dixerunt, quòd post unionem non debeat dici, esse duas naturas, sed unam naturam Verbi Incarnatam & adorabilem unicâ adoratione cum carne: Ergo &c. Respondeo cit: SS. PP. tantùm negare plures naturas, subsistentes diversis subsistentijs, adeóque sic divisas, ut una adoraretur, & non altera. Et quidem ita sensisse S. Athanasium constat ex ejus Symbolo, in quo ait de Christo, *unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed &c.* De mente Cyrilli similiter constat ex Epistola sua ad Joannem Antiochenum, quæ lecta fuit in dicto Concilio Calced:

10. *Glossatur illud Symboli: sicut anima rationalis & caro, &c.*

Objiciunt secundò ijdem contra eandem: S. Athanasius in Symbolo suo dicit; quòd *sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita DEUS & homo unus est Christus:* sed anima & caro faciunt unum tertium per compositionem veram: Ergo & naturæ Christi. Respondeo quòd similitudo S. Athanasij non debeat currere, ùt ajunt, quatuor pedibus, id est intelligenda de omnibus, quasi per omnia ita se haberent Unio Divinæ & humanæ naturæ, sicut se habet unio animæ & carnis: sed tantùm, quòd quemadmodum ex anima & carne resultat una Persona, in qua illa duo realiter manent; ita ex humanitate & Divinitate post Unionem hypostaticam fit una Persona.

11. *Concil: Calced: asserit solam compositionem in Christo, resultantem ex unione 2. naturarum completarum.*

Objicies contra secundam partem cum RR. omnes assertiones ab Oecumenicis Concilijs decisæ intelligendæ sunt propriè, & secundùm Veritatem, ex Concil: Lateran: sub Martino I. *consult: 5. cant: 17.* ubi dicitur, *Si quis secundùm SS. PP. non confitetur verè, & secundùm veritatem omnia, quæ tradita sunt ab Ecclesia, perindéque à SS. PP. & venerandis universalibus quinque Concilijs usque ad unum apicem, verbô & mente condemnandus sit:* sed Concil: Calced: quod fuit unum ex quinque universalibus Concilijs, asseruit compositionem veram in Christo: Ergo rigorosam. Respondeo Dist: Min: Concil: Calced: asseruit compositionem in Christo, id est talem, quæ resultaret ex actu & potentia, uti postulat rigorosa compositio Neg: Min: asseruit compositionem veram, id est talem, quæ resultat ex unione vera & reali duarum naturarum completarum, Conc: Min: Itaque non erat mens Concilij Calced: asserere & determinare quòd naturæ in Christo essent rigorosè compositæ, ex actu & potentia; sed tantùm quòd revera compositæ id est physicè & realiter unitæ sint, & non metaphoricè, uti dogmatizabat Nestorius, adstruens eas solùm esse unitas unione morali affectûs, & gratiæ. Et eôdem modô intelligendi sunt SS. PP. compositionem in Christo affirmantes, signanter D. Dionysius *de Divin: Nomin: cap:* 1. dicens, *Verbum assumpsit humanitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est simplex JESUS;* compositione scilicet minùs rigorosâ, importante solam veram unionem naturæ Divinæ, & humanæ.

12. *Messias Christus cõstat unicâ Personâ Divinâ, quæ est DEUS & homo.*

DICO tertiò: in Messia Christo tantùm reperitur Una, scilicet Secunda Persona Trinitatis, quæ verè & substantialiter est DEUS, & homo. Est de fide, ex Concil: Ephes: congregato specialiter contra Nestorium, & tenetur ab omnibus Orthodoxis.

Prob. quia Scriptura S. unum & eundem existentem à parte rei vocat DEUM & hominem; & quæ in uno loco dicit de DEO vero, in alio dicit de vero homine; sed hoc non rectè faceret, si non una, sed plures Personæ accidentaliter unitæ adessent; Ergò &c. Prob: Min: duæ res accidentaliter unitæ, non denominant se substantialiter, sic homo unitus cum sua veste accidentaliter, non dicitur vestis, sed vestitus tantùm: Ergo &c. Conf. ex sententia Nestorij sequeretur totam Tri-

nitatem esse Incarnatam, contra manifestamScripturæ authoritatem Ioan: 1. *Verbum caro factum est*: Ergo. Prob. sequela, quia Unio accidentalis Verbi, æquè respiceret Patrem, & Spiritum Sanctum: Ergo &c.

13. *SS. PP. à Nestorio objecti glossantur.* DICES cum Nestorio SS. PP. & specialiter Leo Papa dicunt, quòd sit aliud, quod coruscat miraculis, aliud quod succumbit opprobrijs in Christo: Ergo in Christo sunt duæ Personæ. Respondeo glossando PP. qui solùm volunt, quod sit alia, & alia natura: non verò alia & alia Persona substrata miraculis, & opprobrijs. Ex dictis.

14. *Unio hypostatica fuit vera physica Unio.* Infertur Unionem hypostaticam quæ naturam humanam huic Personæ unicæ Secundæ Trinitatis uniebat fuisse unionem veram Physicam; & nullò modò unionem duntaxat accidentalem affectûs: cum talis non possit sufficienter denominare Christum DEUM, & hominem realem simul: & cùm stante tali Unione, non possit salvari veritas hujus propositionis, *Verbum caro factum est*; quia amicus per Unionem affectûs non fit realiter unus cum suo amico, sicut Verbum fit unum cum homine.

QUÆSTIO VI.

De Convenientia Incarnationis Verbi.

1. *Erat summè conveniens naturæ Divinæ Incarnatio Verbi propter Bonitatem manifestandam.* ICO primò: Summè conveniens, & consonans erat naturæ Divinæ, ut Verbum incarnaretur in tempore. Ita communis DD. & SS. PP.

Prob. in Incarnatione Verbi complures Divinæ naturæ præcellentiæ, & perfectiones fuerunt manifestatæ, puta Bonitas, Omnipotentia, Sapientia, Justitia, & Misericordia: sed summè conveniens, & consonans est Divinæ naturæ hujusmodi præcellentias, & perfectiones manifestare: Ergò summè conveniens & consonans est naturæ Divinæ, ut Verbum incarnaretur in tempore. Prob. Maj. discurrendo per singulas enumeratas perfectiones: nam imprimis *Divina Bonitas* manifestatur, cùm in hoc opere Incarnationis summa Charitas DEI erga homines ostensa fuerit, juxta illud Joan: 3. *sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Et illud ad Titum 3. *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI*: super quæ verba scribit D. Bernardus *serm: 1. de Nativ: Dom: apparuerat ante potentia in rerum creatione; apparebat Sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate*.

2. *Et propter Omnipotentia ostensionem.* Manifestatur secundò *Omnipotentia* in eodem sacratissimo, & abditissimo opere; quandoquidem ibi miro nexu conjunguntur duæ naturæ maximè distantes, infinita, & finita; immensa & terminata. Unde S. Vates Jeremias cap: 31. rectè de conjunctione, dicit, *novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*: quem passum ponderans S. Bernardus *hom: 2. super missus est*, ait, *in hoc novo & inaudito prodigio agnoscitur longitudo brevis, latitudo augusta, altitudo subdita, profunditas plena: ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua fitiens, panis esuriens.*

3. *Item Sapientia.* Manifestatur tertiò *Sapientia*: eò quòd Verbum assumendo carnem & in ea patiendo convenientissimum modum redemptionis generis humani adhibuerit, *ut* inquit D. Augustinus *lib: cur, quando &c. cap: 6. quod non posset humanitas, Divina faceret natura*. Et juxta S. Leonem, *ut inventor mortis Diabolus per ipsam quam vicerat* (scilicet naturam humanam) *ipse vinceretur*. Seu ùt vult D. Augustinus *cit: quia subtiliter subtilem inimicum DEUS voluit expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamum celavit Deitatis, quatenus ille qui omnem carnem subegerat, talem inveniret, qui sibi nil deberet, quam dum illicitè contingeret, meritò eam, quam quodammodo possidebat, amitteret.*

4. *Justitia quoque.* Manifestatur quartò *Justitia*: siquidem Christus suâ sacratissimâ passione, & pretiosi sanguinis effusione plenam redemptionem, atquè condignam satisfactionem præstitit pro peccatis totius generis humani, juxta illud Pauli ad Rom: 3. *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, quam proposuit DEUS propitiationem per Fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione DEI.*

5. *Ac Misericordia Divina.* Manifestatur tandem etiam *Misericordia*, cùm Unigenitus Filius DEI trabeâ carnis se induerit, & in ea pro peccatoribus hominibus mortuus fuerit,

rit, ut ita eosdem ab æternis pœnis, quibus meritò tanquam vasa iræ apta ad interitum adjudicari debuerant, liberaret; unde rectè D. Paulus ad Rom: 5. *commendat charitatem suam DEUS in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* Quem locum expendens S. Anselmus *lib. 2. cur DEUS homo*, ait; *quid misericordiùs intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis pœnis deputato, & unde se redimeret non habenti, DEUS Pater dicit, accipe Unigenitum meum, & da pro te: ipse Filius, tolle me, & redime te?* Ergo in Incarnatione Misericordia, & complures aliæ præcellentiæ prætactæ, ac perfectiones Divinæ fuerunt manifestatæ; & consequenter summè conveniens, & consonans est Divinæ naturæ, ut Verbum in tempore Incarnaretur.

6. *Hæreticorū objecta afferuntur.* Objiciunt *primò* Hæretici: si Verbum Incarnaretur, injuria fieret Divino Esse: Ergo &c. Prob: Ant: injuria fieret Divino Esse dicendo, quòd effigiem auri, vel argenti indueret, juxta illud Act: 17. *non enim debemus æstimare aurô, aut argentô, aut lapidis sculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum esse simile:* Ergo &c. *Secundò*: cederet in majorem gloriam DEI, si DEUS solò actu Misericordiæ gratis genus humanum absolveret ab omni pæna incurſa propter peccatum; quàm si in carne â Verbo assumpta pro eo satisfactionem exigeret: Ergo non est conveniens ut Verbum Incarnaretur.

7. *Et diluuntur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: cum Ant: probat: ejusdem; & glosso textum allegatum ex Actibus Apostolicis dicendo, quòd solùm prohibeat, ne æstimemus DEUM secundùm suam DEItatem fieri similem rebus materialibus, & constare corporeâ aliquâ auri, argenti, vel alterius speciei materialis effigie, sicut falsò arbitrabantur Ethnici; quod non fit in Incarnatione Verbi, in qua DEUS secundùm humanitatem assumptam duntaxat fit similis homini. Ad *Secundum* Neg: quoque Ant: quia opus in quo utraque perfectio Divina, puta Misericordia, & Justitia simul elucent, quemadmodum contingit in Incarnatione, cedit in majorem DEI gloriam; quàm ubi una sola præcellentia Divina Misericordiæ spectatur.

8. *Humana quoque natura erat convenientissima Incarnatio Verbi.* DICO secundò: Convenientissimùm quoque erat naturæ humanæ, ut Verbum Incarnaretur. Ita pariter communis TT. & SS. PP.

Prob. per Incarnationem Verbi plurima maximæ considerationis beneficia fuerunt collata naturæ humanæ: Ergo convenientissimùm erat naturæ humanæ ut Verbum Incarnaretur. Prob: Ant: per Incarnationem *primò* natura humana fuit summè dignificata, & ad singularem eminentiam evecta; unde S. Leo *Serm: 1. de Nativ: agnosce Christiane dignitatem tuam, & Divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Et S. Augustinus *lib: de Prædest: cap: 15. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, & tam celsa, & summa subjectio, ut quò attolleretur altiùs non haberet.*

9. *Conclusio Varys alys rationibus suadetur.* *Secundò*: per Incarnationem Verbi, natura humana perfectam beatitudinem est consecuta, juxta Authorem *libri de Spir: & anima, cap: 9. apud S. Augustinum, propterea enim DEUS homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret.*

Tertiò: natura humana per peccatum vulnerata, per Unionem hypostaticam Verbi fuit sanata, & redempta, juxta illud 1. Petri *1. cap: pretiosô sanguine quasi Agni immaculati Christi redempti estis.* Ratio etiam est; quia isti conjuncta fuit omnis plenitudo Divinitatis, quæ medetur animabus; unde S. Bernardus *Serm: de Passione, quid in illo non invenias? si ægrotus es, medicus est.* Specialiter autem per ejusdem Divinitatis Unionem superbia mentis humanæ fuit sanata, dicente D. Augustino *lib: 13. de Trinit: cap: 17. Superbia hominis, quæ maximè impedimento est, ne inhæreatur DEO, per tantam DEI humilitatem redargui potest, atque sanari.*

10. *Rursus alia argumenta pro eadem inducuntur.* *Quartò*: per positionem mysterij Incarnationis potentissimus adversarius generis humani Diabolus suppressus, & exauthoratus fuit, juxta illud Scripturæ, *in hoc apparuit Filius DEI, ut dissolveret opera Diaboli, & Princeps mundi eijceretur foràs.* *Quintò*: ratione Incarnationis Verbi plurima gratiæ actualis auxilia & sanctificantis Viatrici naturæ liberaliter collata fuêre; quare rectè ad Ephes: 2. dicitur, quòd DEUS tunc ostenderit *abundantes divitias gratiæ suæ.* Similiter Theologicæ Virtutes eidem naturæ fuerunt communicatæ, juxta D. Augustinum *lib: 11. de*

C

de Civ: cap: 2. Et in summa omne bonum conducens tum animæ, tum corpori mortalium à Verbo Incarnato naturæ humanæ allatum fuit, uti docet S. Ambrosius *lib: 3. de Virgin: omnia nobis Christus est; & omnia nobis donavit:* Ergo plurima maximæ considerationis beneficia occasione Incarnationis Verbi collata fuêre naturæ humanæ; & consequenter eidem convenientissimùm erat, ut Verbum Incarnaretur.

11. *Similiter toti Universo fuit conveniens Incarnatio.*

DICO tertiò: Etiam toti Universo conveniens fuit Incarnatio Verbi. Ita communis quoque DD.

Prob. tum quia ex Incarnatione facta Universum hoc singularem sortit utilitatem, puta restaurationem sui, juxta illud D. Pauli ad Ephes: 1. *proposuit* (scilicet æternus Pater) *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Tum quia conveniens erat, ut universum hoc omnibus nobilibus rerum differentijs constaret; quare quemadmodum reperitur in linea hominum unica natura affecta unicâ Personâ; & in Divinis unica natura in tribus Personis; ita quoque essent plures naturæ in unica Persona Verbi Incarnati. Tum tandem quia conveniens erat, ut in Universo reperiretur perfectissimus gradus entis, DEUM simul & creaturam complectens, qui habetur per Incarnationem Verbi: Ergo toti Universo conveniens fuit Incarnatio Verbi.

12. *Congruentiùs fuit secundam Personam Incarnari, quàm alias.*

DICO quartò: Convenientiùs, & congruentiùs erat Secundam Trinitatis Personam, puta Verbum Incarnari, quàm Primam, aut Tertiam. Ita SS. PP. & TT. communiter.

Prob. primò authoritate SS. PP. varias rationes congruentiales signanter rationem Filij pro secundæ potiùs Personæ quàm Primæ aut Tertiæ Incarnatione assignantium; unde D. Augustinus *lib: de Ecclesiast: dogmat: cap: 2. non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus S. sed Filius tantùm; ut qui erat in Divinitate DEI Filius, fieret in homine hominis Filius, ne Filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æternâ filiatione Filius.* Et D. Anselmus *lib: 2. cur DEUS homo, cap: 9. si qualibet alia Persona Incarnaretur, essent duo Filij in Sanctissima Trinitate:* Ergo convenientiùs, & congruentiùs erat, secundam Trinitatis Personam Incarnari, quàm primam, vel tertiam.

13. *Aliæ rationes congruentiales pro Incarnatione secundæ Personæ proponuntur.*

Prob. secundò rationibus alijs congruentialibus: Tum quia secunda Persona Trinitatis est media inter DEUM Patrem, & Spiritum S. sed congruentiùs est mediam Incarnari; quia Persona Incarnata debebat esse Mediator DEI, & hominum, juxta illud D. Pauli 1. ad Timot: 2. *Mediator DEI & hominum homo Christus JESUS;* Mediator autem appositissimè est Persona, quæ media est: Ergo &c. Tum quia reformanda erat DEI imago per peccatum deformata: hæc autem reformatio congruentissimè fieri poterat per appositionem Secundæ Personæ Divinæ, quæ est naturalis Imago DEI Patris, juxta Apostolum ad Coloss: 1. *qui est imago DEI invisibilis:* Ergo &c. Tum tandem quia secunda Persona dicitur Verbum; unde quemadmodum per Verbum tanquam causam exemplarem & idealem creatus est homo, & cunctæ creaturæ Universi, juxta illud Joan. 1. *omnia per ipsum facta sunt;* ita congruum erat ut per Verbum Incarnatum homo lapsus repararetur.

14. *Positio Incarnationis à priori pendebat præcisè à voluntate DEI.*

Cæterùm etsi hæ & similes rationes ingerant à posteriori convenientiam, & congruentiam quamdam, cur Secunda Persona potiùs, quam Prima vel Tertia sit Incarnata; ipsa tamen positio Incarnationis à priori pendebat ab arcana DEI voluntate, decernente ut hæc Persona potiùs, quàm aliæ, quæ æquè Incarnari poterant, carnem humanam assumeret, sibique unione intimâ hypostaticâ uniret hominem.

15. *Convenientiùs fuit, ut Verbum assumeret naturam humanam, quàm Angelicam.*

DICO quintò: Magìs conveniens fuit, ut Verbum Incarnaretur in natura humana; quàm in Angelica. Ita quoque SS. PP. & TT.

Prob. rationibus Doctoris Seraphici *3. Dist: 2. q: 2. primò:* quia in natura humana residet proprietas Filiationis, & non in Angelica; quia unus homo ab alio ducit originem; non sic Angelus ab Angelo: Ergo conveniens erat ut Verbum quod dicit proprietatem Filiationis æternæ, assumeret potiùs naturam humanam, & ab ea nancisceretur quoq; Filiationem temporalem; quàm Angelicam. *Secundò:* quia assumptio naturæ humanæ à Verbo magis confert ad Universi perfectionem, quàm Angelica: nam cùm homo sit aliquô modô omnis creatura; habet enim secundùm D. Gregorium esse cum elementis, & rebus inanimatis,

tis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis; hinc sequitur quòd dum natura hominis assumeretur à Verbo, in ea omnis creatura sublimaretur, & peculiarem sortiretur dignitatem ac perfectionem. *Tertiò*: quia natura humana magis indigebat reparatione per Verbi Incarnationem præstandâ, quàm Angelicâ; humana enim in Adamo totaliter ruinam passa fuerat, non sic Angelica; cùm plura individua Angelorum perstiterint in condita Sanctitate & Justitia. *Quartò*: minùs proficua fuisset naturæ Angelicæ Incarnatio Verbi, quàm humanæ; quia per eam nulla ejus redemptio fuisset secuta, eò quòd Angeli mali post lapsum omnes fuerint obfirmati in malo, & pœnitentiæ incapaces; non sic homines. *Quintò*: natura humana suò peccatò non ita indignam se reddiderat Divinâ Misericordiâ, & beneficiò Incarnationis, ac Redemptionis, sicut Angelica; quia peccatum naturæ humanæ non erat ita grave, sicut peccatum naturæ Angelicæ; nam ùt benè docet noster Alensis, homo peccavit appetendo omnem scientiam DEI; Angelus verò omnipotentiam DEI; DEUS autem suam omnipotentiam nullatenus communicare vult ulli creaturæ; cùm ratione ejus sit principium omnium creaturarum; & communicat tamen scientiam beatis animabus sat sublimem in statu gloriæ, ubi eum videbunt, & scient sicuti est, & omnia in ipso. Item homo non peccavit suâ proclivitate naturæ allectus, sed serpente & uxore instigante; Angelus autem propriâ suâ malitiâ: Ergo magis conveniens fuit, ut Verbum Incarnaretur in natutura humana, quàm Angelica.

16. *Similiter congruebat magis ut hujusmodi assumptio fieret in carne ab Adamo propagata.* DICO sextò: Similiter congruentiùs fuit, ut Verbi Incarnatio perageretur in carne per generationem Adæ descendentem; quàm aliunde productam. Est communis TT.

Prob. ratione D. Anselmi, quam profert *lib: 2. cur DEUS homo, cap: 8.* quia congruebat ut is, qui præstare debebat satisfactionem, esset de propagine debitoris; alioquin debitor non censeretur propriè satisfactionem impendere: Ergo convenientiùs fuit, ut Verbi Incarnatio perageretur in carne per generationem Adæ descendentem.

DICO septimò: Tandem etiam fuit convenientiùs, ut Verbum non Incarnaretur illico post perpetratum Adæ peccatum; neque ut expectaret planè ipsam consumationem mundi; sed ut in plenitudine temporum, & circa medietatem sæculorum appareret ad redemptionem generis humani. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, & SS. PP. communiter.

17. *Et ne fieret immediatè post lapsum Adæ.* Prob. prima pars rationibus D. Bonaventuræ *3. Dist: 1. q: 4.* *Primò*: congruebat, ut Divina Justitia per nonnulla sæcula protraheret Incarnationem Verbi, quæ ordinata erat ad redemptionem generis humani à peccato, ut magis manifestaretur Divinæ ultionis severitas, quæ sustinuit tam diu tot gemitus, tot clamores validos, totque deprecationes Patrum antiquorum ingemiscentium illud, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*: & illud, *utinam disrumperes cælos, & descenderes.* *Secundò*: Incarnatio Verbi erat singularissimum donum, & maximum beneficium generi humano conferendum: Ergo convenientiùs fuit, ut ejus collatio non illico post lapsum fieret; sed differreretur usque ad plenitudinem temporum, atque ita magis desideraretur à cunctis gentibus, postularetur à Patriarchis, prædiceretur à Prophetis, atque Legis Mosaicæ umbris præfiguraretur, secundùm illud D. Augustini *Tract: 31. in Joan: quantò major Judex veniebat, tantò Præconum series longior præcedere debebat.*

18. *Neque planè in fine mundi.* Prob. secunda pars: si Verbum cum sui Incarnatione expectâsset usq; ad consumationem mundi, nimiùm in hominibus peccata inva'uissent; DEI notitia ac reverentia in ijsdem nimis extincta fuisset; morúmque honestas penitus elisa fuisset; quare quemadmodum DEUS suscitavit primitus, & ablegavit Abraham ad revocandam notitiam veri Numinis, in genere humano magna ex parte obliteratam; & Moysen ad restituendum verum cultum latreuticum ejusdem, in universo quasi mundo jam sopitum; ità quoque convenientissimum erat, ut ipsum Verbum ante consumationem mundi illò planè tempore, quò populus Hebræus, ac Gentilis prolapsus fuerat in densissimas tenebras errorum & idololatriæ, omnisque penè honestas morum extincta, in carne appareret, ad renovandam pariter notitiam,

titiam, & venerationem veri DEI: Ergo convenientiùs fuit, ut Verbum non expectaret cum sui Incarnatione usque ad consumationem mundi.

19. *Sed circa media tempora.* Prob. tertia pars: quia cùm congruum, atque conveniens non fuerit in principio temporum, aut in consumatione mundi Verbum Incarnari; relinquitur, quòd convenientius & congruentiùs fuerit, tantum mysterium consumari in plenitudine & medietate sæculorum; ut ita anteriora sæcula in Fide & spe adventûs Salvatoris detineret; posteriora verò sacrâ doctrinâ Evangelicâ imbueret, sanctificaret, & finaliter salvaret.

QUÆSTIO VII.

De Necessitate Incarnationis Verbi.

1. *Verbum nõ Incarnabatur necessariò.*  DICO primò: Verbum Divinum nullâ constringebatur necessitate ad Incarnari, etiam factâ hypothesi peccati, in quo totum genus humanum lapsum fuerat. Ita communis SS. PP. & TT. contra D. Anselmum *lib: 1. cur DEUS homo*, in varijs capitibus.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; nam Sap: 2. dicitur, *quis tibi imputaverit, si perierint nationes, quas tu fecisti:* acsi diceretur, nullus; posset autem DEO imputari interitus nationum, si Verbum aliquâ necessitate constringeretur ad Incarnandum factâ hypothesi peccati, quò lapsum est totum genus humanum. Item in Sacris Litteris passim Incarnatio dicitur opus planè liberum, & ex mera misericordia DEI procedens; unde ait Apostolus ad Titum 3. *secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ad Rom: 8. comparatur genus humanum limo, & DEUS artifici; ut ostendatur Divina potestas liberrima ad relinquendum genus humanum lapsum, vel ad id liberè reparandum: Ergo Verbum Divinum nullâ constringebatur necessitate ad Incarnari, etiam factâ hypothesi peccati, in quo totum genus humanum lapsum fuerat.

2. *Alia rationes pro libertate Verbi Incarnatione.* Prob. secundò ratione: Tum quia Verbum non constringebatur ullâ necessitate Angelos lapsos reparare per assumptionem naturæ Angelicæ: Ergo neque constringebatur ad Incarnari in carne humana propter reparationem totius generis humani lapsi. Tum quia omnia opera DEI ad extra sunt liberrima: sed Incarnatio Verbi est opus DEI ad extra: Ergo est liberrimum; & consequenter Verbum ad id ponendum etiam in hypothesi peccati totius generis humani nullâ necessitate constringebatur.

Objicies *primò* ex S. Anselmo: homo fuit à DEO conditus ad gloriam; sed hanc attingere nequibat in hypothesi lapsûs: Ergo DEUS debebat eum elevare à lapsu. Subsumitur sed hoc fieri debuit per Incarnationem Verbi: Ergo Verbum constringebatur aliquâ necessitate ad Incarnari. *Secundò*: numerus Angelorum lapsorum debebat restaurari per homines: sed per eos non poterat restaurari, nisi & ipsi priùs lapsi relevarentur per Incarnationem Verbi: Ergo propter eos relevandos necesse habuit Verbum Incarnari. 3. *Quibusdam objectionibus propositis.*

Respondeo *primò*: ex his rationibus D. Anselmi non sequi aliquam necessitatem, sed solam congruentiam aliquam, ut Verbum Incarnaretur pro homine condito ad gloriam elevando à lapsu; & pro facienda per homines reparatione ruinæ Angelorum. Respondeo *Secundò ad Primum* Conc: argumentum primum, & Neg: subsumptum; quia DEUS poterat simpliciter uti aliô modô elevandi hominem à lapsu, quàm Incarnatione Verbi; nam ùt dicit S. Bernardus *Epist: 190. quis neget ad manum Omnipotentis fuisse alios modos nostræ redemptionis & liberationis?* Et sanè, ut cum D. Athanasio *serm: 3. contra Arian:* loquar, *poterat sinè adventu Christi solùm loqui DEUS, & solvere maledictionem.* Ad *Secundum* Neg: Maj: quia absolutè loquendo ille numerus poterat restaurari per Angelos de novo à DEO creatos. Negari etiam potest Min: quia lapsus hominum, per quos restaurandus erat numerus Angelorum, relevari poterat per alium modum, quàm per Incarnationem, si DEUS ita voluisset: quare concludendum est, ex nullo capite oriri aliquam necessitatem absolutam Incarnationis Verbi; sed ipsam merè liberè poni. Unde. 4. *Responde-tur.*

Dico secundò: Etiam ex suppositione Decreti Divini de redimendo genere humano à lapsu, Verbum simpliciter non necessitabatur ad Incarnari. 5. *Ex Scriptura constat Verbum non*

necessitari ad Incarnationem etiam supposito Decreto Redemptionis hominum. nari. Ita Scotus *3. dist: 20.* cum suis communiter; contra S. Anselmum.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; quæ etiam in hypothesi Decreti Divini de redimendo genere humano â lapsu, Incarnationem Verbi appellat opus dilectionis, misericordiæ, & charitatis: unde dicitur Joan: 3. *sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et ad Titum 3. *secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Et 1. Joan: 4. *in hoc apparuit charitas DEI in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit DEUS in mundum, ut vivamus per ipsum:* sed id quod fit ex dilectione, misericordia, & charitate non fit ex necessitate simpliciter: Ergo Verbum simpliciter non necessitabatur ad Incarnari, etiam in hypothesi Decreti Divini de redimendo genere humano â lapsu.

6. *Similiter ex authoritate SS. PP.* Prob. secundò authoritate SS.PP. asserentium DEUM simpliciter potuisse redimere genus humanum â lapsu, etsi Verbum non incarnaretur; adeóque Verbum non fuisse simpliciter necessitatum ad Incarnari, etiam in suppositione Decreti de volendo redimere genus humanum lapsum; sic loquitur S. Gregorius *lib: 17. moral: cap: 18. & lib: 24. cap: 2.* Et Eusebius Emissenus *hom: 6. de Paschate.* Et D. Augustinus *lib: de agone Christi, cap: 11.* ubi ait, *sunt stulti qui dicunt, non poterat aliter Sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex femina:* Ergo &c.

7. *Et rationibus Theologicis.* Prob. tertiò ratione: DEUS etiam in suppositione Decreti Divini de redimendo genere humano lapso poterat creare aliquem hominem innocentem, ex progenie Adæ non descendentem, refertum gratiâ summâ, & ad meritoriè operandum dispositissimum; poteràtque hujus opera meritoria acceptare in ordine ad redemptionem generis humani: tum quia in hoc etiam nulla apparet implicantia: tum quia dicit D. Augustinus *3. de Trinit: cap: 10. fuit quidem alius modus nostra Redemptionis possibilis, quam per Incarnationem, sed nullus natura misera salvanda convenientior:* Ergo Verbum simpliciter non necessitabatur ad Incarnari. Præterea DEUS poterat gratuitâ condonatione dimittere omne peccatum, & liberaliter infundere justitiam omnibus hominibus lapsis in Adamo; sicut primò creavit Adam in justitia, & sanctitate: Ergo Verbum etiam in hypothesi Decreti de redimendo genere humano poterat omnes homines redimere sinè Verbi Incarnatione, atque adeo Verbum simpliciter non necessitabatur ad Incarnari.

Objicies: plures SS. PP. docent Incarnationem Verbi fuisse absolutè necessariam ex hypothesi Decreti Divini de redimendo genere humano lapso: sic loquitur D. Leo *Epist: 81. quâ reconciliatio esse poterat, quâ humano generi propitiaretur DEUS, nisi omnium causam Mediator DEI, hominúmque susciperet?* Et S. Cyrillus *lib. 5. thesauri, cap: 7. quoniam imperfectum esse opus DEI non decuit, & non potuit aliter reparari necessariò DEUS factus est homo:* Ergo &c. 8. *Glossantur SS. PP. asserentes quandam necessitatem Incarnationis.*

Respondeo glossando PP. & dico, eos vel intelligendos esse de necessitate, prout idem importat quod convenientiam: vel de necessitate conducente ad modum perfectissimæ redemptionis; qui adhibitus fuit in Incarnatione Verbi: vel tandem de necessitate resultante ex Decreto Divino, quod DEUS defacto jam posuerat de adhibendo modo hoc individuali in redemptionem generis humani, scilicet per Incarnationem; quem modum tamen DEUS potuisset ante Decretum defacto positum omittere, & alium arripere, atque decernere pro adimpletione sui primi Decreti de impertienda redemptione massæ humanæ perditæ; & ita salvatur Conclusio, quod simpliciter etiam in hypothesi Decreti positi de redimendo genere humano non necessitatur Verbum ad Incarnari. Itáque etsi juxta præsentem ordinationem & Decretum DEUS redemerit genus humanum, adhibendo medium, & modum Incarnationis ipsiusmet Verbi; simpliciter tamen ad hoc non necessitabatur; quia poterat aliud medium, & modum alium adhibere, v.g. loquendo tantùm, & liberaliter condonando culpam, quam totum genus humanum incurreret, ùt vult D. Athanasius *serm: 3. contra Arrian.*



DISTINCTIO II.
DE UNIONE HYPOSTATICA, ACTIONE INCARNATIVA; EJUSQUE TERMINO.

QUÆSTIO I.
De Natura Unionis hypostaticæ.



Uæstionem hanc tractat Scotus *3. dist: 1. q: 1. num: 3.* circa quam varia inquiri possunt, quæ hic perstringam.

NOTA autem primò: circa ipsos terminos tituli quæstionis, quòd ly *Vnio ut sic* secundùm Euthym: Panopl: *tit:* 7. sit *rerum distinctarum concursus in mutuam communionem*: secundùm verò commune Philosophorum arbitrium, *nexus quidam sive accidentalis, sive substantialis* (juxta varietatem opinionum) *copulans duas res distinctas.* Ly deinde *Hypostatica* originem ducit â Græco *Hypostasis*, quod est Persona; quare Unio hypostatica sic bene describitur, quòd sit *Unio personalis Verbi Divini cum natura humana Christi.* His positis circa terminorum enucleationem.

1. *Explicantur termini Unio, Hypostatica.*

DICO primò: Unio hypostatica importat in suo conceptu formali entitatem realem; ab entitate humanitatis Christi distinctam, & rationem entis creati. Ita Scotus *cit.* cum suis. Prima pars est contra Gregorium Arimin: & Gregorium â Valentia. Secunda contra Suarez, &c.

2. *Unio hypostatica dicit entitatem realem.*

Prob. prima pars: Unio hypostatica est ratio realiter distinctiva hujus realis humanitatis Christi quà unitæ Verbo, ab omni alia humanitate non unita: Ergo Unio hypostatica importat in suo conceptu formali entitatem realem. Conseq: tenet; quia ratio realiter distinctiva entium realium, debet in se esse aliquid reale. Præterea Unio hypostatica participat rationem veræ unionis; & passim â PP. & TT. dicitur maxima Unio in aliquo sensu: Ergo debet participare veram realitatem, non minùs quàm aliæ uniones.

3. *Distinctam ab entitate humanitatis Christi.*

Prob. secunda pars: humanitas Christi est ens absolutum & substantiale; Unio verò hypostatica, ùt infra ostendam, est ens relativum, & accidentale: Ergo Unio hypostatica distinguitur realiter ab humanitate Christi. Conseq: patet; quia inter Ens absolutum substantiale, & inter Ens relativum accidentale vertit distinctio realis stricta.

Prob. tertia pars: Unio hypostatica incepit in tempore resultare ad productionem humanitatis Christi: sed quod in tempore incipit, habet rationem entis creati: Ergo Unio hypostatica habet rationem entis creati. Præterea Unio hypostatica nec est formaliter, nec personaliter, nec realiter DEUS: Ergo est ens creatum.

4. *Unio hypostatica est ens creatū.*

DICO secundò: Unio hypostatica non est formaliter ens absolutum, sed relatio extrinsecùs adveniens. Ita Scotus *3. dist:* 1. *q:* 1. cum tota sua Schola; contra Gabriel & plures RR.

5. *Ratione Scoti ostenditur Unionē hypostaticā non esse ens absolutum.*

Prob. primò ratione Scoti *cit:* quòcunqne absolutô intellectô in Verbo Divino, vel humanitate Christi unibili, adhuc non intelligitur perfecta ratio Unionis hypostaticæ, sed requiritur intelligentia entis relativi referentis humanitatem Christi tanquam unum extremum unibile ad Verbum tanquam alterum extremum: Ergo Unio hypostatica non est formaliter ens absolutum, sed relativum. Prob. Ant. absolutô intellectô in humanitate Petri unita animæ rationali Petri, adhuc non intelligitur perfecta rationis naturalis copulantis humanitatem Petri cum anima rationali Petri: Ergo idem â pari dicendum de Unione hypostatica. Confirmatur; sicut similitudo inter duo alba non intelligitur ad se, & sub ratione absoluta, sed per ordinem ad extrema inter quæ intercedit; ita nec Unio: Ergo non minùs est relatio, quàm similitudo.

6. *Alia ratio ad idem.*

Prob. secundò: illud non est formaliter ens absolutum sed relativum, quod nec esse, nec concipi potest nisi per modum determinationis actualis unius ad aliud; & nullum aliud habet munus: sed tale est hæc Unio hypostatica; quia nec esse, nec concipi potest sinè determinatione actuali humanitatis Christi ad Verbum: Ergo non est ens formaliter absolutum, sed relativum

lativum; & quidem de genere relativorum, quæ dicuntur relationes extrinsecùs advenientes; quia non exurgit necessariò positis extremis suis, sed expectat actionem extrinsecam Trinitatis.

7. *Afferuntur quadam objecta Recentiorum.* Objicies *primò:* In Concilio Ephesino *Can. 2.* determinatum est, Unionem hypostaticam esse substantialem: Ergo nequit esse formaliter ens relativum. *Secundò:* secundùm Philosophum *5. Physic:* ad relationem non datur motus: sed Unio hypostatica producitur quasi per motum: Ergo non est formaliter relatio. *Tertiò:* Unio hypostatica creatur: Ergo non est relatio. Conseq: tenet; quia relatio non creatur.

8. *Quæ eliduntur in favorem Conclusionis.* Respondeo *ad Primum* exponendo Concilium; & dico illud *loco cit:* solùm determinâsse Unionem hypostaticam esse substantialem in hoc sensu, quòd per eam substantia naturæ humanæ subsistat in subsistentia substantiali naturæ Divinæ, cum eâque verè physicè, & realiter connectatur: non autem quòd in sola Unione accidentali morali affectûs, & gratiæ sanctificantis, ùt dogmatizabat Nestorius Hæresiarcha. Et eôdem modô glossanda est S. Synodus Calcedonensis, & Lateranensis 1. damnans Unionem accidentalem inter Verbum Divinum, & humanitatem assumptam; quæ damnatio procedit duntaxat in sensu Nestorij. Ad *Secundum* dico cum Scoto *3. dist: 1. q: 1.* Philosophum loqui de solis relationibus intrinsecùs advenientibus, quæ absque motu & actione resultant, de quarum numero non est Unio hypostatica; unde ipsemet admittit motum ad relationem *Ubi.* Ad *Tertium* Dist: Ant: Unio hypostatica creatur creatione propriè dictâ Neg: Ant: impropriè dictâ Conc: Ant: Itaque Unio hypostatica in sensu improprio dicitur creari, quatenus nimirum à solo DEO efficienter producitur, tanquam ens supernaturale; in quo sensu etiam relatio potest dici creari: non autem creatur in sensu proprio, puta cum exclusione concursûs omnis subjecti; quia ad efficientiam Unionis hypostaticæ etiam concurrit subjectivè humanitas Christi.

DICO tertiò: Unio hypostatica non est relatio æquiparantiæ, seu communis utrique extremo; sed disquiparantiæ, seu solius naturæ humanæ dependentis ad Verbum independens prius sustentans se, subjectata in sola natura humana; ita ut nulla similis in Verbo ipsi correspondeat. Ita Scotus *3. dist: 1. q: 1.* cum suis.

Prob. prima pars, *primò:* In altero extremo Unionis hypostaticæ puta Verbo Divino non est capacitas receptiva alicujus relationis realis creatæ: Ergo Unio hypostatica non est relatio æquiparantiæ, seu communis utrique extremo; ita ut in utroque recipiatur, & subjectetur relatio ejusdem rationis. Prob. Ant. Verbum Divinum per receptionem relationis realis creatæ mutaretur, sicut mutatur humanitas per ejus adventum: sed Verbum est immutabile, juxta illud Malach: *3. Ego DEUS & non mutor:* Ergo in eo non est capacitas receptiva relationis realis creatæ. 9. *Unio hypostatica non est relatio æquiparantiæ.*

Prob. *secundò:* Si Verbum reciprocè uniretur simili relatione reali creatæ æquiparantiæ Unionis hypostaticæ, exigeret aliquid extra se à quo dependeret; quia omne relativum exigit suum correlativum, & dependet à suo correlativo: sed repugnat Verbo exigere aliquid extra se, à quo dependeret; alioquin non esset summè simplex, sed divisibile in plures conceptus, secundùm quorum unum dependeret; & non secundùm alium: Ergo Verbum reciprocè unitur relatione reali creatâ æquiparantiæ Unionis hypostaticæ. 10. *Quod aliâ rursus ratione suadetur.*

Prob. secunda pars: Ex dictis Unio hypostatica est formaliter relatio; & non est relatio æquiparantiæ: Ergo remanet quòd sit relatio disquiparantiæ; quâ natura humana Christi ùt posterior dependet ad Verbum tanquam prius, & formaliter se sanctificans sinè ulla imperfectione, quæquè subjectatur in eadem natura duntaxat; cùm ejus nullatenus capax sit Verbum Divinum ob sui immutabilitatem. 11. *Unio hypostatica est relatio disquiparantiæ.*

NOTA autem primò circa hanc dependentiam: quòd tametsi similem dependentiam de facto in creatis non repetiamus; ejus nihilominus possibilitas secundùm Scotum *loc. cit.* metaphysicô exemplô suaderi potest; nam accidens, inquit Doctor v. g. albedo dicit duas habitudines seu relationes ad suum subjectum; unam secundùm quam dependet ab ipso subjecto tanquam ab informato à se; alteram, quâ dependet ab ipso tanquam à sustentante; ex his duabus relationibus seu depen- 12. *Dependentia naturæ humanæ ad Verbum est simillima dependentiæ accidentis ad subjectum sustentificans.*

dependentijs prima arguit imperfectionem in subjecto, puta potentialitatem ad recipiendum accidens; altera verò nullam arguit; quia sustentare præcisè aliud, seu terminare dependentiam alterius, non dicit imperfectionem. In proposito itaque ait Scotus, quòd dependentia hujus naturæ humanæ ad Verbum Divinum sit simillima secundæ dependentiæ accidentis ad subjectum; non verò primæ; quare potest esse in natura sine imperfectione. Est præterea ista dependentia in genere causæ quasi materialis; non quidem intrinsecæ, ex qua res componitur, vel recipitur; sed extrinsecæ, ex qua dependet.

13. *Unio hypostatica spectat ad prædicamentū Passionis.*

DICO quartò: Relatio Unionis hypostaticæ rectè reducitur ad prædicamentum Passionis.

Prob. per actionem unitivam natura humana veluti transmutatur, per receptionem & adventum Unionis hypostaticæ, quâ Verbo associatur; adeoque est in natura humana per modum termini relationis transmutati ad transmutans, in qua relatione consistit ratio prædicamenti Passionis: Ergo relatio Unionis hypostaticæ rectè reducitur ad prædicamentum Passionis.

DICO quintò: Unio hypostatica in ratione Unionis est maxima Unio omnium unionum creatarum hactenus positarum inter extrema, seu inter res realiter distinctas: non item inter extrema, seu res formaliter duntaxat distinctas.

Prob. prima pars primò authoritate S. Bernardi *lib: 5. de consider: ad Eugen:* dicentis; *hanc Unionem excellere omnes Uniones, exceptâ eâ, quæ invenitur in SS Trinitate:* Ergo &c.

14. *Unio hypostatica est maxima Unio omnium Unionum creatarum, quæ reperiuntur inter extrema distincta realiter.*

Prob. secundò ratione: Tum quia Unio hypostatica unit extrema maximè improportionata, puta naturam Divinam infinitam Verbi, & naturam humanam finitam. Tum quia ratione hujus Unionis consurgit perfectissima unitas in extremis unitis; nam in Christo consurgit unitas personæ unicæ adeo perfectè personantis ejus naturam Divinam & humanam, ut sequatur tanta communicatio idiomatum, & prædicationis identitas, quanta vi nullius alterius unionis sequitur; unde ratione Unionis hypostaticæ verissimum est dicere; *DEUS est hic homo*, &, *hic homo est DEUS*; sive *idem ipse Christus est DEUS & homo*: Ergo Unio hypostatica est maxima Unio omnium unionum creatarum hactenus exhibitarum inter extrema realiter distincta.

Prob. secunda pars: Unio plurium graduum metaphysicorum seu formalitatum (quæ in sententia verissima Scoti in entibus creatis, imò & in DEO reperiuntur à parte rei) est in ratione Unionis major, quàm Unio hypostatica, v. g. unio animalitatis, rationalitatis, & risibilitatis in homine; quia minorem secum compatitur distinctionem & divisibilitatem extremorum, puta formalem tantùm: Ergo Unio hypostatica non est maxima omnium unionum intercedentium inter extrema formaliter tantùm distincta. 15. *Non item earum, quæ reperiuntur inter distincta formaliter.*

DICO sextò: Unio hypostatica etiam in ratione doni, beneficij supernaturalis, & excellentiæ, est de facto maxima, seu maximum donum, beneficium, & excellentia. Ita Scotus *4. dist: 49. q: 2.* cum suis; contra nonnullos RR. 16. *Unio hypostatica est maximum & excellentissimum donum.*

Prob. primò: Unio hypostatica est radix omnis excellentiæ, dignitatis, gratiæ, meriti, beatitudinis, & cujuscunque beneficij, ac doni supernaturalis; & ab ea profluunt omnes benedictiones supernaturales, juxta illud Apostoli ad Ephes: *1. benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Et illud Joan: *1. de plenitudine ejus omnes nos accepimus*: Ergo Unio hypostatica in ratione doni, beneficij supernaturalis, & excellentiæ, est maxima.

Prob. secundò: Si quæ Unio creata in ratione doni esset major, fortassis Unio Beatifica; vel Eucharistica, ùt volunt RR. quidam: sed neutra harum est major Unione hypostaticâ: Ergo Unio hypostatica est de facto omnium unionum maxima. Prob. Min. non *Unio beatifica*; quia hæc spectat ad complementum duntaxat accidentale potentiarum spiritualium Beatorum in ordine ad operationes; & consequenter ad esse secundarium; at Unio hypostatica spectat ad complementum substantiæ; quia conjungit substantialiter humanitatem DEO; pertinétque ad esse primarium: Ergo Unio Beatifica non est major hypostaticâ. Nec etiam *Unio Eucharistica* est major; quia in Eucharistia communicatur DEUS homini 17. *Aliâ ratione suadetur Excellentia Unionis hypostaticæ.*

homini tantùm ſecundùm præſentialitatem, & effectus quosdam accidentales, ſeu gratias Sacramentales; neque permanet ſtabiliter apud hominem, ſumentem Euchariſtiam: at in Incarnatione Verbum vi Unionis hypoſtaticæ communicatur ſecundùm intimam perſonationem, & conjunctionem ſubſtantialem; manétque ſubſtantialiter unitum naturæ humanæ.

QUÆSTIO II.

De Actione Incarnativa, Principio effectivo; ac termino, tam totali, quàm formali ejuſdem.

1. *Quanam in Myſterio Incarnationis concurrant Actiones?*



NOTA primò: In myſterio Incarnationis plures concurrere Actiones; puta Actionem creativam animæ Chriſti; Actionem generativam, ſeu productionem humanitatis ejuſdem; & Actionem unitivam totius humanitatis Chriſti cum Verbo; quæ in propoſito vocatur Actio Incarnativa.

2. *Actio Incarnativa eſt diſtincta à creatione animæ Chriſti & generatione humanitatis.*

DICO primò: Actio Incarnativa eſt diſtincta ab actione creativa animæ Chriſti, & generativa humanitatis ejuſdem. Ita Scotiſtæ communiter; contra Thomiſtas.

Prob. *primò*: Ubicunque ſunt termini actionum diſtincti, ibi ſunt actiones diſtinctæ: ſed termini Actionis Incarnativæ, & generativæ humanitatis ac creativæ animæ Chriſti ſunt diſtincti, uti patet de ſe; nam anima creata, humanitas ùt generata, & tota humanitas ut unita ſunt extrema diſtincta: Ergo Actio Incarnativa eſt diſtincta ab Actione creativa animæ Chriſti, & generativa humanitatis ejuſdem. *Secundò*: Actio Incarnativa præcisè elicitur à DEO, eſtque ordinis ſupernaturalis ſimpliciter; generativa verò etiam à B. V. Maria concurrente ad generationem humanitatis Chriſti; unde eſt etiam ſecundùm quid ordinis naturalis: Ergo inter eas actiones eſt diſtinctio.

3. *S. Leo Papa favorabiliter exponitur.*

Objicies: S. Leo Papa *Epiſt: 11. ad Julianum Epiſcop: Coënſem* dicit: *natura non ſic eſt aſſumpta, ut priùs creata, poſt aſſumeretur, ſed ut ipsâ aſſumptione crearetur*: Ergo fuit eadem Actio, quâ producebatur ſeu generabatur humanitas Chriſti, & quâ uniebatur Verbo. Reſpondeo gloſſando S. Pontificem; & dico eum per hæc verba ſolùm velle, quòd humanitas non priùs tempore extiterit, ùt docebat Eutychius; ſed quòd ejus productio fuerit ſimul cum aſſumptione; per diverſas tamen Actiones.

DICO ſecundò: Principium Actionis Incarnativæ, & cauſa Effectiva Unionis hypoſtaticæ, eſt tota Trinitas: unde nulla creatura illam immediatè attingere poteſt. Eſt communis TT.

4. *Tota Trinitas eſt principium Actionis Incarnativæ.*

Prob. prima pars primò authoritate S. Scripturæ; quæ efficientiam Incarnationis, & conſequenter Actionis Incarnativæ adſcribit omnibus tribus Perſonis Trinitatis; Patri videlicet per illa verba ad Gal: 4. *miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere*. Filio per illa ad Philip. 2. *qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Spiritui S. etiam per illa, *quod enim de ea* (ſcilicet de Virgine Maria) *natum eſt, de Spiritu S. eſt*. Ergo &c.

5. *Concilia pro Concluſione afferuntur.*

Prob. ſecundò authoritate Conciliorum œcumenicorum Concluſionem definientium; ùt videre eſt in Lateran: ſub Martino I. *can: 2.* Et altero Lateran: ſub Innocentio III. *in cap: firmiter.* Et in Toletano VI. & XI. *in Confeſſionibus Fidei*: Ergo principium Actionis Incarnativæ, & cauſa effectiva Actionis Incarnativæ eſt tota Trinitas.

6. *Et authoritates SS. PP.*

Prob. tertiò authoritate SS. PP. eandem doctrinam paſſim adſtruentium; ſignanter D. Auguſtini *lib: 1. de Trinit: cap: 4.* Et rurſus *Tractat: 10. & 11. in Joannem*: Ergò &c.

7. *Rationes quoq; Theologicæ ſuadentes SS. Trinitatis efficientiam in Incarnatione.*

Prob. eadem pars quartò ratione: opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa in genere cauſæ Efficientis, ſecundùm omnes SS. PP. & TT. Ergo Incarnatio quæ eſt opus DEI ad extra correſpondet toti Trinitati, ùt principio Effectivo ejus. Confir: omne ens creatum ſupernaturale dependet à Sanctiſſima Trinitate in fieri, & conſervari; quemadmodum patet inductione gratiæ habitualis, actualis, luminis gloriæ, viſionis, & fruitionis DEI, ac aliorum entium creatorum ſupernaturalium; ſed hæc Actio Incarnativa eſt quoque ens creatum ſupernaturale: Ergo dependet à SS. Trinitate.

8. *Nulla crea-*

Prob. ſecunda pars: creatura nequit creare, ùt latiùs docui *tom: 1. de Ange-*

tura potest immediatè Actionem Incarnationem attingere.

Angelis dist: 1. q: 1. Et in *Schola mea Philosophica*; & communiter tenetur ab illustrioribus TT. Ergo neque potest attingere productionem Unionis, quæ est terminus creationis, saltem prout creatio dicit actionem soli DEO propriam.

9. *Per continuationem prioris Actionis Incarnativæ DEUS uniebat partes novas Christi Verbo.*

DICES: In nutritione partes novæ uniebantur Verbo; sed hanc Unionem faciebat creatura, puta anima Christi: Ergo tunc attingebat Unionem. Respondeo Neg: Min: partes enim illas novas DEUS uniebat Verbo, non quidem per novum miraculum; sed per continuationem prioris, quô primò facta est Incarnatio.

10. *Spiritui S. specialiter appropriatur efficientia Incarnationis.*

Objicies contra primam partem: In Symbolo dicitur, quòd *Christus conceptus est de Spiritu S.* Ergo tota Trinitas non fuit principium conceptûs, & Incarnationis. Respondeo Neg: Conseq: per ly enim *de Spiritu S. &c.* non excluditur coëfficentia Patris, & Filij, sed sola cooperatio alicujus viri: & appropriatur Spiritui S. specialiter, tanquam opus summæ bonitatis, maximæquè charitatis, & summi amoris Divini, â quo partialiter derivatur. Itaque tenendum est, quòd tota Trinitas in ratione Efficientis operata sit mysterium Incarnationis; in ratione tamen terminantis Unionem hypostaticam, & sustentantis naturam humanam, sola secunda Persona Verbi concurrit.

11. *Cuidam replicæ occurritur.*

DICES contra hoc dictum: Secunda Persona constituitur in ratione Personæ sustentantis per solam entitatem relativam, ùt universaliter docui de omnibus tribus Personis Divinis *Tom: 1. Tract: de Trinit: dist: 2. q: 2.* sed talis entitas non est sufficiens ad agendum, & sustentandum: Ergo &c. Respondeo Neg: Min: cum Scoto; quia licèt entitas relativa non possit terminare dependentiam causati ad causam; potest tamen terminare dependentiam sustentati, ad quod sufficit quæcunque entitas, quæ potest esse ratio suppositi, & Personæ.

12. *Actio Incarnativa fuit volitio SS. Trinitatis de Unione hypostatica producenda.*

DICO secundò: Ipsa Actio Incarnativa fuit volitio SS. Trinitatis æterna, per quam statutô tempore decrevit producere Unionem hypostaticam ad Verbum. Est commune sentimen DD.

Prob. in Trinitate operante, non sunt aliæ actiones, quàm intellectiones, & volitiones, in genere causæ efficientis; sed hæc Actio Incarnativa non est intellectio; quia hæc nil extra se producit: Ergo debet esse volitio æterna practica & effectiva, quâ in tempore â Divino Consilio prædordinato voluit producere Unionem hypostaticam Verbi ad naturam humanam.

Circa alteram partem tituli Quæstionis recolenda sunt, quæ dico in *Schola Philosophica* de termino *â Quo*, & *ad Quem*; item de termino Totali, & Formali alicujus Actionis; quibus suppositis.

DICO tertiò: Terminus totalis, seu adæquatus Actionis Incarnativæ rectè statuitur Christus, seu DEUS homo. Ita communis DD.

13. *Terminus adæquatus Actionis Incarnativæ est Christus secundùm Concilia.*

Prob. primò authoritate Sacrorum Conciliorum Conclusionem definientium; ùt videre est in V. Synodo *collat: 8. can:* 4. ubi dicitur Incarnationem (quod idem est ac Actio Incarnativa) esse terminatam ad unitatem Verbi Divini, secundùm compositionem ad carnem animatam animâ rationali. Idem deciditur in Concilio Tolet: VI. & alijs: Ergo &c.

14. *Et rationem Theologicam.*

Prob. secundo ratione: Terminus adæquatus unitionis (cujusmodi est Actio Incarnativa) duorum extremorum est ille, qui ex tali unitione resultat: sed in unitione Verbi resultavit Christus, id est DEUS & homo simul: Ergo &c. Maj: patet in generatione humana, cujus terminus adæquatus est homo, etsi præcisa ipsius ratio consistat tantùm in unitione animæ cum corpore.

15. *Terminus verò formalis novus est Unio hypostatica.*

DICO quartò: Terminus formalis, seu *ad Quem* novus est Unio hypostatica. Est communior Scotist:

Prob. Cujuslibet Actionis productivæ quà talis, terminus formalis est id, quod per eam immediatè producitur: sed per Actionem Incarnativam sic producitur sola Unio hypostatica: Ergo ipsa est terminus formalis.

16. *Humanitas Christi potest quoque dici terminus formalis Actionis Incarnativæ.*

DICO quintò: Humanitas Christi est, pariter aliquô sensu terminus formalis Actionis Incarnativæ. Est quoque Scotist:

Prob. humanitas Christi est ratio formalis constitutiva Christi in esse hominis: Ergo attingitur aliquô modô ab Actione Incarnativa, etsi ab ea non producatur. Conseq: Prob: quia forma aliqua substantialis potest dici terminus generationis substantialis, ex eo quòd solùm uniatur materiæ, etsi

non

non producatur à generatione substantiali: Ergo similiter licèt per actionem Incarnativam humanitas tantùm uniatur Verbo adhuc poterit dici terminus ejus formalis.

17. *Terminus à quo actionis Incarnativæ est negatio Unionis hypostaticæ.* Ex his colligitur, quis sit terminus *à Quo* actionis Incarnativæ; ipsa enim negatio Unionis hypostaticæ est terminus *à Quo.*



DISTINCTIO III.
DE TERMINO ASSUMPTIBILI; ET ASSUMPTO AD UNIONEM HYPOSTATICAM.

QUÆSTIO I.
Utrùm natura Angelica, irrationalis, & insensitiva possit à Verbo assumi?



Uæstionem hanc tractat Scotus *3. dist: 2. q: 1.* Circa primum punctum tituli quæstionis fuit sententia Alberti Magni docentis *3. dist: 2: art: 1.* Angelicam naturam non posse à DEO hypostaticè assumi; contra quem.

1. *Verbum potest assumere quamcunque naturam Angelicam.* DICO primò: Verbum potuit assumere hypostaticè naturam quamcunque Angeli. Est communis TT.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ: nam Apostolus ad Hebr: 2. supponit assumptibilitatem naturæ Angelicæ, dum ait, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: Ergo &c.

2. *Alia ratio pro asserto.* Prob. secundò ratione: Tam bene in Angelo reperitur potentia obedientialis respectu DEI, quàm in natura humana: item tam bene in Angelo reperitur personalitas creata realiter distincta ab ejus natura singulari, quàm in natura humana: aut detur disparitas; sed ex his principijs arguitur naturam humanam esse assumptibilem: Ergo & Angelus, vel natura Angelica est assumptibilis hypostaticè à Verbo.

3. *Alberto objicienti.* Objicit Albertus *primò:* in natura Angelica non datur discretio, id est separatio personalitatis; Ergo non est assumptibilis. Probat Albertus Ant: ex Magist: Sentent: *1. dist:* 4. dicente ex S. Augustino, quòd discretio personalis sit unum de attributis Angelicæ naturæ, quod ipsam Angelicam naturam non derelinquit: Ergo in natura Angelica non datur discretio personalis. *Secundò*: in separatis à materia, inquit Aristoteles 7. *Metaph: cap: 6. idem est Quod quid est, & Quò est*, id est suppositum & natura: Ergo &c.

4. *Respondetur.* Respondeo *ad Primum*; quòd licèt de facto discretio personalitatis sit attributum, quod non potest derelinquere Angelum; poterat tamen pro illo priori, antequam natura Angelica fuit personata, assumi à Verbo; quòd sufficit, ut de se in aliquo casu sit assumptibilis; & sic non discretio, seu non separatio personalitatis potest dici attributum naturæ jam propriâ personalitate personatæ; quod solùm intendit D. Augustinus: non verò proomni priori. Respondeo *secundò* Neg: absolutè Ant: & explico S. Augustinum de attributo, quod de potentia ordinaria non est separabile à natura; non verò de potentia extraordinaria. Ad *Secundum* explico quoque Aristotelem, & dico; quod is aliquando materiam accipiat pro materia prima, quæ est pars physica; uti facit *1. Physic:* ubi materiam vocat primum subjectum, ex quo aliquid fit. Aliquando accipit formam pro quidditate; & materiam, pro illo quod habet rationem contrahentis quidditatem; & in hoc sensu differentia individualis contrahens dicitur materia respectu quidditatis specificæ. Ad propositum itaque dico, quòd Aristoteles *cit.* loquatur de materia in hoc secundo sensu, ac si diceat; in rebus non habentibus materiam hôc secundò sensu, quidditas non est contrahibilis per differentias individuales; sed est in ultima actualitate, uti est Essentia Divina sola; & tunc *Quod est*, & *Quò est*, id est natura & suppositum sunt idem, quia natura

D 2

tura Divina est de se individua. Deinde ratio suppositi etiam in DEO distingvitur; quam distinctionem quia ignoravit Aristoteles, putabat enim unam Personam tantùm esse in Divinis, ideo dixit suppositum, & naturam esse idem: erravit ergo hic Aristoteles.

5. *Quævis natura irrationalis poterat à Verbo assumi, uti constat ex PP.*

DICO secundò: Etiam natura irrationalis quæcunque, & non sensitiva poterat à Verbo assumi. Est Scoti *loc: cit: num: 5.* Et suorum; item D. Thomæ; contra Alensem, Henricum, Richardum, Bonavent: Pasqual: Hurtad: &c.

Prob. primò authoritate SS. PP. signanter D. August: *lib: de vera Religione, cap: 16.* ubi apertè hanc sententiam habet. Et Tertulliani *lib: de carne Christi, cap: 4. contra Marcionem* dicentis; *qui DEO indignum judicabas, ut de femina carnem assumeret, quid diceres ô Marcion si nasceretur Filius DEI ex lupa, aut ex vacca?* ubi supponit tanquam certum Tertullianus, quòd Filius DEI potuerit assumere naturam irrationalem: Ergo &c.

6. *Et ratione Scoti.*

Prob. secundò ratione Scoti *cit:* natura intellectualis est assumptibilis; quia non habet in se entitatem repugnantem dependentiæ supernaturalis ad Verbum: sed natura non intellectualis (quales sunt assignatæ in conclusione) non habet talem entitatem repugnantem: Ergo est assumptibilis. Min: potest probari; quia natura non intellectualis, seu irrationalis potest separari à sua suppositalitate non minùs, quàm natura rationalis à sua personalitate: Ergo tunc nullam habet entitatem repugnantem assumptioni ejus ad Verbum.

7. *Natura humana Christi fuit priùs unita, quàm gratiosa facta.*

Objicies primò pro Henrico & alijs: illa natura potest à Verbo assumi, quæ est capax gratiæ: sed irrationalis, & non sensitiva, non sunt capaces gratiæ: Ergo non possunt assumi à Verbo. Prob. Maj. quia natura humana per gratiam est elevata, ut assumeretur à Verbo: Ergo sola natura gratiæ capax est assumptibilis. Respondeo Neg: Maj: ad ejus probat: Neg: Ant: imò priùs natura humana fuit unita, quàm gratiosa facta; nam priùs ros habet esse substantiale, & suppositale seu personale; quàm esse accidentale, cujusmodi est gratia.

8. *Natura incapax gratia potest sanctificari per Verbum sanctificatione DEIficationis.*

Objicies secundò: Natura incapax gratiæ non potest sanctificari: sed quod assumptibile est ad Unionem Verbi debet posse sanctificari: Ergo natura irrationalis utpote incapax gratiæ non est assumptibilis. Respondeo Neg: Maj: quia licèt natura incapax gratiæ seu irrationalis non possit sanctificari sanctificatione, quæ importat rectitudinem, & perfectionem in actibus liberis & meritorijs, quam Unio hypostatica non debet necessariò conferre naturæ assumptæ cuicunque, sed solùm liberæ & capaci ejus; quia non est iste effectus quasi formalis unionis, sed solùm ex illa resultat juxta naturæ capacitatem: potest tamen sanctificari sanctificatione, quæ dicit quamdam DEIficationem, per intimam unionem, & præsentiam Divinæ Personæ.

9. *Quando datur esse naturale rei datur etiã operari, operationes tamen non repugnantes.*

Objicies tertiò: Natura irrationalis non potest elevari ad cognitionem, & amorem DEI; Ergo neque ad Esse DEI. Conseq: videtur tenere; quia sicut se habet DEUS ad omnem creaturam quoad esse & operari in illapsu generali suo; ita se habet in hoc speciali: sed in generali illapsu ita se habet, ut nulli det esse, quin etiam det operari, unde dicit Aristoteles *4. Metaph: textu communi ultimo*; *unumquodque tale est, cùm potest agere*: Ergo cui non potest dari operari circa DEUM per cognitionem, & amorem, non potest etiam dari personari à DEO. Respondeo Conc: Ant: & Neg: Conseq: Ad Probat: ejus concedo, quòd sicut quando datur esse naturale, datur etiam operari conforme illi naturæ, ita quidem, quòd DEUS illabatur cuilibet creaturæ illapsu generali, concurrendo ad operationes convenientes tali naturæ; non verò ad repugnantes; sicut esset in proposito operatio amoris, & cognitionis, quæ naturæ irrationali ex se repugnant.

10. *Nulla indigna dicerentur de Verbo etsi assumeret naturam irrationalem.*

Objicies quartò: si Verbum assumeret naturam irrationalem, multa indigna dicerentur de DEO; quia fieret communicatio idiomatum inter utramque naturam: unde si Verbum assumeret muscam, deberet dici musca; si culicem, culex, &c. quæ dedecent DEUM: Ergo non quævis natura irrationalis potest assumi à Verbo. Respondeo; quòd sicut Verbo de facto non advenit aliqua indignitas, quando dicitur flagellatus, crucifixus Christus &c. Ita nulla eidem accideret indecentia, si diceretur musca, culex &c. per communicationem idiomatum,

matum, id est proprietatem naturarum.

11. *Quædam objectio Adversariorum evacuatur.* Objicies ultimò: cui repugnat communicari quod minus est, ùt visio & fruitio Divina; repugnabit etiam communicari, quod majus est, ùt esse hypostaticum, Divinum, quod secundùm D. Augustinum in illud, *Verbum caro factum est*, est majus: Ergo cùm naturæ irrationali repugnet visio, & fruitio DEI, repugnabit & Unio hypostatica. Respondeo distinguendo Ant: quando minus, & majus sunt ejusdem rationis, ac ordinis; & minus continetur in majori Conc: Ant: nam qui non potest cognoscere objectum secundùm tres gradus cognoscibilitatis, neque poterit illud cognoscere objectum secundum sex: si minus non contineatur in majori Neg: Ant: nam minus est volare, quàm intelligere; & tamen non sequitur, homo nequit volare; ergo nequit intelligere. In proposito natura irrationalis non potest minùs, id est frui, & videre DEUM; non tamen sequitur; Ergo neque potest hypostaticè uniri, vel fieri Divinum per communicationem idiomatum.

QUÆSTIO II.

Utrùm natura humana possit hypostaticè uniri Verbo; & eô beatificè non frui?

1. *Qualis sit actus fruitionis.* OTA: Actum fruitionis esse actum positivum prosecutionis voluntatis. Cùm autem actus voluntatis in prosequendo sit duplex, nimirum velle concupiscentiæ, quô diligo bonum, quod alteri concupisco: & velle amicitiæ, quô diligo rem propter seipsam; infertur, quòd actus fruitionis, de quo hic, sit velle amicitiæ. Quæritur ergo, an natura humana apta nata frui Verbô, deberet vi Unionis, necessariò frui Verbô.

2. *Natura humana de potentia absoluta aliàs nata frui posset assumi à Verbo sinè actuali fruitione.* DICO primò: Natura humana de potentia absoluta, etiam aliàs nata frui, potest hypostaticè uniri Verbo, sinè eo quòd fruatur Verbô. Ita Scotus *3. dist. 2. q: 1. num: 1.* & sequentibus, & sui, contra Henricum &c.

Prob. primò ratione ex textu Scoti *cit:* desumptâ: prius ex ratione prioris, potest esse sinè posteriori absque contradictione; & hoc quando nulla est connexio necessaria, quæ connexio oritur ex identitate reali, uti est inter subjectum & suam passionem; vel ex simultate naturæ, uti contingit in relativis: sed natura humana personabilis priùs naturaliter personatur, quàm operetur per fruitionem Verbi; quia operatio est suppositi præexistentis: Ergo potest natura esse personata seu unita hypostaticè sinè eo, quòd fruatur Verbô.

Prob. secundò aliâ ratione ex eadem littera elicita contra Henricum docentem, quòd Verbum præsens per Unionem hypostaticam necessariò immutet ejus intellectum; & hôc immutatô voluntatem ad fruitionem: Nulla natura necessariò fruitur objectô, nisi quæ necessariò immutatur ab eo ùt præsente in ratione objecti fruibilis secundùm se: sed anima unita hypostaticè Verbo non necessariò immutatur ab eo, nec quoad actum intelligendi; quia solus intellectus Divinus necessariò immutatur à Verbo seu DEO; nec quoad actum fruitionis; Ergo de potentia absoluta potest esse unita DEO, & non frui. Prob: Min: de fruitione; voluntas nequit immutari necessariò ad fruitionem, nisi ipsi addatur aliquid, vi cujus modò debet frui, ac habere Verbum præsens in ratione fruibilis objecti, & non ante; quia ex puris naturalibus nequit frui: sed nil additur in unione ad Verbum: Ergo &c. Prob: Min: ex vi Unionis hypostaticæ tantùm habet DEUM præsentem in ratione personantis non verò fruibilis, & sic additur sola dependentia ad Verbum, quæ non sufficit ad frui, aliàs musca assumpta posset frui: Ergo &c. 3. *Aliud argumentum Scoti pro Conclusione.*

Prob. tertiò: positô fundamentô totali, & terminô, circumscriptô quôcunque aliô impertinenti, potest poni respectus: sed natura per seipsam est totale fundamentum respectu hujus Unionis, & ad hoc non concurrit fruitio: Ergo potest poni Unio se solâ sinè fruitione. Prob: Min: pro illo priori nullus ponitur habitus necessariò elevans voluntatem ad fruitionem, sed sola unitio naturarum: Ergo natura est per se totale fundamentum Unionis sinè concurrente fruitione. 4. *Rursus alia ratio Theologica ad idem.*

Objicit primò Henricus: Verbum necessariò immutat in natura assumpta intellectum; quia est objectum na- 5. *Enodatur quoddam.*

fundamentum Doctoris Henrici. turale ejus, & per consequens allicit voluntatem ad sequentem necessariò fruitionem: Ergo &c. Prob: Ant. Lux necessariò ùt præsens immutat oculum ad visionem: Ergo & lux increata scilicet Verbum immutat intellectum naturæ assumptæ. Respondeo cum Scoto Neg: Ant: & Probat: ejus Conseq: Disparitas est; quia talis immutatio est opus Verbi ad extra; Verbum autem ad extra nil operatur necessariò, sed liberè, & contingenter; alias operaretur merè naturaliter quod est falsum; lux verò creata merè
6. naturaliter movet juxta Aristotelem dicentem, *impossibile est, quin visi tangamur.*

Aliud ejusdem dissolvitur. Objicit secundò: potentiæ fundatur in essentia animæ: Ergo illud quod est in essentia, debet esse in potentijs operativis. Subsumit: sed quando Verbum unitur naturæ humanæ, accipit quamdam beatitudinem: Ergo tunc illa debet redundare etiam in potentias; & consequenter potentia intellectiva debet beatificè cognoscere Verbum, & voluntas eò necessariò frui. Respondeo Conc: totum usque ad assumptum, quod Distinguo: natura accipit beatitudinem formalem, quæ consistit in operationibus visionis, & fruitionis Neg: Ant: beatitudinem objectivam, id est conjungitur Verbo Divino, quò frueretur, si ei objiceretur in ratione objecti fruibilis Conc: Ant: Habet ergo in tali casu natura humana unita actum tantùm primum ad frui; non verò necessariò actum secundum fruitionis.

QUÆSTIO III.

Utrùm natura alicujus substantiæ incompletæ; vel accidentis possit immediatè uniri Verbo?

1. *Omnis natura subs. substantialis incompleta potest immediatè uniri Verbo.*



DICO primò; quævis natura substantialis incompleta, cujusmodi est v. g. materia prima, & forma substantialis; sive sit in aliquo toto, sive extra totum, immediatè uniri potest Verbo. Deducitur ex Scoto *3. dist: 49. q: 1.* & est communis Scotistarum, atque Thomistarum; contra Alensem, Henricum, Hurtadum &c.

Prob. *primò*: quævis natura substantialis incompleta v. g. materia prima, & forma, habet suam propriam partialem subsistentiam, quam retinet etiam dum est in toto, uti pluribus ostendo in *Schola mea Philosophica*, sive illæ naturæ sint actu inclusæ in aliquo toto, sive extra totum posita: Ergo illam subsistentiam potest supplere Verbum Divinum, terminando immediatè dependentiam talium naturarum, & consequenter sibi easdem uniendo. *Secundò*: in Triduo mortis Christi, anima Christi, quæ est natura quædam substantialis incompleta, subsistebat seorsim subsistentiâ Verbi Divini, & consequenter erat immediatè hypostaticè unita Verbo: Ergo quæcunque alia natura substantialis incompleta posset sic subsistere, & uniri immediatè Verbo. 2. *Ubi patet ex rationibus Theologicis.*

3. *Quibusdam instantijs ab Adversarijs objectis.* Objicies *primò*: DEO repugnat ratio entis incompleti; cùm sit Ens completissimum, & perfectissimum: Ergo Verbo, quod est DEUS, nequit immediatè uniri aliqua natura substantialis incompleta. Conseq: tenet; quia aliàs ab ejusmodi unione diceretur Ens incompletum. *Secundò*: natura substantialis incompleta nequit esse persona vel suppositum: Ergo neque potest immediatè uniri Verbo. Patet Conseq: quia omne immediatè unitum Verbo debet esse ipsô factô persona, vel suppositum. 4. *Obviatur.*

Respondeo *ad Primum* Dist: Ant: repugnat DEO ratio Entis incompleti, si spectetur secundùm intrinsecam suam rationem, & constitutionem Deitatis Conc: Ant: si spectetur præcisè secundùm terminationem, quam exercet circa aliquam creaturam extra se positam supplendo vices personalitatis creatæ Neg: Ant: Itaque DEUS nequit quidem esse, vel dici incompletus secundùm suam naturam Divinam; cùm sit completissimus secundùm omnem suam rationem Divinam: posset tamen per communicationem idiomatum denominari incompletus in hoc sensu, quòd terminet dependentiam, alicujus entis incompleti, v. g. animæ rationalis, quæ est natura substantialis incompleta, & cujus dependentiam actu immediatè terminavit in Triduo mortis, supplendo vices personalitatis creatæ. Ad *Secundum*: transeo Ant: & Neg: Conseq: cum sua Ratione; quia in casu, quò aliqua natura-

ra substantialis incompleta immediatè uniretur Verbo, ejusmodi esset, & diceretur saltem ens sustentificatum, ac terminatum imediatè à Verbo Divino; quod sufficit ad intentū Conclusionis.

5. *Etiam accidens separabile absolutum potest uniri Verbo.* DICO secundò: Similiter quævis natura accidentis absoluti, separabilis à suo subjecto, immediatè potest uniri Verbo Divino. Hæc Conclusio quoque deducitur ex Scoto *3. dist: 1. q: 1.* Et *Quodlib: 19. §. secundò potest.* eámque amplexantur insigniores Scotistæ RR. Aretinus, Pitigian: Vulpius, Mastrius, Frassen, Bellutus; & ex Neutristis Amicus, Lugo, &c. contra nostrum P. Bassol: Mayr: Rad: & Suarez Neutristam.

Prob. *primò:* Tum quia etsi accidentia absoluta separabilia non possint immediatè personari, aut suppositari à Verbo Divino; cùm solis substantijs completis hoc propriè conveniat; eò quòd ratio personæ, & suppositi sit proprietas substantiæ, ùt distinguitur contra accidens; possunt nihilominus ista accidentia à Verbo Divino immediatè terminari, in ratione sustentificati in alio tanquam in termino suæ dependentiæ: Ergo natura accidentis absoluti separabilis à suo subjecto immediatè potest uniri Verbo Divino. *Secundò:* accidentis absoluti actualis immediata terminatio à suo subjecto, non est de intrinseco conceptu accidentis, nec indispensabiliter ei conveniens; quia in Eucharistia accidentia absoluta non terminantur à suo subjecto: Ergo poterit ei convenire terminatio Verbi; & consequenter unio immediata cum eodem.

6. *Varia objecta Adversariorum.* Objicies *Primò* contra hanc Conclusionem: Accidenti absoluto separabili competit essentialiter esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis: Ergo nequit subsistere in Verbo per ullam immediatam unionem sui cum eodem. *Secundò:* Unio immediata cum Verbo est modus substantialis: sed hujus accidens quà tale est incapax: Ergo &c. *Tertiò:* Accidens absolutum non potest cum Verbo constituere personam, vel quid unum substantiale: Ergo neque potest ab eo assumi. Conseq: patet; quia assumptio tendere debet ad ejusmodi constitutionem. *Quartò:* in casu unionis accidentis absoluti immediatæ cum Verbo, ipsum accidens deberet posse prædicari de Verbo in concreto, sicut vi unionis naturæ humanæ Christi cum Verbo, natura humana prædicari potest de Verbo, dicendo, Verbum est homo: sed nullum accidens absolutum prædicari potest de Verbo; unde non rectè affirmaretur de Verbo, quod sit album, calidum &c. Ergo natura accidentis absoluti nequit immediatè uniri Verbo Divino.

Respondeo *ad Primum* Dist: Ant: accidenti absoluto separabili competit essentialiter esse in alio secundùm aptitudinem Conc: Ant: secundùm actualitatem Neg: Ant: Itaque essentia accidentis absoluti consistit in aptitudinali inhærentia ad subjectum veluti in radice; non verò in actuali: illa autem aptitudinalis inhærentia adhuc salvaretur, etsi accidens immediatè uniretur Verbo, & actu subsisteret ejusdem subsistentiâ. Ad *Secundum* Neg: Ant: Unio enim cum Verbo est de genere relativorum; & consequenter formaliter modus accidentalis ùt supra *dist: 11. q: 1.* decisum est; ubi etiam dictum fuit, quô sensu dicatur substantialis. Ad *Tertium* Neg: Conseq: cum sua Ratione; nam in casu assumptionis sui, accidens absolutum saltem constitueret cum Verbo unum in ratione sustentati, & terminati; unde Verbum in tali casu non suppleret vices personæ; sed haberet rationem purè sustentantis accidens, & terminantis ejusdem dependentiam, quod sufficit, ut salvetur, accidens aliquod absolutum posse immediatè uniri Verbo Divino. Ad *Quartum* Dist: Maj: accidens absolutum deberet posse prædicari de Verbo in recto Neg: Maj: in obliquo Conc: Maj: & distinctâ sic Min: Neg: Conseq: Itaque etsi accidens in casu unionis sui cum Verbo non possit prædicari de Verbo in recto, dicendo, Verbum est album; hujusmodi enim prædicationem, ùt bene advertit Scotus *3. dist: 22.* non sufficit sola terminatio, quam præstat Verbum; sed requiritur insuper informatio; posset tamen prædicari in obliquo, dicendo, Verbum est habens albedinem, ad quam prædicationem sufficit terminatio, & sustentificatio Verbi respectu accidentis absoluti immediatè uniti. 7. *Super quæ respondetur.*

QUÆSTIO IV.

Núm Verbum potuisset plures naturas simul assumere?

1. *Verbum potuisset assumere simul plures naturas.*



DICO primò: Verbum potuisset simul assumere plures naturas. Est Scoti 3. *dist: 1. q: 3.* Scotistarum, Thomistarum, & Neutristarum.

Prob. ratione Scoti *cit:* Nulla est repugnantia, neque ex parte naturarum, neque ex parte Verbi: Ergo Verbum potuisset plures naturas simul assumere. Prob: Ant: non ex parte naturarum; quia actualis dependentia unius naturæ non repugnat dependentiæ alterius naturæ; cum plures dependentiæ, & effectus possint esse ab eodem termino, & causa; item plures actus ab eodem objecto: Ergo &c. Neque ex parte Verbi; quia per talem assumptionem nil aliud ponitur in Verbo, quàm quod ipsum terminet plures relationes reales dependentiæ: sed hoc est possibile; nam sic defacto tota Trinitas terminat omnes relationes reales creaturarum; item in genere causæ Efficientis, omnes dependentias Angelorum, quæ sunt dependentiæ essentiales: Ergo Verbum potuisset assumere plures naturas simul.

2. *Alia ratio pro eadem assertione.* Confirmatur: Ab actu ad potentiam valet consequentia: sed defacto Verbum actu terminavit dependentias duorum: Ergo &c. Prob: Min: in Triduo mortis Christi Verbum terminavit naturam corporis, & naturam animæ separatæ; quia Verbum quod semel assumpsit nunquam dimisit: Ergo &c.

3. *In casu Assumptionis plurium naturarum ad Verbum deberet dici unicus duntaxat homo.* Objicies primò ex Scoto *cit:* Si Verbum assumeret plures naturas, vel esset unus homo, vel plures: neutrum dici potest: Ergo Verbum non potuisset assumere simul plures naturas. Prob: Min: non unus; quia non esset tantùm unica natura: non etiam plures, quia non sunt plura supposita: Ergo &c. Respondeo contra Poncium hic, conformiter ad mea principia, quæ do in *Schola Philosophica* de multiplicatione concretorum substantialium, ad mentem Scoti *dist: 12. int.* quò se refert hic: quòd in dicto casu esset tantùm unus homo; quia ad multiplicationem concreti substantialis, quale est in proposito ly *Homo*, non sufficit multiplicatio solius formæ, v. g. naturæ humanæ, quæ est forma totius; aliàs Christus defacto diceretur duo; cùm includat duas naturas: similiter deberet dici duo volentes; cùm includat duas voluntates: nec etiam sufficit multiplicatio solius suppositi, ùt vult D. Thomas; aliàs in Divinis (ùt bene hic contra ipsum arguit Scotus) essent plura concreta Deorum; quia sunt multiplicata supposita Patris, Filij, & Spiritûs S. item plures Creatores, quia plures Personæ. Requiritur ergo multiplicatio tam formæ quàm suppositi simul. Unde cùm in casu Conclusionis esset tantùm unicũ suppositum, licèt plures essent naturæ, deberet dici tantùm unus homo. Meo videri ad tollendam omnem quæstionem deberet dici unum suppositum habens unitas duas humanitates.

DICES: Scotus hìc reprehendit D. Thomam, quòd ex multiplicatione suppositorum colligat multiplicationem concreti substantialis: Ergo &c. Respondeo; quod Scotus D. Thomam ideo reprehendat; quia docuerat ex sola multiplicatione suppositorum multiplicari concreta. 4. *Quare Scotus D. Thomam hic reprehendat?*

Objicies secundò: Natura numeratur ad numeratione suppositorum: Ergo cùm in casu Conclusionis esset tantùm unum suppositum Verbi posset præcisè una natura numerari, & ei conjungi. Prob: Ant: natura abstracta ab individuis nequit numerari: Ergo ùt est individuo, & supposito. Respondeo cum Scoto Neg: Ant: cum Conseq: Probat: ejus; nam licèt verum sit, naturam non posse numerari nisi contractam; cùm tamen ùt contracta ad singularitatem præcedat rationem suppositi, poterit numerari; & consequenter manet etiam numerabilis, quando conjungitur cum supposito; cùm ratio suppositi nil tollat de numerabilitate ejus. 5. *Natura creata potest numerari etiam post Assumptionem suî ad Verbum.*

Objicies tertiò: ex Conclusione sequeretur duo contraria, imò & contradictoria de eodem posse dici, v. g. si assumeret ignem & aquam simul, sequeretur calorem & frigus, quæ sunt duo contraria, esse simul; item si assumeret simul hominem & lapidem, sequeretur idem suppositum esse simul rationale, & irrationale: sed sequelæ sunt absurdæ: Ergo &c. Respondeo Neg: Sequel: Maj: nam in primo casu 6. *Ex Assumptione duarum diversarum naturarum nec sequeretur contrarietas nec contradictio de eodem.*

solùm

solùm sequeretur aquam & ignem esse simul simultate suppositi, & terminantis; non autem simultate existentiæ. In secundo verò idem esset rationale, & irrationale secundùm diversos respectus, qui impediunt verificationem contradictoriorum.

QUÆSTIO V.

Utrùm suppositum aliquod creatum possit simul sustentare plures naturas.

1. *Quid sit sustentare aliquam naturam Effectivè & Terminativè?*

NOTA ex Scoto *3. dist: 1. q: 4. num: 2.* sustentare naturam posse considerari dupliciter, Effectivè scilicet; & Formaliter seu Terminativè. *Effectivè* sustentare est producere in natura sustentata unionem realem fundatam in natura, & terminatam ad ipsum producens; taliter sustentat tota Trinitas naturam humanam in Christo. *Terminativè* verò & formaliter sustentare est, quando sustentans seu suppositum est præcisè terminans unionem.

2. *Suppositum creatum nequit præter propriam naturam etiam aliam Effectivè sustentare.*

DICO primò: Impossibile est, ut suppositum creatum præter propriam possit Effectivè sustentare etiam naturam extraneam suppositabilem propriò supposito. Est Scoti *loco cit:* & suorum.

Prob. ratione Scoti *cit:* desumpta ex ejus textu: quæcunque natura extranea non est in potentia obedientiali ad alienum suppositum creatum Effectivè: Ergo suppositum creatum non potest illam Effectivè sustentare. Prob: Ant: potentia obedientialis in creatura solùm respicit efficientiam primi agentis, ab eoque solùm potest reduci in actum: Ergo non respicit efficientiam, seu sustentationem suppositi creati. Ant: potest probari; quia si esset in creatura potentia obedientialis passiva, etiam respiciens suppositum creatum, tunc in supposito creato deberet esse potentia activa ad efficiendum ex quolibet quodlibet, sicut est in DEO: hoc autem est falsum: Ergo &c. Deinde aliquô peculiari modô debet creatura respicere primum Efficiens, quô non respicit creaturam: sed potentia obedientialis est talis peculiaris modus: Ergo solum DEUM respicit, & non etiam suppositum creatum in effectiva sustentatione.

3. *Aliud argumentum ad idem.*

Prob. secundò aliâ ratione: Suppositum creatum dicit formaliter negationem ut supra docui *dist: 1. q: 2.* sed negatio non potest habere virtutem effectivam respectu alicujus positivi, qualis est unio in proposito: Ergo &c. Et dato, quòd suppositum dicat pro formali positivum, adhuc tamen nullum ostendi potest principium, unde colligeremus hujusmodi virtutem effectivam.

4. *Potest tamen creatum suppositum divinitus Terminativè sustentare aliam naturam.*

DICO secundò: Suppositum creatum potest saltem divinitus Terminativè sustentare etiam alteram naturam extraneam. Est Scoti *cit: num: 3.* genuina mens, quidquid dicat Poncius; qui vult eum hic facere problematicum, ex eo quòd utriusque partis argumenta solvat: contrarium tamen apparet in calce *num: 3.* ubi ait, *non videtur ergo hoc esse impossibile absque omni ratione.* Est item Occami nostri, Gabriel &c. contra Varronem, Henricum, & Thomistas.

Prob. ratione deductâ ex textu Scoti *cit:* nulla invenitur repugnantia in tali terminativa sustentatione: Ergo suppositum creatum potest Terminativè sustentare etiam aliam naturam extraneam saltem divinitus. Prob: Ant: DEUS potest impedire suppositalitatem alterius naturæ extraneæ, & Effectivè causare in illa unionem, quæ terminaretur ad suppositum creatum; nam si potuit facere, ut suppositalitas creata præveniretur de facto à Verbo, poterit etiam efficere, unionem naturæ extraneæ, quam terminando suppositum creatum præveniret suppositalitatem propriam talis naturæ extraneæ: Ergo tunc nulla esset repugnantia in tali sustentatione terminativa.

5. *Alia ratio Theologica pro eadem doctrina.*

Prob. secundò: Talis assumptio alterius naturæ simul cum propria, non elevat naturam supra statum naturæ; neque ipsum suppositum assumens ad aliquam perfectionem; quia licèt suppositum Divinum habeat unitas duas naturas, tamen inde nullam dicit perfectionem; aliàs deberet etiam hæc perfectio esse in Patre, qui habet sibi identificatas omnes perfectiones intrinsecas Filij: Ergo poterit suppositum creatum assumere plures naturas.

E Prob.

6. *Rursus alia probatio ad eandem.* Prob. tertiò: Ad assumendum plures naturas Terminativè sufficit, quòd suppositum terminans sit independens in eodem genere: sed omne suppositum creatum est independens independentiâ suppositali: Ergo poterit saltem per extraordinariam potentiam DEI assumere plures naturas Terminativè. Deinde major est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quàm ad suppositum increatum: Ergo si de facto natura humana potuit assumi ad increatum, poterit etiam assumi ad creatum, de potentia absoluta DEI.

7. *PP. favent quoque præfatæ doctrinæ.* Prob. quartò authoritate multorum SS. PP. & DD. qui hujusmodi assumptionem non tantùm concesserunt esse possibilem, sed etiam factam: nam D. Hieronymus refert super illud Aggæi 1. *dicit Aggæus nuncius Domini* &c. aliquos sensisse Malachiam, Aggæum, & Joannem fuisse Angelos in assumptis corporibus, eô modô quô Christus est Verbum in corpore assumpto & subdit Hieronymus, *nec mirum esse hoc de Angelis credi, cùm pro salute nostra DEI Filius ipse carnem assumpserit.* Idem docet Tertullianus *lib: de carne Christi, cap:* 4. Et *lib: 3. contra Marc: cap: 9.* ubi dicit, Angelos veram carnem assumpsisse, cùm Abrahæ apparuerunt. Unde etiam ex hujusmodi assumptione ulteriùs probant SS. PP. *cit:* possibilitatem Incarnationis Verbi: Ergo suppositum creatum, adjutum per primum Agens potest sustentificare plures naturas simul Terminativè.

8. *Suppositum creatum potest extrinsecè esse illimitatū.* Objicies primò: Si suppositum v. g. Gabrielis posset sustentare præter suam naturam etiam aliam adventitiam simul & semel, sequeretur quòd non esset limitatum ad certam speciem: sed hoc est falsum: Ergo &c. Respondeo Dist: Maj: non esset limitatum extrinsecè Conc: Maj: intrinsecè Neg: Maj: Itaque non est repugnantia, quòd suppositum creatum sit illimitatum extrinsecè; esset tamen, si intrinsecè esset illimitatum; quia intrinsecè ad unam naturam terminandam tantùm sese extendit.

9. *Thomistarum fundamentum hic destruitur.* Objicies secundò fundamentum Thomistarum: suppositum creatum, & sua natura sunt adæquata proportionabilia: Ergo neutrum excedit aliud: Ergo cùm natura nequeat assumi à pluribus suppositis, ùt conceditur à Scoto, similiter nec idem suppositum poterit assumere plures naturas. Respondeo cum Scoto *cit:* Neg: Ant: & est instantia manifesta in Divinis, ubi suppositum excedit aliquando naturam, nam suppositum Verbi sustentat non solùm naturam Divinam, sed etiam humanam: item aliquando natura excedit suppositum; nam natura Divina, propter sui illimitationem requirit pluralitatem suppositorum, non verò supposita pluralitatem Divinarum naturarum. Ita ergo in proposito extrinsecè & Terminativè potest suppositum creatum excedere naturam creatam; licèt non intrinsecè, in quo sensu suppositum est semper adæquatum naturæ.

10. *Varronis quoque basis quædam evertitur.* Objicies tertiò fundamentum Varronis Magistri Scoti: ut suppositum creatum possit plurium naturarum dependentiam terminare, deberet continere in se perfectionem suppositorum propriorum talium naturarum: sed non continet; quia talis continentia soli Enti infinito competit: Ergo &c. Respondeo transeundo Maj: & Neg: Min: cum Ratione ejus; quia licèt Verbum Divinum terminet de facto dependentiam duarum naturarum, & contineat perfectionem personalitatis creatæ; non tamen hoc ei competit, in quantùm habet personalitatem infinitam formaliter; personalitas enim ùt supra dixi, nullam infinitam perfectionem importat; aliàs deberet esse in Patre trahente ad se omnem perfectionem infinitam.

11. *Aliud rursus fundamentum ejusdem Doct: refutatur.* Objicies quartò aliud fundamentum ejusdem Magistri; Major & intimior debet esse Unio, quâ per illapsum specialem suppositum debet uniri extraneæ naturæ, quàm sit Unio per illapsum generalem, quô DEUS illabitur creaturæ generaliter, secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam; quia primus illapsus facit, ut natura prædicetur de supposito, dicendo DEUS est creatura; non verò secundùs: sed suppositum creatum, non potest uniri alteri naturæ per illapsum generalem: Ergo nec per specialem suppositationis. Respondeo cum Scoto Neg: Conseq: quia committitur fallacia antecedentis: non enim valet arguere ab illapsu speciali, ad illapsum generalem; vel à negatione illapsûs generalis ad negationem illapsûs

illapsûs ſpecialis. Ratio eſt; quia illapſus generalis arguit in illabente primitatem cauſæ efficientis, & virtutem manutenentiæ illius, cui illabitur, quod ſoli DEO convenit; non ſic illapſus ſpecialis in genere ſuſtentantis.

Aliæ rationes in oppoſitum ſolutæ videri poſſunt apud Scotum *3. diſt: 1. q: 4. art: 3.* Ubi etiam rejicit tres modos DD. quibus conantur oppoſitum Concluſionis probare.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit ratio formalis immediatè terminandi Unionem hypoſtaticam?

1. *In Verbo invenitur Eſſentia Divina & proprietas relativa.*



NOTA primò: In Verbo, idem dic de Patre, & Spiritu Sancto inveniri Eſſentiam Divinam, quæ eſt communis tribus Perſonis, & importat entitatem abſolutam, & rationem particularem conſtitutivam Verbi in Eſſe ſecundæ Perſonæ; quæ ratio in probabiliori ſententia Scoti, non eſt quid abſolutum, ſed formalitas relativa, quæ dicitur hic proprietas relativa. Quæritur ergo; utrùm hæc proprietas relativa, an verò ipſa Eſſentia, terminet?

2. *Eſſentia Divina Verbi non terminat de facto immediatè Unionem hypoſtaticam, uti patet ex Conciliys.*

DICO primò: Eſſentia Divina Verbi de facto non eſt ratio formalis terminandi immediatè Unionem hypoſtaticam. Eſt Scoti *3. diſt: 1. q: 1. n: 5.* P. Alenſis, D. Bonaventuræ, D. Thomæ & Scotiſtarum; contra Durand: Capreol: Marſil: Victor: Soto, & alios.

Prob: primò authoritate Conciliorum: nam Toletanum VI. & IX. *in Confeſſione Fidei* ponit ſequentia Verba; *Incarnationem Filij, tota Trinitas operata eſt; quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis: ſolus tamen Filius formam Servi accepit in ſingularitate Perſonæ, non in Unitate Divinæ Naturæ, in id quod proprium eſt Filij, non quod Trinitati commune:* ſed ſi Eſſentia Divina eſſet ratio formalis terminandi immediatè Unionem hypoſtaticam, revera Filius accepiſſet formam ſervi ſeu humanitatem in id, quod commune eſt Trinitati; quia Eſſentia Divina eſt communis omnibus tribus Perſonis Trinitatis: Ergo Eſſentia Divina non eſt de facto ratio formalis terminandi immediatè Unionem hypoſtaticam. Et VI. Synodus *actione* 8. definit, *quòd Pater & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem:* ſed ſi Eſſentia Divina eſſet ratio formalis terminandi immediatè Unionem hypoſtaticam, Pater & Spiritus Sanctus haberent aliquid commune in Incarnatione, quòd communicarent cum Filio, non tantùm in voluntate; ſed etiam in terminatione humanitatis aſſumptæ: Ergo &c.

3. *Et Teſtimonys SS. PP.*

Prob: ſecundò authoritate SS.PP. docentium Verbum naturam humanam de facto terminâſſe ſecundùm id, quod proprium eſt uni Perſonæ; & conſequenter Eſſentiam Divinam non eſſe rationem formalem terminantem immediatè Unionem, utpote quæ communis eſt tribus Perſonis; ſic loquitur D. Anſelmus *lib: de Incarnatione, cap: 4. qui rectè ſuſcipit ejus Incarnationem, credit eum non aſſumpſiſſe hominem in unitatem naturæ, ſed in unitatem Perſonæ.* Et D. Dyoniſius lib: *de Divinis Nominibus, cap: 4.* ait: *diſcretum eſt autem in Divinis operibus in nos benignè manantibus, quòd ſecundùm nos, atque ex nobis integrè & verè ſubſtantiam ſumpſit ſuperſubſtantiale Verbum, eáque geſſit, & pertulit, quæ ſunt humanæ ipſius aſſumptionis electa atque præcipua; his enim neque Pater, neque Spiritus Sanctus ullâ ratione communicant; niſi fortè quis aſſerat, benignitate, clementiâque & communicatione voluntatis.* Eadem docet D. Damaſcenus *lib: 3. de Fide, cap: 6.* Ergo revera Eſſentia Divina, in qua communicat Pater, & Spiritus S. non eſt ratio terminandi Unionem hypoſtaticam; ſed potiùs proprietas relativa Verbi; in qua aliæ Perſonæ non communicant.

4. *Et ratione Theologicâ Scoti.*

Prob. tertiò ratione Scoti *cit*: In quocunque ſubjecto eſt ratio formalis terminandi iſtam Unionem, ipſum terminat eam: ſed Pater in quo tamen eſt Eſſentia Divina non terminat hanc Unionem: Ergo Eſſentia Divina non eſt ratio terminandi eam. Prob: Maj: quia ſicut ſuppoſitum creat; quia habet virtutem & rationem creandi, & hinc omnes tres Perſonæ creant ſimul; quia ſimul habent vim creativam: ita ſi in ſuppoſito quovis adeſſet ratio formalis terminandi iſtam unionem, quodvis diceretur terminare; Ergo cùm Pater habeat Eſſentiam Divinam, quæ eſt ſecundùm Adverſarios ratio formalis terminandi; debebit & Pater termi-

terminare hanc unionem: hoc autem est contra illud Joano: 1. *Verbum caro factum est*: Ergo &c.

5. *Quadam replica Adversariorũ rejicitur.* DICES primò: Essentiam Divinam in Verbo ideo potiùs esse rationem terminandi, quàm in Patre, & Spiritu S. quia Personalitas Verbi est conditio sinè qua non contingit hujusmodi terminatio: Ergo &c. *Contra;* non est potior ratio, quare Verbum deberet esse conditio ad hoc ut Essentia sit ratio immediata terminandi, quàm Pater, vel Spiritus S. cùm ergo tam in Patre, & Spiritu S. quàm in Verbo, Essentia sit ratio agendi, & terminandi, tam bene Pater, & Spiritus S. debebunt esse conditiones ad terminandum. Conseq: patet; quia ratio agendi & terminandi est talis, quòd in quocunque est prius natura, ante terminum productum, sit ratio seu principium agendi & terminandi; patet de vi Spirativa, quam quia æquè habet Pater & Filius, ideo æquè spirant Spiritum Sanctum: Ergo cùm Essentia sit æquè in Patre, & Spiritu S. Pater & Spiritus S. debebunt, esse æquè conditiones ad terminandum.

6. *Rursus alia replica eorundem enervatur.* DICES secundò: ideo non sequi quòd Pater, & Spiritus S. æquè debeant terminare Unionem, quia habent Essentiam Divinam diversò modò sibi identificatam; Pater enim habet illam à se; Filius à Patre; & Spiritus S. ab utroque; quæ diversitas habendi Essentiam, sufficit ad hoc, ut in una Persona sit ratio terminandi specialiter; & non in alia: Ergo &c. Respondeo cum Scoto Neg: Ant: quia ista diversitas habendi Essentiam est quid pertinens ad originem Personarum, quatenus scilicet originatur Filius à Patre, & Spiritus S. ab utroque; Pater verò à nullo; sed propter talem originem non terminat una Persona potiùs, quàm altera; nam si per casum Verbum non fuisset Incarnatum; sed Patet, adhuc esset idem modus habendi Essentiam, qui est nunc; quia modus sic habendi Essentiam est necessarius, terminare autem hanc Unionem est contingens: Ergo ex diverso modo habendi Essentiam, non colligitur bona disparitas, quòd Pater & Spiritus Sanctus non debeant æquè terminare Unionem, si Essentia esset ratio immediata terminandi. Unde.

7. *Proprietas relativa est ratio terminandi immediatè Unionem hypostaticam.* DICO secundò: Proprietas relativa Verbi est immediata ratio terminandi Unionem hypostaticam. Est Scoti *locò cit:* & suorum; contra Durand: Marsil: & alios relatos à Scoto suprà; item contra Gabriel: Occamum &c. Docentes rationem terminandi esse Unionem istam, si ipsum totum compositum ex Essentia, & Persona terminet.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex *citatis* Concilijs maximè ex Toletano, ex illis verbis: *solus tamen Filius formam servi accepit in id, quod proprium est Fily*, id est, in proprietatem relativam Verbi. Similiter ex Patribus *citatis* idem constat. Tum quia Unio denominatur passim à Concilijs & SS. PP. hypostatica, id est, personalis: Ergo ejus terminus, à quo sic specificatur, est Persona: sed Persona dicit pro formali proprietatem relativam: Ergo proprietas relativa Verbi est immediata ratio terminandi Unionem hypostaticam.

8. *Essentia Divina mediatè terminat Unionem hypostaticam.* DICO tertiò: Essentia tamen Divina est ratio mediatè terminandi Unionem. Est Scotistarum communiter.

Probatur: Essentia non distinguitur realiter à Persona Divina Verbi: Ergo si Verbum secundùm proprietatem relativam indistinctam realiter immediatè terminet debet Essentia ad minùs mediatè etiam terminare Unionem.

9. *Pater & Spiritus S. non possunt dici homo factus.* Ex hoc Infertur Patrem & Spiritum S. non posse dici Hominem, ratione Essentiæ Divinæ sibi identificatæ, & unitæ humanitati. Ratio est; quia Essentia licèt terminet unionem humanitatis; tamen terminat tantùm mediatè, & ratione Verbi, quod non sufficit ad posse dici hominem.

10. *Cuidam objectioni ex Scoto Respondetur.* Objicies ex Scoto: Per illam rationem terminat Verbum Unionem, per quam continet perfectionem suppositi creati, cujus vices Verbum supplet; & per quam natura est in potentia obedientiali ad Verbum: sed hæc ratio est Essentia, & non proprietas relativa, quæ ex se non est infinita: Ergo Essentia debet esse immediata ratio terminandi. Respondeo cum Scoto Neg: Maj: sed potiùs per illam rationem terminat, quæ in genere dependentiæ est independens, & quæ propria est soli Verbo: cujusmodi est proprietas relativa Verbi; non verò continentia illa virtualis, quæ est continentia causalitatis, & est comunis toti Trinitati; quia & ipsa Essentia est communis:

munis: & quia talis continentia dicit perfectionem, quæ debet esse communis tribus, & convenit eis ratione Essentiæ, non ratione Personalitatis: similiter dicendum de potentia obedientiali naturæ; quia hâc respicit natura totam Trinitatem indifferenter & non potiùs unam Personam, quàm alteram: ab alio ergo provenit terminare dependentiam causalitatis, puta à primo efficiente; & ab alio terminare dependentiam Unionis hypostaticæ, puta à proprietate relativa Verbi.

QUÆSTIO VII.

Utrùm Tres Divinæ Personæ possint simul eandem numerô Naturam assumere?

1. *Quid sit dependentia essentialis?* NOTA primò: In Assumptione naturæ intervenire dependentiã quandam Essentialem, ùt infra ostendetur: est autem dependentia essentialis non tantùm illa, quâ aliquid ab altero dependet tanquam ab Essentia sua, vel causa sive Physica sive Metaphysica; qualis est dependentia effectûs physici ad suas quatuor causas physicas, & dependentia proprietatum ad Essentiam suam; quæ dicitur dependentia essentialis simpliciter: sed etiam illa, quâ res una ab alia dependet ita adæquatè, necessariò & per se, ut nullô modô possit ab alio dependere; licèt terminans talem dependentiam non sit essentia, vel causa physica dependentis, sed tantùm habens essentiam sibi connexam, quale terminans in Incarnatione est Persona Verbi.

2. *Tres Divinæ hypostases nequeunt eandem naturam simul assumere.* DICO primò: Tres Personæ Divinæ non possunt eandem numerò naturam singularem immediatè assumere, eô modô, quô defactò eam assumpsit Verbum. Est Scoti *cit: num: 5.* & omnium Scotistarum, exceptô Basso & Ponciô; eandèmque tenent Alexander de Ales, D. Bonaventura; & ex RR. Lugo, Pasquali &c. contra Thomistas, & Varronem, Henricum &c.

Prob: primò authoritate D. Anselmi *lib: de Incarnatione Verbi, cap:* 4. & 5. hanc conclusionem expressè tenentis. Et iterum *lib:* 2. *cur DEUS homo, cap:* 9. ubi dicit: *plures Personæ nequeunt unum eundémque hominem assumere in unitatem Personæ, quare in una Persona id tantùm fieri necesse est:* Ergo &c.

3. *Eadem doctrina liquet ex Scoto.* Prob: secundò ratione Scoti *cit:* In omni dependentia essentiali, unum dependens, non dependet, nisi præcisè ad unum, quod totaliter terminat ejus dependentiam: sed in hac Unione hypostatica naturæ singularis ad Verbum, est dependentia essentialis unius naturæ, & Verbum terminat totaliter eam: Ergo eadem numerò natura singularis, non potest in eodem genere dependentiæ essentialis ad omnes tres Personas dependere immediatè; & consequenter omnes non possent eandem simul assumere. Maj patet in omni dependentia Essentiali causati ad causam; quia impossibile est idem causatum habere plures causas totales simul & semel in eodem genere causandi, & ejusdem rationis; aliàs ab illis dependeret, & non dependeret; esset, & non esset; quæ sunt impossibilia: Ergo &c. Prob: Ant: dentur duæ causæ totales efficientes, v. g. A. & B. unius effectûs dicti C. & dependeat ab illis: tunc sic; Effectus C. est, quia una causa sua A. est, ipsum producens; Ergo A. non existente, C. non erit: sed B. alterâ causâ existente C. erit; & sic A. non existente, C. erit; quia altera causa totalis B. est: Ergo C. simul erit, & non erit; dependet ab A. & non dependet, quod est impossibile. Subsumo jam; sed eadem est ratio de pluribus seu tribus Personis simul terminantibus unam naturam in genere terminantis; aut detur disparitas: Ergo. Prob: etiam Minor principalis, quòd hic sit dependentia essentialis; quia dum personalitas creata propria naturam Platonis terminat, adest dependentia essentialis, adæquata, & per se, ita ut illâ stante, natura non possit esse sub alia: Ergo similiter, quando una Persona Verbi supplet vices personalitatis creatæ.

4. *Duæ aliæ rationes Scoti pro eadem afferuntur.* Prob: tertiò duabus alijs rationibus, quas quidem addidit Scotus; sed non sunt propriæ ipsius; neque putavit eis efficaciter probare Conclusionem, licèt eas non rejiciat in littera; adduxit autem illas, ut rejiceret Responsionẽ Varronis. *Prima* sic proponitur: Essentia Divina concluditur esse infinita formaliter ex eo, quòd ipsa eadẽ posset esse in pluribus Personis: Ergo ista natura singularis existens sub pluribus personis argueretur esse infinita; quod

quod tamen naturæ creatæ repugnat. Conseq: Probatur: quia quâ ratione posset esse in tribus: v. g. posset esse in infinitis; sicut si possunt esse tres Dij in Divinis inquit Doctor 1. *dist: 2. q: 3.* possunt esse infiniti: Ergo à pari idem hic. *Secunda* sic formatur ex eodem; si una natura singularis posset habere plures personalitates increatas sibi unitas; posset etiam sibi habere unitam personalitatem increatam Verbi, & propriam creatam; cùm non magis repugnent esse simul; & sic possemus dicere, Ita de facto esse in Christo, quod est hæreticum; neque haberemus argumentum contra hæreticos, asserentes in Christo duas Personas: Ergo &c.

5. *Varro replicans remittitur inanis.*

Respondet Varro ad primam ex mox allatis Rationem Neg: sequelam; quia Essentia Divina est identificata tribus Personis, & ex ista identificatione sequitur; quòd sit formaliter infinita; natura verò illa creata singularis non esset identificata pluribus illis Personis, sed adventitia, & accidentalis quasi. *Contra* arguit Scotus; quia ratio hujus infinitatis oritur præcisè ex illimitatione rei, quæ semper arguit perfectionem; quantò enim forma aliqua substantialis est illimitatior ad perficiendum plura supposita, tantò est in se perfectior; & hinc colligimus animam nostram intellectivam inter omnes formas esse perfectissimam; quia omnes partes compositi simul perficit: cæterùm quòd illud illimitatum sit identificatum illis suppositis, vel sit adventitium, uti esset in proposito illa natura assumpta à tribus Personis, non facit ad rationem illimitationis perfectam: unde scientia in anima mea intellectiva licèt sit mihi adventitia; dicitur tamen illimitata: Ergo adhuc manet nervus primi argumenti de infinitate naturæ.

6. *Et alijs quoque replicantibus satisfit.*

Respondent alij; Essentiam Divinam ideo esse infinitam; quia fundat tres personalitates increatas; quod non faceret natura illa creata à tribus simul assumpta. *Contra* cum Scoto: Ratio fundandi præcisè, non infert infinitatem; quia voluntas creata potest fundare plurimas relationes diversas; & tamen non est infinita; item unum album plures similitudines: Ergo &c.

7. *Quoddam objectum Adversario-rum reprimitur.*

Objicies primò: Relationes plures ejusdem ordinis possunt esse in eodem fundamento; sic in eodem Patre possunt esse plures Paternitates ad plures filios: Ergo similiter possunt esse plures dependentiæ in una natura ad plures Personas Divinas: & maximè si ponantur illæ dependentiæ diversæ rationis esse; ex eo quòd terminentur ad Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam, quæ sunt relationes alterius ordinis. Respondet Scotus Neg: Conseq: quia licèt dictæ relationes, & complures aliæ possint esse simul in eodem fundamento; non tamen est eadem ratio de omnibus; quia aliquibus hoc repugnat ex speciali earum natura; ex eo quòd sint dependentiæ essentiales: sicut licèt aliquæ relationes identificentur fundamentis, puta transcendentales; hoc tamen repugnat alijs, puta prædicamentalibus. Quòd autem additur, has dependentias esse alterius rationis, negatur; quia licèt Personæ essent distinctæ realiter; in ratione tamen terminandi essent ejusdem rationis.

8. *Alia objectio à Scoto adducta dissolvitur.*

Objicies secundò ex Scoto: Hæc natura antequam assumeretur à Verbo, erat assumptibilis à quacunque Persona Divina divisim: Ergo si omnes simul agerent ad ejus assumptionem, vel assumeretur ab omnibus, & habetur intentum; vel ab una sola Verbi; & hoc non; quia est in æquali potentia obedientiali ad omnes: Ergo &c. Respondet Scotus; quòd omnes tres possent quidem agere simul activè ad assumptionem naturæ, non tamen terminativè, ut terminent omnes tres: sed tantùm una, quam aliæ duæ eligerent. Et si dicas; possent omnes tres simul agere: Ergo & terminare. Respondeo Neg: Conseq: quia dependentia essentialis ab una impediret hujusmodi terminationem, propter rationem supra datam *in prima Proba.* Similiter hæc dependentia evacuat à natura potentiam obedientialem quò ad actum secundum, ut stante conjunctione naturæ cum una Persona, non posset conjungi cum alia; licèt maneret obedientialis potentia ad actum primum, quæ cùm sit inclinatio naturalis naturæ identificata, manet juxta eundem Scotum *2. dist: 6. q: 2.*

9. *Scotus diluit aliam objectionem sibi propositam.*

Objicies tertiò ex eodem Doctore: Idem accidens potest esse in pluribus subjectis: Ergo & una natura in tribus suppositis Divinis. Prob: Ant: duo corpora unum gloriosum, alterum non gloriosum possunt esse simul; uti contigit in ingressu Christi per januas

nuas clausas: Ergo possunt habere idem Ubi; Ubi autem est accidens: Ergo &c. Resp: Scotus Neg: Ant: ad ejus Probationem dicit, si Ubi accipiatur materialiter, pro superficie corporis ambientis, quòd sit tantùm unum Ubi, & in uno subjecto, scilicet in corpore continente: si autem accipiatur formaliter, dicit, quòd in superficie ambiente sint duæ circumscriptiones activæ ad duo corpora, & in illis duobus corporibus duo Ubi passiva; unde informa Neg: Ant: cum Conseq: Probationis ejus.

10. *Impugnationi cuidã obviatur.* Objicies quartò: Una Persona potest plures naturas assumere: Ergo & plures Personæ Divinæ unam numerò naturam singularem â paritate. Respondeo Neg: Conseq: disparitas oritur ex intrinseca utriusque natura, & diversis effectibus formalibus, quos producit persona in assumptione plurium naturarum, & natura in assumptione plurium personarum: nam persona una in personando unam naturam non agit ad ultimum potentiæ; quod inde patet; quia se habet tantùm per modum termini terminantis relationem Unionis; unus autem terminus potest terminare diversas relationes; ùt patet ex Philosophia: natura verò unica singularis in sui assumptione ita plenè ab una persona recipit personationem, ut ulteriùs non possit terminari, propter essentialem dependentiam, quæ in ea oritur; quod bene est notandum.

11. *Poncius opponens rejicitur.* Objicies quintò cum Poncio: Pro eodem instanti, in anima rationali ponuntur plures gradus gratiæ habitualis, per quorum quemlibet tollitur peccatum: Ergo similiter possent poni in una natura plures personalitates, quarum quælibet potest tollere personalitatem propriam. Respondeo Neg: Conseq: disparitas est; quia nullus gradus Gratiæ divisim est ordinatus ad expellendum peccatum per modum causæ totalis, sed omnes simul sumpti: in personatione autem plurium personarum quælibet esset ordinata ùt causa totalis ad personandam naturam.

12. *Cur plures formæ substantiales* Objicies sextò: Plures formæ substantiales possunt informare unam numerò materiam per informationes, & dependentias partiales: Ergo & plures personæ unam naturam sic personare. Respondeo Neg: Conseq: quia informatio formæ non consistit in indivisibili ita ut informatio totius naturæ debeat ab una forma sola necessariò, & in omni casu provenire: personatio verò naturæ consistit in indivisibili, ita ut ab una sola persona provenire debeat: nam persona quæ non adæquatè præstaret munus personationis, eò ipsò non esset persona formaliter talis naturæ; cujus ratio ultimata petenda est ex conditione ipsius personæ quia talis est; sicut si rationalitas non faceret animam in actu primo rationalem, non esset rationalitas. Deinde non potest imaginari, qualiter fieri possit hujusmodi partialis personatio: Ergo. *possint informare unam materiam, & non plures personæ unam personam personare?*

13. *Fundamentum principale Varronis diruitur.* Objicies ultimò fundamentum Varronis: Priùs potest esse sine posteriori, & manere plurificatò posteriori: sed natura singularis est prior personalitate: Ergo posset manere plurificatis personalitatibus. Respondeo *primò* cum Scoto; quòd si hoc argumentum valeret, probaret quòd natura possit non habere personalitatem propriam, quæ est posterior; & etiam alienam simul; quod tamen negat Varro. Respondeo *secundò* Dist: Maj: quando ex plurificatione posterioris non sequitur implicantia in priori Conc: Maj: quando sequitur Neg: Maj: Itaque in proposito sequitur implicantia, quòd scilicet natura dependeret, & non dependeret.

14. *Scotus diluit quandam instantiam.* Si objicitur, inquit Scotus, exemplum de anima informante plures corporis partes; & de uno corpore existente, in pluribus locis: Ergo â pari hic. Responderi debet Neg: Conseq: quia in his exemplis non invenitur incompossibilitas, qualis in proposito invenitur inter unam naturam, & plures personas; esse scilicet personatum, & non esse.

15. *Nonnulli Scotistæ genuinã Scoti mentem hîc non attigere.* Nota hîc: quòd oppositi Scotistæ trahant Scotum quoque in oppositum, explicantes eum, quòd tantùm dixerit, non posse assumi unam naturam â tribus Personis ad unitatem personæ: bene tamen aliô modô. Verùm hi non sunt assecuti genuinam Doctoris mentem; nam expressè docet contrarium *in solutione secundi argumenti principalis hîc.*

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

Utrùm Eſſentia Divina poſſet immediatè terminare Unionem naturæ creatæ?

1. *Eſſentia Divina præciſa habet ſubſiſtentiâ abſolutam.*



OTA primò: Eſſentiam Divinam, ùt docui *Tomo 1. Tract: de Angelis, Diſt: 2. q: 3.* quatenus præſcindit â tribus Perſonis, ſeu ſubſiſtentijs relativis perſonalibus, habere ſuam ſubſiſtentiam abſolutam, *quæ eſt formalitas quædam naturæ Divinæ â qua habet exiſtere per ſe completè ac independenter ab omni extrinſeco in exiſtendo, communicabiliter tamen.* Et hujuſmodi formalitatem ſeu ſubſiſtentiam in Divinis ſvadet apertè, tum authoritas Agathonis Papæ *in Epiſt: Decret:* quæ habetur *in VI. Synodo art: 4.* tum authoritas D. Auguſtini *lib: 7. de Trinitate, cap: 2.* dicentis, Divinam naturam ad ſe ſubſiſtere (id eſt, ſubſiſtentiâ abſolutâ) *nam omnis ſubſiſtentia,* ait *cit:* Pater, *ad ſeipſum exiſtit, quantò magis DEUS.* Tum ratio; quia Eſſentia Divina eſt ſubſtantia completa per ſe exiſtens, cùm ſit entitas abſolutiſſima: Ergo habet ſubſiſtentiam abſolutam, ſicut aliæ ſubſiſtentiæ.

2. *Status quæſtionis manifeſtatur.*

NOTA ſecundò: Quæſtionem hanc procedere in hypotheſi impoſſibili; nam â parte rei impoſſibile eſt Eſſentiam Divinam aliquando actu abſtrahere â tribus Divinis hypoſtaſibus. Ratio eſt; quia cum illis habet realem identificationem, & indiſpenſabilem unionem realem; ſi tamen per impoſſibile poſſet diſſolvi hujuſmodi identificatio, & unio realis; quæritur, nùm Eſſentia Divina in tali caſu poſſet immediatè terminare unionem alicujus naturæ creatæ?

3. *Si Eſſentia Divina præſcinderet â tribus hypoſtaſibus, adhuc immediatè poſſet terminare Unionem naturæ creatæ ex PP.*

DICO primò: Datâ hypotheſi impoſſibili, quòd Eſſentia Divina præſcinderet, ſeu abſtraheret â tribus ſubſiſtentijs perſonalibus, eò caſu poſſet immediatè terminare unionem alicujus naturæ creatæ. Ita expreſſè Scotus *3. Diſt: 1. q: 2.* cum tota ſua Schola; compluribus Thomiſtis; Nominalibus; & RR. contra Alenſ: Lorc: Vaſq: Lug: &c.

Prob: primò authoritate plurium SS. PP. ſignanter Cyrilli, Athanaſij, Hieronymi, Hilarij, Boëtij, Anaſtaſij; & aliorum, quos adducit Vaſquez, & fruſtra conatur eludere; omnium autem clariſsimè D. Auguſtinus Concluſionem aſſerit: Ergo &c.

4. *Idem patet ex ratione Theologica.*

Prob. ſecundù ratione: In caſu Concluſionis Eſſentia Divina habet omnia requiſita ad poſſe immediatè terminare unionem alicujus naturæ: quia *primò* eſt ſubſtantia completa per ſe exiſtens, ſeu ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ. Eſt *ſecundò* infinita in ratione exiſtendi, & ſubſiſtendi. *Tertiò* eſt incommunicabilis ſaltem ſecundùm quid quatenus videlicet non poteſt ſeſe communicare alijs ſuppoſitis, â ſe actualiter, & realiter diſtinctis. *Quartò* reddit naturam creatam aſſumptam incommunicabilem cuicunque alteri ſuppoſito realiter diſtincto, dando ei complementum ultimum: Ergo datâ hypotheſi impoſſibili, quòd Eſſentia Divina præſcinderet ſeu abſtraheret â tribus ſubſiſtentijs relativis, ſeu perſonalibus trium Divinarum Perſonarum, poſſet tunc terminare immediatè unionem alicujus naturæ creatæ. Conſeq: tenet; quia memorata quatuor ſufficiunt ad poſſe immediatè terminare unionem alicujus naturæ creatæ.

5. *Alia ratio Scoti affertur ad idem intentum.*

Prob. tertiò aliâ ratione Scoti *cit:* Eſſentia Divina nullum habet eſſe ab aliqua Perſona Divina; eſtque prior naturaliter omni perſonâ; inſuper dat eſſe omni perſonæ: Ergo ùt præſcindit â perſonis poteſt immediatè terminare unionem alicujus naturæ creatæ.

6. *Concilia & PP. in favorem Concluſionis reconciliantur.*

Objicies primò: Concilia, & SS. PP. non commemorant ullam aliam Unionem immediatam DEI cum natura creata, quam illam quæ fit vel in unitatem naturæ vel in unitatem perſonæ: primùm autem omnino rejiciunt; cùm ex natura Divina & humana non poſſit conſtitui una natura: de ſecunda verò dicit Tolet: XI. *ſolus tamen Filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ.* Et D. Anſelmus *lib: de Incarnatione, cap: 4.* ait, *eum qui rectè ſuſcipit Incarnationem, credere Verbum non aſſumpſiſſe hominem in unitatem naturæ, ſed in unitatem perſonæ:* Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Concilia, & PP. quòd ſolùm loquantur de unione de facto actu exhibita; non de poſſibili: quod inde colligitur; quia arguebant contra Eutychianos, & Neſtorianos, quorum primi dogmatizabant, Unionem Verbi fuiſſe factam in unitate naturæ; ſecundi autem clamabant eam

nec in unitate naturæ, nec in unitate personæ celebratam fuisse.

7. *Variæ objectiones proponuntur.* Objicies secundò: Essentia Divina considerata cum abstractione à tribus hypostasibus Divinis non gaudet ullâ subsistentiâ absolutâ: Ergo nequit terminare immediatè unionem alicujus naturæ creatæ. Prob: Ant: quia si accideret ejusmodi subsistentia, daretur quaternitas suppositorum; puta unum suppositum absolutum, & tria supposita relativa; sed quaternitas suppositorum Divinorum non est admittenda: Ergo &c. *Secundò:* Scotus 3. *Dist: 1. q: 1.* ait, Personam Divinam posse ideo terminare Unionem naturæ creatæ; quia ipsa est incommunicabilis: & naturam Divinam non sic posse terminare, quia communicabilis est: Ergo &c. *Tertiò:* nequit ostendi, qualisnam Unio foret inter Essentiam Divinam, & naturam creatam assumptam, & terminatam ab Essentia: non enim esset Unio hypostatica; quia non esset Unio duarum naturarum in eadem hypostasi seu persona: Ergo &c.

8. *Sed dissolvuntur in favorem asserti.* Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: cum Maj: Prob: ejusdem; nam nomine suppositi communiter intelligitur id, quod importat omnimodam incommunicabilitatem; subsistentia autem absoluta Divina non importat ejusmodi incommunicabilitatem; cùm natura creata, si per eam terminaretur, ulteriùs posset communicari, saltem tribus Personis Divinis, & ab eis ultimatè terminari; quare non rectè in casu Conclusionis diceretur suppositum; & consequentnr nec efficeret quaternitatem suppositorum in Divinis. Ad *Secundum* dico; Scotum *locô cit:* non aperire suam mentem resolutivam; unde in 3. *dist: 1. q: 2.* sustinet Conclusionem positam, dum ait, incommunicabilitatem omnimodam non esse per se requisitam in terminante; ex quo colligitur Essentiam Divinam posse terminare Unionem naturæ creatæ, etsi omnimodam incommunicabilitatem dicat. Vel certè Scotus *locô cit:* vult, naturam Divinam ob sui non communicabilitatem posse terminare Unionem in unitatem suppositi, & eô modô, quô terminare possunt Personæ Divinæ, licèt bene eam possit terminare in unitatem subsistentis absoluti. Ad *Tertium*: Neg: Ant: quia illa Unio immediata Essentiæ Divinæ cum aliqua natura creata esset Unio subsistentis absoluti, valde affinis, & similis Unioni hypostaticæ: nam sicut Unionis hypostaticæ immediatus, & proximus terminus est hypostasis seu subsistentia relativa Divina; ita hujus Unionis immediatus, & proximus terminus esset subsistentia absoluta: item sicut per Unionem hypostaticam natura assumpta redditur incommunicabilis simpliciter; ita per Unionem istam natura creata assumpta fieret incommunicabilis secundùm quid, id est, cuicunque supposito realiter distincto ab Essentia Divina: item sicut per Unionem hypostaticam completur substantialiter natura assumpta; ita quoque per istam Unionem compleretur natura creata assumpta.

9. *Scotus eruditè confutat quamdam objectionem.* Objicies tertiò ex Scoto: Si Essentia immediatè terminaret Unionem, adhuc deberent necessariò etiam Divinæ Personæ hanc Unionem terminare; cùm in eis solis resideat vis terminativa Unionis cum aliqua natura creata; & ipsis factâ quacunque abstractione munus terminandi conveniat: sed Personæ Divinæ nequeunt simul cum Essentia Divina terminare aliquam Unionem: Ergo &c. Prob: Min: si Personæ terminarent simul, tunc natura deberet ipsis multiplicatis, multiplicari: sed hoc est contra hypothesin: Ergo &c. Respondeo cum Scoto Disting: Maj: deberent etiam Personæ Divinæ terminare mediatè: Transf: Maj: immediatè: Neg: Maj: Itaque in casu Conclusionis Personæ tantùm mediatè terminarent: neque hoc est inconveniens; neque multiplicari debet natura multiplicatis Personis; cùm Personæ non essent terminus primarius, & immediatus Unionis; sed mediatus tantùm: Unde Neg: Maj: Probationis factæ pro Minori hujus Objectionis.

10. *Quædam instantia expeditur.* DICES: Si Personæ possent mediatè terminare naturam; uti concedit hæc Responsio, sequeretur, quòd illa natura foret illimitata: sed hoc est falsum: Ergo &c. Prob: sequela Maj: ideo secundùm Scotum supra, natura immediatè assumpta â tribus Personis, esset illimitata; quia esset in pluribus: sed est par ratio quando est mediatè in tribus Personis: Ergo &c. Respondeo Neg: sequel: Maj: & ejus Probationis Min: quia illimitatio non sequitur præcisè in natura, quia est quomodocunque in illis: sed quia est immediatè, & dat

& dat illis effectum immediatum formalem: Personæ verò in casu Conclusionis, quasi accidenter tantùm naturæ, & secundariò unirentur. Responsionem solidat Scotus clarô exemplô; nam defacto, inquit, omnes creaturæ dependent â tribus Personis dependentiâ causati ad suam causam; & tamen non sequitur in creaturis illimitatio aliqua; quia non dependent creaturæ â Personis immediatè, sed mediatè tantùm; videlicet imediatè â DEO, & â Personis ratione Deitatis identificatæ cum Personis: Ergo â pari idem hic.

QUÆSTIO IX.

De Anima, & Corpore physico, â Verbo defacto assumptis.

1. *Verbum Divinum assumpsit veram animam rationalem secundùm Scripturas.*



DICO primò: Verbum Divinum assumpsit veram animam rationalem, tanquam formam physicam corporis Organici Christi. Ita communiter Theologi, & SS. PP. contra Arianos docentes: Verbum Divinum fuisse Christo locô animæ rationalis; uti refert S. Epiphanius *hæresi* 69. & contra alios veteres Errones. Apollinarem, &c.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: Nam Matth: 26. Christus de anima sua ait, *tristis est anima mea usque ad mortem*; tristari autem est proprium naturæ animæ rationalis. Et alia Scriptura Christum appellat verum hominem; unde idem Christus dicit de se Joann: *cap: 8. quæritis me interficere hominem.* Et rursus Joann: *cap: 18.* Caiphas afflatus Spiritu Propheticô dixit Judæis; *expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo.* Et ideo varij textus sacri, etiam veteris Testamenti vaticinantur Messiam fore de semine David, ex femore Jacob, Filium Davidis, & Prophetam de Populo Israël suscitatum; juxta illud Deut: 18. *Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*: sed verus homo constare debet verâ animâ rationali tanquam formâ physicâ corporis: Ergo Christus constabat tali animâ: & consequenter Verbum assumens totam humanitatem Christi, etiam assumpsit veram animam rationalem tanquam formam physicam corporis Christi. Unde præclarè ratiocinatur Theodoretus *lib: 1. contra Hæreticos, cap: 14.* inquiens, *quoties vel hominem se Christus vocat, vel cùm Abrahami, & Davidis semini ac stirpi inscribitur; toties vera carnis ac vera anima testimonium perhibetur.*

2. *Et Testimonia Conciliorum Generalium.*

Prob. secundò authoritate Conciliorum Oecumenicorum affirmantium DEUM factum esse verum hominem, assumpsisse veram humanitatem, veram naturam humanam; & consequenter etiam veram animam rationalem; quæ est forma, & pars physica hominis, humanitatis, & naturæ humanæ: sic dogmatizant omnia Symbola vetustissima Synodorum Generalium, puta Nicænæ 1. Constantinopolitanæ, Romanæ sub Damaso, & Calcedonensis, quæ ultima in *Decreto Fidei, act: 3.* definit, *se nec anima, nec mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere: verùm nosse se perfectum ante secula DEI Verbum, & perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse*: Ergo &c.

3. *Nec non authoritates SS. PP.*

Prob. tertiò authoritate SS. PP. docentium similiter, Verbum totum hominem, & totam naturam hominis assumpsisse; sic loquitur D. Fulgentius *lib: 1. ad Trasim: cap: 15. non incassum hominem JESUM Christum Mediatorem DEI, & hominem nuncupatum: nisi quia idem DEUS totam in se naturam suscepit hominis.* Et Gregorius Nazianzenus *epist: 1. ad Cledon: ait, quòd si totus Adam peccavit, toti quoque Genito unitus est* scilicet DEUS. Et S. Ambrosius *epist: 63. quia ita venit* (nimirum DEUS Verbum) *ut totum redimeret, & salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis*: sed vera anima rationalis est aliquid humanæ perfectionis, estque pars ita substantialis totius hominis, & naturæ humanæ, ut sinè ea subsistere non possit homo, juxta illud Tertulliani *lib: de resurrectione carnis, cap: 40. Porro nec anima per semetipsam homo &c. nec caro sinè anima habet &c. ita vocabulum homo consertarum substantiarum duarum quôdam modô fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse, nisi cohærente*: Ergo Verbum assumpsit veram animam rationalem.

4. *Et ratione Theologicâ.*

Prob. quartò ratione: In Christo videbantur omnes operationes vitales, arguentes adesse veram animam rationalem; discurrebat enim more hominum habentium animas rationales; exer-

exercebat motus Organicos vegetationis, sensationis, & similes vitales, à principio vitali animæ rationalis provenientes: Ergo revera in Christo erat vera anima rationalis: & consequenter Verbum eam assumpsit.

5. *Instantia Apollinaris heretici.* Objicit *primò* Apollinaris: Ad Philipp: 3. dicitur, Christus *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: Ergo erat tantùm ad instar hominis; & consequenter non habuit veram animam rationalem, quam Verbum assumeret. *Secundò*; si in Christo resideret vera anima rationalis à Verbo assumptibilis, sequeretur Verbū posse peccare: sed hoc dici nequit: Ergo &c. *Tertiò*: implicat duas naturas integras in unum coälescere: Ergo cùm Verbum priùs habuerit naturam Divinam perfectam, assumendo humanam, debebat eam ùt imperfectam assumere; & consequentet expertem animæ rationalis.

6. *Rejiciuntur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Conseq: nam Gen: 2. dicitur, Adam genuisse Filium *ad imaginem & similitudinem suam*: & tamē genuit verum hominem, habentem veram animam rationalem. Itaque illa dictio *in similitudinem* non est exclusiva veritatis, sed assertiva veræ humanitatis in Christo. Ad *Secundum* Neg: sequel: Maj: nam ratione Unionis hypostaticæ, & affluentiæ Divinarum Gratiarum nunquam posset ejus voluntas exire in actum peccaminolum. Ad *Tertium*, Dist: Ant: implicat duas naturas integras integritate personæ propriæ coälescere in unum Conc: Ant: integras integritate naturæ Neg: Ant: Itaque duæ naturæ quæ forent integræ secundùm rationem personalitatis, & jam ambæ personatæ personalitate propriâ, non possunt coälescere in unum; cùm autem natura humana à Verbo assumpta non fuerit integra secundùm personam propriam, idcirco assumi potuit à Verbo, & secundùm Personam Divinam coälescere in unam unitate personali.

7. *Anima rationalis Christi est ejusdem speciei quoad potentias suas cum animabus nostris.* DICO secundò: Anima rationalis à Verbo assumpta fuit ejusdem speciei quoad potentias spirituales intellectûs, & voluntatis creatæ cum nostris animabus rationalibus. Ita communis TT. & SS. PP. contra Apollinarem; & quosdam alios antiquos Hæreticos, asserentes animam Christi non habuisse mentem humanam, seu intelligendi facultatem; sed ejus vices Verbum præstitisse; & contra Monothelitas asserentes, eam non habuisse voluntatem creatam.

Prob: primò authoritate S. Scripturæ; quæ animæ Christi attribuit veras formalitates animæ rationalis, similes nostris; & ex quibus arguitur intellectus, & voluntas creata, puta tristitiam Matth: 26. *tristis est anima mea usque ad mortem*; & quidem tristitiam voluntariam, uti patet ex illis verbis, *verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Item libertatem arbitrij Joan: 10. *potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*: Ergo anima rationalis à Verbo assumpta fuit ejusdem speciei. Consequentia tenet; nam ex proprietatibus speciei bene arguitur Essentia ejusdem speciei.

Prob: secundò authoritate Conciliorum: nam Conclusionem definierunt jam olim Concil: Romanum sub Damaso Papa, *in profess. Fidei*; quæ recitatur à Theodoreto *lib. 5. historiar: cap: 9.* Et Concil: Ephesinum, *in epistola Cyrilli ad Nestor*: quæ à Concilio approbatur *can: 3.* Et Concil: Calcedonense *sess: 1.* Et VI. Synodus. Et Lateran: sub Martino I. *consul: 5.* Et VII. Synodus *act: 3.* Et Florent: *in Decreto Eug*: quæ ex professo examinârunt, & damnârunt hæresim Monothelitarum, & Apollinistarum: Ergo &c. 8. *Authoritates Conciliorum probantes identitatem specificam cum animabus nostris.*

Prob. tertiò authoritate SS. PP. idem dogmatizantium; ùt videre est apud D. Augustinum *lib: contra Felic: cap: 13.* Apud S. Leonem Papam *epist. 72. & 93.* Damasc: *lib: 3. cap: 15.* Ergo &c. 9. *Testimonia PP. ad idē.*

Quartò Ratio physica hoc idem svadet; nam operationes animæ rationalis Christi erant operationes similes nostris ab anima nostra rationali prædictâ verò creatō intellectu & voluntate creatâ provenientes; uti patet intuenti historiam Evangelij, commemorantem intellectiones varias, & volitiones, nolitionésq; Christi: Ergo hæ proveniebant à principio, seu anima ejusdem speciei quoad potentias spirituales. Tandem Verbum fuit Incarnatum, ut lapsum hominem salvaret: Ergo debuit hypostaticè sibi unire illam partem physicam hominis lapsi, quæ potissimè lapsa fuerat: hæc autem est anima rationalis prædita veris potentijs spiritualibus intellectûs & voluntatis creatæ: Ergo &c. 10. *Ratio physica idem adstruit.*

Objiciunt *primò* Monothelitæ varias authoritates priscorum SS. PP. oppo- 11. *Monotheli-*

F 2

terum varia objecta. oppositum asserentium: signanter verò urgent locum illum Cyrilli *lib: 4. in Joannem, Christus unam cognatam operationem per ambas naturas ostendit:* Ergo unicum duntaxat etiam fuit principium hujus operationis; puta voluntas Divina. *Secundò:* si in Christo fuisset etiam potentia creatæ voluntatis, fuisset pugna & reluctatio hujus cum Divina: sed hoc dedecet Christum: Ergo non fuit in eo potentia voluntatis creatæ. *Tertiò:* Vigilius, & Honorius Summi Pontifices partes Monothelitarum defendunt: quia Vigilius suô calculô probavit libellum sibi oblatum â Menna Patriarcha Constantinopolitano, in quo asseritur unica in Christo voluntas: Honorius autem approbat suis duabus epistolis, quæ lectæ sunt in VI. Synodo *act: 12. & 13.* Doctrinam Sergij Monothelitarum Principis; & decernit dicendum, Christum non habere duas voluntates, nec duas operationes: & propterea in eadem Synodo damnatur ùt Hæreticus: & in VII. Synodo dicitur ei anathema: Ergo &c.

12. *Eadem confutantur.* Respondeo *ad Primum*; Monothelitas objectas authoritates priscorum SS. PP. partim fraudulenter concinnâsse, truncâsse & depravâsse; partim malè exposuisse; & extorsisse; uti patet ex Synodo VI. ubi illorum artes in mutilandis authoritatibus præfatis, & calumniæ deteguntur. Ad locum Cyrilli dicit S. Martinus Papa *ad Euthym:* S. Patrem ly *operationem* usurpâsse pro unitione, ut sensus sit; ambæ naturæ Christi unâ unitione, seu unione hypostaticâ cognatè, id est intimè unitæ fuerunt. Ad *Secundum* Neg: Maj: nam creata voluntas per omnia obtemperabat Divinæ, uti patet ex illo Matth: 26. *non mea voluntas, sed tua fiat.* Ad *Tertium* Neg: Ant: & ad Vigilium dico, illum libellum nunquam fuisse oblatum Vigilio Papæ; uti ostendit S. Maximus. Et datô, quòd fuisset ei oblatus, nunquam habetur â Vigilio fuisse approbatum. Et tandem etiam concessô, quòd sit approbatus ille libellus Mennæ, tamen tempore oblationis non continebat illam doctrinam de unica Christi voluntate; sed hæc postea per fraudem libello apposita fuit â Monethelitis, uti patet ex Synodo VI. *act: 3.* Ad Honorium dico, in illis duabus Epistolis ad Sergium scriptis nil hæresis contineri; uti patet percurrenti easdem; & quando ibidem negat duas voluntates in Christo, hoc intelligit de duabus contrarijs voluntatibus carnis, & Spiritûs ad malum, & bonum contrariantibus, sicut nos habemus post peccatum. Nec etiam unquam ab ulla Synodo Honorius fuit condemnatus ùt Hæreticus, neque percussus anathemate; sed ipsimet Monothelitæ malitiosè ejus nomen inseruêre cathalogo damnatorum Monothelitarum; ut ita faciliùs VI. Synodi authoritatem labefactarent, suæquè prætensæ innocentiæ patrocinium accerserent; quod patet ex eo; quia in Conc: Later: sub Martino Pontifice celebrato anno 649. mortuô jam Honoriô, in quo Monothelitarum hæresis, & eorum Fautores insigniores Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Pyrrhus & Paulus Successores Patriarchæ Constantinopolitani fuerunt damnati, & de Honorio nulla prorsus fit mentio; quod utique factum fuisset; si â Synodo VI. & VII. fuisset, ùt Monothelita damnatus, & anathemate percussus.

DICO tertiò: Verbum assumpsit quoque verum physicum corpus; & quidem ejusdem rationis cum nostris corporibus. Ita communis TT. & SS. PP. contra Marcionem Hæreticum, fingentem, corpus Christi fuisse solùm phantasticum, & apparens; & contra Apellem docentem, Christi corpus fuisse formatum ex Elementis; & contra Valentin: arbitrantem, id fuisse ex materia cœlesti conflatum; & contra Apollin: dicentem, illud fuisse ex substantia Divinitatis compositum. 13. *Verbum Divinum assumpsit verum physicum corpus secundum Scripturas.*

Probatur primo authoritate S. Scripturæ; quæ refert veram Nativitatem Christi illis verbis Matth: *1. Liber generationis IESU Christi, Filij David, Filij Abraham:* & alibi dogmatizat, *Christum factum ex semine David secundùm carnem,* & rursum, *factum ex muliere* ad Galat: 4. Ergo ejus corpus fuit verum physicum corpus; & consequenter Verbum hoc corpus sibi uniens assumpsit verum physicum corpus ejusdem rationis cum nostris. Conseq: tenet; quia corpus quod sortitur veram generationem, sicque ex semine David est verum corpus physicum ejusdem rationis cum nostris.

Probatur secundò authoritate Conciliorum; nam Concilia Oecumenica Nicæn: Constantinop: Calcedonen: 14. *Et sensum Concilio-*

rum Oecumenicorum. donen: Ephesin: & Romanum supra relata Conclusionem determinant: quibus adde Hispalense II. & Braccarense I. *cap.* 4. eandem veritatem ex professo definientia: Ergo Verbum Divinum assumpsit verum corpus Physicum, ejusdem rationis cum nostris corporibus.

15. *At SS. PP. sentiment.* Probatur tertiò authoritate SS. PP. qui olim plurimùm desudàrunt contra Hæreticos, ut veram humanitatem, veram carnem, & consequenter verum corpus physicum in Christo adstruerent; ùt videre est apud Tertullianum, qui quinque libros composuit *contra Marcionem* propter hanc materiam; sed omnium eruditior est liber *de carne Christi.* Et apud Justinum Mart: *apologia 2. pro Christianis.* Apud Ambrosium *epist: 63.* Apud Fulgentium *lib: 1. ad Trasim.* Apud Gregorium Nazianzenum *epist: 1. ad Cledon:* Et apud Faustinum lib: *contra Arianos, cap: 3.* dicentem, *totus Adam totum salvare venerat; non autem videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis & animæ; hoc enim totus homo est per naturam:* Ergo si Verbum totum Adam expulsum suscepit, utique assumpsit verum corpus physicum, ejusdem rationis cum nostris corporibus, ab Adamo per viam seminalem propagatis.

16. *Ratio Tertulliani pro eadem Conclusio.* Prob: quartò ratione Tertulliani; quam affert *lib: de carne Christi, cap: 9.* corpus Christi à Verbo assumptum habuit omnia veri terreni & physici corporis, nostrisque corporibus per omnia similis signa; *considera* inquit *citatus* Author, *singulas qualitates, musculos ùt glebas, ossa ùt saxa, etiam circùm papillas, calculos quosdam. Aspice nervorum tenaces connexus, & traduce radicum & venarum ramosos discursus ùt ambages rivorum; & lanugines ùt muscos, & comam ùt cespitem, & ipsos medullarum in adesto thesauros ùt metalla carnis; hæc omnia terrena origenis signa & in Christo fuerunt - - -* & paulò infra; *quid dicis cœlestem carnem, quam unde cœlestem intelligas, non habes? quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas, habes? esurijt sub Diabolo, sitivit sub Samaritide, lachrimatur super Lazarum, trepidat ad mortem, caro enim, inquit, infirma, sanguinem fudit postremò:* Ergo revera corpus Christi à Verbo assumptum, fuit corpus verum physicum, & ejusdem rationis cum nostris corporibus sublunaribus terrenis.

Objiciunt Hæretici: S. Paulus *1.* ad Corinth: 15. ait, *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis:* Ergo corpus Christi à Verbo assumptum fuit de materia cœlesti; & consequenter alterius rationis, quàm nostra. Respondeo glossando Scripturam; & dico, eam loqui de Christo secundùm Personam; quæ est Divina, & consequenter cœlestis; non secundùm corpus, quod fuit terrenum. Vel dicitur cœlestis ideo; quia cœlestem vitam duxit. Vel certè secundus homo dicitur cœlestis propter gloriam quâ potiebatur ejus anima à momento conditionis suæ; primus verò homo dicitur terrenus propter mortalitatē derivatam ex originali peccato; uti exponit S. Chrysostomus *homil: 42. in 1. ad Corinthios.* 17. *Quo sensu Christus dicatur homo cœlestis?*

DICO quartò: Verbum assumpsit corpus jam unitum animæ rationali. Ita communis TT. 18. *Christus assumpsit corpus unitum animæ rationali.*

Probatur: Unio est conditio sinè qua non ad humanitatem integram assumendam, sicut est conditio sinè qua non resultat compositum: Ergo Verbum assumens humanitatem assumpsit corpus unitum animæ rationali.

DICO quintò: Nec corpus nec anima à Verbo assumpta priùs tempore extiterunt, quàm fuerint unita Verbo. Ita communis quoque TT. & SS. PP. contra Paulum Samosat: Nestor: Photinum, & alios Hæreticos. 19. *Corpus & anima à Verbo assumpta non extiterunt priùs tempore ex Concilijs.*

Probatur primò authoritate Conciliorum; definientium totam humanitatem Christi, & consequenter corpus, & animam, ex quibus coalescit humanitas, non priùs extitisse in rerum natura, quàm fuerit Verbo unita: ita deciditur in Concilio Ephesi *can:* 14. Et in VI. Synodo *act: 11.* ubi Sophronius in sua epistola ait, *ante verissimum ipsius Verbi conventum nunquam extiterunt:* scilicet anima & corpus: *nec quantùm in ictu oculi hanc, quàm illam priora habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrepit, atque Nestorius: simul quippè caro, simul DEI Verbi caro; simul caro animata rationali; simul DEI Verbi caro animata rationalis:* Ergo nec corpus, nec anima à Verbo assumpta priùs tempore extiterunt, quàm fuerint Verbo unita.

20. *Et SS. PP. sensu.* Probatur secundò authoritate SS. PP. idem docentium, ùt videre est apud Cyrillum in *epistola ad Nestorium, relata in Conc: Ephes:* Et apud Augustinum lib: *contra sermon: Arian: cap: 8.* dicentem, *unus Christus est, & DEI Filius semper naturâ & Filius hominis, qui ex tempore assumptus est gratiâ: nec sic assumptus est ut priùs crearetur, post assumeretur; sed ut ipsâ assumptione crearetur:* Ergo &c.

21. *Nec non ratione Theologicâ.* Probatur tertiò ratione: Neque ex Scriptura; neque ex Concilijs; neque ex PP. neque ex ratione constat, aliquam partem humanitatis Christi, priùs extitisse in rerum natura, quàm uniretur hypostaticè Verbo: neque ipsum Christum priùs fuisse purum hominem (ùt somniat Photinus) & deinde propter eximia merita consecutum Unionem hypostaticam cum Verbo: Ergo hoc non est asserendum.

QUÆSTIO X.

De Sanguinis; Humorum; ac partium excrementitiarum assumptione à Verbo

DICO primò: Sententia docens Sanguinem non fuisse immediatè assumptum à Verbo, est omnino probabilis, licèt altera de immediata assumptione sit de facto magis amplectenda.

1. *Sententia docens mediatam duntaxat assumptionem sanguinis à Verbo est probabilis.* Probatur prima pars: Hæc sententia habet pro se complures Authores graves, Durand: Gabriel: Richard: Hiquæum, Ponc: & plurimos Scotistas; item B. P. Jacobum nostrum de Marchia, aliósque qui hanc sententiam tenent; contra Thomist: & Neutrist: quorum nonnulli, ùt Lugo, & Vasq: eam putant esse obnoxiam hæresi: sed immeritò sanè, ùt Dominò concedente in progressu quæstionis videbimus: Ergo hæc Sententia habet probabilitatem extrinsecam desumptam ab authoritate. *Secundò:* hæc sententia est quoque probabilis probabilitate intrinsecâ, seu ratione; quia sanguis non spectat ad primariam constitutionem hominis: Ergo non debuit immediatè assumi, sed mediatè tantùm. Conseq: tenet; quia debet esse aliqua diversitas in assumptione partium, quæ spectant ad primariam constitutionem hominis, & earum quæ non spectant nisi ad secundariam. Prob: ergo Ant: partes quæ spectant ad primariam constitutionem animantur animâ rationali: sed sanguis non animatur, uti eruditè ostendit Scotus *3. dist: 30. q: 2.* Et patet ex Aristotele *lib: de anima, & 2. de partibus animalium, cap: 3.* dicente, *sanguinem esse tantùm alimentum ultimum corporis, manens in venis, tanquam in vase;* transiréque tandem per nutritionem substantialem in substantiam aliti; quod manifestè indicat, sanguinem ante illam transitionem non fuisse partem informatam; cùm pars animata non transeat in aliam: Ergo sanguis non est de primaria constitutione hominis.

2. *Alia ratio Theologica probans mediatam sanguinis assumptionem.* Confirmatur primò: Si sanguis esset pars constituens corporis, deberet vi verborum Consecrationis poni sub speciebus panis, sicut ponitur corpus: sed secundum Conc: Trid: *sess: 13. cap: 3.* non ponitur nisi concomitanter tantùm: Ergo non est pars primaria constituens corporis. Maj: patet; quia non potest poni corpus, nisi etiam formaliter ponantur ejus partes: Ergo si sanguis est pars corporis, deberet formaliter, & non concomitanter tantùm poni vi verborum Consecrationis.

3. *Eadem doctrina stabilitur aliò argumentò Theologicò.* Confirmatur secundò: In Gallijs apud S. Maximinum: item in Italia Mantuæ cum summa veneratione asservatur, & colitur Sanctissimus Sanguis Christi, collectus à S. Maria Magdalena stante sub cruce, uti habet Traditio illarum Ecclesiarum, confirmata à Pio II. dicente; non esse contra fidem orthodoxam asserere, quòd Christus reliquerit in terris particulam pretiosi sui Sanguinis: Ergo est probabile quòd Sanguis non fuerit immediatè assumptus à Verbo. Conseq: patet, ex illo S. Damasceni, quod passim à TT. circumfertur; *Verbum quod semel assumpsit*, (intellige immediatè) *nunquam dimisit;* sed dimisit Sanguinem ex dictis: Ergo &c.

4. *Vasq: & Suar: falsis relationibus probant suam sententiam.* Objicies principale fundamentum Vasq: & aliorum: Papa Clemens VI. teste Vasq: & Svare, & refertur in Directorio Inquisitorum *parte 2. quæst: 10.* secundùm ipsos mandavit retractari quandam sententiam, ùt hæreticam F. Francisci Bajuli, Guardiani Barcinonensis, publicè prædicantis, in Triduo mortis, non fuisse Sanguinem Christi unitam Verbo: Ergo contrarium debet

bet esse verum, quòd scilicet fuerit immediatè unitus & assumptus. Hoc Pontificium mandatum, & præfatæ sententiæ retractationem refert Sylvester, *in Rosa aurea, tract: 3. q: 5.* tanquam à Pio II confirmatam: unde multi Scriptores posteriores fideotes ejusmodi relationi, sententiam hanc erroneam censuerunt in suis libris editis; & oppositam mirè inde confirmarunt. Verùm fundamentum istud falsis innitens relationibus, evertit accuratè celebris Franciscani Instituti Chronologus P. Waddingus in Annalibus Minorum *ad ann: 1351.* & *ad ann: 1462.* ac duos sequentes: quibus annis controversia sub Clemente VI. olim incepta, recruduit inter nostrum B.P. Jacobum de Marchia, magnum Italiæ Thaumaturgum, sanctissimúmque Ecclesiasten, & F. Jacobum de Brixia Inquisitorem Sabaudiæ Ord: Præd: partes F. Jacobi de Brixia in Romana Curia sustinebat potenter Dominicus de Dominicis Dominicanus: nostri verò B. Jacobi de Marchia, P. Franciscus de Ruvere, Ord: Minor: Generalis, & deinde summus Pontifex creatus, Sixtus IV. dictus; protractáque fuit hujus quæstionis altercatio usque ad Pontificatum Pij II. qui tandem in Constitutione, quæ incipit; *Ineffabilis summi*, datâ Kalend: Augusti ano: 1464. declaravit, hanc opinionem B. Jacobi Marchiani non esse Hæreticam, sub sequentibus clausulis: *Ut igitur in Ecclesia DEI Orthodoxæ fidei veritas conservetur, & de cætero tollatur occasio in hujusmodi Controversias incidendi, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus & ordinamus, ut nulli Fratrum prædictorum deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, prædicare, vel publicè, vel privatim Verbum facere, sive alijs suadere, quòd scilicet sit hæreticum, vel peccatum sit tenere, vel credere, sanguinem ipsum Sacratissimum ùt præmittitur, Triduo Passionis ejusdem Domi i nostri IESU Christi ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum, vel separatum; donec super dubietate hujusmodi decisione, quid fuerit tenendum, per Nos, vel per Sedem Apostolicam fuerit definitum.* Hæc fuit ultima decisio gravissimis pœnis, Excommunicationis scilicet majoris Papæ reservatæ, & diri carceris, adjunctis, contra eos, qui aliter docuerint, quæ super hoc dubium emanavit à Pio II. & habetur in Bullario Magno Romano Editionis

5. *Ultimata resolutio Pij II. salvam probabilitatem B. Patris Jacobi de Marchia.*

Lugdunensis *Tomo 1. folio 396.* quam non viderunt Vasq: & Suar: alioquin fors illas censuras acres omisissent.

6. *Ejusdem opinionis defensio & probabilitas ulterius ostenditur.*

Super hujus Controversiæ ventilationem, & erroris falsam imputationem Minoritis nostris factam, consule quoque Nitelam Franciscanæ Religionis, editam contra Bzovium Dom: à *folio 443.* Item litteras affectuosas, & justificatorias Pij II. ad B. Jacobum de Marchia, quas refert Waddingus *ad ann: 1351.* Ex quibus liquet falsò à Vasq: induci illam damnationem sententiæ F. Bajuli Barcinonensis Guardiani, de qua in Objectione fit mentio. Unde adhuc manet probabilis sententia de mediata sanguinis assumptione.

7. *Scriptura objecta reconciliatur pro Conclusione.*

Objicies secundò complura Testimonia S. Scripturæ, quæ mirè extollunt Sacratissimum Christi Sanguinem; sic dicitur nos eò fuisse redemptos, *1. Pet: 1. pretioso Sanguine Agni redempti sumus:* sic idem Sanguis dicitur nos purgâsse Joann *1. Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato &c. Secundò* SS. Concilia & PP. dicunt Verbum assumpsisse carnem, & Sanguinem: Ergo &c. Respondeo breviter, præfata S. Scripturæ testimonia, Concilia & PP. posse explicari, optiméque salvari de mediata assumptione Sanguinis.

8. *Constantinus Hæreticus longè abest ab opinione in Conclusione asserta.*

Objicies tertiò: Quidam Constantinus Hæreticus fuit damnatus à Synodo *act: 16.* eò quòd docuerit in Triduo mortis carnem, & Sanguinem esse dimissa: sed eadem doctrina sequitur ex mediata tantùm Sanguinis assumptione: Ergo æquè est rejicienda. Respondeo; Constantinum illum esse ideo tantùm damnatũ, quia docuit humanitatem fuisse dimissam pro semper; cùm tamen in Resurrectione carnem, & Sanguinem redivivus resumpserit Verbum; quod non dicit hæc sententia de mediata Sanguinis assumptione.

9. *Clemens IV. in Extravag: non ofsicit mediatæ assumptioni Sanguinis.*

Objicies quartò: Clemens VI. in Extrav: *Unigenitus* &c. ait; quòd gutta sanguinis modica, propter Unionem ad Verbum, pro redemptione totius mundi sufficisset: Ergo &c. Respondeo explicando Pontificem; propter Unionem immediatam Nego; mediatam Concedo. Itaque commendatur quidem frequenter in Scriptura S. & PP. pretium effusionis Sanguinis Christi; quia in ea effusione debebat Christi meritum, & nostra redemptio consumari; & quia in ea relucet magnus

gnus Christi Amor, & satisfactio superabundans, uti & pœnalitas: hæc tamen omnia possunt stare, licèt mediatè tantùm fuerit assumptus à Verbo: nam etiam dicitur à PP. quòd poterat solummodo loqui DEUS, & solvere maledictionem; & tamen loquela in natura assumpta non est immediatè unita Verbo, cùm pereat subitò.

10. *Sanguis in Passione Christi effusus, & in terra relictus non est mediatè unitus de facto.* Quæres: Utrùm Sanguis in Passione Dominica effusus, ac usque nunc relictus in terris, sit adhuc de facto mediatè unitus Verbo? Respondeo Negativè. Ratio est; quia si sanguis in resurrectione reassumendus in Triduo mortis non fuit unitus mediatè; multò minùs iste in terris relictus. Et licet S. Damascenus dicat, vel potiùs ejus Scholiastes, *Verbum quod semel assumpsit nunquam dimisit*; tamen hoc intelligi debet de assumptione partium principalium non de alijs: nam constat Verbum dimisisse partes aliquas, quæ quotidianâ pugnâ caloris naturalis, & humidi radicalis in Christo adhuc in terris agente absumebantur. Item præputium ejusdem in Circumcisione ablatum, non reassumpsit; quia de facto reservatur: traditum enim erat à Beatissima Virgine S. Joanni Evang: & ab hoc alijs fidelibus, à quibus tempore persecutionis absconditum fuit in recondito quodam loco; & deinde Angelô S. revelante denuo elevatum; uti habetur lib: 6. Revelationum S. Birgittæ. Similiter Mantuæ nonnullæ guttæ Sanguinis conservantur, quæ haud dubiè de facto non sunt unitæ.

11 *Sententia docens immediatam assumptionem Sanguinis est amplectenda.* Probatur secunda pars Conclusionis, quòd videlicet altera sententia de immediata assumptione Sanguinis, magis de facto sit amplexanda. *Primò*, quia communis PP. consensus, & torrens AA. ei magnum præbet veritatis fundamentum. *Secundò* quòd hæc sententia sit magis consona dulcedini pietatis, & devotionis erga Sacratissimum Christi Sanguinem, qui omni meliori modô, ei non repugnanti, est dignificandus; sed dicendo. quòd immediatè sit assumptus magis dignificatur; & hoc ei non repugnat: Ergo. *Tertiò:* quia magis propriè salvatur sensus Scripturarum, quæ loquuntur de efficacia, & assumptione Sanguinis, & carnis æqualiter; & sinè urgenti ratione non debent detorqueri in sensum mediatæ assumptionis: Ergo &c.

DICO Secundò: Alij Humores Corporis Christi, puta, pituita, flava, & atra bilis, nec non partes excrementitiæ, videlicet, capilli, ungues, lachrymæ, sudores &c. mediatè tantùm assumptæ sunt à Verbo. Ita plurimi Scotistæ; contra nostrum P. Henrincx, Svarez &c. 12. *Alij humores corporis Christi v. g. Pituita, bilis, &c. & partes excrementitiæ mediatè tantùm sunt assumptæ.*

Probatur: Tum quia Humores, & partes excrementitiæ recensitæ, ac similes non animantur animâ rationali; & consequenter non spectant ad integritatem ac constitutionem primariam Corporis Physici; unde in gloriosis Corporibus evacuabuntur. Tum quia illi humores, & partes non conferunt ad finem Incarnationis, nempe, ad salutem generis humani: Ergo fuerunt assumptæ mediatè tantùm.

QUÆSTIO XI.

De Ordine servato in assumptione humanitatis à Verbo; an tunc intercesserit medium intrinsecum?



NOTA primò ex Scoto 3. *dist: 2. q: 2.* duplex esse medium, quò mediante potest intelligi natura humana esse assumpta ad Verbum, scilicet medium *Quò*, & medium *Quod*. Per medium *Quo* intelligit Doctor illud, quod est ratio formalis, seu virtus recipiendi, vel agendi: tale medium in generatione ignis, est forma ignis; quia per hanc generatur alius ignis. Per medium *Quod* intelligit Doctor illud, quod primò in se recipitur: & deinde ratione huj is aliud: tale est quantitas, quæ priùs recipitur in substantia, & hâc mediante alia accidentia. 1. *Quid sit medium Quò, & Quod intrinsecum assumptionis naturæ humanæ?*

NOTA secundò: Hæc duo media dici intrinseca; quia sunt intra rationem rei recipiendæ tanquam pars, vel causa subjectiva, ad distinctionem mediorum extrinsecorum, cujusmodi essent aliquæ dispositiones extrinsecæ, disponentes subjectum ad recipiendum aliud: v. g. gratia ex parte animæ Christi, ut Verbum assumeret naturam; de medijs intrinsecis hic proceditur quæstio. 2. *Cur præfata duo media dicantur intrinseca?*

DICO

3. *In Assumptione naturæ humanæ nullum intervenit medium Quod secundùm rationem Scoti.*

DICO primò: In passiva Assumptione naturæ humanæ ad Verbum, nullum intercessit medium *Quod*, unde tota natura immediatè ordine intentionis, & executionis priùs fuit assumpta, quàm partes. Est Scoti *3. dist. 2. q. 3. num. 5.* & suorum; contra Thomist: docentes ordine executionis priùs esse assumptas partes; ordine verò intentionis priùs totum, quàm partes. Item contra Varronem, & alios DD. De *ordine intentionis* res est clara, quia agens per intellectum, priùs intendit totum, quàm partes.

Probatur ergo ratione Scoti *cit:* de *ordine executionis:* Illud primò, & sine medio *Quod* assumitur, quod est primò personabile, sed natura tota sic se habet: Ergo &c. Prob: Min: quod est per se primò personabile propriâ personalitate, si sibi dimitteretur, hoc etiam in alio primò personatur, quando assumitur v. g. à Verbo: sed natura ùt tota est primò & immediatè hôc modô personabilis in se, si sibi dimitteretur: Ergo & quando à Verbo assumitur, & consequenter nullum intervenit medium *Quod* in ejus assumptione passiva. Maj: patet; quia Verbum supplet vices personalitatis propriæ; Ergo personat eôdem modô quô personalitas propria personaret. Prob: ergo Min: *primò*; quia partes physicæ naturæ, puta anima, & corpus ùt prioritate naturæ præcedentes totam naturam bis personarentur, semel propriis subsistentiis; & deindè subsistentiâ totius; quia sunt de Essentia totius. *Secundò* partes non sunt capaces personationis; quia in probabili sententia nullas habét subsistentias particulares, neque natæ sunt hujusmodi habere; cùm earum nulla sit necessitas, sufficienter enim subsistunt subsistentiâ totius naturæ: Ergo natura tota est sola immediatè personabilis.

4. *Et si concedantur subsistentiæ partiales partium naturæ creatæ, adhuc tamen partes non priùs personantur totô*

Et datô; quòd partes haberent subsistentias particulares, ex quibus coalescat subsistentia totius naturæ, sicut subsistentia totius integralis coalescit ex subsistentiis integralibus; adhuc tamen non deberent primariò personari ante personationem naturæ; quia earum personatio nec habet rationem causæ, nec rationem conditionis, ut tota natura postea personetur: Ergo &c.

5. *Arguitur specialiter contra Varronem & Thomistas.*

Probatur secundò specialiter contra Varronem, & Thomist. tenentes Verbum priùs assumpsisse animam, & hâc mediante corpus: Si Verbum assumpsisset priùs animam, quàm corpus, sequitur quòd Verbum non fuisset primò homo, sed secundò; quia priùs habuit animam unitam, quàm hominem: Imò sequitur quòd nec pro ullo instanti post fuisset homo; quia eadem est ratio de primo instanti temporis, ac de quocunque alio sequenti: sed sequela est falsa: Ergo non assumpsit Verbum priùs animam tanquam medium *Quod*, & deinde corpus.

6. *Alia Ratio Scoti ad idem.*

Probatur tertiò ratione iterum Scoti contra eosdem; Si Verbum assumpsisset naturam mediò aliquô intrinsecô priùs assumptô, illud medium potiùs deberet esse corpus, quàm anima: Ergo &c. Prob: Ant: Corpus habet magis rationem incommunicabilitatis *ùt Quò*, & *ùt Quod*, magisque accedit ad rationem personæ: Ergo cùm assumptio ista debeat esse ad unitatem personæ ùt incomunicabilis, sequitur quòd potiùs Verbum debuisset priùs assumere corpus, quàm animam, imò mediante eô animam; quod tamen est falsum; atque ita etiam falsum est corpus mediante animâ à Verbo esse assumptum, ùt volunt Advers: Ant: patet, forma secundùm totum suum Esse formale communicatur corpori; non verò è contra: Ergo corpus est magis incommunicabile; quàm anima, quæ est forma.

7. *Aliud rursus argumentum ejusdem Doctoris.*

Probatur ultimò ex Scoto *cit:* Si anima esset medium *Quod* Unionis corporis cum Verbo; sequitur, quòd in Triduo mortis Christi facta fuisset nova Unio corporis cum Verbo: sed hoc est falsum: Ergo. Prob: Maj: in Triduo mortis corpus erat immediatè unitum Verbo; quia cessavit ejus Unio ad animam: Ergo si ante non fuisset immediatè unitum, sed mediante animâ, deberet produci tunc nova Unio, quâ uniretur immediatè Verbo.

8. *Scotus ponit tres uniones in humanitate Christi.*

DICES primò: Hanc sequelam etiam haberi in sententia Scoti; quia ipse docet, quòd Verbum primò & immediatè assumpsit naturam; & deinde partes; unde Unio immediatè fundabatur in toto, & non in partibus: Ergo destructâ totâ naturâ ùt fundamentô, destruebatur etiam Unio, quâ tota natura, & partes dicebantur uniri: Ergo vel partes remanserunt à Verbo separatæ; quod non potest dici; vel fuit nova Unio producta ad partes, & habetur

G

betur intentum. Respondeo Neg: Ant: quia Scotus & cum eo Lychetus noster, Mayroo: atque Gabriel admittunt tres Uniones, facientes unam integraliter; unam totalem videlicet, quâ immediatè unita est tota natura, & duas partiales, quibus corpus, & anima fuerunt immediatè unita Verbo; unde dico, quòd remanserunt in Triduo mortis illæ duæ Uniones partiales, licèt cessaverit totalis; ac proinde in sententia Scoti non debet produci nova Unio.

9. *Suadentur præfatæ tres Uniones.* Dari autem necessariò, & non superfluè dictas tres Uniones, svadetur *primò* ex hoc ipso casu replicæ. *Secundò*; quia in tali assumptione sunt tria assumpta realiter distincta: Ergo & tres Uniones. Ant: patet; datur assumpta anima, quæ est spiritualis; datur etiam corpus, quod est materiale; & tertia entitas realiter ab anima & corpore distincta.

10. *Cuidam replicæ ex Scoto occurritur.* DICES secundò: Scotus videtur negare has tres Uniones, hic in *fine primi articuli, num: 2.* Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: sed tantùm negat illas fuisse priores, quàm sit Unio totalis ad Verbũ.

11. *Unio totalis quæ cessavit in Triduo Mortis postea fuit eadem numerò reproducta.* NOTA hic tertiò: quòd illa Unio totalis, quæ cessavit in Triduo fuerit eadem numerò de novo producta in resurrectione; non tamen fuit nova noviter producta: ita habet Doctor 4. *dist: 43. q: 1. in solutione primi argumenti principalis.*

DICO secundò: In assumptione

12. *Anima potest dici medium Quô assumptionis naturæ.* naturæ ad Verbum, anima potest dici medium *Quô* assumptionis. Est Doctoris *loc: cit:* & suorum.

Probatur ratione ejusdem: Anima est ratio formalis particularis, ut uniatur immediatè natura humana Verbo: Ergo est medium *Quô* assumptionis. Ant: patet; quia anima est ratio complens, & perficiens physicè naturam humanam: Ergo licèt in se non recipiat primò, & per se Unionem; aliàs esset medium *Quod*; est tamen ratio formalis ut recipiatur Unio primò & per se in natura; cùm enim anima sit illud quod naturæ dat esse, & esse receptivum, ac quô humanitas est humanitas; ideo anima est, quô humanitas unitur, & quô absente non uniretur.

13. *D. Augustinus benevolè interpretatur.* Objicies contra primam Conclusionem: S. Augustinus *de agone Christi, cap: 6.* Item S: Damascenus *lib: 3. cap: 6.* dicunt, Verbum assumpsisse carnem mediante animâ: Ergo anima fuit medium *Quod* in assumptione naturæ. Respondeo glossando PP. & dico, eos duntaxat loqui de medio *Quô*, ita ut mediante animâ tanquam mediô *Quô* caro fuerit assumpta; non autem tanquam mediô *Quod*.

14. *Partes naturæ comparatæ ad personam sunt posteriores totô.* Objicies secundò: Partes viâ generationis sunt priùs productæ quàm totum: Ergo & viâ personationis priùs unitæ. Respondeo cum Scoto Neg: Conseq: quia licèt partes ùt comparantur ad totum sint priores totô; tamen ùt partes, & totum comparantur ad tertium scilicet ad Personam, partes sunt posteriores totô, & hoc ideo quia non sunt capaces priùs Personæ; sicut licèt in Divinis Essentia sit prior in Patre, quia est Essentia; quàm generare Filium, quod est notionale, si ista duo simul compares: tamen si illa compares respectu Personæ, simul & semel constituunt personam; ita hic dicendum de toto & partibus respectu generationis, & personationis.

15. *Non omne quod est priùs secundùm Consequentiam, est priùs secundùm causalitatem.* Objicies tertiò ex Scoto: Illius assumptio est priùs, â quo non convertitur subsistendi Consequentia; sed non convertitur Consequentia ab assumptione partium ad assumptionem totius; non enim valet dicere, assumptæ sunt partes: Ergo & totum; bene tamen è contra: Ergo &c. Respondeo cum Scoto Dist: Maj: est priùs secundùm Consequentiam, hoc est, secundùm constitutionem Conc: Maj: secundùm causalitatem quam exercet Verbum in uniendo sibi partes, & totum Neg: Maj: quia non omne quod est priùs secundùm Consequentiam, est etiam priùs secundùm causalitatem; uti patet in risibilitate, quæ est prior secundùm Consequentiam; sequitur enim, risibile est: Ergo rationale est; & tamen est posterior secundùm causalitatem; causatur enim Metaphysicè â rationalitate.

16. *Quod viâ generationis est primum in intentione, est ultimum in executione.* Objicies quartô: Quod est primum in iotentione, est ultimum in executione: sed ordine intentionis natura priùs fuit assumpta, quàm partes: Ergo ordine executionis debebant partes priùs assumi. Respondeo Dist: Maj: viâ generatioois & productionis, quod primum est in intentione, est ultimum in executione Conc: Maj: viâ personationis: Neg: Maj:

17. *Dissolvitur* DICES: Eadem est ratio in utraque via: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant:

quadam instantia. Ant: quia in generatione partes possunt poni prius, quàm natura in executione: in personatione verò non possunt executivè prius supponitari, quàm totum, ob rationes allatas pro *prima Conclusione*.

QUÆSTIO XII.

An in assumptione Humanitatis intervenerit Medium Extrinsecum gratiæ habitualis?



POstquam Scotus *3. dist: 2. q: 2.* resolvisset dubium de medio Intrinseco, nùm aliquid intercessisset inter Verbum, & naturam: eâdem quæstione, *num: 9.* agit de Medio Extrinseco, quod est gratia habitualis. Pro cujus quæstionis intellectu.

1. *Quid intelligatur per gratiam habitualem?* NOTA primò: Per gratiam habitualem hic intelligi, aliquem habitum supernaturalem, perficientem animã, ut sit sancta, & placens DEO: de quo habitu particularis in hoc Tomo instituetur Tractatus infra. Interim hic, est una Sententia Henrici de Gandavo, & P. Alexandri de Ales asserentium, debere de necessitate mediare habitum gratiæ in assumptione humanitatis à Verbo. Seraphicus autem Doctor D. Bonaventura, Gabriel &c. docent, habitum gratiæ habitualis quidem debere præcedere in anima Christi; sed tamen per modum dispositionis duntaxat; & hoc de congruentia, ut anima Christi priùs ordinetur debitè ad tantam Unionem. Sed ego

2. *Gratia habitualis non fuit medium assumptionis humanitatis Christi.* DICO: Nullum simpliciter intercessit Medium Extrinsecum gratiæ habitualis in anima Christi, quando Verbum assumpsit naturam humanam. Est Scoti *cit:* & totius suæ Scholæ; item D. Thomæ *3. part: quæst: 7. art: 31.* & suorum.

Probatur cum Scoto primò: Joan: *1.* dicitur; *vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ;* ex quo textu datur intelligi, quòd Christum esse Unigenitum Patris, sit proxima ratio congruentiæ, quare ipsa natura assumpta habeat plenitudinem gratiæ: atque ita priùs erat natura subsistens in Verbo, quàm sibi conferretur tanta gratia: aliàs videretur quòd in aliquo instanti, in quo natura non erat unita Verbo, conferretur sibi plenitudò gratiæ: Ergo nullum simpliciter medium Extrinsecum gratiæ habitualis in anima Christi intercessit, quando Verbum assumpsit humanitatem.

Probatur secundò ratione ejusdem Doctoris: In illo instanti naturæ in quo natura creata personatur in se, si non assumeretur, in eodem instanti personaretur in alio quando assumitur: sed natura priùs personatur in se, quàm habeat habitum gratiæ tanquam Medium *Quod*: Ergo etiam de facto priùs est personata sic in alio, nempe in Verbo. Prob: Min: habitus est principium operandi, & per consequens est perfectio ejus, cui competit operari: sed operari est suppositi seu personæ: Ergo priùs natura singularis, haberet in se rationem personæ, quàm habitum gratiæ, ceu Medium *ut Quod*. 3. *Alia Ratio Doctoris pro eadem doctrina.*

Confirmatur *primò* ex eodem; quod convenit alicui per se, prius convenit, quàm quod convenit per accidens: sed gratia habitualis convenit naturæ per accidens; personatio verò per se: Ergo priùs convenit ei personatio, quàm gratia habitualis. *Secundò*: Existentia accidentis in subjecto, òrdine naturæ præsupponit existentiam subjecti: sed gratia habitualis animæ Christi est in anima Christi, sicut accidens in subjecto: Ergo actualis, & realis ejus existentia in anima Christi præsupponit actualem, & realem existentiam animæ Christi. Subsumo, sed anima Christi nunquam habuit actualem & realem existentiam nisi in Verbo: Ergo priùs natura fuit unita Verbo & personæ, quàm fuit subjectum gratiæ. 4. *Stabilitur ex eodem Doctore.*

Objicies primò fundamentum S. Bonaventuræ; Non decebat animam uniri Verbo nisi ei assimilaretur præcedente habitu perfectè DEIformanti: sed hæc assimilatio facta est per habitum gratiæ: Ergo intercessit habitus gratiæ. Respondeo Neg: Maj: quia cùm talis habitus DEIformans, sit ratio accidentaria, non poterat præcedere in anima Christi ante personationem; quia nec ipsa anima ut subjectum ejus præcessit. Deinde ex hac doctrina sequitur, quòd Persona Verbi non terminaret immediatè naturam substantialem, sed mediante ipso habitu; quod videtur inconveniens. 5. *Respondetur D. Bonaventura objicienti.*

Objicies secundò: Natura humana non potuit uniri Unione beati- 6. *Alia quæ-*

que objectio expeditur. ficâ seu visione beatâ Verbo sinè lumine gloriæ elevante: Ergo nec Unione hypostaticâ sinè gratia habituali. Respondeo Neg: Conseq: disparitas est; quia Unio beatifica seu Visio, consistit in actu secundo, & operatione potentiæ vitalis creatæ, quæ operatio cùm sit ex se supernaturalis, necessariò requirit ex parte potentiæ comprincipium aliquod supernaturale elevans; & de Fide est insuper quòd debeat elevari tali comprincipiò Luminis gloriæ: Unio verò hypostatica non consistit in actu secundo, seu operatione vitali, eò quòd independenter â concursu activo naturæ producatur naturâ merè passivè se habente; adeóque ex parte ejus non requiritur aliquod supernaturale pro aliquo priori disponens naturam.

7. *Conclusio posita non excludit ab anima Christi gratiam habitualem.*

NOTA tamen secundò: Me per præmissam Conclusionem nolle excludere ab anima Christi gratiam habitualem pro instanti Unionis hypostaticæ; sed solùm intendo eam non fuisse Medium ad peragendam assumptionem humanitatis. Itaque in primo instanti Incarnationis animæ Christi fuerunt comunicati omnes habitus gratiæ sanctificantis, aliáque dona supernaturalia, cum omni plenitudine, juxta illud Joann: 1. *vidimus eum â Patre plenum gratia, & veritatis*; uti uberiùs infra ostendam agendo de gratia Christi. Et quamvis dicat S. Hieronymus, unctionem Christi fuisse expletam in trigesimo ætatis anno, quando in Columbæ specie Spiritus S. super eum descendit; tamen hoc intelligendum est, de unctione visibili, quatenus signô exteriori Unctio in primo instanti accepta, fuit manifestata; uti colligitur ex S. Augustino 15. *de Trin cap*: 6. dicente; absurdum esse dicere, Christum annô trigesimô Spiritum S. accepisse; cùm Baptista illum in Matris utero acceperit.

QUÆSTIO XIII.

Utrùm Incarnationem Verbi præcesserit Corporis Organizatio?

1. *Organizatio triplex capitur.*

OTA primò Organizationem secundùm Scotum 3. *dist*: 2. *q*. 3. posse tripliciter capi in proposito. *Primò*; pro introductione formæ corporeitatis seu carnizationis, quæ forma per generationes diversas formarum partialium, disponit materiam ad animam intellectivam introducendam. *Secundò*; capitur pro introductione actuali ipsiusmet animæ, quæ secundùm Negantes formam corporeitatis, formaliter constituit corpus organicum. *Tertiò*; pro transmutationibus præcedentibus introductionem formæ organicæ disponentis ad animam intellectivam: præcedunt autem duæ mutationes, inquit Scotus hìc, videlicet mutatio localis materiæ ad locum aptum generationi; & alteratio dispositiva ipsius ad recipiendam formam organizantem.

2. *Capiendo Organizationem pro introductione formæ corporeitatis non præcessit tempore in Christo animationem & Incarnationem.*

DICO primò: Capiendo Organizationem pro introductione formæ corporeitatis ultimò dispositivæ ad animam intellectivam, non præcessit tempore in natura Christi animationem, & Incarnationem. Est Scoti *loc: cit: num*: 5. & suorum

Probatur primò authoritate Conciliorum; nam in VI. Synodo *act*: 11. dicitur: *simul quippe caro, simul DEI Verbi caro; simul caro animata rationalis; simul DEI Verbi caro animata rationalis*: Ergo organizatio accepta pro introductione formæ corporeitatis, ultimò dispositivæ ad animam rationalem non præcessit tempore in natura Christi animationem & Incarnationem.

3. *Testimonia PP. pro eadem doctrina.*

Probatur secundò authoritate SS.PP. nam Damascenus *lib*. 3. *de Fide*, *cap*. 2. ait: *Ille DEI Filius semen in eam* (id est Virginem) *obumbravit atque ex castis, & purissimis sanguinibus, carnem animâ rationali & intelligenti condidit, non quidem per seminis emissionem, verùm procreationis aliô modô, per Spiritum S. nec ita ut paulatim, tacitisque incrementis absolveret; sed ita ut unô eôdemque momentô absolveretur*: Ergo Organizatio accepta pro carnizatione seu forma corporeitatis, nec animationem, nec Incarnationem ipsam tempore præcessit; quia Incarnatio eôdem instanti est, quô est animatio.

4. *Roboratur quoque ratione Theologicâ.*

Probatur tertiò ratione; Ex opposito sequeretur, quòd Beatissima Virgo non fuisset Mater Christi ùt hominis: sed hoc dici nequit: Ergo. Prob: sequela Maj: bene inferunt PP. quòd Beatissima Virgo non fuisset Mater DEI, nisi in eodem instanti, in quo concurrit ad productionem hominis, ille homo esset DEUS: Ergo similiter

bene

bene infertur, quòd si pro illo instanti temporis, quò est ultima & completa actio hominis concurrens ad generationem hominis, non esset homo generatus; non esset verum, quòd homo generaret alium hominem. Subsumo; sed si Organizatio præcederet tempore animationem animæ Christi, & Incarnationem, pro illo priori temporis non esset homo generatus; quia non adesset anima, quæ est pars hominis. Ergo Beatissima Virgo non fuisset Mater Christi ùt hominis.

5. *Capiendo Organizationem pro transmutatione locali materiæ similiter non præcessit tempore.*

DICO Secundò: Capiendo Organizationem pro transmutatione illa locali materiæ ad locum generationis, & alteratione dispositiva, similiter non præcessit tempore in natura animationem, & Incarnationem. Est de mente Scoti *num: 5.* ubi alteram partem etiam probabilem existimat dicens: *quòd si ponatur, hos motus præcessisse tempore, magis videtur posse salvari, Mariam cooperatam fuisse ad illos motus.* Prima tamen pars est Conclusio ejus.

6. *Discursus Doctoris subtilis super hoc.*

Probatur ratione ejusdem Doctoris: *quia si ponatur*, inquit in textu, *totum hoc fuisse in instanei, ita ut nullus ibi fuerit motus localis successivus sed instantaneus; neque dispositio successiva, magis salvatur, quòd in ultimo instanti consensus Virginis expressi, fuit Verbum Incarnatum.* Deinde non videtur ulla necessitas similium motuum tempore præcedentium, ubi Spiritus S. agens primarium fuit, quod est infinitæ virtutis: Ergo &c.

7. *Quid sentiendum de Organizatione accepta pro introductione animæ?*

De Organizatione accepta pro introductione animæ, nil dicit Scotus, an præcessisset tempore animationem; sed meritò nihil expressit; quia non potest de ista re esse dubium; cùm introductio animæ, non possit esse absque animatione.

8. *Animatio præcessit naturâ Incarnationem.*

DICO tertiò: Animatio præcessit naturâ Incarnationem, uti & Organizatio animationem, si accipiatur pro introductione formæ corporeitatis; secùs si pro introductione animæ. Est communis cum Scoto hic *num: 5.* & sequuntur Scotistæ communiter.

Prob: prima pars ex Scoto: Subjectum Unionis, & cujuscunque relationis præsupponitur naturâ Unioni: sed tota humanitas est subjectum Unionis Verbi immediatum: Ergo præcedit prioritate naturæ Incarnationem, seu Unionem: & consequenter etiam Organizatio, & animatio, sinè quibus nequit esse humanitas.

9. *Et Organizatio animationem, si coincidat cum introductione formæ corporeitatis.*

Probatur secunda pars ex eodem Doctore: Corpus organizatum in sententia asserente quòd organizetur per formam coporeitatis, est subjectum animæ, in quo producitur, & sinè quo non produceretur: Ergo præsupponitur naturâ animationi.

10. *Secùs si non coincidat.*

Probatur etiam tertia pars: Quia si organizatio fiat ab ipsa anima formaliter, non potest præcedere animam; sed debet necessariò esse pro quocunque instanti, pro quo anima est in corpore; & consequenter debet esse simul cum animatione.

11. *Virtute Divinâ potest condensatio fieri in instanti.*

Objicies ex Scoto contra secundam Conclusionem: Corpus Christi fuit generatum ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis: sed rorpus generatum sicest densius sanguine, & consequenter minorem locum occupat quem non poterat occupare absque motu locali successivo: Ergo formatio corporis, necessariò habuit concomitantem motum localem; & consequenter non poterat esse in eodem instanti cum Incarnatione; sed debuit præcedere tempore. Respondeo cum Scoto, Neg: Min: quia quamvis virtute creatâ fortè non possit fieri condensatio in instanti; poterat tamen virtute Divinâ.

12. *Natura Christi fuit generata per mutationem impropriè dictã.*

Objicies secundò contra tertiam Conclusionem: Omnis substantia generabilis, quæ non creatur, producitur per mutationem: sed natura assumpta est generabilis, & non fuit creata; quia fuit producta ex sanguine Beatissimæ Virginis: Ergo fuit producta per mutationem. Subsumo; sed hoc non fieret, nisi sanguis esset priùs tempore sub privatione; quia privatio, & forma non possunt esse simul; Ergo fuit priùs tempore sub privatione animæ, & animationis. Respondeo cum Scoto Dist: Maj: per mutationem propriè dictam semper, Neg: Maj: impropriè dictam, Conc: Maj: Itaque substantia naturæ Christi fuit quidem generata, sed per mutationem tantùm impropriè dictam, id est talem, quæ non præsupponit privationem præcedere tempore in subjecto; sed quæ præcessisset, nisi forma fuisset unita.

DISTINCTIO IV. DE CAUSA FINALI SEU MOTIVA; ET MORALI SEU MERITORIA INCARNATIONIS.

QUÆSTIO I.

De Causa Primaria Finali, seu Motivo adæquato Incarnationis Verbi.

1. *Variæ Sententiæ DD.*



In hac gravissima Controversia tres celebres florent sententiæ: *Prima* tenet remedium pro peccato Adæ fuisse primarium finem, & motivum Incarnationis Verbi; ita ut non posito peccato originali Protoparentis, Verbum nequaquam fuisset Incarnatum, nec consequenter venisset Christus. Ita S. Thomas cum sua Schola; & ex RR. Vasq: Molin: Lug: Cornel: Arriag &c. *Secunda* verò docet causam primariam finalem, & motivum adæquatum Incarnationis Verbi, atque adventûs Christi non fuisse lapsum Adæ; sed excellentiam ipsiusmet Mysterij, ac manifestationem bonitatis Divinæ, cæterorúmque attributorum; unde in hac sententia Verbum fuisset Incarnatum, & venisset Christus, tametsi Adam lapsus non fuisset: ita Scotus *3. dist: 7. q: 3.* & alibi cum sua Schola; S. Bonaventura, Alensis, Albertus Magnus, & nonnulli Thomistæ. *Tertia* contendit salvare authoritates S. Scripturæ, pro utraque priori sententia adduci solitas, & sustinet, Verbum quidem fuisse Incarnatum etiam secluso Adæ peccato; vi tamen alterius Decreti, quod factum fuisset in illa hypothesi, si lapsus non poneretur. Ita Granad: Svar: & alij Neoterici.

2. *Remedium pro peccato Adæ fuit causa finalis Incarnationis Verbi secundùm Scripturā.* DICO primò: Remedium pro peccato Adæ, & salvatio hominum de facto fuit causa finalis Incarnationis Verbi, & motivum adventûs Christi. Ita communis TT. & Fides.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, passim docentis; Christum venisse propter expiationem peccatorum generis humani, propter nostram salutem, propter obtinendam vitam æternam &c. sic dicitur Luc: *19. Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. 1. ad Tim: 1. Christus JESUS venit in mundum peccatores salvos facere.* Et Joann: *3. sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam:* Ergo &c.

3. *Concilia* Probatur secundò authoritate Conciliorum idem motivum, causam & finem adventûs Christi alleganti-um: uti patet in Symbolis ab ijsdem confectis; & signanter in Nicæno illis Verbis; *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis:* & in Tolet: VI. dicente: *solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita & resolvenda à Secreto Patris arcano prodiisse:* Ergo remedium pro peccato Adæ, & salvatio hominum fuit causa finalis Incarnationis Verbi, atque motivum adventûs Christi.

4. *Et SS. PP.* Probatur tertiò authoritate SS. PP. idem dogmatizantium: sic dicit S. Basilius *hom: de humana Christi generat: q: 25. propterea DEUS in carne est, quia oportebat maledictam hanc carnem sanctificare.* Et D. Athanasius: *illius enim Incorporationis nos causam dedimus ob nostram salutem:* Ergo &c.

5. *Non tamen fuit causa finalis primaria.* DICO secundò: Remedium tamen pro peccato Adæ, & salvatio hominum non fuit causa finalis primaria Incarnationis Verbi, neque adæquatum motivum adventûs Christi, quare cessante Adæ lapsu adhuc Verbum assumpsisset carnem humanam, venissétque Christus. Ita Scotus *cit:* cum suis, & alijs DD. supra relatis; contra Thomist: &c.

Probatur primò: Incarnatio Verbi, & adventus Christi priùs sunt à DEO decreta, quàm ex parte objecti prævideretur peccatum Adæ, & decerneretur remedium pro eo tollendo, ac ordinaretur salvatio hominum: Ergo remedium pro peccato Adæ, & salvatio hominum non fuit primaria causa finalis Incarnationis Verbi; neque motivum adventûs Christi; & consequenter Verbum assumpsisset carnem, venissétque Christus quamvis Adam non peccâsset. Conseq: tenet; quia illud Decretum DEI quandoquidem erat

erat absolutum, debebat impleri. Prob: ergo Ant: antequam decerneretur remedium pro peccato Adæ, & antequam prævideretur peccatum Adæ, DEUS prædestinavit homines ad gloriam; & consequenter Christum, qui fuit Caput Prædestinatorum, atque causa exemplaris nostræ prædestinationis juxta illud ad Rom: *8. quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij DEI, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus* &c. Ergo Incarnatio Verbi, & adventus Christi sunt priùs decreta, quàm prævideretur peccatum, & decerneretur remedium pro eo tollendo. Ant: patet; quia nulla videtur esse ratio, ob quam DEUS deberet decernere priùs remedium pro peccato, quàm prædestinare homines. Deinde Prob: Ant: ulteriùs ex ordine Decretorum, seu determinationis, quem voluntas Divina servavit ab æterno in suis volitionibus, & ex ordine duplicis cognitionis, & prævisionis DEI. Pro quo

6. *Scotus in mente Divina ponit varia signa.* NOTA primò ex Scoto diversis in locis; specialiter verò *1. dist: 39. q: unica:* quòd in mente Divina licèt non possint poni instantia temporis, in quibus diversas res DEUS cognoscat; tamen ponuntur varia signa, in quibus hujusmodi cognitio DEI considerari potest.

7. *Quid sit cognitio DEI simplicis intelligentiæ, & Visionis?* NOTA secundò: Cognitionem DEI, ùt docui *Tom: 1. Tract: 2. dist: 1. q: 3.* esse duplicem, simplicis Intelligentiæ, & Visionis; quæ ita sunt ordinatæ in DEO, ut *primò loco* sit cognitio simplicis Intelligentiæ; *secundò* determinatio seu decretatio Divinæ voluntatis; *tertiò* cognitio Visionis; & sic sunt tres Ordines operationum in DEO. Ratio est; quia DEUS primò intuetur suam Essentiam; intuendo autem Essentiam non tantùm est beatus in se, sed etiam ex ea resultat cognitio omnium rerum possibilium, & impossibilium cum suis conditionibus atque circumstantijs. Hâc habitâ cognitione, voluntas Divina eligit producere illa possibilia, quæ sibi placent (elegit autem illa quæ magis decent suam bonitatem, sapientiam & justitiam, tandémque sequitur Ordo scientiæ Visionis, qui correspondet determinationi Divinæ voluntatis. Et in omnibus tribus istis Ordinibus tam determinationis; quàm etiam scientiæ simplicis Intelligentiæ, & Visionis, sunt diversa signa. Unde

NOTA tertiò: quòd *in Ordine primo* simplicis Intelligentiæ, in primo signo, secundùm Scotum *3. dist: 39. q: unica*, DEUS intellexerit se sub ratione summi Boni. In secundo signo hujus Ordinis intellexit omnes alias creaturas, & consequenter Christum, & hic completur primus Ordo. Deinde sequitur *secundus Ordo* determinationis Divinæ Voluntatis; in quo secundùm Scotum *1. dist: 41. q: unica*, in primo signo decrevit creare homines, Angelos animam, & naturam Christi. In signo secundo prædestinavit quæ voluit, & principaliter naturam Christi humanam ad gloriam, & Unionem hypostaticam Verbi, & consequenter adventum Christi. In tertio signo, quia prævideràt cognitione simplicis Intelligentiæ homines casuros in Adam, voluit permittere casum. In quarto providit de remedio per passionem Christi, determinando ut Verbum assumeret carnem passibilem. Tandem sequitur *tertius Ordo* Scientiæ Visionis, quâ cognovit DEUS, qui homines fint futuri, qui prædestinati, qui peccaturi, quòd eorum peccatum erat reparandum per Passionem Christi. Tota hæc doctrina subtilis per rationes, adductas in materia de cognitione certa DEI futurorum contingentium stabiliri potest; ubi dicitur, quòd DEUS res futuras cognoscat in determinatione Divinæ voluntatis, quæ his temporibus est sententia communis. 8. *Tres sunt ordines & varia signa in Divinis operationibus*

Ex dictis ergo patet efficacia, & probatio ultimi Antecedentis, in Probatione Conclusionis positi; quòd Christus sit prædestinatus ad gloriam; & consequenter quoad substantiam Incarnationis, & adventûs sui antequam prævideretur, vel decerneretur remedium pro peccato Adæ: nam Christus sic est prædestinatus in secundo signo secundi Ordinis; remedium verò pro peccato in quarto signo illius secundi Ordinis; prævisio autem peccati per scientiam Visionis in tertio Ordine. 9. *Christus in secundo signo secundi Ordinis est prædestinatus, remedium verò peccati in quarto signo ejusdem.*

Confirmatur primò dictum Ant: de quo est tota difficultas: Omnis benedictio, & gratia collata est nobis per JESUM Christum, juxta illud ad Ephes: 1. *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: sed prædestinatio nostra, & gratia Adamo in statu Innocentiæ collata, est magna benedictio: Ergo prædestinatio est nobis data per Christum: Ergo Christus debuit 10. *Eadem doctrina stabilitur primò.*

debuit priùs eſſe decretus, quàm remedium vel prævifio peccati; cùm prædeſtinatio facta intuitu Chriſti ſit prior, quàm prævifio, vel remedium peccati.

11. *Stabilitur ſecundò.* Confirmatur ſecundò: Recta ratio exigit, ut majus bonum non ordinetur ad minus bonum, ſi ſinè incommodo fieri poteſt: ſed Incarnatio ſecundùm ſe eſt magis bonum, quàm decretatio remedij & redemptio hominis â peccato: Ergo Incarnatio â DEO non fuit ordinata, & decreta ad minus bonum remedij, & ſalvationis hominum â peccato.

12. *Efficax Scoti ratio pro Concluſione.* Probatur ſecundò ratione efficaci Scoti: Motivum, & cauſa Incarnationis Verbi, non erat ſolum remedium, & redemptio hominum â peccato; ſed alia magis inſignia motiva: Ergo ceſſante motivò peccati, & redemptionis â peccato Verbum adhuc fuiſſet Incarnatum. Conſeq: tenet; Prob: Ant: præcellentia ipſiusmet Myſterij Incarnationis, exaltatio naturæ ad conſortium DEI, oſtenſio ſummæ liberalitatis ſapientiæ, ac potentiæ DEI, communicatio ſuæ gloriæ &c. ſunt motiva multò inſigniora, quàm remedium, & ſalvatio hominum â peccato: Ergo ſunt alia magis inſignia motiva Incarnationis Verbi.

13. *Cuidam replicæ obviatur.* DICES primò: Ex hoc ſolùm ſequi, quòd Verbum poſſit Incarnari propter ſimilia motiva; non verò quòd certò Incarnaretur ceſſante peccatô Adæ: Ergo &c. Reſpondeo, quòd omnino Incarnatetur propter prædicta motiva; cùm hoc cedat in majorem Verbi Divini honorem; & in tali Incarnatione maximè declarentur prædicta attributa divina. Inſuper maximus cultus exhibetur DEO â Chriſto, qui majoris eſt dignitatis & excellentiæ, quàm quicunque alius â creatura exhibendus, & ipſa reductio â peccato Adæ.

14. *Rurſus alia inſtantia retunditur.* DICES ſecundò: Si Verbum Incarnaretur propter dicta motiva ſola ceſſante peccatô Adæ, deberet poni â DEO alterum decretum novum de veniendo ex ſolis his motivis: ſed DEUS non poteſt ponere alterum decretum novum: Ergo &c. Reſpondeo Neg: Min: ùt patebit infra num. 23.

15. *Tertium argumentum Scoti pro Concluſione.* Probat tertiò Concluſionem Scotus: Omnis rationabiliter & ordinatè volens priùs vult finem, deinde media ad finem: & inter hæc priùs illud medium, quod eſt magis conducens ad talem finem: ſed DEUS eſt rationabiliſſimè volens: Ergo priùs vult finem quàm media; & poſtea illud, quod eſt magis conducens fini. Subſumo: ſed finis intentus â DEO eſt gloria ipſius, & id, quod magis conducit ad gloriam DEI manifeſtandam eſt Incarnatio Verbi & Chriſtus: Ergo priùs fuit volita Incarnatio, quàm remedium peccati decretum; & conſequenter hocce remedium non fuit primaria cauſa finalis Incarnationis Verbi; atque ita Verbum aſſumpſiſſet carnem veniſſetque Chriſtus etiam ceſſante peccatô Adæ.

Prob: quartò idem Doctor Concluſionem: Sequerentur ex contraria ſententia varia abſurda: *primò*; quod poſitio Incarnationis tanquam ſummi boni in rebus per tempus ortis, ùt loquuntur SS. PP. eſſet occaſionatum tantùm bonum, ex caſu peccati commiſſi pendens; quod eſt inconveniens; cùm ſit æquè per ſe intentum, & unum æquè volibile, ac ſalvatio hominum â peccato; imò magis per ſe volibile: Ergo. *Secundò*; quòd Chriſtus deberet gaudere de peccato Adæ & agere Adam gratias, propterea quòd aliàs non haberet ſuam exiſtentiam, nec ſummam negativè gratiam, nec ſummam gloriam, aliáſque perfectiones: ſed ſequela eſt abſurda: Ergo &c. Prob: Maj: S: Cyrillus *lib: 5. Theſauri, cap. 3.* quando illos impugnat, qui dixerunt DEUM Patrem produxiſſe Verbum ad finem producendi creaturas ſic impugnat: ſequitur ex vobis, quòd Verbum deberet gratias agere creaturis, propter quas creandas, erat ita productum, ut non eſſet productum niſi eò fine: Ergo hoc ſimiliter cutreret in ſententia oppoſita. 16. *Quartum argumentū ejuſdem Doctoris.*

Reſpondet Corneio Neg: ſequelam: ſed deberet gratias agere, & gaudere de miſericordia, ex qua provenit, ut poſitô peccato, ejus exiſtentia decerneretur. *Ad Cyrillum* dicit Neg: paritatem: quia Cyrillus arguit contra Arianos docentes, Verbum eſſe Inſtrumentum creandi creaturas, ad quas eſſet ordinatum, tanquam ad finem principalem, & principaliùs dilectum; at Incarnatio non erat volita ad redemptionem hominum tanquam finem principalem, & magis dilectum; ſed tanquam ad proximum, ulteriùs oſtenſivum miſericordiæ DEI. Verùm hæ Reſponſiones non ſubſiſtunt: 17. *Corneio replicanti reſpondetur.*

non

non prima: nam qvamvis gaudere deberet Christus de misericordia DEI, ex qua oriebatur principaliter productio sua; tamen debuisset etiam gaudere de eo, finè quò misericordiâ motus non fuisset DEUS ad ipsum producendum. *Nec secunda*; quia sicut redemptio peccati non est finis ultimus, & principalis Incarnationis, quia ordinatur ad ulteriorem finem; ita nec productio creaturarum secundùm Arianos posset esse finis ultimus producendi Verbum; cùm ipsummet ordinetur etiam secundùm ipsos ad gloriam DEI.

18 *Neque Scriptura neque Concilia officiunt Conclusioni.* Objiciunt primò Adversarij ingentem farraginem textuum S. Scripturæ, & Conciliorum dogmatizantium; Christum venisse in mundum ad redemptionem hominum; sic Luc: 19. dicitur: *venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod periit*. Item 1. *ad Tim: 1. Christus JESUS venit in mundum peccatores salvos facere*. Et Conc: Nicæn: in Symb: ait: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*: vide alias authoritates apud Vasq: Corn: & alios Neutristas: Ergo remedium pro peccato Adæ & salvatio hominum fuit primarius finis Incarnationis Verbi: Ergo non venisset Christus; non positô peccatô Adæ. Respondeo cum Scoto; hæc & similia testimonia Scripturæ; atque Concil: tantùm probare, quòd de facto Christus venerit propter salutem; & redemptionem peccatorum in carne passibili subjecta miseriis, ac sub titulo, & modo Redemptoris: per quod tamen non excluditur alius titulus; & modus veniendi, non positô peccatô Adæ. Itaque non positô peccatô Adæ venire Christus ùt Glorificator hominum; aut certè absolutè finè ullo ordine ad homines; in carne impassibili, & glorificata; vel tali; qualem habuit Adam in statu Innocentiæ.

10. *SS. PP. objecti à Scotistis Recentioribus reconciliantur.* Objiciunt secundò magnum Elenchum SS. PP. docentium similiter, salutem peccatorum fuisse principale motivum Incarnationis Verbi, ita ut Adamô non peccante Verbum non Incarnaretur: ita videtur docere S. Augustinus *in Psal: 32. conc: 2.* Item S. Leo Papa *serm: 3. in Pentec:* S. Cyrillus *Dialog: 4. de Trinit:* S. Gregorius; Irenæus, & complures alij; citati cum à Poncio *in suis comment: super dist: 7. q: 3. Scoti, num: 71.* tum à Mastrio, Frassen & alijs RR. Scotistis. Respondeo glossando PP. & dico, vel eos intelligendos esse eôdem modô, quô Scripturæ & Concilia supra relata Objectione prima; vel eos loqui de intentione secundaria, quam habuit Verbum in Incarnatione; non verò de primaria, quæ est manifestatio suarum perfectionum. Et licèt primariam intentionem Incarnationis hujusmodi non exprimant, revera tamen eam admittunt, utuntúrque modô loquendi S. Scripturæ, quæ sæpe pro expeditione unius operis; procedentis ex primaria, & secundaria intentione, tacet primariam, & exprimit solam secundariam: sic 1. *Reg: cap: 16.* loquitur de Samuele, qui ex duplici intentione; & motivo venit ad Isai; primariò ut ungeret in Regem David; & secundario ut sacrificaret: & tamen interrogatus à Senioribus Civitatis de Intentione, atque causa sui adventûs, expressit solam secundariam intentionem dicens; *versu 5. ad immolandum Dominô veni*:

DICES: aliqui SS. PP. negant absolutè; Christum venisse sine lapsu Adæ; ita videtur sentire S. Augustinus *serm: 8. de verbis Apostoli*: & *serm: 9.* dicens; *nulla causa veniendi Christi fuit, nisi peccatores salvos facere*: Ergo. Respondeo *primò*; Dist: Ant: in carne passibili Conc: Ant: in carne glorificata Neg: Ant: Respondeo *secundò*, exponendo S. Augustinum, quòd loquatur juxta consvetudinem S. Scripturæ, quæ absolutè negat rem aliquam, quæ unô tantùm modô ex duobus; quibus fieri potest; fit actu; sic Joan: 7 *versu 8.* Dominus dicit; *vos ascendite ad diem festum hunc; egò autem non ascendam*; ubi Christus negat absolutè se ascensurum; quia scilicet non erat ascensurus palàm, ùt volebant Discipuli; sed secretò; sicut verè ascendit: sic etiam negat Augustinus, Christum venisse absolutè non positô peccatô; quia non venisset in carne passibili. Quare autem SS. PP. non expresserint etiam alia motiva adventûs Christi; ex quibus tamen sentiebant Christum certò venisse non positô peccatô, ratio est; quia ad ipsorum intentum non erat necessarium de illis facere mentionem; agebant enim contra Infideles, aliósque, qui mirabantur, quòd DEUS veneritin tam humili statu obnoxio infirmitatibus humanis, passurus & moriturus; unde docebant PP. finem talis 20. *S. P. Augustinus in favorem exponitur.*

talis adventûs esse Redemptionem hominum â peccato; & sic volebant inculcare hominibus potissimè hoc Mysterium Redemptionis, eósque â peccatis retrahere; pro quibus tanta voluit pati Christus.

21. *Christus nō fuit primò prædestinatus ùt Redemptor, sed demum post præbisum peccatum.*

Ex hactenus dictis cape sequentia corollaria: nam *primò* sequitur, Christum non fuisse primò prædestinatum ùt Redemptorem; sed post prævisionem, & conclusam permissionem peccati Adæ: fuit ergo Christus primò decretus ac prædestinatus ùt manifestator Divinæ gloriæ, atque attributorum Divinorom; & ùt Glorificator hominum; ac ùt caput omnium prædestinatorum. Ratio est; tum quia prædestinatio Christi venturi priùs fuit volita, quàm fuerit prævisum peccatum, aut conclusa ejus permissio; & consequenter priùs, quàm fuerit ordinata Redemptio, per Christum præstanda: tum quia tituli Manifestatoris Divinæ gloriæ, atque Divinorum attributorum in Christo, nec non Glorificatoris humanæ naturæ, Capitísque omnium prædestinatorum sunt magis eximij atque illustres; & consequenter priùs â DEO per prædestinationem volibiles, quàm titulus Redemptoris; adeoque Christus non fuit primò prædestinatus ùt Redemptor.

22. *Nullô existente peccatô adhuc Christus venisset in mundum, etiam ex vi præsentis Decreti.*

Secundò sequitur: Christum nullô existente peccatô nihilomninus venisse in mundum, etiam ex vi præsentis Decreti. Ratio est; quia Christus venturus in mundum in prima sua electione, & prædestinativo Decreto non fuit decretus propter peccatum aliquod abolendum; sed propter excellentiam ipsiusmet Mysterij Incarnationis, in quo manifestantur tot Divina attributa, & peculiaris gloria DEI; adeoque Christus venisset in mundum ex vi hujus Decreti etiam nullô existente peccatô.

23. *DEUS habuit duplex Decretum circa Incarnationem Verbi.*

Tertiò sequitur: DEUM habuisse duplex Decretum circa Incarnationem Verbi; quorum *primum* condidit de ponenda substantia Incarnationis, abstrahendô â statu passibilitatis, & impassibilitatis, in quo poneretur substantia Incarnationis: *secundum* verò de istis circumstantiis, modô, & statu, in quibus fieri deberet Incarnatio, puta ut videlicet perficiatur in carne passibili, miserijs subjecta, & mortali. Ratio est; quia est particularis ratio de utroque Decretô condendo; nam debebat priùs determinari substantia Incarnationis, ut posset Christus Angelis & Protoparenti in esse prævisô mereri gratiam, & dona alia, quæ ipsis collata sunt independenter â peccato; neque enim posset Christus mereri ipsis præfata, nisi substantia Incarnationis esset per formale Decretum jam determinata. Deinde quia post ejusmodi Decretum DEUS prævidit lapsum Adæ, apposuit illico aliud Decretum de circumstantijs adhibendis in Incarnatione, ut videlicet Incarnatio ordinetur ad relevationem ab ejusmodi lapsû, & peragatur in carne passibili, atque subjecta amaræ Passioni, ac morti, atque ita sit litrum, ac pretium Redemptionis peccati Adæ, totiúsque generis humani.

QUÆSTIO II.

Utrùm Verbum fuisset Incarnatum, venissétque Christus in carne passibili in hypothesi, quòd vel solum peccatum Originale; vel sola actualia fuissent commissa?

1. *Verbum de factô est Incarnatum ad tollendum tam Originale quàm omne actuale peccatum.*



Uppono hic tanquam certum apud omnes TT: Verbum defactô esse Incarnatum Christúmque venisse pro tollendo tam originali, quàm omni actuali peccato: & patet suppositio ista, tum ex scriptura Joannis 1. *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi*: & 1. *Joann: cap: 1. Sanguis JESU Christi Filij ejus emundat nos ab omni peccato.* Tum ex Concil: Tolet: VI. & alijs. Tum ex PP. signanter Ambrosio *in Psal: 35.* sed datâ hypothesi, quòd solum originale fuisset commissum; vel sola actualia, rectè inquiritur hic, utrùm quodlibet separatim consideratum fuisset motivum adventûs Christi, fiendi eôdem Decretô in carne passibili.

DICO primò: In hypothesi quòd solum originale fuisset commissum, Verbum fuisset Incarnatum, & adhuc venisset Christus in carne passibili; etiam vi Decreti de factô habiti de Redemptione. Ita Scotus, & D. Thomas

mas cum Diſcipulis pleriſque; contra Valentiam, Nazarium &c.

2. *Si ſolum Originale fuiſſet perpetratum, Chriſtus veniſſet in carne paſſibili.*

Probatur prima pars: Redemptio generis humani à ſervitute, incurſa per originale peccatum, & reductio ejusdem ad cœlum, erat motivum principaliſſimum Incarnationis Verbi, & adventûs Chriſti in carne paſſibili defacto, juxta illud Luc: *19. venit Filius hominis quærere* &c. & illud D. Gregorij *lib: 4. in Reg: cap: 1. ſi Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum carnem noſtram ſuſcipere non oporteret*: ſed ſi originale ſolum fuiſſet commiſſum, genus humanum indigeret Redemptione, & reductione ad cœlum: Ergo in hypotheſi, quòd hoc ſolum fuiſſet commiſſum, adhuc Verbum fuiſſet Incarnatum, veniſſétque Chriſtus.

3. *Præfata Doctrina ſtabilitur aliâ ratione.*

Probatur ſecundò: Originale fuit malum commune, & radix omnium actualium peccatorum: ſed prudentis Medici, ſeriò volentis ſanitatem infirmi, eſt primò tollere radicem: Ergo Chriſtus qui eſt prudentiſſimus Medicus generis humani, veniret in carne paſſibili, ut tolleret radicem originalis infirmitatis, etſi alia peccata non fuiſſent perpetrata.

4. *Verbum fuiſſet Incarnatum vi Decreti de facto habiti, etſi ſolum Originale fuiſſet.*

Probatur ſecunda pars, quòd ſcilicet vi Decreti de facto habiti Verbum Incarnatum fuiſſet, veniſsétque Chriſtus in carne paſſibili: Non ſunt multiplicanda vel varianda Decreta Divina ſinè neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi vel variandi aliud decretum, vi cujus Verbum Incarnaretur, & veniret Chriſtus pro ſolo originali: Ergo &c. Prob: Min: nulla eſt neceſsitas multiplicandi vel variandi volitiones in DEO, quibus vellet juſtificare Petrum, à peccato homicidij, & ab alio peccato Sacrilegij, etiam ſeorſim commiſſis: cùm habeant rationem eandem volibilis: Ergo ſimiliter cum originale, & actuale habeant eandem rationem redimibilis, non debent multiplicari vel variari Decreta pro Redemptione unius, & non alterius.

5. *Quædam objecta reſolvuntur.*

Objicies contra primam partem *primò*: Peccatum actuale, eſt malum univerſale; quia pauci ab eo ſunt liberi, juxta illud *1. Joan: 1. ſi dixerimus, quoniam peccata non habemus, ipſi nos ſeducimus*: Ergo pro utroque principaliter debuiſſet Verbum Incarnari, ac venire Chriſtus; & unò ſolò poſitò, non. *Secundò*; Actuale eſt radix omnium malorum, juxta illud; *radix omnium malorum cupiditas*: Ergo æquè principaliter venit pro hoc tollendo, ac pro originali. Reſpondeo *ad Primum*; quòd licèt actuale ſit ſuò modò univerſale valde; non tamen tam extenſivâ univerſalitate, ſicut originale, à quo etiam Infans unius momenti animatus in utero inficitur. *Ad Secundum* ſimiliter dico; quòd licèt cupiditas ſuò modò ſit communis, non tamen prima, & univerſaliſſima radix ſicut eſt originale.

6. *Si ſola actualia fuiſſent commiſſa Verbū non fuiſſet Incarnatum in carne paſſibili.*

DICO ſecundò: Si ſola actualia peccata fuiſſent commiſſa, Verbum non fuiſſet Incarnatum in carne mortali, neque veniſſet Chriſtus in carne paſſibili vi præſentis Decreti ad ea tollenda. Eſt communis Scotiſtarum; quos ſequuntur Thomiſtæ complures; & Svarez.

Probatur primò authoritate SS. PP. Concluſionem ſtatuentium; ſignanter D. Gregorij *citati* illis verbis; *Et quidem ſi Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum, carnem noſtram ſuſcipere non oporteret*. In hac Doctrina etiam fundatur illud Eccleſiæ, *O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt*: Ergo &c.

7. *Ratio ad idem inducitur.*

Probatur ſecundò ratione: De facto nullum habuit DEUS Decretum de redimendo homine à peccatis, niſi ab illis, quæ erant committenda: ſed non erant defacto committenda ulla peccata, niſi ex ſuppoſito peccati originalis, (teneo enim hic illam ſententiam, quòd nullus expoſteris Adæ peccâſſet ſaltem mortaliter, ſi ipſe priùs non peccâſſet, & amiſiſſet nobis maximas gratias à peccato præſervativas, ſed omnes fuiſſent in gratia confirmati poſt primam tentationem) Ergo ſi non eſſet peccatum originale, non eſſet decreta Incarnatio in carne paſſibili; & conſequenter vi præſentis Decreti non fuiſſet Verbum Incarnatum in carne mortali, neque veniſſet Chriſtus; ſed poneretur novum Decretum, ut veniret in carne paſſibili.

8. *Ille textus tradidit ſemetipſum pro me, gloſſatur.*

Objicies: Chriſtus pro quolibet mortuus eſt, juxta illud S. Pauli ad *Gal: 2. dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Huc etiam facit revelatio facta S. Carpophoro teſte Baronio in Annalibus, regiſtrata *in epiſt. 80.* D. Dyoniſij in qua habetur, quòd Chriſtus præfato Sancto teſtatus ſit, ſe iterum paratum eſſe ad moriendum pro ſingu-

lis hominibus salvandis: Ergo Verbum fuisset Incarnatum in carne passibili etiam pro tollendis solis actualibus ab omnibus hominibus. Respondeo Neg: Conseq: quia ex Antecedenti solùm habetur, quòd Verbum ita dilexerit omnes homines, ut pro uno solo Incarnari vellet denuo, si Pater ita decerneret; hoc tamen faceret non vi præsentis Decreti; sed vi alterius de novo ponendi. Idem dico ad illam revelationem factam S. Carpophoro.

QUÆSTIO III.

De Causa Morali, seu Meritoria Substantiæ Incarnationis Verbi.

1. *Definitio Meriti.*



NOTA primò: Per *Meritum* hic intelligi *actum laudabilem, exigentem collationem præmij ratione acceptationis pravia.* Et est duplex, Meritum videlicet de condigno; & meritum de congruo. *Primum est*, cui ex justitia, lege, & condignitate operis debetur aliquod præmium. *Secundum est*, quod ex gratia & congruitate quadam acceptatur ad aliquod præmium.

2. *Conditiones Meriti afferuntur.* NOTA secundò: Ad Meritum quodvis requiri quinque principales conditiones. *Prima* est, ut meritum sit opus voluntarium ac liberum. Ratio hujus est; quia si per ea, teste Aristotele *Eth: 5.* quæ â natura nobis insunt, nec laudamur, nec vituperamur; neque certè per ea, inquit Scotus, quæ in nostra non sunt potestate laudandi sumus, vel vituperandi: & sic in ijs nec meremur, nec demeremur: talia sunt motus primò primi, vel motus alij naturales. *Secunda conditio est*, ut opus sit moraliter bonum. Ratio est; quia secundùm Augustinum, *de gratia & lib: arbit: cap: 6. mala opera non coronat DEUS*: tale esset homicidium. *Tertia est*; ut meritum sit opus elicitum ab existente in gratia: Ratio est, quia Apostolus *1. ad Cor: 13.* dicit; *si distribuero in cibos Pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem* (id est gratiam sanctificantem, quæ apud TT. coincidit cum charitate) *autem non habuero, nihil mihi prodest. Quarta est*; ut sit opus Viatoris. Ratio est; quia DEUS statuit de facto, ut tempus viæ sit tempus pugnæ, adeoque tempus merendi & demerendi. Unde dicit S. Franciscus in suis Verbis Exhortatorijs ad Fratres, *Fratres dum tempus* (scilicet viæ) *habemus, operemur bonum. Quinta Conditio est*, ut intercedat acceptatio, seu ordinatio, & promissio Divina de recompensa facienda. Ratio est; quia secundùm Apostolum *ad Rom: 8. non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*: opera enim viatoris sunt modica, & transitoria, exiguámque habent proportionem, ac valorem ad præmium stabile, æternum, & maximum gloriæ futuræ. Consistit autem talis acceptatio, & ordinatio Divina in lege æterna DEI, quâ sancivit operibus liberis, â gratia gratum faciente provenientibus, reddendam esse mercedem tanquam præmium: uti patet ex illo Matth: 16. *reddet unicuique secundùm opera ejus*: & in tali acceptatione dicit Scotus ultimatè compleri rationem meriti.

DICO primò: Ipse Christus substantiam Incarnationis, seu Unionem hypostaticam de facto non meruit per ullas operationes. Est communis inter DD. hic contra Nestorium, Faust: & alios Hæreticos docentes, Christum suam Incarnationem meruisse, eò quòd ejus natura humana diu ante extiterit. 3. *Christus nō meruit de facto substantiam Incarnationis, uti patet ex Script:*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ pluribus in locis Incarnationis substantiam in DEI misericordiam, ac benignitatem refundit: sic *1. ad Tim: 3. dicit, cùm apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri DEI, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Item *Luc: 1. per viscera misericordia DEI nostri visitavit nos Oriens ex alto*: sed si Christus meruisset substantiam Incarnationis, non esset opus misericordiæ & benignitatis, sed justitiæ potiùs: Ergo ipsemet Christus non meruit de facto substantiam Incarnationis.

Probatur secundò ex S. Augustino *lib: de corrept: & grat: cap: 11.* dicente specialiter de Christo; *ille homo quid egit ante ut ad hanc excellentiam ineffabilem* (intellige Unionis hypostaticæ) *perveniret? nonne faciente aut suscipiente Verbo ipse homo, ex quo esse cæpit, Filius DEI, esse cæpit?* Ergo Christus non meruit substantiam Incarnationis per ullas operationes. 4. *D. Augustino.*

Proba-

5. *Et ratione Theologica.* Probatur tertiò ratione: In omni bona Philosophia operari necessariò præsupponit esse; Actus enim secundus præsupponit necessariò primum: sed mereri dicit operationem: Ergo præsupponit ipsum esse merentis necessariò: Ergo Christus non potuit Unionem hypostaticam seu substantiam Incarnationis mereri, per quam habuit suum esse necessarium ad meritum. Confirmatur: prima radix meriti; vel si ipsa non fuit, sed potiùs gratia habitualis, præcessit tamen hanc gratiam ùt radicem: Ergo sicut ipsa meriti radix non potuit cadere sub merito, ita nec ipsa Incarnatio.

6. *Ille passus Scripturæ: dilexisti justitiam &c. propterea unxit te DEUS, elucidatur.* Objicies: *Psal. 44.* dicitur de Christo: *dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te DEUS:* quem locum SS. PP. exponunt de unctione humanitatis Christi per Divinitatem: Ergo præcessit in Christo meritum justitiæ, cùm propterea sit unctus. Respondeo *primo*: si Unctio *loc: cit:* intelligatur revera facta per Divinitatem tunc ly *propterea* non exprimit causam meritoriam; sed finalem, ut sensus sit; propterea Incarnatum est Verbum in te, ut diligeres justitiam. Respondeo *Secundò*: Neg: quòd illa Unctio exprimat Incarnationem Divinitatis; sed significat potiùs declarationem, & exaltationem nominis, quæ facta sunt ex meritis Christi, & dilectione justitiæ & ita intelligendi sunt SS. PP.

DICO secundò: Christus nec etiam de potentia DEI absoluta poterat mereri Incarnationem sive per merita antecedentia, sive per subsequentia dependentia ab Incarnatione. Est communior Scotistarum, & conformis principijs Scoti, eámque tenent Vasq: Branc: &c. Prima pars est contra P. Rada, Amic: Arriag: Orlan: &c. Secunda contra Svar: &c.

7. *Christus nec de potentia absoluta, poterat mereri Incarnat: per merita antecedentia.* Probatur prima pars: Idem respectu ejusdem etiam de potentia absoluta nequit esse causa, & effectus: sed Incarnatio esset causa & effectus simul, si sub merito Christi antecedente cadere posset: Ergo &c. Prob: Min: Incarnatio est causa omnium meritorum Christi quà talium; sed esset etiam effectus, quia promereretur merita Christi antecedentia: Ergo

8. *Neque per subsequentia.* Probatur secunda pars primò: Si Christus per merita subsequentia potuisset mereri Incarnationem, dicendum esset, quòd de facto sic meruerit; quia hoc cederet in majorem Christi gloriam: sed in confesso est apud omnes DD. quòd eam non meruerit de facto: Ergo &c.

Probatur secundò eadem pars. Merita subsequentia Essentialiter præsupponebant Incarnationem; quia ab ea suum valorem acceperunt: Ergo per talia merita Christus non potuit illam mereri. Conseq: patet; quia videtur implicare, quòd meritum per se & Essentialiter præsupponat in merente præmium susceptum, quale est Incarnatio in Christo; priùs enim naturâ saltem est meritum, quàm præmium: sicut prior est causa, quàm effectus. 9. *Quod patet aliâ ratione.*

Probatur tertiò: Christus non poterat mereri Incarnationem per opera subsequentia; nisi quatenus ex futuritione operum meritoriorum moveretur DEUS ad ponendam Incarnationem: sed non poterat moveri DEUS ex futuritione meritorum: Ergo Prob: Min: DEUS non poterat videre illa merita ùt futura cum illa dignitate, nisi videret illa profectura ab Unione hypostatica, quæ priùs naturâ existere deberet â parte rei, quàm illa merita; illa autem opera non poterat videre ùt sic profectura, nisi videret necessariò futuram Incarnationem in illo instanti priori, ac consequenter nisi videret Decretum absolutum de ponenda Incarnatione pro illo instanti priori: sed quando est Decretum de aliquo ponendo in instanti priori, non potest decernens moveri ad illud ponendum per aliquod, quod non decernit adhuc esse venturum: Ergo non potest moveri DEUS ad ponendam Incarnationem propter meritum aliquod, præsupponens Essentialiter ipsammet Incarnationem. 10. *Rursus aliud argumentum pro eadem Doctrina.*

Objicit Svarez contra hanc partem: Rex temporalis potest per anticipatam solutionem dare militi pauperi arma, quibus obtineat victoriam, & mereatur illa arma, tanquam præmium victoriæ, quam videt ipsum consecuturum mediantibus illis armis: Ergo similiter DEUS potest dare Unionem hypostaticam, seu substantiam Incarnationis Christo anticipatè in præmium, ut eâ mediante operetur meritoriè. Respondeo Neg: Conseq: disparitas est; quia valor meriti militis talis non derivatur ab armis; sed â virtute, prudentia & arte Militis; valor 11. *Svarez objiciens contrarium.*

lor autem meritorum in operibus Christi procedit ab Unione hypostatica: unde Christus non potuit per ulla opera subsequentia illam mereri; nam principium meriti non cadit sub ipsum meritum.

12. *Humanitas Christi de potentia absoluta potuerit mereri Incarnationem.* DICO tertiò: Humanitas Christi de potentia absoluta DEI poterat mereri substantiam Incarnationis. Ita Poncius, & alij Scotistæ, contra Vasq: Lug: Svar: &c.

Probatur: DEUS poterat Humanitati Christi pro aliquo priori, antequam assumeretur, dare gratiam habitualem, & scientiam infusam; & per consequens pro illo priori poterat cognoscere DEUM, & etiam diligere super omnia, hancque dilectionem DEUS acceptare ad Incarnationem tanquam mercedem: Ergo tunc poterat mereri substantiam Incarnationis.

13. *Stabilitur idem assertum.* Confirmatur: Licèt humanitas Christi pro illo priori non haberet personalitatem, adhuc tamen esset natura singularis, & actu existens: Ergo posset mereri. Conseq: patet; quia personalitas, quæ pro illo priori non adesset, non est de ratione intrinseca operandi; non enim actiones sunt suppositorum præcisè, sed rei existentis; unde anima separata, etsi persona non sit, tamen verè operatur. Deinde in tali casu DEUS, qui transgreditur omnem naturam, potest tali humanitati imprimere vim operandi sinè personalitate: Ergo &c.

14. *Inter meritum & præmium correspondens nō debet esse æqualitas.* Objicies: Inter meritum & præmium correspondens debet esse æqualitas: sed inter meritum, & humanitatem Christi præcisè, & ipsam Incarnationem nulla est æqualitas: Ergo humanitas Christi etiam de potentia absoluta DEI non poterat mereri substantiam Incarnationis. Respondeo Neg: Maj: requiri ejusmodi æqualitatem in omni gradu, & proportione; sufficit enim, quòd meritum ex se improportionatum, ac inæquale acceptetur à DEO ad tale præmium: sicut de facto inter nostra merita quotidiana, & gloriam æternam ipsis correspondentem non est æqualitas; & tamen sunt merentia gloriam æternam ex vi acceptationis Divinæ.

DICO quartò: Neque Beatissima Virgo Maria, neque SS. PP. de facto meruêre substantiam Incarnationis; de potentia tamen absoluta DEI pura creatura poterat illam mereri. Ita deducitur ex Scoto 4. *dist: 2. q: 1. num: 11.* cum suis; & est communis.

15. *Nullus Sanctorum de facto meruit substantiam Incarnationis.* Probatur prima pars authoritate S. Augustini, *13. de Trinit: cap: 19.* dicentis, *in rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in unitate Personæ conjunctus est DEO.* Scripturæ etiam supra relatæ *pro 1. conclus:* de hoc Mysterio loquentes refundunt illud in liberalitatem ac benignitatem DEI: Ergo neque Beata Virgo, nec ulli SS. PP. meruerunt substantiam Incarnationis.

16. *Quod ratione Theologicâ ostenditur.* Probatur secundò ratione: Incarnatio est omniū meritorū à Beata Virgine & SS. PP. elicitorum radix atque principium: Ergo Beata Virgo & SS. PP. non poterant illam mereri; sed præsupponebatur jam eorum meritis, sicut principium præsupponitur ad suum effectum. Ant: patet, ex illo Joan: 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus; utique quidquid accepimus:* Ergo & meriti radicem.

17. *De potentia absoluta pura creatura poterat illā mereri.* Probatur secunda pars Conclusionis: quia si humanitas Christi, quæ esset in illo priori pura natura, potuisset de potentia absoluta mereri substantiam Incarnationis, ùt *Conclus: 3.* determinatum est; cur non quæcunque alia pura creatura rationalis? Ergo dicendum est, quòd pura creatura poterat eam mereri.

QUÆSTIO IV.

De Causa meritoria Circumstantiarum Incarnationis Verbi.



1. *Quid intelligatur per circumstantias Incarnationis?* NOTA primò: Per *Circumstantias Incarnationis*, hic debere intelligi illa omnia, quæ merè accidentaliter erant connexa cum substantia Incarnationis; quale esset acceleratio Incarnationis; apertio januæ cœlestis per Incarnationem; quòd in tali vel tali differentia temporis, loci, fiat: quòd à tali Matre, vel tribu, vel linea descendat Christus; & similia.

DICO primò: Neque Beata Virgo, neque SS. PP. meruerunt circumstantiam accelerationis Incarnationis. Ita communiter Scotistæ; contra Vasq: & alios RR.

Proba-

2. *Nemo defacto meruit circumstantiam accelerationis Incarnat:*

Probatur: In tali acceleratione involvitur mutatio voluntatis, & Consilij Divini, præordinantis ab æterno Incarnationem ut in tali, & non alia differentia temporis ponatur: Ergo cùm voluntas, & consilium DEI mutari non possint, nec Beata Virgo neque SS. PP. meruerunt circumstantiam accelerationis. Prob: Ant: ad ponendam talem accelerationem deberet poni aliud novum Decretum contrarium priori, quô Incarnatio fuit præordinata ad aliam differentiam temporis; sed tunc mutaretur: Ergo &c.

3. *Neque apertionem Regni cælestis.*

DICO secundò: Nec Beata Virgo, nec SS. PP. meruerunt per merita exhibita de condigno Incarnationem Christi quoad apertionem Regni cœlestis. Est Scoti *3. dist: 19. in resolutione ad primum*; & Scotistarum; contra D. Bonaventuram, & alios veteres.

Probatur: Mereri de condigno apertionem regni cœlestis in ordine ad totum genus humanum solùm pertinet ad eum, qui habet gratiam Capitis, quæ est gratia virtualiter universalis: sed solus Christus habet gratiam Capitis, & omnis alia quamvis perfecta, est personalis: Ergo &c. Prob: Maj: apertio Regni cœlestis est donum toti generi humano commune: Ergo non potest esse effectus neque in esse physico, neque in esse morali gratiæ alicujus personalis sed solius Capitis; cujus proprium est, in omnia corporis Mystici membra influere.

4 *Quod suadetur alio argumentô.*

Confirmatur: Meritum Christi, quô nobis peccatorum remissionem, tam quoad pœnam, quàm culpam meruit, nulla præcesserunt merita de condigno ex parte nostra; aliàs Christus non esset ex pleno Redemptor noster: sed apertio Regni cælestis pertinet ad remissionem peccatorum; spectat enim ad remissionem pœnæ damni imô est ipsa pœnæ damni remissio consecutivè: Ergo nulla nostra merita de condigno illam præcesserunt.

5. *Aliqui Sanctorum meruerunt de congruo exhibitionem Incarnationis.*

DICO tertiò: Beata Virgo & SS. PP. antiqui meruerunt ad minùs de congruo executionem, seu exhibitionem Incarnationis DEI. Est Scoti 4. *dist: 2. q: 1. in resolutione ad tertium*; ubi dicit; *quia si tempore Conceptionis præcessissent aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis; sed fortè accelerationis.* Et ne videatur admittere accelerationem, quæ diceret mutationem in voluntate DEI, explicat se & subdit; *ut impleatur illa Incarnatio præordinata*, id est, exhibeatur.

Probatur: SS. PP. & à fortiori Beatà Virgo clamoribus, atque orationibus assiduis DEUM deprecabantur, ut Incarnationem Filij promissam impleret: ita oravit Moyses Exod: 4: *mitte obsecro Domine, quem missurus es.* Et Isaias 64. *Utinam disrumperes cælos & descenderes.* Et David *Psal: 11. propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus:* Ergo taliter in gratia orantes probabiliter meruerunt de congruo exhibitionem Incarnationis. 6. *Quod ratione ostenditur.*

DICO quartò: Aliqui SS. PP. & servæ DEI singulares similiter meruerunt aliquas alias circumstantias; saltem per merita prævisa.

Probatur: Nam Abraham teste S. Scripturâ Gen: 22. meruit, ut ex semine suo nasceretur Christus, unde dicitur; *per memetipsum juravi dicit Dominus, quia fecisti hanc rem* &c. & subditur *ver: 18. in semine tuo, benedicentur omnes gentes.* Idem legitur promissum fuisse David *Psalm: 131. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et de S. Matre Anna in collecta orat Ecclesia; *DEUS qui B. Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Filij tui Mater effici mereretur* &c. Ergo aliqui SS. PP. & servæ DEI meruerunt de congruo aliquas circumstantias Incarnationis. 7. *Similiter aliquas alias circumstantias.*

DICO quintò: Beata Virgo fuit dignè disposita, ut esset Mater DEI. Est communis DD. sensus.

Probatur primò authoritate Ecclesiæ Conclusionem claris terminis asserentis, & canentis; *sola digna fuit portare Regem cælorum & Dominum:* Ergo. 8. *Beata Virgo fuit dignè disposita, ut esset Mater DEI.*

Probatur secundò authoritate SS. PP. idem affirmantium; ita facit S. Bernardus *serm: 1. de Assumpt:* S. Epiphanius *hæresi 9.* S. Basilius *hom: de hum: Christi gener:* Et D. Ambrosius *lib: 2. de Virg:* ubi ait, *quid in singulis moror, quæ digna fuit, ex qua Filius DEI nasceretur:* Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: Spectabat ad Divinam Sapientiam, & Bonitatem, dignè disponere Personam illam, cui conferebat dignitatem Matris: Ergo dicendum est, quòd sic fuerit disposita.

Nota

9. *Unde provenerit illa digna dispositio Beatæ Virgini.* Nota autem secundò: Beatam Virginem dictam dispositionem consecutam fuisse ex abundantia Divinarum gratiarum, quibus anima ejus præventa fuit in primo instanti suæ Conceptionis; & ratione quarum semper Immaculata, purissima, & ab omni fomite peccati immunis permansit: partim etiam ùt habet S. Aug: *serm: 2. de Nativ:* per opera sua meritoria hanc dispositionem accepit, quæ in se erant excellentissima; unde dicit S. Bernardinus Senensis citatus à Suar: *serm: 4.* quòd solò illò actu, quò assensum præbuit Angelo, plùs meruerit, quàm omnes Angeli, & homines.

10. *Beata Virgo meruit de congruo Maternitatem.* DICO sexto: B. V. Maria meruit de congruo præfatam Maternitatem. Est omnium Devotorum Marianorum.

Probatur primò authoritate SS. Pp. meritum Maternitatis DEIparæ adscribentium; sic dicit S. Petrus Damianus *serm: 2. de Assumpt:* Et D. Fulgentius *lib: de Incarn: & gratia, cap: 7.* Et S. Bernardus *serm: 4. de Assumpt: qua Angelica puritas audeat comparari Virginali, qua digna fuit Spiritus S. habitaculum fieri.* Et S. Augustinus *lib. de Nat: & gratia, cap: 36. concipere meruit DEUM, & parere quem constat nullum habuisse peccatum.* Ergo B. V. meruit de congruo Maternitatem.

11. *Non tamen idcirco substantiam Incarnationis.* DICES primò: Ergo meruit substantiam Incarnationis. Prob: Illatum; si B. V. meruit de congruo esse Mater Christi; Ergo similiter meruit, ut Christus sit ejus Filius; hoc autem est mereri substantiam Incarnationis: Ergo. Respondeo, Neg: Illatum, cum Min: Prob: ejus; quia Maternitas est dignitas distincta ab Incarnatione, & Unione hypostatica; illâque inferior, & posterior; nam substantia Incarnationis jam fuit decreta; antequam hæc Mater eligeretur propter sua Merita.

12. *Cuidam instantia obviatur.* DICES secundò: Merita B. V. dependebant à Christo, & Christus ab ejus Maternitate: Ergo non poterat mereri Maternitatem. Respondeo Neg: Conseq: quia poterat DEUS decernere substantiam Incarnationis & Christi, antequam decerneret de Matre hac eligenda; hôc positô poterat videre aliqua bona opera B. V. quæ essent dependentia à substantia Incarnationis tantùm, & propter illa poterat dare Maternitatem Virgini, seu modum Incarnationis Verbi ut à tali Matre nasceretur: & sic DEUM defacto fecisse est piè dicendum.

DICO septimò: Imò probabile est, quòd B. V. etiam de condignò meruerit Maternitatem illam. Est paucorum, quos vidi TT. 13. *Probabile est Beatam Virginem etiam de condigno meruisse Maternitatem.*

Probatur: Quia licèt opera, quæ fecit ante Maternitatem, non habuerunt ex se proportionem ad Maternitatem, nec ipsamet poterat ea dirigere ad dignitatem Maternitatis habendæ de condigno; tamen DEUS poterat elevare illa opera ad illam dignitatem merendam, & revelare B. V. quòd si talia fecerit, merebitur esse Mater DEI de condigno: quò positò B. V. poterat illa dirigere in ordine ad hoc. Et ita probabiliter judico esse factum; nam licèt apertè hoc non constet; tamen cùm hoc in honorem, & gloriam Matris DEI cedat, sinè præjudicio honoris Filij, est ita piè sentiendum; in laudanda enim Virgine meliùs est excedere, quàm deficere.

DICES: Ipsa B. V. refert dignitatem Matris in solam DEI misericordiam & potentiam: uti patet ex illo Luc: *1. quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum Nomen ejus; & misericordia ejus à progenie* &c. sed hoc non faceret, si de condigno meruisset Maternitatem: Ergo &c. Respondeo Neg: Min: nam omnia opera meritoria vitæ æternæ de condigno principaliter referuntur in misericordiam DEI, utpote à quo debent acceptari, & elevari per præcedentem gratiam; cum quo tamen stat, quòd sint opera de condigno meritoria gloriæ cœlestis: unde idem dicendum de Merito de condigno B. V. respectu Maternitatis. Itaque B. V. principaliter in DEUM refert Maternitatem; minùs verò principaliter in sua merita. 14. *Opera fundata in misericordia DEI possunt esse meritoria de condigno Maternitatis.*





DISTINCTIO V.

De Prædestinatione; & Filiationibus Christi; item de Concursu Beatæ Virginis MARIÆ ad Incarnationem.

QUÆSTIO I.

De Prædestinatione Christi ad esse Filij DEI.

1. *Quid sit prædestinatio Divina.* NOTA primò: Prædestinationem, de qua potissimè agunt TT: ex Scoto 3. *Dist:* 7. *qu.* 3. rectè definiri sic; quòd *sit præordinatio alicujus creaturæ rationalis ad gloriam principaliter; & deinde ad alia in ordine ad gloriam:* quam definitionem latiùs explanavi *Tomo 1. dist:3. q:4. Conclus: 2.* Ex qua definitione facilè elicitur, quòd prædestinatio Christi secundùm naturam humanam sit præordinatio ejusdem ad gloriam, & ad esse hypostaticum Divinum Verbi, tanquam medium maximè conducens ad summam gloriam.

2. *Natura humana Christi fuit ab æterno prædestinata, ut uniretur Verbo.* DICO primò: Natura humana Christi fuit ab æterno prædestinata à DEO ad esse hypostaticum Verbi, ita ut uniretur in unitatem Personæ. Ita Scotus *3. dist: 7. qu: 3.* & communis TT.

Probat: primò authoritate S. Scripturæ; nam ad *Rom: 1.* dicitur de Christo, *quòd factus sit ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est esse Filius DEI in virtute.* Et *1. ad Cor: 2.* Apostolus ait: *loquimur DEI sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam DEUS prædestinavit ante sæcula in gloriam:* Ergo &c.

Probatur secundò ratione: omne illud, quod in tempore à DEO factum est, ab æterno à DEO prædestinatum & præordinatum fuit; sed in tempore natura humana Christi fuit uuita Verbo in unitatem Personæ: Ergo ab æterno prædestinatum fuit à DEO esse hypostaticum, ita ut uniretur Verbo in unitatem Personæ.

3. *Similiter fuit prædestinata ad summam gloriam.* DICO secundò: Natura humana Christi fuit prædestinata ad summam Gloriam. Ita Scotistæ, & communior; contra nonnullos asserentes, solum suppositum posse denominari prædestinatum ad gloriam.

Probatur: Decebat summam DEI prudentiam, & potentiam, ut naturam Verbo diviniſſimo uniendam, summis dignitatibus exornaret: sed de harum genere est summa gloria: Ergo dicendum est, quòd natura humana Christi fuerit prædestinata ad summam Gloriam. Deinde secundùm Apostolum Christus dicitur primogenitus, & Caput omnium prædestinatorum: Ergo ejus natura præ cæteris prædestinatis ad summam gloriam debebat prædestinari.

4. *Sed priùs ad Unionem hypostaticam, quàm ad hanc.* DICO tertiò: Probabilius est, priùs de facto naturam humanam Christi fuisse prædestinatam ad Unionem hypostaticam; quàm ad gloriam summam. Est ad principia Scoti.

Probatur primò: Perfectiones accidentales rei à rationabiliter agente non debent priùs intendi, quàm substantiales; sic non debet priùs intendi calor, quàm ignis ex natura rei: sed gloria est perfectio accidentalis naturæ humanæ Christi, spectans ad actum ejus secundum, ut ita loquar; terminus verò Unionis hypostaticæ ad complementum substantiale Christi, quà talis: Ergo gloria non debet priùs intendi à DEO, & præordinari in natura humana Christi, quàm Unio hypostatica.

5. *Alia ratio Theologica ad idem.* Probatur secundò: Unio hypostatica est volibile magis nobile quàm sit gloria; nam perfectior conjunctio hominis cum DEO habetur per Unionem, quàm per gloriam: Ergo convenientius erat, ut priùs prædestinaretur Unio hypostatica, quàm gloria. Conseq: patet; quia aliàs perfectiùs ordinaretur ad imperfectius.

6. *Scotus non officit conclusioni.* Objicies: Scotus *3. dist: 7. q. 3. num: 5.* videtur docere contrarium; *quia,* inquit, *voluit in ista prædestinatione DEUS, ut natura humana primò haberet gloriam summam; ostendens, quòd non oportet eum confer-*

conferre gloriam secundùm ordinem naturarum; Ergo &c. Respondeo; Scotum hic non loqui resolutivè; quòd patet ex terminis ibi præpositis, *potest dici, &c.* Unde cùm ratio aliud suadeat; & DEUS secundùm eundem Scotum in alio loco sit agens ordinatissimum, in hac prædestinatione etiam ordinatissimè processit, secundùm ordinem naturæ priùs prædestinando Esse Christi per Unionem hypostaticam; deindè accidentalem perfectionem gloriæ.

7. *Prædestinatio Christi est causa exemplaris nostræ prædestinationis.*

DICO quartò: Prædestinatio Christi, est causa exemplaris nostræ prædestinationis. Est comunis Scholasticor:

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ; nam ad Hebr: 8. dicitur: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij DEI, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus:* qui textus sanè innuit Christum esse causam exemplarem, ad instar cujus facta est omnis prædestinatio SS. Fratrum: Ergo &c Huc etiam facit textus alter Apostoli ad Ephes: 1. *Benedixit nos in omni benedictione in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et alter paulò infrà: *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per JESUM Christum in ipsum*; id est, ùti exponunt PP. per ipsum JESUM, ut per causam meritoriam, & in ipsum tanquam in causam finalem, & exemplarem: Ergo &c.

8. *PP. favent conclusioni.*

Probatur secundò authoritate SS. PP. conclusionem dogmatizantium: signanter S. Aug: *lib: de Prædest: c. 15.* Eandem doctrinam habet Glossa in prædicta verba S. Pauli ad Hebr: 8.

9. *Ratio quoq; Theologica.*

Probatur tertiò ratione: cedit in majorem Christi gloriam, quòd nostra prædestinatio dependeat à prædestinatione Christi, tanquam à causa meritoria, finali, & exemplari: Ergo dicendum est, quòd prædestinatio Christi sit causa exemplaris nostræ prædestinationis.

10. *Qualis sit illa propositio: Christus est prædestinatus Filius DEI.*

NOTA secundò hìc inquiri ab Authoribus, an Christus in omni rigore, & absolutè possit dici, *esse prædestinatus Filius DEI*: sed quia quæstio est de nomine; idcirco dico, quòd absolutè, & simpliciter possit dici, *Christus prædestinatus esse Filius DEI*, si sensus sit, hic homo, qui est Christus, est prædestinatus esse Filius DEI, intelligendo per ly *homo* naturam singularem Christi in concreto Metaphysico, quô sensu capitur, quando dicitur, homo est à Verbo assumptus. Si verò per Christum, intelligatur suppositum includens & humanitatem, & Divinitatem, ac Personalitatem Verbi; non potest in rigore dici, Christus esse prædestinatus Filius DEI. Ratio est; quia illud quod dicitur prædestinari, non debet necessariò includere illud, ad quod prædestinatur; unde cùm suppositum Christi necessariò includat filiationem DEI, rigorosè non dicetur esse prædestinatus ut sit Filius DEI; sed largò modô: Et sic est explicandus, & intelligendus ille textus Pauli, *qui prædestinatus est Filius DEI* &c. quem diversimodè aliàs glossant DD.

QUÆSTIO II.

De duabus Filiationibus Naturalibus Christi.

NOTA primò ex Scoto *3. dist: 8. qu. 1. num: 10.* Filiationem naturalem, benè describi; quòd *sit habitudo producti naturaliter, similis producenti in natura intellectuali:* nonnulli addunt in fine ad hanc aliam particulam, Ly *vel sensitiva*, ut comprehendant etiam substantiam animalis, quæ potest dici habere filiationem, v.g. bosculus potest dici filius bovis, Leunculus filius Leonis; sed non spectat ad præsens institutum ampliare descriptionem filiationis; cùm status quæstionis sit de sola filiatione naturæ intellectualis. Explicatur autem præmissa descriptio; ly *habitudo*, idem est quod relatio, & ponitur locô generis; reliqua indigitant differentiam. Dicitur *producti*; quia sicuti Paternitas est habitudo producentis, ita filiatio est habitudo producti. Dicitur *naturaliter*; quia si non producatur naturaliter, quamvis esset similis in natura producenti, non esset Filius, ùt patet de Spiritu Sancto, qui quamvis sit similis Patri producenti in Essentia; non tamen est Filius ejus; quia non est productus naturaliter. Dicitur *similis producenti*; quia vermis quamvis producatur naturaliter â Sole; non tamen rectè dicitur Filius Solis; quia non est similis producenti; aliæ particulæ exprimunt rationem, in qua debet consistere ista similitudo. 1. *Definitio Filiationis naturalis.*

NOTA secundò: quòd Filiatio naturalis sic descripta, præsupponat necessariò similiter etiam suppositum præ- 2. *Filiatio naturalis præsupponit ge-*

suppo-

nerationem passivam, & suppositum. supponit, sed duntaxat ùt conditionem subjecti; quia nimirum Filiatio oritur ex generatione passiva, terminata ad suppositum, quod est conditio passi, sicut est conditio agentis.

3. *In Christo sunt duæ nativitates.* Nota tertiò: Certum esse de fide, quòd sicut in Christo sint duæ naturæ; ita etiam sint duæ nativitates, & generationes passivæ; una æterna, quâ Divinam â Patre accepit naturam; alteram temporalem, quâ naturam humanam accepit ex Virgine: quæ exprimuntur illis verbis Symboli Athanasiani: *DEUS est ex substantia Patris ante sæcula natus; & Homo est ex substantia Matris in sæculo natus.*

4. *In Christo sunt duæ naturales Filiationes.* DICO primò: In Christo sunt ponendæ duæ naturales Filiationes, una æterna, altera temporalis; quarum prima refertur ad Patrem; secundâ verò ad Matrem. Ita Scotus *3. dist. 8. q. 1.* cum suis; & ex RR: Lorca, Svar: &c. contra Alensem, Thomist: Henric: &c.

Probatur primò: In Christo sunt duæ habitudines suprà descriptæ in *Nobili* 1. Ergo in Christo sunt duæ naturales filiationes. Prob: Ant: in Christo est habitudo, quatenus est productus quà Deus â Patre Divino, uti Fides nostra tenet; est etiam temporalis, quatenus est productus quà homo â Matre temporali per veram generationem: Ergo sunt in Christo duæ habitudines. Probat: Ant: pro secunda parte, de qua tota est difficultas: Franciscus accepit realem & novam temporalem habitudinem, seu relationem naturalis Filiationis quando per veram generationem producitur à suis parentibus: Ergo & Christus.

5. *Adversarijs replicantibus satis fit.* Replicant Adversarij: Franciscum non ideo accipere realem, & novam naturalem Filiationem, quia producitur â parentibus per generationem; sed quia nullam habuit ante particularem Filiationem, â qua posset denominari Filius; in Christo autem producto â Virgine jam adest æterna naturalis Filiatio, quæ se potest extendere ad denominandum de novo Filium Matris Christum, & impedire, nè exurgat Filiatio temporalis naturalis. *Contra primò*: ad resultationem novæ naturalis Filiationis, non requiritur negatio alterius Filiationis in supposito Francisci, aliàs idem Franciscus non posset dicere diversas numerô relationes ad diversos naturales Filios, quod est falsum. *Contra secundò*: generatio æterna passiva Christi quâ Deus est, non extendit se, neque impedit generationem passivam temporalem, quâ habet esse homo: Ergo nec Filiatio æterna naturalis impediet Filiationem naturalem temporalem â paritate.

6. *Duplicitas Filiationum Christi ostenditur aliâ ratione.* Probatur secundò: positô fundamentô novô, terminô, & ratione fundandi necessariò resultat relatio nova: sed in Christo temporaliter nato, habetur fundamentum novum ipse Christus, terminus novus Beata Virgo, & ratio fundandi, in qua subjectatur immediatè relatio Filiationis naturalis temporalis, nempe Humanitas Christi: Ergo necessariò ibi præter Filiationem naturalem æternam, exurgit nova relatio Filiationis naturalis temporalis.

7. *Rursus aliâ argumentâ Scoti docetur.* Probatur tertiò cum Scoto Impugnando particularem unam rationem Thomistarum quæ est talis: Filiatio est forma spectans ad suppositum, & nata ipsum solùm denominare; non verò naturam: sed in Christo est unicum suppositum æternum: Ergo unica filiatio æterna. Impugnatur, inquam; quia si Filiatio esset forma solùm suppositum respiciens, & ideo immultiplicabilis, hoc ei conveniret, vel propter rationem relationis ùt sic, quam includit Filiatio; vel propter rationem talis relationis, quatenus scilicet Filiatio est relatio Originis præsupponens talem originationem seu productionem (quod idem est) qualem habuit Christus: sed ex nullo horum colligitur ejus Immultiplicabilitas: Ergo &c. Non *ex primo*; quia plures relationes possunt subjectari in uno supposito; sic in Christo de facto est similitudo, dissimilitudo, æqualitas, &c. Nec etiam *ex secundo*; quia non magis repugnat dari plures relationes tales particulares consequentes talem originationem, qualem habet Christus, quàm dari in ipso plures originationes seu productiones passivas: sed dantur plures originationes passivæ in ipso; Divina nimirum, quam accipit à Patre; & temporalis, secundùm quam accepit naturam humanam per cooperationem Matris: Ergo & plures consequentes originationem. Confirmatur *primò* Min: principalis *quoad secundum*: de facto Pater æternus etsi sit suppositum, tamen habet duas relationes originis activas, spirationem videlicet activam, & generationem activam: Ergo similiter suppositum Christi poterit habere duas origines passi-

vas Filiationum. Confirmatur *secundò* ex D. Damasceno *cap: 53.* Christus habet duas operationes, Divinam scilicet & Humanam: relatio autem non magis respicit suppositum, quàm operatio; quia suppositi est operare *1. Met: in Proœmio:* Ergo & duas relationes Filiationis.

8. *Contra quod replicant Thomistæ.* Respondent Adversarij: non ex eo, quòd duæ relationes ùt sic; vel duæ relationes originis, non possint esse in uno supposito, repugnat, Christum habere duas Filiationes: sed ex eo, quòd Filiationes debeaot immediatè subjectari in supposito; & quòd suppositum Christi sit incapax temporalis Filiationis; quia hæc deberet esse accidens; suppositum autem Divinum est incapax novi accidentis. Et hinc etiam eliciunt disparitatem, cur Christus possit habere duas nativitates, duas similitudines, & duas operationes; quia nativitas temporalis, fundatur immediatè in natura humana Christi, aut in materia prima; similitudines etiam & operationes subjectantur immediatè in naturis, & conveniunt supposito tantùm denominativè; filiatio verò temporalis debet immediatè subjectari in supposito, cujus est incapax.

9. *Sed rejiciuntur.* *Contra:* falsum est quòd Filiatio temporalis debeat immediatè subjectari in supposito: nam quemadmodum actiones sunt suppositorum, & oon naturæ secundùm Adversarios; & tamen secundùm eosdem non subjectantur immediatè in sopposito, sed in natura; alias Christus non haberet ullas operationes humanas, quod est contra fidem; ita similiter Filiatio, quamvis sit suppositi, ita ut suppositum per eam denominetur Filius; attamen non debet immediatè subjectari in supposito, sed in natura. Præterea productio passiva, â qua Christus habet produci â Virgine, subjectatur immediatè in humanitate secundùm Adversarios: Ergo & Filiatio temporalis.

10. *Alia replica eorundem explóditur.* Replicant rursus: humanitas sola noo denominatur naturalis Filia: Ergo in ipsa non subjectatur immediatè Filiatio temporalis. *Contra;* etiam humanitas non dicitur propriè operari, juxta illud Philosophi *1 de anima, textu 64. Humanitas non stat, neque ambulat; sed homo;* & tamen operatio subjectatur immediatè in humanitate. Deinde, quòd humanitas non denominetur naturalis Filia, licèt in ea subjectetur immediatè Filiatio naturalis, ratio est; quia Filiatio, ut denominet, dependet â conditione suppositi aliquomodo, non ut in supposito subjectivè recipiatur; sed sufficit, quòd in aliquo conjuncto cum supposito recipiatur; eô modó quô Petrus dicitur sapiens, licèt sapientia subjectetur imediatè in anima conjuncta cum tertia entitate Petri. Tandem etiam humanitas potest propriè denominari Filia, si per esse Filiam, intelligatur habere Filiationem præcisè.

Probatur quartò conclusio rursus ex Scoto, impugnando aliam rationem principalem Thomistarum, quæ est talis: duæ formæ ejusdem speciei, neque-unt esse in eodem subjecto; sed Filiationes sunt duæ formæ ejusdem rationis: Ergo &c. Probant Maj: quia aliàs subjectum esset multiplex; cùm formæ individuentur per subjecta: Ergo &c. Hanc rationem impugno *primò* illis principijs Philosophicis, quibus *in Schola mea Philosophica* ostendo, formas accidentales non individuari per subjecta. Et si individuarentur per subjecta formæ accidentales ejusdem speciei, sicut suot istæ duæ naturales Filiationes, sequeretur, quòd de facto nec duæ formæ accidentales diversæ speciei possint simul subjectari in uoo subjecto, contra experientiam, quâ videmus albedinem & dulcedioem esse in uno numero lacte. Impugno *secundò* eandem sic: nihil prohibet duas formas accidentales ejusdem speciei posse esse simul in eodem subjecto; nam si quid prohiberet, maximè quòd subjectum oon maneret unum unitate numerali: sed hoc non prohibet: Ergo &c. Prob: Min: cum unitate prioris potest stare pluralitas numerica posterioris cujuscunque formæ, quæ per se non competit priori (uti sunt proprietates Metaphysicæ identificatæ, & per se in secundo dicendi modo convenientes, quibus plurificatis, plurificatur prius, id est. Essentia) sed per accidens & inadæquatè; sicut patet in una causa physica ignis, v. gr. quæ potest manere una unitate numerali, licèt ab ea sequantur effectus multi; item corpus manet unum; licèt ad diversas replicetur Ubicationes: sed subjectum plurium formarum accidentalium est priùs, & accidentia illa non conveniunt per se subjecto, neque adæquant ejus potentialitatem in recipiendo v. gr. duæ relationes numerô distinctæ non adæquant potentialitatem 11. *Scotus iterum aliô argumentô efficaciter rejicit Thomistas.*

sui

sui fundamenti albi: Ergo subjectum maneret unum unitate numerali, etsi duæ formæ accidentales ejusdem speciei in eo simul essent.

12. *Idem Doctor confirmat præmissam doctrinam.*

Confir: *primò* ex eodem Scoto: de facto plures species phantasticæ seu imaginabiles ejusdem speciei numerô solùm distinctæ, habitæ à pluribus objectis, albis v.g sunt in eadem parte subjecti, puta organi phantastici; aliàs deletâ specie unius albi, non posset aliquis perfectè imaginari alterum.contra experientiam: Ergo &c. Quod autem istæ species phantasticæ sint ejusdem speciei, patet; quia objecta earum, â quibus generantur, sunt ejusdem speciei. Quòd etiam sint in eadem parte subjecti,inde colligitur; quia Organum illud non potest in tot partes minimas dividi, maximè si plurimæ similes species simul haurirentur. Confirmatur *secundò*: Plures Paternitates numerô tantùm distinctæ possunt esse in eodem Patre Petro: Ergo à pari etiam plures naturales Filiationes in uno Christo. Alias multas rationes urget eleganter Scotus hìc in textu.

13. *Ambæ Filiationes Christi sunt reales.*

DICO secundò: memoratæ duæ Filiationes Christi sunt ambæ reales. Ita Scotus *3. dist: 8. qu. 1.* cum sua Schola; contra Thomistas, & S. Bonaventuram.

Probatur: de æterna est certum de fide, quòd sit realis; quia est ratio constitutiva Filij realis æterni Patris: Probatur ergo *primò* de temporali: si Pater æternus defacto assumeret naturam humanam â Virgine genitam, diceretur Filius temporalis Virginis per relationem veram realem,& hoc non â Paternitate, quæ non est ratio denominandi Filium: Ergo idem dicendum de Verbo, quando in tempore assumpsit naturam ex Virgine genitam.

14. *Aliæ rationes Theologicæ ad idē.*

Probatur *secundò*: hæc relatio naturalis temporalis Filiationis oritur de novo inter extrema realia, nempe inter Matrem generantem, & Christum habentem naturam generatam physicè â Matre; & hoc nemine cogitante intellectu: Ergo est realis.

Probatur *tertiò*; si B. V. genuisset purum hominem, ejus Filiatio fuisset realis: Ergo & ista, quæ in Christo vero homine subjectatur.

15. *Quædam instantia expeditur.*

Dices: esse disparitatem; quia in puro homine,etiam genuisset ejus suppositalitatem; non verò in Christo. *Contra*; suppositalitas generata est impertinens ad esse Matrem; quia tota ratio Matris habetur per cooperationē physicam, quam præstat B. V; aliàs B. V. non esset vera Mater Christi; cùm Personalitatem ejus non genuerit.

DICO tertiò: Duæ naturales Filiationes Christi sunt inter se realiter distinctæ: Ita deducitur ex Scoto *cit:* contra Thomistas.

16. *Filiationes Christi sunt realiter inter se distinctæ.*

Probatur: Christus præcisè habens Filiationem æternam poterat esse de potentia absoluta sinè Filiatione naturali temporali ad hanc Virginem, si ejus humanitas fuisset producta effectivè â solo Deo: Ergo istæ duæ Filiationes distingvuntur realiter. Consequentia tenet; illa enim distingvuntur realiter, quæ sunt separabilia.

17. *Duæ Filiationes Christi non constituunt duos Filios.*

Objicies primò contra primam Conclusionem ex Scoto: Filiatione constituitur Filius: Ergo duæ Filiationes naturales in Christo constituent duos Filios; quod est falsum. Respondeo Neg: Conseq: quia istæ duæ Filiationes non respiciunt duo supposita quæ dualitas est conditio necessaria ad esse duos Filios; licèt in ipsis non subjectentur immediatè Filiationes; eò modò quô duæ volitiones, & duæ scientiæ in Petro non faciunt duos volentes,& duos scientes; quia respiciunt aliquando unitatem suppositi Petri, quô non multiplicatô non multiplicantur & ipsæ; licèt revera sint in Petro duæ formæ realiter distinctæ.

18. *Quædam objectio cōtra Dualitatem Filiationum Christi resolvitur.*

Objicies secundò contra eandem: Filiatio naturalis temporalis, si aliqua distincta adfuit in Christo, sinè dubio per mortem fuit destructa unà cum Christo: in Resurrectione ergo si accepit iterum temporalem Filiationem, vel accepit eandem; vel diversam: non eandem; quia non habuit naturam acceptam eôdem modô, quô antè; sed â solo DEO: nec etiam diversam; aliàs non esset modò idem Filius Virginis, qui fuit antè: Ergo nullam accepit: Ergo similiter ante mortem nullam habuit; cùm sit eadem ratio: Responderi potest *primò*: quòd habuerit eandem in Resurrectione; quia erant sufficientia principia, ut ex ijs eadem numerô Filiatio emanaret; erat enim eadem natura existens, idem terminus, & generatio passiva præterita: nec diversa illa acceptio variat hanc Filiationem; cùm sit impertinens. Responderi potest *secundò*: quòd Christus in Resurrectione acceperit aliam Filiationem; cum qua

tamen stat, quòd sit verè Filius Virginis; nam etiam in nutritione physicè loquendo humanitas non erat totaliter eadem numerò semper; quia accreverunt aliquæ partes; & tamen mansit verus Filius Virginis.

19. *Alia oppositio contra eandem refutatur.*

Objices tertiò contra eandem: DEUS dicitur de novo Creator sinè relatione nova: Ergo & Christus Filius Virginis sinè nova Filiatione. Respondeo Neg: Conseq: disparitas est; quia DEus nullam habuit entitatem in se, ob quam deberet necessariò in eo poni relatio realis nova Creationis, imò habet impedimentum, nè ponatur, scilicet Essentiam immutabilem; Christus verò habet entitatem ad quam debet necessariò in eo poni Filiatio nova; quia habet naturam humanam novam, à Virgine tractam.

QUÆSTIO III.

Utrum in Christo fuerit Filiatio adoptionis?

1. *Historica narratio de errore Felicis & Elipãdi; quibus Scotus injuriè associatur.*



NOTA primò: Quæstionem hanc olim in Concilio Francofordensi tempore Pontificatûs Adriani I. & Imperij Caroli Magni (qui fuit primus Monarcha Imperij Romani ex Germanis electus, & Sedem Imperij Romani in Germaniam transtulit) fuisse ventilatam ac decisam, damnatósque duos Præsules Hispaniæ ut hæreticos; videlicet Felicem Episcopum Urgelitanum, & Elipandum Archiepiscopum Toletanum, qui dogmatizabant Christum ùt hominem non esse Filium DEI naturalem, sed adoptivum; & per consequens eum constare duabus Personis, quemadmodum olim asseruerat Nestorius: à quo errore Episcoporum non differt (inquit quidam Neotericus Author Vasquez) sententia Scoti: sed profectò hallucinatur Scriptor iste, laborátque crassâ ignorantiâ circa doctrinam Doctoris Subtilis, planè oppositam; unde meritò Censor iste secundùm P. Cavellum *Scholio 3.* ad Scholam Apostoli ablegandus foret, ut ibidem addiscat illud elegans Ethicum principium, registratum ad Philipp: 4. *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, maximè in censurandis opinionibus jam olim ab Ecclesia permissis & approbatis tam Catholici, & pij Scholæ Scotisticæ Fundatoris.

NOTA secundò: quòd licèt nonnullis DD. suboriatur dubium de authoritate memorati Concilij Francofordensis; *primò*: quia fuit Nationale, utpote constans ex solis Episcopis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ. *Secundò:* quia teste Jonâ Aurelianensi *lib: 1. de cultu Imaginum Tom: 4. Biblioth: SS. PP.* definiuntur in eo aliqua contraria definitis in VI. Synodo Generali. *Tertiò:* quia diu latuit, & primò per Surium fuit luci mandatum. Tamen jam receptior TT. Sententia est, hoc Concilium revera esse legitimum, & cum assistentia Spiritûs S. celebratum: *primò*; quia Præsidentes in eo fuerunt Legati à Latere Papæ missi. *Secundò*; quia fuit congregatum authoritate Papæ, & confirmatum ab eodem. Acta ejus consistunt in aliqua solemni Epistola Conciliari ad Episcopos Hispaniæ scripta: itē in alia epistola Adriani Papæ: & tandem in quodam libro dicto *Sacra Syllabus* à Concilio approbata: quæ omnia habentur *in tertio Tomo Conciliorum primæ partis, Sectione secunda.* 2. *Ostenditur Concilium Francoford: fuisse legitimum.*

NOTA tertiò: secundùm Scotum *3. dist: 10. qu. unicâ.* hoc vocabulum *adoptionis* mutuatum esse à Juristis, & translatum ad Theologicas Scholas, & rectè sic definitur: *Filiatio adoptiva est acceptio gratuita extraneæ personæ ad hæreditatem, ad quam ex naturali generatione nullum jus habuit:* quæ definitio, cùm in claris terminis data sit, non eget enucleatione aliâ. Ex allata porro definitione Infero cum *cit:* Scoto; ad adoptionem tres conditiones requiri. *Prima est*, quòd persona adoptata sit extranea, id est, quòd non trahat originem suam à persona se adoptante. *Secunda est*, quòd ex naturali sua generatione nullum habeat jus ad hæreditatem succedendi; sed succedat ex pura gratia adoptionis. *Tertia est*, ut sit hæreditas in quam succedat. 3. *Definitur Filiatio adoptiva.*

NOTA quartò: quæstionem istam de Filiatione adoptionis de facto à TT. moveri de Christo præcisè secundùm humanam naturam considerato; quia in quantum habet naturam Divinam, ab omnibus conceditur, quòd sit Filius naturalis DEI, & nullô modô adoptivus. 4. *Status quæstionis aperitur.*

DICO primò: Christus secundùm quod homo dicendus est Filius DEI naturalis; & non adoptivus. Est Scoti *3. dist: 10. q. unica*, ubi exclusis duobus modis, 5. *Christus quà homo non est Filius adoptivus DEI.*

dis, seu rationibus, quibus aliqui probabant inefficaciter Christum secundùm quod homo non esse Filium DEI adoptivum, addit suum tertium, conclusionem jam positam efficaciter probantem. Eandem Conclusionem tenet *in Reportatis*; & sequitur sua Schola, ac communis DD.

Probatur primò authoritate Scripturæ; nam ad Rom: 8. dicitur; quòd *proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*: sed non fuit traditus secundùm quod erat Filius DEI, & secundùm Divinitatem: Ergo secundùm quod erat Filius proprius secundùm humanitatem, & non ùt adoptivus. Item Joann: 10. Christus dicit de se, *ascendo ad Patrem meum*: si ergo Pater cœlestis fuit Pater Christi proprius, & naturalis, etiam Christus debebat esse proprius Filius naturalis secundùm naturam humanam, secundùm quam ascendit; & non adoptivus. Et alibi.

6. *Authoritas PP. contra adoptionem Christi.* Probatur secundò authoritate SS. PP. adoptionem à Christo excludentium; sic facit S. Gregorius Magnus *lib: 1. Moral: cap: 6.* Et Isidorus *lib: de Doctrina & Fide Ecclesiast: dogmat: cap: 2.* Sed omnium clarissimè S. Augustinus *libro contra Secundinum Manichæum, cap: 5.* ubi ait: *lege Scripturas, & nusquam invenies de Christo dictum, quòd adoptivus sit Filius DEI:* Ergo &c.

7. *Ratio Theologica ad idem.* Probatur tertiò ratione ex communi sensu DD. persona est quæ propriè adoptatur, ita ut personalitas præsupponatur adoptationi: Ergo ut Christus quà homo adoptetur, debet præsupponi ad adoptionem personalitas ejus; sed personalitas præsupposita impedit, quia natura ratione personalitatis jam habet jus connaturalitatis ad hæreditatem succedendi, puta gratiam habitualem, & beatam: Ergo &c.

8. *Scotus stabilit eandē assertionem.* Probatur quartò aliâ ratione Scoti cit: & est fundamentum ipsum, quò utitur Concilium Francofordiense: Christus quà homo, non habuit extraneitatem in natura humana, requisitam ad adoptionem formalem: Ergo non fuit Filius adoptivus. Prob: Ant: Extraneitas debet esse talis in adoptato, ut adoptatus in primo instanti suæ generationis, non solùm non habeat jus ad hæreditatem, sed neque etiam aliquid concomitans, quod sit dispositio congrua ad jus hæreditatis capiendæ: sed in Christi natura humana in omni instanti reali, quò habuit subsistentiam Verbi, fuit dispositio congrua concomitans pro jure habendo hæreditatis: Ergo non habuit extraneitatem requisitam ad adoptionem. Prob: Min: in omni instanti natura Christi humana habuit Unionem hypostaticam; sed hæc per modum dispositionis de congruo fundat jus ad hæreditatem, id est, fundat gratiam habitualem in posteriori instanti naturæ acquirendam: Ergo &c.

9. *In natura humana Christi nulla fuit extraneitas, quia semper debitum habendi gratiam.* Dices ex Scoto hìc: Unio hypostatica non concomitatur naturam humanam Christi in primo instanti naturæ, sed in secundo; quia prius naturâ fuit producta natura humana, quàm fuerit hypostaticè unita: Ergo pro illo priori habuit extraneitatem, quia carentiam juris, quod conferebatur in secundo instanti. Scotus respondet, *Responsionem quære*: Respondeo tamen ad salvandam extraneitatem istam, quòd Unio hypostatica præcesserit collationem gratiæ habitualis; nam ex tali præcessione sequitur, quòd DEUS pro alio instanti gratiam habitualem naturæ humanæ Christi non conferat liberè, & adoptivè; sed ex jure, & debito congruentiæ. Et ita differt jus, quod habet natura humana Christi in hæreditatem æternam, à jure quod habet quævis alia creatura pura adoptata formaliter ad gratiam habitualem; quia in creatura pura nullum est jus, vel debitum omninò habendi gratiam habitualem; v. g. in Angelo pro primo instanti creationis nullum est debitum habendi gratiam habitualem: in natura verò humana Christi est tale debitum habendi gratiam habitualem, propter Unionem hypostaticam; & ideo nulla adest extraneitas à quo diceretur Filius adoptivus.

10. *Eadem doctrina fundatur solidâ ratione.* Confirmatur clarè hæc solutio: nulla natura singularis est capax alicujus accidentis, nisi priùs habeat esse completum secundùm existentiam & subsistentiam; quia isti sunt modi intrinseci naturæ singularis, & per consequens præcedentes omne accidens extraneum: sed natura humana Christi licèt per productionem habuerit propriam existentiam; non tamen subsistentiam creatam, quæ naturaliter deberet consequi; & sic non habuit esse naturale ordinarium completum: Ergo non poterat illi inesse accidens positivum, qualis est extraneitas, vel jus in hæreditatem; sed debebat compleri

primò

primò naturaliter ſecundùm ſubſtantiam, quod fuit factum per ſubſtantiam Verbi advenientem, & afferentem ſecum diſpoſitionem congruam ad hæreditatem, quæ diſpoſitio excludit extraneitatem.

11. *Ad eſſe Filium naturalem DEI ſufficit ex vi generationis eſſe unitum perſonæ à DEO naturaliter producti.*

Objicies primò: Inter conditiones adoptionis habetur, ut adoptatus non ſit Filius naturalis adoptantis: ſed Chriſtus quà homo non fuit Filius naturalis DEI; Ergo fuit adoptatus. Reſpondeo *primò*: hanc conditionem quidem afferri ab aliquibus DD. quia regulariter Filius naturalis videtur incapax adoptionis; tamen ſicut abſolutè ipſa ſola non facit habere jus in hæreditatem; ita carentia ejus non facit aliquem eſſe Filium adoptivum: exemplum primi, quia Filius illegitimus non habet jus in hæreditatem Patris; & tamen eſt Filius naturalis: Ergo carentia ejus ſola ſinè alijs conditionibus non facit adoptionem; ſed quatenus accedit altera conditio; nimirum quòd aliquis & ex propria generatione ſit extraneus, & per voluntatem adoptantis accipiat jus; Chriſto autem in propoſito deeſt extraneitas ex propria generatione, ùt ſuprà viſum eſt. Reſpondeo *ſecundò*, Neg: Min: quia ad eſſe Filium naturalem DEI licet in rigore Philoſophico requiratur, quòd ſit ſimilis naturaliter producenti in natura DEO; tamen apud TT. hoc non requiritur; ſed ſufficit, quòd ex vi generationis uniatur Perſonæ à DEO naturaliter productæ: quòd in natura Chriſti humana habetur.

12. *Quid ſit adoptio propria, & impropria.*

Objicies ſecundò ex Scoto: Chriſtus dicitur prædeſtinatus ad Eſſe Filij DEI ad Rom: 1. prædeſtinare autem eſt, ad hæreditatem adoptare: Ergo Chriſtus quà homo fuit Filius adoptivus DEI. Reſpondeo cum Scoto: duplicem eſſe adoptionem; propriam & impropriam. *Impropria* dicitur, quæ eſt quæcunque collatio gratiæ, vel beneficij liberaliter facta; & hoc ſenſu etiam prædeſtinatio ad Unionem hypoſtaticam, poteſt dici adoptio. *propria eſt*, aſſumptio alicujus extranei ad hæreditatem ſinè jure vel debito, ad hæreditatem; & hæc non convenit Chriſto; de prima ergo loquitur Apoſtolus *loco cit:*

13. *Quædam objectio ex Scoto expeditur.*

Objicies tertiò ex eodem: ſicut duæ manent perfectæ naturæ in Chriſto, ita debent manere earum proprietates; ſed adoptio eſt proprietas naturæ habentis gratiam: Ergo adoptio eſt proprietas naturæ humanæ Chriſti. Reſpondet Scotus ad hoc argumentum *Quare Reſponſionem*, ſicut & in alijs locis frequenter; quòd non intelligentes multi Scholaſtici, putârunt Scotum argumentum propoſitum non ſolvere, & conſequenter, convictum contrariam ſententiam tenere. Sed certè hi non attigerunt morem, ac conſuetudinem Scoti in tractandis quibuſdam quæſtionibus: quia per ſimilem clauſulam tantùm ſe remittit ad alibi dicta: Reſpondeo ergo ad mentem ejus ex alibi dictis, quòd natura Chriſti poſſit dupliciter conſiderari, ſemel cum ſuppoſito humano proprio; & ſic adoptio eſt proprietas ejus; aliò modò, ùt eſt natura denudata propriò ſuppoſitò, & cù ſuppoſito Divino; & ſic adoptio non eſt proprietas naturæ Chriſti: ratio eſt; quia adoptio fundatur in natura, & ſuppoſito ſimul probabiliter loquendo: natura verò Chriſti humana cum ſuppoſito Divino non poteſt fundare Filiationem adoptivam; aliàs ſuppoſitum Divinum eſſet capax novæ relationis, & conſequenter mutationis.

14. *P. Faber putat modò de Fide tenendum, Chriſtum quà hominem non eſſe Filium DEI adoptivum.*

Quæres: An ſit de Fide tenendum poſt Conc: Francoford: quod Chriſtus quà homo non ſit Filius DEI adoptivus, accipiendo ly *quà*, ſpecificativè, in quantùm deſignat naturam humanam, & non ſuppoſitum? Faber noſter reſpondet affirmativè. Ratio eſt ejus; quia Adrianus Papa in Epiſtola inſtructoria circa hoc punctum adducit multas authoritates S. Scripturæ, quibus probat, Chriſtum quà hominem eſſe verum Filium DEI: præſertim Joann: 5. *Pater meus, uſq; modò operatur.* Et Joann: 17. *Et nunc clarifica me Pater.* Poſt quæ adducit Papa Reſponſionem Adverſariorum his verbis; *quòd ſi ſecundùm eorum callidam tergiverſationem, cuncta quæ protulimus, ad Divinitatem Filij DEI referenda opinantur, dicent &c.* Et deinde hanc Reſponſionem refutat, oſtendens alijs rationibus, quòd Scriptura S. quando vocat Chriſtum Filium DEI, intelligat de Chriſto, non ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem, & allegat principaliter illud ad Rom: 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit DEUS, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; ex qua authoritate ſic arguit Pontifex; *ſcimus enim quòd non eſt traditus ſecundùm Divinitatem; ſed ſecundùm id, quod homo verus erat; illum nimirum hominem Apoſtolus proprium Filium DEI proteſtatur:* Ergo videtur

detur esse de Fide, Christum quà hominem non esse adoptivum Filium DEI.

15. *Verùm ejusdem discursus solùm est probabilis.* Verùm licèt discursus P. Fabri magnam habeat probabilitatem; Ego tamen cum eo non præsumo gravissimos AA: etiam novissimos, Tartaretum videlicet, Lychetum, Radam, Durand; Arriag. & Poncium nostrum hæresis damnare, qui oppositum probabiliter sustinent. Unde P. Poncius *in Commentarijs* bene ostendit, posse sinè præjudicio Fidei, S. Scripturæ, & Conc: Francofordi oppositum sustineri apud viros prudentes; abstinendum tamen esse coram simplicioribus ab isto termino Filij adoptivi, propter periculum, quòd fortassis malè intelligeretur, & in sensu hæretico acciperetur.

16. *Poncius respondet ad authoritatē Concily Frācofordi.* Ad authoritatem Concil: Francoford: Respondet Poncius; Concilium declarare duntaxat Christum non esse Filium DEI adoptivum, in sensu hæreticorum, asserentium Christum ùt hominem, seu personam creatam Christi non fuisse ullo modò Filium naturalem; sed adoptivum, sicut cæteri homines justi; & quòd sic in Christo essent duæ personæ realiter distinctæ, Divina & creata; unde omnes Scripturas facientes mentionem de Filiatione naturali Christi explicabant, & applicabant præcisè alteri Personæ Christi, scilicet Divinæ. Contra hanc Doctrinam meritò Pontifex Adrianus insurrexit, & docuit, quòd Christus in quantùm homo, id est, in quantùm dicebat illam personam quæ verè erat homo, sit Filius naturalis non adoptivus: docuit ergo Papa, unicam tantùm esse personam Christi, quæ erat verè Filius naturalis, non duas; uti tacitè faciebant illi Episcopi citati. Hoc autem potest esse verissimum, quamvis Christus ùt homo esset Filius adoptivus in alio sensu Catholicorum; qui sensus est, quòd sit unica Persona in Christo, quæ secundùm naturam Divinam sibi conjunctam est Filius DEI naturalis, simul etiam adoptivus, in quantùm habet conjunctam naturam humanam, quæ præcisè est adoptata. Et in hoc sensu possunt etiam intelligi textus Scripturæ suprà allegati.

17. *Poncius suam opinionem promovet.* Et quòd Summus Pontifex non hunc sensum, sed sensum Hæreticorum asserentium duas personas in Christo damnaverit, patet ex doctrina seu proba, quam adducit ex S. Athanasio sic dicente; *Si quis verò adversus Divinas Scripturas docet, alium esse Filium DEI, & alium, qui ex Maria Virgine hominem secundùm gratiam adoptatum sicut nos; quasi essent duo Filij, hunc anathematizat S. Ecclesia.* Hæc authoritas prorsus non esset ad rem, si Pontifex non putaret Hæreticos ponere duas Personas in Christo, quarum una esset Filius naturalis, alia adoptivus. Unde non probat ullò modò, quòd eadem persona secundùm unam naturam conjunctam possit esse Filius naturalis; & secundùm aliam Filius adoptivus. Quapropter probat Poncius ratione secundam sententiam. *Primò*; potest per communicationem idiomatum propriè & verè dici de Christo, quòd sit mortuus: Ergo similiter quòd sit adoptatus, detur disparitas. *Secundò*; si quid in Humanitate Christi impediret adoptionem, maximè Unio hypostatica, vel gratia habitualis, vel Personalitas; sed hæc non impediunt: Ergo &c. Prob: Min: non gratia habitualis; quia hæc non impedit in quocunque alio Sancto adoptionem ejus; Imò requiritur ad adoptionem: nec etiam Unio, vel personalitas; quia hæc non habent rationem Filiationis naturalis: Ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De vera Maternitate B. V. MARIÆ; ejusdémque Concursu physico ad Humanitatem Christi.



DICO primò: B. V. MARIA fuit vera Mater DEI, & hominis. Ita Scotus *3. dist: 4. qu. 1.* Alensis, D. Bonaventura, D. Thomas, Richardus, & communis TT.

Probatur prima pars: primò authoritate S. Scripturæ, quæ asserit B. Virginem fuisse Matrem Christi, qui est DEUS, sic dicitur ad Galat: 4. *Misit DEUS Filium suum factum ex Muliere*, ubi ly *factum* secundùm TT: idem est, quod generatum ex Muliere: generatio autem infert ex parte mulieris Maternitatem veram: Ergo B. V. Maria fuit vera Mater DEI. 1. *Beata Virgo fuit vera Mater DEI secundùm Scripturam.*

Probatur secundò authoritate SS: Conciliorum; definientium Beatissimam 2. *Concilia Oecumenica.*

mam ſemper Virginem deberedici veram Matrem Chriſti DEI; ùt videre eſt in Concilio Epheſino *Can:1.* Item in VI. Synodo Generali *Act:* 4. & 11. Item in VII; Synodo *Act:* 4. & 7. Et in Concilio Lateranenſi *Can:3.* Ergo &c.

3. *SS.PP.* Probatur tertiò authoritate SS.PP. idem affirmantium; unde D. Damaſcenus *cap:59.* relatus â Scoto in littera *diſt:* 4. *qu.1. in 3. DEI Genitricem verè Sanctam MARIAM prædicamus; ſicut enim verè DEUS ex ipſa genitus eſt, ita ipſa verè DEI Genitrix dicitur: DEUM enim aimus ex ipſa genitum eſſe, non ut DEItate Verbi principium eſſendi accipiente ex ipſa, ſed DEI Verbò ex ipſa incarnatô & genitô: non enim hominem nudum genuit B. Virgo; ſed DEUM verum, non nudum ſed incarnatum:* Ergo Beata Virgo Maria fuit vera Mater DEI.

4. *Et rationem Theologicâ.* Probatur quartò ratione Theologicâ: ut B. V. Maria ſit, & dicatur vera Mater DEI ſufficit, quòd genuerit naturam humanam ùt partem eſſentialem Chriſti, qui nunquam fuit purus homo; ſed pro omni inſtanti verus Deus & homo ſimul: Ergo B. V. MARIA fuit vera Mater DEI.

5. *Beata Virgo fuit quoque vera Mater hominis cõſequenter, ùti patet ex Scriptura.* Probatur ſecunda pars authoritate S. Scripturæ; quæ appellat B. V. Mariam veram Matrem Chriſti hominis, Genitricem Filij ſui, Chriſti, qui fuit verus homo, &c. ſic dicitur Math: 1. *cùm eſſet deſponſata Mater ejus* (id eſt JESUS) *Maria.* & Joann: 19. *Stabat autem juxta Crucem JESU Mater ejus.* Et Lucæ 2. *peperit Filium ſuum primogenitum:* Ergo B. V. Maria fuit vera Mater hominis Chriſti.

6. *Et SS. Concilys.* Probatur ſecundò authoritate SS: Conciliorum; Nicæni, Calcedon: Conſtantinop: Epheſini, Lateranenſis & aliorum, quæ in ſuis Symbolis definiunt, Chriſtum quà hominem eſſe in tempore ex Virgine natum: Ergo ipſa fuit vera Mater ejus. Idem docent SS. PP. paſſim in ſuis monumentis litterarijs; eſtque conſtans articulus Fidei; & TT: ſenſus. Ratio præterea Theologica id probat; quia B. V. Maria concurrit verè realiter, & phyſicè ad Humanitatem Chriſti generandam, ùt mox dicam, ſubminiſtrando puriſſimum ſangvinẽ, ex quo opere Spiritûs S. formata fuit: Ergo fuit vera Mater hominis Chriſti.

7. *Omnes Matres concurrunt ad formationem prolis.* Circa Concurſum phyſicum B.V. Mariæ ad Humanitatem Chriſti ſuppono hic *ex Schola mea Philoſophica,* Matres alias concurrere verè activè ad formationem prolis; ùti docet Scotus ex Galeno lib: *de ſpermate,* & Hypocrate contra Ariſtotelem *lib: 15. de Animalibus.* Avicennam, D. Thomam & alios. Unde

8. *Beata Virgo concurrit phyſicè ad formationẽ corporis Chriſti.* DICO ſecundò: B.V. Maria exercuit verum, phyſicum, & activum concurſum in formando corpore Chriſti. Eſt Scoti *3. diſt: 4. qu. 1. num: 3.* & Scotiſtarum communiter; contra Thomiſtas, Svarez, &c.

Probatur primò: authotitate S. Damaſceni *lib:3. de Fide Orthodoxa, cap: 48.* ubi exponens illud Scripturæ; *Spiritus S. ſuperveniet in te &c.* dicit; *virtutem tribuens* (ſubintellige Virgini) *ſuſceptivam ſimul, & generativam:* at ſi concurſus Beatæ Virginis non fuiſſet activus, ſed merè paſſivus, non bene adjungeretur, ly *tribuens virtutem generativam,* copulando illam cum virtute ſuſceptiva: Ergo B. V. Maria exercuit verum, phyſicum, & activum concurſum in formando corpore Chriſti.

9. *Quod ulteriùs oſtenditur ratione.* Probatur ſecundò ratione: aliæ Matres habent concurſum verè activum phyſicum in formatione ſuarum prolium; ùt latiùs doceo *in mea Schola Philoſophica;* quia nimirum adminiſtrant veram materiam, non minùs quàm Pater; ſed Beata Virgo ſubminiſtravit veram materiam, ùti docent SS. PP. & Concilia: Ergo habuit verum Concurſum phyſicum activum in formando corpore Chriſti.

10. *Scotus refutat D. Bonaventuram circa concurſum Beatæ Virginis.* Sed hic oritut nova difficultas oſtendendi, quomodo hujuſmodi concurſum activum potuerit habere; cùm corpus Chriſti fuerit formatum in inſtanti. Quâ in re ſunt varij dicendi modi: S. Bonaventura dicit, quòd Beata Virgo pro tanto dicitur activum habuiſſe concurſum, quia ipſa ſubminiſtravit materiam, in qua erat vis activa, & ideo poterat, quantùm erat ex ſe activè agere ad formationem corporis Chriſti, niſi præventa fuiſſet â Spiritu S. ratione cujus præventionis non egit; hoc exemplificatur ſic: Virgæ Aaron data eſt fœcunditas, per quam poſſet activè producere ſucceſſivè flores, & fructus; ſed non produxit; quia illam fœcunditatem prævenit virtus Divina ſubitò producens illos. *Contra* benè arguit Scotus *cit:* quia hòc ſtante Beata Virgo non fuiſſet vera Mater DEI; nec verè generaret; nam ſicut ignis non dicitur verè combutere ex eo, quòd ſolùm habeat vim comburrendi, ſi de facto non

cto non comburit actu, quia videlicet prævenitur ab agente fortiori calefaciente lignum: sic Beata Virgo non diceretur verè Mater Christi, & verè generare, ex eo, quòd tantùm potuerit agere activè ad formationem corporis Christi, si actu non egisset ratione prævetionis Spiritûs S.; dicitur autem vera Mater Christi, & verè generasse: Ergo &c.

11. *Varro ab eodem Doctore rejicitur.*

Varro dicit: quòd Beata Virgo potuerit coagere activè in instanti; quia ei fuit collata virtus supernaturalis, per quam egit. *Contra* rectè arguit Scotus multis rationibus; duas breviter hic pono: *Prima*, quia illa virtus esset non minùs creatura, quàm sit potentia generativa Beatæ Virginis: Ergo si potentia generativa Beatæ Virginis activè non potuit coägere Spiritui Sancto, sic similiter nec ista virtus supernaturalis. *Secunda:* nullum accidens potest esse principium producendi substantiam, ùt dicitur in Philosophia: sed illa virtus supernaturalis est accidens: Ergo non poterit esse principiũ coägendi Spiritui S. & generandi corpus Christi. Ut autem aperiatur Modus Scoti, quò subtiliter in Beata Virgine salvat concursum activum, etiam in instanti circa corpus Christi formandum.

12. *Expenduntur tres motus, localis scilicet, figurationis, & condensationis.*

Nota primò ex eodem *cit: num: 7.* in formatione corporis Christi tres præcedere motus: *Primus* est, *motus localis*, quò materia corporis generandi transfertur de loco suo, ad locum aptum generationi, id est, ad uterum, & dicitur congregatiò sangvinis seu materiæ aptæ ad generationem. *Secundus* est, *figuratio corporis generandi*, quæ figuratio fit cum aliquo motu locali; quia illa materia distribuitur in diversas figuras, & membra. *Tertius* est, *condensatio illius corporis corrumpendi*, sive illius materiæ sic figuratæ, ex qua generari debet corpus Christi, quæ est quædam alteratio præcedens generationem Corporis densioris; in fine autem hujus condensationis introducitur forma, quâ corpus est perfectè organizatum; quæ forma secundùm Thomistas est anima intellectiva; secundùm verò Scotistas admittentes formas partiales, est forma Corporeitatis. Isti tres motus per instantia temporis successivè fiunt in nobis, & quidem in Masculo spatiô quadraginta dierum; in Fœmina octuaginta; quibus expletis infunditur anima intellectiva. Aliqui AA. figurationem, & condensationem reducunt ad unum, & appellant illum motum organizationis, atq; sic ponunt tantùm duos motus; & sat probabiliter: hôc notatô

13. *Efficax Scoti argumentum pro cõcursu activo instantaneo Beatæ Virginis.*

Ostendit Scotus excellenter *loc: cit: num: 9.* quòd secundùm prædictos tres motus Beata Virgo potuerit activè coäcere Spiritui S. etiam in instanti, sic: nulla causa potest afferri propter quam non posset coagere activè in instanti Beata Virgo: Ergo coëgit sic: Prob: Ant: si essent aliquæ causæ, maximè hæ tres â Svar: & alijs Adversarijs assignatæ; vel *primò*; quòd Beata Virgo non habuerit causalitatem activam in se, sicut alia Mater. Vel *secundò*, quod admissâ talicausalitate non potuerit per eam coagere in instanti, vel ad inducendos tres terminos trium illorum motuum. Vel *tertiò*, datô etiam quòd potuisset coagere in instanti, tamen fuit præventa â Spiritu S. tanquam â virtute majori; sed nulla harum causarum probat Beatam Virginem non coëgisse activè Spiritui Sancto: Ergo &c. Non *prima*; quia omnia principia, & requisita ad concursum activum, quæ sunt in alijs Matribus, fuerunt perfectè in B. Virgine, puta potentia generativa, materia apta ad generationem: Ergo &c. Non etiam *secunda*; quasi per virtutem limitatam non posset inducere tres terminos illorum motuum, & maximè tertij, qui includit tot formas partiales heterogeneas, specie distinctas simul & semel; quia quando virtus activa non habet terminum adæquatum, potest simul agere in alium, & etiam plures terminos inadæquatos, dummodò includantur in primo adæquato; sed illi tres termini trium motuum, videlicet motûs localis, figurationis, & condensationis, seu inductionis plurium formarum partialium heterogenearum sejunctim accepti non sunt termini adæquati virtutis activæ Matris; sed potiùs totum corpus: Ergo vis activa Matris potuit in hos omnes simul.

14. *Occurritur cuidam replicæ.*

Dices: unumquemque terminorum istorum esse adæquatum; quia quilibet de facto petit induci per diversa instantia temporis: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: quia quòd de facto in diversis instantibus temporis dicti termini inducantur, ratio est; quia virtus activa Matris debet transire per diversa media, & impedimenta, quæ impediunt inductionem instantaneam omnium trium motuum simul: sicut contigit in omni agenti naturali acti-

vo; quia ideo nequit in instanti inducere, & ponere omnem suum terminum; quia transit per media retardantia; quibus tamen ablatis in instanti produceret terminum, v. gr. ignis nequit in instanti activè inducere calorem ùt octo; sed unum gradum post alterum, propter indispositiones subjecti ligni v. gr. induceret tamen, si tollerentur priùs indispositiones, & contrariæ qualitates formæ ignis: in proposito ergo cùm Spiritus S. supponatur tollere media impedimenta, & indispositiones prævias ad figurationem, condensationem, ac organizationem, potuit Beata Virgo dictos terminos simul in instanti inducere: & sic neuter erat terminus adæquatus.

15. *Continuatur argumentum præfatum Scoti.* Nec etiam valet *tertia* causa: quia sinè fundamento asseritur, quòd Spiritus S. prævenerit, & excluserit cooperationem activam Virginis: Ergo cùm potuerit activè concurrere in instanti, dicendum est, eam sic concurrisse. *Secundò;* Spiritus S. liberè egit; Ergo non exclusit coëfficientiam Beatæ Virginis: Ergo Infero universaliter, Beatam Virginem, non obstantibus his tribus causis, concurrisse activè in instanti ad formandum corpus Christi unà cum Spiritu Sancto.

16. *S. Damascenus explanatur in favorem.* Objicies primò ex Scoto contra secundam conclusionem: S. Damascenus *supra cit:* dicit, quòd Spiritus S. dederit Virgini virtutem susceptivam simul, & generativam: Ergo ipsa ex se nullam habuit activitatem ad formandum corpus Christi. Respondeo cum Scoto, quòd Damascenus non intendat negare Beatæ Virgini potentiam passivam, & activam ex se ipsi convenientem, quasi à Spiritu S. illam habuisset; quia Beata Virgo non fuit sterilis; sed potuisset cum viro generare proles; sed tantùm dicit; quia potentia ejus passiva, & activa remota naturalis fuit à Spiritu S. deducta ad esse potentiam proximam, quando eam obumbravit, ex eo, quòd fuerit ipse causa magis principalis, sicut in alijs generationibus, vir est causa principalior in ordine ad generandam prolem.

17. *Similiter D. Anselmus reconciliatur.* Objicies secundò contra eandem: S. Anselmus *lib. de Conceptu Virginali, cap. 11.* dicit, hanc generationem fuisse miraculosam: Ergo Beata Virgo nullam habuit actionem in illa: quia quæ miraculosè fiunt, non fiunt concurrente actione creatâ. Respondeo cum Scoto, Neg: Conseq: & dico, generationem posse dunbus modis considerari: *primò;* quoad modum reducendi potentiam naturalem activam Beatæ Virginis ad actum generandi, & quoad modum procedendi in hac Conceptione. *Secundò;* quoad ipsam potentiam activam Beatæ Virginis secundùm se considera tam. Considerando generationem istam quoad modum reducendi potentiam activam Beatæ Virginis ad actum, generatio illa fuit miraculosa; quia potentia Beatæ Virginis non erat apta nata reduci ad actum naturaliter, nisi ab activa causa naturali, Patre scilicet naturali: cùm ergo sit reducta à Spiritu S. intercessit miraculum: fuit etiam miraculosa quantùm ad modum procedendi in illa Conceptione; quia erat Conceptio instantanea, qualis non est in alijs Matribus concipientibus. Considerando verò generationem hanc secundò modò, ùt dependentem ab activa potentia Virginis, fuit naturalis; quia potentia generativa Virginis egit secundùm suam activitatem naturalem; non enim erat sterilis, sed fœcunda; egit insuper naturaliter in instanti, postquam Spiritus S. priùs abstulit media impedientia.

Objicies tertiò contra primam conclusionem: Virginitas, & Maternitas sunt opposita privativa: Ergo non poterant inesse simul Beatæ Virgini. Respondeo cum Scoto Neg: Ant: comparando Virginitatem cum quacunque Maternitate, sed tantùm Virginitas, & Maternitas orta ex consortio viri opponuntur: qualis non fuit in Beata Virgine. 18. *Non omnis Virginitas & Maternitas opponuntur.*

Nota ergo; Virginitatem secundùm S. Bonaventuram, D. Thomam, & TT: communiter dicere duo, scilicet integritatem mentis; & corporis: *Integritas mentis* est nunquam voluntariè consensisse in actum venereum, & in hoc formaliter consistit Virginitas. *Integritas corporis* consistit in immunitate à delectatione, quæ consistit in feminis resolutione, & in integritate signaculi virginei. Cùm ergo Beata Virgo conceperit Christum absque concursu hominis, & semen transmissum fuerit ad matricem absque ullo motu inordinato, vel concupiscentiæ, vel titillationis, qui causare posset delectationem, sinè etiam violatione signaculi; similiter cùm nunquam consenserit in ullum actum venereum; sequitur quod ejus Vir- 19. *Quid importet Virginitas?*

Virginitas steterit planè cum Maternitate.

20. *In partu Virginis nulla communes sordes adfuerunt.* Quæres primò: An in partu Virginis concomitatæ fuerint communes sordes Puerperij, id est, sangvis, secundinæ &c.? Respondeo Negativè. Colligitur ex VI. Synodo *Act: 11.* & S. Augustino *lib: de quinque haresibus, cap: 5. contra Faustum* dicente; *stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre.* Secundinæ porro ex Galeno *lib: de formatione fœtûs*, sunt quædam membranæ, quæ formantur in utero, quando concipitur fœtus, & in quibus involvitur usque ad tempus nativitatis; hæ rumpuntur tempore partûs, ut proles possit exire, post cujus exitum, Mater secundinas emittit, uti & copiam sangvinis, qui illis inerat cogregatus ad nutrimentum prolis. In partu autem Christi hujusmodi sordes non fuerunt emissæ; nam vel corpus non fuit formatum in illis secundinis, sed aliò modò supernaturaliter; vel si fuit, exivit sinè fractione earum; & Secundinæ deinde virtute Divinâ fuerunt mutatæ in aliam materiam; vel miraculosè aliò translatæ.

21. *Quænam fuerit materia subministrata à Beata Virgine in conceptione.* Quæres secundò: qualis fuerit materia, quam Beata Virgo subministravit in Conceptione? an sangvis, vel semen? Differt sangvis à semine, quòd sangvis perfectè primò decoquatur, & deinde ex eo generetur semen. D. Thomas & alij, qui tenent, Matrem non concurrere activè, docent materiam illam fuisse merum sangvinem, prout est in alijs Matribus, non quidem menstruum imperfectum, sed purum, & perfectè decoctum. Alij docent illam materiam fuisse verum semen: quid Scotus sentiat non est clarum; vellet etiam hoc subtiliùs indagare, stultùm videtur dicit S. Bonaventura *3. dist: 4. art: 3. qu: 1.* quia hîc debemus habere labia munda, & ista turpedinem habent annexam. Curiositatis tamen gratiâ teneo, quòd Beata Virgo subministravit utrumque, & verum semen, & verum sangvinem; sangvinem quidem, quia hoc sustinent SS: PP: semen etiam, quia sangvis nondum ita decoctus conversus fuit in semen, uti contingit in alijs Matribus: hæc autem conversio fuit facta virtute generativa ipsius Virginis, uti docet Richard: D. Bonaventura; estquè conforme principijs Galenistarum, & aliorum Medicorum. Ratio hujus est; quia partes solidæ, puta venæ, arteriæ, nervi &c. formantur ex semine virili, si adsit & fœmineo; molles verò ex solo sangvine. Quando verò SS: PP: dicunt; corpus Christi fuisse formatum ex sangvinibus dispersis, per corpus Virginis. Respondeo illos facere denominationem à majori parte materiæ, quam subministravit Beata Virgo, quæ fuit sangvis; tamen non excludunt etiam semen. Vel potest dici, quòd SS: PP: volebant castiùs loqui, & ideo unam materiæ partem tantùm expresserunt; non verò aliam.



DISTINCTIO VI.

De Existentijs; Substantijs; & Unitate CHRISTI.

QUÆSTIO I.

Utrum in Christo sit duplex Existentia, una Increata, altera Creata?

1. *Ratio tituli quæstionis.* NOTA primò: Scotum *3. dist: 6. qu: 1.* sub alijs terminis hanc tractare quæstionem; an videlicet in Christo sit aliud Esse Verbi ab Esse creato; sed majoris claritatis gratiâ placuit cum modernis TT: quæstionem sub propositis in titulo verbis ventilare. Circa quam

2. *Quid sit Esse Essentiæ, Esse Subsistentiæ, & Esse Existentiæ.* NOTA secundò ex eodem Scoto *loc: cit:* triplex in rebus distingui Esse; Esse videlicet Essentiæ, Esse Existentiæ; & Esse Subsistentiæ. *Esse Essentiæ* est illud, quò constituitur res in determinata aliqua specie, & genere Entis; & est idem quod ipsa Essentia; differtquè solùm ab Essentia in modo concipiendi, quòd ipsum concipiatur concretè, Es-

sentia verò abstractè. *Esse Subsistentiæ*, est Esse personale, quô res incommunicabiliter existit. *Esse* tandem *Existentiæ* actualis, quô res constituitur formaliter extra suas causas, & extra nihil.

3. *Existentia creata probabiliter est modus intrinsecus.*

NOTA tertiò: quod Existentia creata in probabiliori sententia Scoti sit modus intrinsecus, sequens ad Essentiam entis realis, identificatus realiter cum illo; distinctus tamen formaliter, ùti colligitur ex Scoto *2. dist: 3. q. 3.* ideò omnia entia realia propriè talia habent suas Existentias, quæ sunt eorum actus ultimi, nô quidem constituentes, vel distinguêtes Essentialiter, vel individualiter; sed sunt actus posteriores totâ coordinatione prædicamentali; prædicamenta enim abstrahunt ab Existentia; ideóque distinctio, inquit Scotus, per illos est quodammodo accidentalis.

4. *Est de Fide, quòd in Christo sit duplex Esse Essentiæ.*

NOTA quartò: de Fide esse, quòd in Christo sit duplex Esse Essentiæ. Ratio est; quia in Christo sunt duæ naturæ completæ impermixtæ; puta Divina, & humana: Ergo & duæ Essentiæ constitutivæ illarum naturarum.

5. *Et unicum tantùm Esse Subsistentiæ.*

NOTA quintò: similiter de Fide esse, quòd in Christo sit tantùm unicum Esse subsistentiæ, scilicet Personale Verbi, in quo subsistit Divina, & humana natura. Ita definit Concilium Ephesinum contra Nestorium Hæresiarcham. Solùm ergo controversia est de Esse Existentiæ inter Scotistas, & Thomistas; utrum sit duplex in Christo. Qua In re

6. *In Christo reperitur duplex Existentia actualis.*

DICO primò: In Christo est duplex Existentia actualis, una Verbi increata, altera creata naturæ humanæ. Ita Scotus *3. dist. 6. qu. 1.* D. Bonaventura, Albertus Magnus, & Neutristæ quasi omnes; imò Svar: ostendit ipsum D. Thomam nunquam docuisse oppositum: est autem conclusio contra Henric: Godfred: Cajetan: & Thomistas communiter, docentes naturam humanam Christi existere formaliter unicâ Existentiâ Increatâ Verbi.

Probatur primò ratione Scoti *cit:* terminus generationis substantialis ex Aristotele *5. Physic: text: 7.* est Esse Existentiæ, vel aliquid habens Esse Existentiæ: sed secundùm Damascenum *lib: 3. de Fide, cap: 7.* & Fidem, Christus verè generabatur temporaliter ex Maria Virgine: Ergo fuit terminus illius generationis, in quantùm habens aliquod Esse Existentiæ. Subsumo; sed non fuit terminus talis generationis, in quantùm habet Esse Existentiæ increatum Verbi; quia illud non est effectum per generationem temporalem: Ergo in quantùm habet Esse Existentiæ creatum. Et consequenter in Christo sunt duæ Existentiæ; una scilicet creata, & altera increata.

7. *Thomistæ replicantes rejiciuntur primò.*

Respondent Thomistæ unâ voce: Neg: Maj: & dicunt, quòd terminus generationis sit vel novum Esse Existentiæ, vel antiquum Esse Existentiæ, novô tamen modô se habens; & consequenter docent, quòd in generatione temporali Christi terminus generationis non sit aliquod Esse Existentiæ novum temporale; sed Esse Existentiæ increatum habens tantùm novum modum Essendi, scilicet ùt subsistit in natura humana. Hâc viâ quasi respondent ad omnes Scoti rationes. Verùm hæc Responsio *imprimis* est elusio manifesta doctrinæ Aristotelis: nam Aristoteles *cit:* intendit ostendere, quòd generatio sit semper ad novam entitatem, & novam Existentiam; non verò ad aliquid sub modo tantùm novo se habens: quod probo *primò*; quia aliàs sequeretur, quòd generatio esset potiùs alteratio, quàm generatio: sed hoc est falsum: Ergo &c. Probat: Maj: Aristoteles ponit quatuor species mutationis, scilicet ex non subjecto, in non subjectum, quæ non datur. *Secundò*; ex non subjecto in subjectum, quæ est generatio. *Tertiò*; ex subjecto in non subjectum, quæ est corruptio. *Quartò*; ex subjecto in subjectum, quæ est motus: generatio autem secundùm Thomistas non esset ex non subjecto in subjectum, sed ex subjecto in subjectum aliò modô tantùm se habens, & sic esset motus, quô comprehenditur alteratio: Ergo sequitur, quòd generatio, esset potiùs alteratio.

8. *Rejiciuntur secundò ex Scoto.*

Secundò rejicitur hæc Responsio ex Scoto *cit:* & est secunda ratio ejus pro conclusione: Christus fuit verè mortuus: sed per mortem destruitur aliqua existentia, quæ non poterat esse Divina: Ergo fuit humana: Ergo Christus priùs habuit Existentiam humanam. Si dicas destructum fuisse tantùm novum modum existendi Verbi. *Contra*, quia non est potior ratio, quàre non esset destructa existentia, cùm hæc magis judicetur esse ponenda in natura creata, quàm aliquis modus novus incognitus & frustra à Thomistis excogitatus.

9. *Rejiciuntur tertiò ex eodem Doctore.*

Tertiò rejicitur efficaciùs ex eodem Doctore: creatio terminatur ad aliquod

quod naturaliter existens, id est, ad existens per propriam existentiam: sed anima Christi fuit creata â tota Trinitate: Ergo habuit propriam Existentiam: Maj: Prob: quia creatio est actio, per quam entitas transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter: sed de esse simpliciter de novo acquisitum est Existentia creata; non verò increata: Ergo quod creatur acquirit propriam existentiam.

10. *Stabilitur doctrina conclusionis ex Scoto.*

Probatur secundò conclusio rursus ratione Scoti: si natura humana assumpta â Verbo sibi dimitteretur non annihilaretur, neque generaretur de novo, vel crearetur; cùm hujus nulla sit ratio; & tamen haberet existentiam actualem: Ergo etiam illam habet modò. Conseq: tenet; quia eadem esset penitùs tunc, quæ est modò; nulla enim intervenit mutatio positiva.

11. *Cajetani replica elidi- tur.*

Respondet Cajetanus cum alijs: quòd tunc produceretur in tali natura nova existentia, non quidem per actionem novam; sed per actionem antiquam, quâ â principio natura fuit effecta, & quæ suum effectum quoad ponendam existentiam non est sortita. *Contra*; Ergo natura, dum erat unita Verbo, non habebat omnem perfectionem pertinentem ad naturam, quod sinè ratione diceretur. Meliùs ergo diciture, naturam in Verbo habuisse omnem perfectionem naturæ, & consequenter etiam Existentiam. Plures alias rationes conclusionis positæ efficaciter probativas vide apud Scotum *loco cit:* Præter quas cape interea sequentem meô judiciô efficacissimam; quâ

12. *Roboratur tandem conclusio.*

Probatur ultimò conclusio: ratio quæ nos, & Thomistas cogit ponere in Trinitate duas existentias, absolutam scilicet, & relativam; eadem nos cogit ponere in Christo duas existentias, creatam, & increatam: Ergo. Prob: Ant: ratio quare ponamus in Trinitate duas, est; quia in Trinitate est entitas absoluta, & relativa, Essentia scilicet, & Persona, habentes duos diversos modos essendi; sed etiam in Christo sunt duæ naturæ postulantes diversos modos existendi: Ergo eadem est ratio.

13. *Essentia nequaquam distinguitur realiter ab Existentia.*

Objiciunt primò Thomistæ consvetum suum argumentum: Essentia distingvitur realiter ab existentia: Ergo ratione talis distinctionis in assumptione naturæ, sola Essentia fuit assumpta, non verò Existentia. Respondeo Neg: Ant: falsissimum, propter principia, quæ in Philosophicis quæstionibus passim ab omnibus Scotistis proferuntur; & ego latiùs prosequor *in Schola mea Philosophica Scotistica.*

14. *Aristoteles non cognovit distinctionem realem naturæ singularis ad personã.*

Objiciunt secundò: Existentia est proprietas personalis per se conveniens personæ, naturæ verò ratione personæ; sed in Christo est tantùm unica Persona Verbi: Ergo & una Existentia. Maj: Prob: quia persona est, quod generatur per se primò; non natura, uti docet Aristoteles *5. Physic:* sed illius est existentia quod generatur: Ergo existentia est proprietas personalis. Respondeo Neg: Maj: ad Aristotelem dico, quòd Aristoteles non cognoverit distinctionem realem naturæ singularis â persona; ideo consequenter erravit dicendo, personam esse terminum per se primum generationis; cùm tamen natura singularis sit terminus talis generationis; persona verò secundarius tantùm.

15. *SS PP. & VI. Synodus interpretantur pro conclusione.*

Objiciunt tertiò Sextam Synodum *Act: 11.* in Epistola Synodica Sophronij docentem; *in illo & non in seipsa habuit* (scilicet caro Christi) *Existentiam unam.* Et S. Damascenum, *lib: 3. Orthodoxæ fidei, cap: 22.* dicentem: *humanitatem Christi ipsâ assumptione fuisse creatam.* Et S. Fulgentium *lib: de Incarnat: cap: 3.* dicentê: *quòd ipsa acceptatio carnis fuit conceptio Virginalis:* Ergo natura Christi non habuit priùs aliquam existentiam, quàm assumeretur. Respondeo *primò ad Primum*; quòd Concilium non habeat illa ultima duo verba, *cum Verbo*, quæ addit Medina Thomista, ut per fas, & nefas suam firmet authoritate sententiam. Respondeo *secundò* glossando Concilium; & dico, quòd solùm velit, quòd caro Christi non habuerit priùs duratione Existentiam, quàm uniretur Verbo; sed simul & semel fuerit genita, atque unita; quod negabant quidam hæretici. Vel certè Concilium accepit Existentiam subintelligendo personalem, pro subsistentia; quia Existentia personalis est idem, quod Subsistentia. Ad SS. PP. objectos Respondetur quoque, eos solùm velle, quòd in eodem instanti formata fuerit caro seu humanitas Christi, quô fuit assumpta â Verbo. Addo, quòd authoritas D. Damasceni perperam adducatur; nam oppositum planè sustinet *in eodem lib: cap: 22.* dicens, *Carnem ab ultimo Ortu DEO Verbo unitam esse; imò potiùs in ipso extitisse, & personalem cum eo Identitatem habuisse.* Ubi nota præfatum Patrem non dicere *Carnem*

nem per Verbum, sed *in Verbo extitisse*; quia Verbum non est ipsamet existentia humanitatis; sed terminus Existentiæ illius.

16. *Henrico opponenti satisfit.* Objicit quartò Henr: *Quod:3.qu.2.* si pars adveniret de novo alicui toti, habenti esse perfectum, tunc totum non reciperet aliquod Esse à parte, sed tantùm haberet novum respectum ad illam partem; exempli gratiâ, si miraculosè Antonio pes uniretur: sed natura humana Christi est quasi inserta, & advenit supposito Increato præexistenti: Ergo Verbum ab illa non recepit aliquod novum Esse Existentiæ. Respondeo *primò* cum Scoto Neg: Maj: quia si acciperet tantùm novum respectum, & hic sit rationis, ùti dicit Henr: sequeretur, quòd Verbum in quantum homo, non esset aliquid de novo formaliter: nullum enim subjectum dicitur esse aliquid formaliter de novo per solum respectum rationis: sed sequela est falsa: Ergo &c. *Secundò* Respondeo Neg: similiter Maj: quia pars adveniens toti revera communicat aliquod novum Esse; unde cui adjiceretur de novo manus, diceretur secundùm novum Esse, manuatus: Ergo similiter cùm natura adveniat de novo Verbo, Verbum secundùm ejus Esse Existêtiæ dicetur humanatum. Tandem dico cum Scoto hic Negando naturam humanam advenire Verbo ùt partem; habet enim in Christo esse completum in suo genere; atquè adeò cùm sit natura integra, habet suam propriam Existentiam.

17. *Aliud argumentum ejusdē evertitur.* Objicit quintò idem Author: accidens non dat aliquod Esse subjecto suo; aliàs tot essent existentiæ in subjecto, quot sunt essentiæ accidentiū; sed natura humana Christi est quasi accidens Verbo; Ergo &c. Resp: cum Scoto, Neg: Maj: quia accidens cùm habeat proprium Esse existentiæ actualis, distinctum ab existentia subjecti; quia potest existere sinè subjecto, ùti patet in Sacramento Altaris, ubi factâ Transubstantiatione quantitas existit sinè subjecto; propterea accidens poterit hujusmodi Existentiam communicare subjecto: sic v.gr. albedo dat parieti esse album, & etiam album existere.

18. *Godfredus quoq; conteritur.* Objicit sextò Godfredus: qualitas & substantia sunt quanta unicâ quantitate: Ergo similiter Persona Divina, & natura humana sunt existentia eâdem Existentiâ Verbi. *Contra primò* arguo cum Scoto; quia si hæc ratio concluderet, probaret quòd natura humana Christi, sicut de facto formaliter existens existentiâ Verbi; ita esset formaliter bona bonitate increatâ Verbi, formaliter infinita, verax &c. infinitate, ac veracitate Verbi; quod est omninò falsum. *Contra secundò* Nego paritatem: disparitas est; quia quantitas est accidens realiter distinctum à qualitate & substantia; unde non est necesse ipsam multiplicari; sed poterit substantia & quantitas simul compenetrata, vel simul existentia in eodem subjecto eâdem quantitate reddi quanta: non sic est de Existentia, quæ cùm sit consubstantialis Essentiæ suæ, oportet quòd tot sint Existentiæ, quot sunt Essentiæ distinctæ.

Objicies septimò ex Scoto: Esse constituit ens: Ergo si Christus habet duo Esse Existentiæ, Christus erit duo entia; quod est contra S. Bernardum *ad Eugen:* dicentem; *in Christo esse maximam Unitatem, post illam, quæ est in Trinitate.* Respondeo cum Scoto Neg: sequelam; quia etiam habet duas Voluntates, & tamen non dicitur duo Volentes: Ratio est; quia hoc Concretum ens, sicut & quodlibet aliud, non multiplicatur, vel numeratur propriè, nisi multiplicetur, vel numeratur suppositum; quod in Christo non contingit. Ad S. Bernardum potest dici, quòd loquatur de maxima unitate, quæ dicitur talis ex perfectione extremorum, quæ in Christo sunt perfectissima, saltem alterum Verbi Infiniti. 19. *Alia objectio resolvitur.*

Objicies ultimò: sequitur Unionem naturæ cum Verbo non fore substantialem, si maneat propria existentia; quia duæ res realiter distinctæ, & habentes existentias distinctas non possunt uniri substantialiter: Ergo &c. Respondeo Neg: sequelam, cum Probatione ejus; est instantia clara in materia, & forma physicâ, quæ habent diversas existentias; & tamen substantialiter uniuntur. 20. *Rursus quidam objectio respondetur.*

Nota hic: quòd possit concedi, cautè tamen, inter naturam humanam Christi, & Verbum non intercedere rigorosam Unionem substantialem; sed accidentalem, & consequenter Christum esse ens per accidens, ùti tenet Doctor hìc *num: 8.* in hoc scilicet sensu, quia est Unio entis completi cum ente completo; item quia est formaliter relatio, & accidens: tamen ùt Scotus advertit, iste modus loquendi non bene sonat, 21. *In praxi Unio naturæ humanæ Christi cum Verbo appellanda est substantialis.*

nat, propter periculum, quod esset, intelligendi ipsum in sensu aliquo hæretico, aut malo; unde debet absolutè dici, quòd sit substantialis: *primò*; quia ita loqvuntur communiter TT. *Secundò*; quia ita loquendum mandavit Concilium Lateranense sub Martino I. *consult: 5. cap: 6.* dicens; *si quis secundùm SS. PP. non confitetur propriè, & secundùm veritatem naturarum, substantialem Unionem indivisè, & inconfusè in Christo cognitam, condemnatus sit.* *Tertiò*; quia hæc Unio unit suas veras substantias completas.

QUÆSTIO II.

De tribus Substantijs; & Unitate Christi.


Irca primum articulum quæstionis magna olim fuit Controversia inter Episcopos Hispaniarum, & Benedictum II. Papam: nam ùti scribunt Ambrosius Maurus *lib: :: q. 38.* & Mariana *lib: 6 cap: 18.* Patres Concilij Toletani XIV. asseruerunt in Christo tres substantias; quod assertum dicitur noluisse approbare Benedictus II.

1. *In Christo possunt adstrui tres substantia secundùm Concilia.*

DICO primò: non est contra Fidem, aut rectam rationem in Christo asserere tres substantias. Ita moderni TT.

Probatur primò authoritate Concilij Toletani Conclusionem adstruentis; quam tandem etiam confirmavit Benedictus II, posteaquam debitè fuisset explicata per Guilielmum Archi-Episcopum Toletanum; ùti refert Rodericus *lib: 3. Historia Hispanica, cap: 13.* Eandem propositionem confirmavit Sergius Papa Successor Benedicti: Ergo non est contra Fidem, aut rectam rationem in Christo asserere tres substantias.

2. *Sanctos PP:*

Probatur secundò authoritate SS. PP. tres substantias in Christo confitentium: sic loquitur D. Bernardus *Serm: 3. de Vigil: Nativit: & attende, quia sicut in illa Divina singularitate Trinitas est in Personis, unitas est in substantia: ita in ista speciali connexione* (scilicet quæ in Christo reperitur) *Trinitas est in substantijs, in Persona unitas.* Idem planè asserit D. Augustinus *lib: 3. de Trin: cap: 17.* Isidorus *lib: de different: cap: 7.* & alij PP: Ergo &c.

3. *Et rationem Theologicã.*

Probatur tertiò ratione: In Christo sunt duæ naturæ, Divina scilicet & humana: sed Divina est vera substantia; humana autem continet animam, veram, & corpus verum, quorum quodlibet pariter est vera substantia: Ergo in Christo sunt verè tres substantiæ: atque adeò non est contra Fidem, aut rectam rationem in Christo asserere tres substantias.

4. *SS: PP: docent Christũ nõ esse compositum ex tribus Substantijs personalibus.*

Objicies: Plures PP: ùt Damascenus *lib: 3. de Fide, cap: 16.* Et Patres Concilij Francofordiensis *in Epistola Synodica ad Episcopos Hispania* asserunt non rectè dici de Christo, quòd sit compositus ex tribus substantijs: Ergo &c. Respondeo explicando PP: & dico, eos duntaxat velle, Christum non esse compositum ex tribus substantijs personalibus, aut tribus naturis distinctis, & disparatis.

5. *Quid importent ly DUO & UNUM Masculinè & Neutraliter sumpta.*

Circa alterum punctum quæstionis de Unitate Christi; Nota primò ex Scoto *3. dist: 6. qu. 2.* hæc nomina *Duo*, & *Unum* posse dupliciter capi, Masculinè & Neutraliter: secundùm eundem Scot: *cit: Masculinè* sumpta significat in Christo, & quocunque composito dualitatem, vel Unitatem naturæ: cujus ratio pendet ex voluntate AA. & PP: in hoc sensu instituentium has voces.

6. *Sensus Scoti in præsentiarum aperitur.*

NOTA secundò: Scotum in corpore hujus quæstionis magis tractare modum loquendi; quàm rem ipsam, quam in alijs locis examinat: quærit ergo hic, an in aliquo sensu sit bona hæc locutio Theologica, Christus est aliqua duo, vel Unum: quia tamen Voces à rerum veritate pendent, utrumque oportet hic simul tangere. Unde

DICO secundò: Non potest de Christo dici, quòd sit aliqua *Duo* capiendo ly *Duo* sive Masculinè, sive Neutraliter; sed quòd sit Unus. Est Scoti *loc: cit: num: 3.* prima pars est communis TT: altera est contra Durand: & Arimin:

7. *Non potest de Christo dici, quòd sit DUO Masculinè.*

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; quæ adstruit *unum*, & eundem Christum esse DEUM, & hominem; sic enim dicitur *1. ad Tim: 2. Unus est mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS.* Et alibi frequenter: Ergo Christus non potest dici *duo* Masculinè.

8. *Uti constat quoque ex Concilijs.*

Probatur secundò authoritate Cõciliorum Oecumenicorum hanc partem Conclusionis definientium; ùti videre est in Concilio Ephesino *in Confess: Fidei.* Et in Calcedon: *Act: 5.* Et in V. Synodo generali *Act: 8.* Et rursus in VI. Synodo *Act: 11.* Ergo &c.

Proba-

9. *Authoritate SS. PP.* Probatur tertiò authoritate SS. PP: nam S. Leo dicit *epist: 97. ad Leonem Imp: cap 3. Cùm ergo unus sit Dominus JESUS Christus, & vera DEitatis, veraquè humanitatis in ipso prorsus eademquè persona sit. &c.* Idem docet S. Ambrosius *lib: 2. de Fide, cap: 4.* Et S. Augustinus *in Enchirid: cap. 38.* Ergo non potest dici de Christo, quòd sit aliqua *DUO* capiendo ly *DUO* Masculinè, id est, pro dualitate personae; & consequenter relinquitur, quòd tantùm dici debeat de eo, quòd sit unus Unitate scilicet personae.

10. *Et ratione Theologica.* Probatur quartò ratione Theologicâ: secundùm probatam acceptionē hujus termini *DUO* Masculinè sumpti, per eum importatur dualitas hypostasum seu personarum: sed in Christo est unica duntaxat hypostasis: Ergo de Christo non rectè dicitur ly *DUO* masculinè sumptum.

11. *Neque de eodem posse dici, quòd sit DUO Neutraliter.* Probatur secunda pars: si posset dici de Christo ly *DUO* neutraliter, maximè propter dualitatem naturarum: sed propter hanc non rectè de eo dicitur: Ergo &c. Prob: Min: non potest dici ly *DUO* de Christo propter dualitatem naturarum; nisi priùs ipsae naturae in recto dicantur de Christo; sed ambae naturae non possunt dici de Christo in recto: Ergo. Prob: Min: quia licèt natura Divina ratione suae infinitatis, & identitatis cum persona Christi possit praedicari de Christo, dicendo Christus est Essentia, vel natura Divina; non potest tamen de eodem dici Christus est natura humana, vel humanitas; quia Christus supponit pro persona primariò, ùt patet ex Scriptura & PP. suprà *cit:* qui ideo Christum appellant unum, quia unam dicit personam; *unus est mediator DEI &c.* Ergo &c.

12. *Quaedam oppositiones Ariminensis resolvuntur.* Objicit primò Ariminensis contra secundam partem: bona est haec praedicatio in sensu formali; Christus est natura Divina, & humana: Ergo similiter ista, Christus est natura Divina, & Christus est natura humana divisim; & consequenter *Duo* neutraliter. Prob: Ant: ex Concil: Constantinop: *Act: 8.* dicente; *Christus est dua natura.* Similiter ex D. Damasceno *lib. 3. de Fide, cap: 8. Christus est dua natura, & dua natura sunt Christus:* Ergo &c. Respondeo *ad primum*, Neg: Ant: quia absolutè in Concilio Constantiensi damnatus est in sensu formali quartus in ordine error Joannis Huss, qui hujus tenoris erat; *Christus est dua natura.* Ratio etiam hujus falsitatis est; quia sequeretur Christum non esse DEUM ex admissione hujus propositionis; nam sicut aggregatum ex multis lapidibus non dicitur in sensu formali lapis, ita aggregatum ex natura Divina, & humana non bene diceretur DEUS; DEUS enim esset sicut unus lapis ex illo aggregato. Ad Concilium & Damascenum dico, quòd loquantur in sensu causali, acsi dicerent, quòd Christus constituatur ex natura Divina, & humana; non verò in formali, & in recto.

13. *Aliq discursus ejusdem Authoris infirmatur.* Objicit secundò idem Author: Christus est aliud, & aliud: Ergo est *Duo* Neutraliter. Prob: Ant: ex S. Damasceno *lib: 3. cit: cap: 7.* dicente; *alius personam indicat, aliud naturam*; Ergo cùm sint duae naturae in Christo, erit aliud, & aliud; & consequenter *Duo* Neutraliter. Respondeo Neg: Ant: & dico, quòd licèt secundùm Damascenum, imò & Leonem *Epist: 11. cap: 4* caeterósq; posset sobriè concedi haec propositio, *Christus est aliud, & aliud*; tamen dicit Scotus, eam potiùs esse negandam; quia juxta communem institutionem, & intellectum DD. Orthodoxorum significando diversitatem in natura substantiali ordinariè significatur in recto etiam diversitas in supposito; quia significatur per ly *aliud* diversitas simpliciter; in proposito autem est unicum tantùm suppositum Divinum; & consequenter non rectè dicitur aliud, & aliud; meliùs proinde, inquit Doctor, diceretur & formaretur propositio sic, *Christus habet aliud, & aliud.*

14. *Rursus aliud argumentum ejusdē evacuatur.* Objicit tertiò: Christus non est solùm DEUS: Ergo est DEUS, & aliquid aliud; & consequenter *Duo* Neutraliter. Conseq: tenet à simili; nam si ista est vera, non solùm homo currit, & valet Conseq: Ergo aliquid aliud ab homine currit: Ergo quando ly *solùm* ponitur ex parte praedicati, valebit etiam Consequentia; ùti in proposito contigit. Respondeo *primò* ad intricatum hoc argumentum Neg: Conseq: cum Conseq: Probae; diversimodè enim est discurrendum de illa particula exclusiva *solùm*, quando ponitur ex parte subjecti; & quando ex parte praedicati: nam quando ponitur ex parte subjecti, dicendo v. g. *solùm album currit*, non significatur per hoc, quòd Petrus non currat, Bucephalus non currat, si essent albi; sed tantùm significatur, quòd nigrum non currat, vel aliud quod non esset

esset album Sed quando ponitur ex parte prædicati, tunc denotat, quòd nihil conveniat subjecto præter illud prædicatum, cui ly *solùm* adjungitur; & quidquid dicitur formaliter, aut Essentialiter de illo; aut è contra; sic si diceretur, *lac est solummodo album*, sensus esset, quòd ex qualitatibus sola albedo competeret lacti. Et in hoc sensu negatur, quòd Christus sit solus DEUS; quia per illam propositionem significatur, quòd nihil ipsi competat nisi DEUS, & de quo D E U S formaliter & essentialiter prædicatur; quod est falsum; quia etiam homo competit ipsi propter Unionem hypostaticam Et ob similem causam debet negari quòd sit solus homo. Unde consequenter hujus propositionis opposita debet esse vera. scilicet *Christus non est solùm, vel solus DEUS, vel solùm homo*: sed negatur quôd inde infertur, scilicet, *Ergo est aliquid aliud à DEO, vel homine*; quia committitur fallacia consequentis, arguendo ab illa propositione præmissa, quæ habet plures causas veritatis ad unam illarum; nam ista præmissa, *Christus non est solùm DEUS*, potest habere plures causas veritatis; una potest esse, quòd Christus sit aliquid aliud à DEO; sed ista non adest in DEO; & tamen arguens supponit illam esse causam veritatis; & ideo est fallacia non causæ ùt causæ; Altera causa est, quòd Christus non solùm sit DEUS; sed etiam homo, quod prædicatum licèt non dicatur formaliter de DEO; dicitur tamen de eo ratione Unionis hypostaticæ; & consequenter non est à DEO aliquid aliud. Respondeo *secundò* breviùs Neg: Conseq: cum Conseq: Proba: quia ly *aliquid aliud* ordinariè supponit pro persona, quæ in proposito est unica: aut si supponat pro natura; cùm natura humana Christi abstractivè sumpta non sit prædicabilis in recto de Christo, consequenter de Christo ratione talis naturæ non potest dici ly *aliquid aliud* cum veritate.

15.
Expeditur alia objectio contra Conclusionem.

Objicies quartò: Personæ Divinæ dicuntur *Unum* Neutraliter propter Unitatem naturæ Divinæ: Ergo similiter Christus debet dici *duo* propter dualitatem naturarum. Respondeo Dist: Ant: propter unitatem naturæ Divinæ, quæ est in abstracto, & in concreto prædicabilis de Personis Conc: Ant: propter unitatem naturæ præcisè Neg: Ant: Itaque cùm natura humana Christi non possit in abstracto, & concreto prædicari de Christo, benè tamen Divina; hinc non debet dici *Duo* Neutraliter. Hâc viâ solvi possunt multæ Objectiones; & specialiter illa, quæ habetur in Scoto *cit:* quòd duæ differentiæ essentiales distinctæ, quales sunt in natura humana, & Divina Christi, faciant aliqua esse *Duo*: solvitur, inquam, Negando Assumptum præcisè; si naturæ affectæ illis differentijs non possint ambæ prædicari in abstracto, & concreto; ùti in Christo contingit.

16.
Durando objicienti respondetur.

Objicies quintò cum Durando: adjectiva seqvuntur genus substantivum secundùm Grammaticam: Ergo ly *Duo* in Christo debet sequi naturas in Christo: & cùm sint duæ naturæ, erunt *Duo* Neutraliter. Respondeo Dist: Ant: seqvuntur genus substantivum, quod immediatè attingunt Conc: Ant: quod mediatè & remotè tantùm attingunt Neg: Ant: & Conseq: Itaquè ly *Duo* in proposito attingit, & connotat immediatè suppositum, quod potest in recto prædicari de Christo, hoc autem est unicum; unde de Christo non potest dici Neutraliter ly *Duo*.



DISTINCTIO VII.

De Idiomatum Communicatione; & Modo loquendi in hoc Mysterio.

QUÆSTIO I.

Quid sit Idiomatum Communicatio in Christo; an admittenda; & sub quibus Regulis?

1.
Quid importet Idiomatû communicatio.



OTA primò: ly *Idioma* esse vocabulum Græcum, Latinè significans *proprietatem*: quare Idiomatum communicatio generaliter erit idem quod proprietatum communicatio. Et in pro-

in proposito Idiomatum communicatio in Christo erit communicatio proprietatum imbibitarum in naturis Christi: quam D. Maximus Martyr *in disp: cum Pyrrho* dicit fieri, *quando illa, quæ utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem:* sed quia non solùm proprietates naturarum; sed & ipsæ naturæ Christi de se invicem prædicantur, dicendo, *DEUS est homo*, & *homo est DEUS*; ideo

2. *Affertur vera definitio communicationis Idiomatum.* DICO primò: benè describitur Idiomatum communicatio in Christo, quòd *sit mutua quædam attributio tum naturarum, tum proprietatum seu perfectionum attributalium in utraque natura Christi dispersarum, ac etiam imperfectionum naturæ humanæ Christi ratione Unionis hypostaticæ.* Hæc elicitur ex dictis SS.PP. Gregorij, Nysseni, Ambrosij, Damasceni, & cæterorum mox citandorum.

Probatur: hæc descriptio efformata est secundùm communes leges Dialecticas, bonisque descriptionibus præfixas: Ergo eâ bene describitur Idiomatum communicatio in Christo. Per ly *mutua quædam attributio*, designatur genus hujus descriptionis: Reliqua statuuntur pro differentia.

3. *Debet in Christo admitti communicatio Idiomatum, ut liquet ex Scriptura.* DICO secundò: In Christo omnino admitti debet communicatio Idiomatum suprà descripta. Ita communis TT. & SS.PP.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ, quæ utitur hâc Idiomatum communicatione, dum humanæ naturæ Christi attribuit ea, quæ naturæ Divinæ propriè conveniunt; & vice versâ; sic Apostolus in Epistola ad Hebræos eundem Christum *cap: 1.* ratione naturæ Divinæ dicit, *Filium DEI, splendorem gloriæ, figuramquè substantiæ ejus, portantem omnia verbo virtutis suæ*, quæ sunt attributa Divina: Et tamen postea *cap: seq:* ratione naturæ humanæ eum prædicat, *paulùlum ab Angelis minoratum, propter passionem mortis gloriâ, & honore coronatum, &c.* quæ sunt attributa naturæ humanæ. Sic similiter idem Christus ad Rom: ab eodem Apostolo vocatur Filius DEI, & Filius Davidis, ùt observat D. Cyrillus *lib: ad Theodorum Imp:* cùm enim dixisset; *segregatum se esse in Evangelium DEI de Filio suo*; statim illum dicit, *factum esse ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius DEI in virtute*: quæ omnia dicta fiunt de Christo per Idiomatum communicationem: Ergo omnino admittenda est in Christo Idiomatum communicatio.

Pobatur secundò authoritate Conciliorum, quæ pariter adstruunt in varijs Confessionibus Fidei, eundem Christum *esse Filium DEI Unigenitum*; & *esse natum ex Maria Virgine*; quæ prædicata de eo verificantur per Idiomatum communicationem. Ita loquitur Concil: Nicæn: *in Symbolo*. Et Constantinopol: *in suo pariter Symbolo*: idem præstant Synodus VII, Tridentina, & aliæ: Ergo &c. 4. *Oecumenicis Concilys.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. communicationem Idiomatum in Christo apertis terminis asserentium: sic loquitur Gregorius Nissenus *libro 5. contra Eunomium*. Et S. Ambrosius *lib: 2. de Fide, cap: 4.* Et Damascenus *lib: 3. cap: 15.* Et S. Leo *Epist: 10. ad Flavian:* Et S. Cyrillus *Epist: ad Valerian:* Et Origenes *in Epist: ad Rom:* scribit, *per indissolubilem unitatem Verbi, & carnis omnia quæ carnis sunt adscribuntur & Verbo; quomodo & quæ Verbi sunt, prædicantur in carne*; ùtique per communicationem Idiomatum: Ergo &c. 5. *Et testimonys Patrum.*

6. *Corollarium præfatæ Doctrinæ.* Nota secundò: Ex hac Idiomatum Communicatione de Christo ratione naturæ Divinæ communicatæ verè asseri, *primò*, quòd sit omnipotens, omniscius, infinitæ bonitatis, infinitæ perfectionis, DEUS æternus, immensus, incomprehensibilis, ineffabilis, &c. *Secundò* ratione naturæ humanæ hypostaticè unitæ; quòd sit passus, mortuus & sepultus, sciens de novo, volens volitione finitâ; quòd sit homo &c.

7. *Communicatio Idiomatum non consistit in intrinseca formali communicatione attributorum.* DICO tertiò: Idiomatum communicatio non consistit in formali intrinseca communicatione attributorum; ita ut formaliter, & intrinsecè attributum unius naturæ denominet aliam naturam, & includatur intrinsecè ac substantialiter: v. g. omnipotentia Divinæ naturæ, naturam humanam. Ita communis TT: contra hæreticos complures, signanter Eutychianos &c.

Probatur: quia ex sententia Hæreticorum sequeretur unam naturam Christi conversam fuisse in aliam; & unionem factam esse in natura; quia facta esset in attributis Divinis, quæ sunt Divinæ naturæ proprietates: sed Fides in diversis Concilijs docet contra Eutychianos unam naturam non fuisse conversam in aliam; sed mansisse in Christo impermixtas *salvâ utriusq; naturæ proprietate*, ùt loquitur Concilium Calce-

Calcedon: *act: 5.* Insuper dogmatizat unionem illarum naturarum factam esse tantùm in persona: Ergo Idiomatum comunicatio non consistit in formali, & intrinseca communicatione attributorum.

8. *Sed in hoc, quòd ratione Unionis hypostaticæ attributa naturarum Christi eidem personæ Christi conveniant, & de eadem prædicētur.*

DICO quartò: Idiomatum Communicatio consistit in hoc, quòd ratione Unionis hypostaticæ duarum naturarum Christi, attributa & prædicata tum Divina, tum humana eidem Personæ Christi verè conveniant, & de eadem verè prædicentur. Ita communis Theologorum.

Probatur: Ista communicatio non consistit in communicatione intrinseca & formali atttibutorum, ùt resolutum est: Ergo relinquitur, quòd consistat in Unione ejusdem unicæ Personæ Divinæ in Christo inclusæ; quæ sufficit ad hoc, ut utriusque attributa conveniant Christo, & utriusque prædicata enuncientur de eodem. Quod ostendit Scotus *3. dist: 7. qu. 1.* exemplô duarum formarum accidentalium, realiter in eodem supposito unitarum, quæ ratione talis Unionis de illo, supposito verè prædicantur; v. gr. calor, & albedo unita supposito Francisci verè prædicantur de Francisco dicendo, Franciscus calidus est albus.

9. *Prima Regula pro rectè instituēda Idiomatum communicatione.*

NOTA tertiò: Circa ultimam partem hujus quæstionis; ut rectè instituatur, & efferatur Idiomatum Communicatio, attendendas esse sequentes Regulas. *Prima Regula*: omnia attributa, & prædicata Divina communia, quæ possunt de Verbo prædicari, possunt quoque prædicari de Christo homine; non item notionalia; & illa quæ ex natura sua repugnant sic dici. Exempla *primi*: veræ sunt hæ prædicationes, *Christus homo est DEUS; est immensus; est omnipotens; est infinita virtutis; est infinitæ scientiæ, &c.* Exempla *secundi*; non sunt veræ hæ prædicationes, *Christus est generans; est Pater; est Spiritus Sanctus.* Exemplum *tertij*; non est vera hæc prædicatio, *homo assumpsit Verbum; homo assumpsit naturam Divinam.*

10. *Secunda Regula.*

Secunda Regula est: omnia prædicata convenientia humanitati, possunt dici in concreto de Christo Verbo æterno, & DEO; sic benè dicitur de Christo, quòd Christus sit substantia creata; vivens, animal &c. item de Verbo, & DEO. Dixi notanter *in Concreto*; quia in abstracto illa prædicata, substantia, vivēs &c. de eis nequeunt prædicari dicendo; DEITAS est vita, animalitas. Ratio est; quia prædicata illa non possunt de Christo, DEO, & Verbo dici nisi ratione Unionis, quam inter ea intellectus prædicantis apprehendit; unde sublatâ per abstractionem illâ Unione, non manet ampliùs ratio prædicationis eorum de se invicem. Et propter hoc Damascenus *lib: 3. cap: 6.* dicit: *illud porro sciendum est, quòd DEUM quidem in carne passum dicimus; Divinitatem autem passam non dicimus.* Et Nissenus *lib: 3. Thesauri, cap: 36. unum advertendum est, quòd quamvis aliquando DEUM hominem, & hominem DEUM dicamus; Divinitatem tamen hominem, aut humanitatem DEUM non dicimus.* Nec refert, quòd aliqui SS. PP. dicant, quòd humanitas sit DEIficata, & Divinitas incarnata, &c. quia istæ locutiones aliud non important, quàm quòd humanitas, & Divinitas sint inter se unita in unitate suppositi.

11. *Tertia Regula.*

Tertia Regula est; prædicata Divina non possunt dici de Verbo Christo, aut homine cum replicatione istius particulæ *in quantùm homo, quà homo, ùt homo &c.* nec prædicata humana de Christo, vel DEO cum replicatione *in quantum est DEUS.* Ratio *primi* est; quia reduplicatio significat id, super quod cadit, esse rationem formalem, cur prædicatum conveniat subjecto; unde in proposito daretur intelligi, quòd humanitas esset causa, cur prædicata Divina competerent Verbo, Christo vel homini; quod est falsum. Ratio *secundi* est; quia aliàs per illa prædicata significaretur, quòd Divinitas esset ratio, cur prædicata hominis convenirent Christo, vel Verbo; quod est falsum similiter; aliàs Patri, & Spiritui S. etiam convenire deberent.

12. *Quarta Regula.*

Quarta est; nulla prædicata competunt Christo, aut Verbo Divino post Incarnationem, quæ denotarent ipsum non habere utramque naturam, aut significarent naturam humanam habere personalitatem propriam, quorum utrumque est falsum. Et hinc oritur, quòd de Christo non possit dici, quòd *sit purus homo,* aut *purus DEUS, &c.*

QUÆSTIO II.

Examinantur illæ Propositiones; *DEUS est homo; & Christus est homo; & DEUS factus est homo; & homo factus est DEUS.*

UT Idiomatum Communicationem, & modum loquendi in hoc Mysterio prosequar, cum Scoto hîc *dist: 7. qu. 1. & 2.* prælibatas quatuor propositiones examinabo. Unde

DICO primò: ista propositio, *DEUS est homo*, est verissima, & propriè dicta; non tamen est in rigore Logico propositio per se, & in materia necessaria seu naturali. Ita Scotus *loc:cit:q.1.* cum suis. Prima pars est communis TT: Secundam etiam tenent D. Bonaventura, Gabr: Capreol: Durand: &c.

1. *Hæc propositio: DEUS est homo, est vera & propriè dicta.* Probatur prima pars ratione Scoti *cit:* ad veritatem, & proprietatem hujus propositionis sufficit, aliquam Divinam Personam fuisse Incarnatam, & assumpsisse hominem: sed Persona Verbi est Incarnata, & assumpsit hominem, ùti docet Fides, & Scriptura: Ergo ista propositio *DEUS est homo* est verissima, & propriè dicta. Prob: Maj: ex S. Augustino *1. de Trinit: cap: 3 Talis fuit ista assumptio, ut DEUM hominem faceret*: Ergo &c.

Objectiones contra hanc partem propositas, & doctè solutas vide apud Scotum *3. dist: 7. q. 1.*

2. *Non tamen in rigore Logico per se.* Probatur secunda pars ratione quoque Scoti *cit:* bonus Logicus nullam admittit propositionem tanquam per se, & in materia necessaria seu naturali, nisi sit in primo, vel secundo modo per se; hoc est dicere, nisi prædicatum essentialiter includatur in subjecto: aut saltem habeat naturalem, & necessariam connexionem cum subjecto: sed ista propositio *DEUS est homo*, non est in primo, vel secundo modo per se; quia hoc prædicatum *homo* nec includitur essentialiter in hoc subjecto *DEUS*; nec habet cum illo naturalem, & necessariam connexionem; cùm sit ab eo separabilis, sicut in Triduo mortis re ipsâ fuit separatus: Ergo ista propositio *DEUS est homo* non est in rigore Logico per se, & in materia necessaria, seu naturali. Præterea in quavis propositione, quæ est de rigore Logico propositio per se, prædicatum, quod dicitur de subjecto communi, debet posse dici de quovis contento sub ejusmodi subjecto: sed hoc prædicatum *homo* de facto non potest dici de quavis Persona Divina contenta sub subjecto *DEUS*: Ergo non est in rigore Logico propositio per se.

3. *Peculiaris Doctrina Scoti.* NOTA tamen ex eodem Doctore: quòd prælibata propositio nec etiam possit dici cum omni proprietate propositio per accidens. Rationem reddit; quia ut aliqua propositio dicatur cum omni proprietate propositio per accidens, prædicatum ejus debet accidere subjecto propriè per modum accidentis: *homo* autem non accidit propriè per modum accidentis huic subjecto *DEUS*; cùm magis sit ens substantiale. In re nihilominùs ista propositio *DEUS est homo* magis dici debet per accidens, quàm per se; Ratio est; quia tametsi natura humana sit ens substantiale, est tamen extraneum DEO, & unione accidentali hypostatica, intimè tamen, unitum eidem.

4. *Hæc propositio: Christus est homo, est quoque verissima.* DICO secundò: hæc quoque propositio, *Christus est homo*, est verissima; non tamen omnino per se; nec per accidens. Ita Scotus *loc: cit: q.1.* cum suis.

Probatur prima pars: tum authoritate Sac. Scripturæ, quæ passim verè prædicat Christum hominem; ùt Joan: *8 quæritis me interficere hominem.* & *cap: 10. 11. & 12.* Tum authoritatibus SS. Conciliorum; & SS. PP. Christum verum hominem confitentium, & asserentium; quas adduxi suprà *Dist: 1. q. 1. Concl: 1.* Ergo hæc propositio *Christus est homo*, est verissima.

5. *Non tamen omnino per se, nec per accidens.* Probatur secunda pars: inprimis ista propositio, *Christus est homo*, non est propositio per se; quia ejus subjectum *Christus* non est ens per se, quod de rigore Logico requiritur ad propositionem per se: Ergo &c. Ant: patet, quia Christus includit duas naturas completas. Nec etiam est omnino per accidens; quia ly *homo* non est merè per accidens, vel sicut accidens connexus cum subjecto *Christus*, quod est nomen suppositi, includentis duas naturas substantiales unitas substantialiter, ùt habet Damascenus *lib: 3. cap: 38.*

6. *Homo est prædicatum univocum.* Quæres hîc: num homo prædicetur univocè de Verbo, Christo & alijs hominibus? Respondeo cum Scoto *cit:*

num:

respectu Verbi Christi & aliorum hominum. *num: 5. hominem* respectu præfatorum subjectorum esse quidem prædicatum univocum; non tamen univocè de ipsis prædicari. Ratio *primi* est; quia uti habetur ex prima constitutione vocum, ad hoc ut aliquod prædicatum dicatur univocum respectu quorundam subjectorum, sufficit, quòd sub eadem ratione de ipsis prædicetur, & insit ipsis, sive essentialiter, sive accidentaliter: ut autem aliquid prædicetur univocè de aliquibus subjectis, requiritur, ut & sub eadem ratione prædicetur de illis subjectis, & ut simul intrinsecè ac essentialiter in eis includatur. In proposito itaque tametsi ly *homo* sub eadem ratione specifica prædicetur de Verbo, Christo, & alijs hominibus, & propterea rectè dicatur prædicatum univocum respectu eorum; attamen quia homo non includitur intrinsecè, ac essentialiter in Verbo, & Christo, ideo univocè de ipsis non prædicatur.

7. *Hæc propositio: DEUS factus est homo, est quoq; verissima.* DICO tertiò: ista propositio, *DEUS factus est homo*, est similiter verissima, & propria. Ita Scotus *cit: qu. 2.* & communis Theologorum.

Probatur cum Scoto *cit: primò* authoritate S. Scripturæ; quæ adstruit Verbum hominem factum, ùt Joann: 1. *Verbum caro factum est*, ubi caro ponitur pro homine. Et ad Rom: 1. *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* *Secundò:* authoritate Symboli Nicæni, in quo habetur hæc propositio: *DEUS homo factus est.* *Tertiò* authoritate SS: PP: propositionem allatam apertè asserentium; unde Augustinus *1. de Trinit: cap: 13. talis fuit in illa unio, quæ DEUM faceret hominem.* Tum tandem ratione Theologicâ; DEO vi Incarnationis Verbi verè de novo advenit humanitas unita, quam antea non habuit semper: Ergo revera quantùm ad hoc potest dici *factus homo.*

8. *Sicut & hæc: homo factus est DEUS.* DICO quartò: ista propositio: *homo factus est DEUS*, pariter est verissima & propria. Hæc quoque est communis sententia TT.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ; quæ docet Christum esse factum Filium DEI; sic dicitur ad Rom: 1. de Filio suo, *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*; sed Christus secundùm quod homo est ex semine David: Ergo secundùm quod homo factus est Filius DEI; & consequenter ista propositio: *homo factus est DEUS*, est verissima & propria.

Probatur secundò authoritate SS. PP: istam propositionem passim ùt necessariam pronunciantium; sic loquitur S. Damascenus *lib: 3. cap: 11. Verbum caro factum est, & caro Verbum, & DEUS homo, & homo DEUS.* Et D. Augustinus *serm: 15. de Nativ:* & *1. de Trinit: cap: 13.* Et S. Gregorius Nazianzenus *Orat: 35.*; & alij PP: Ergo &c.

Quod rationibus Theologicis Scoti comprobatur. Probatur tertiò ratione Theologicâ Scoti *primò:* tunc aliqua res verissimè dicitur facta de novo, quando per actionem alicujus facientis efficitur de novo: sed homo per actionem SS. Trinitatis quà efficientis fuit unitus DEO: Ergo tunc fuit homo factus DEUS. *Secundò:* DEUS ratione Unionis hypostaticæ factæ cum natura humana verissimè dicitur factus homo; ùt pauló ante ostensum est: Ergo similiter homo ratione ejusdem Unionis in se receptæ verissimè dicetur factus DEUS. Unde benè advertit hìc Scotus *cit: num: 8.* quòd in hac materia, hæc sit prima, & principalis propositio, in qua fundatur veritas aliarum enuntiationum, quæ per Idiomatum communicationem de DEO, Christo & homine efferuntur, scilicet natura humana est unita hypostaticè Verbo. Ex hac immediatè sequitur ista, *Verbum est homo*; & mediatè hæc, *DEUS est homo.* Nam ratio, cur DEUS sit homo, est, quia Verbum est homo; & Verbum ideo est homo, quia habet sibi unitam hypostaticè naturam humanam. 9.

QUÆSTIO III.

Ventilatur illa propositio: *Christus est creatura.*



NOTA primò: Etiam hanc propositionem fundari in Communicatione Idiomatum; pro cujus intellectu advertendum; nomine *creatura* non intelligi hìc, ens aliquod creatum creatione propriè dictâ, quâ efficitur res ex nihilo, ùti est anima; vel quâ producitur res à solo DEO, ùti probabiliter producuntur habitus supernaturales gratiarum in anima justi: sed intelligitur ens aliquod, quod producitur in tempore ex materia præsubjecta. 1. *Quid intelligatur nomine creatura.*

NOTA secundò: hanc controversiam multùm habere de quæstione nominali: 2. *Nominalismus in præ-*

senti quæstione. minali: quæritur enim utrum de rigore sermonis benè possit dici de Christo hæc propositio, *Christus est creatura*: qua in re quia DD: diversimodè explicant rigorem sermonis, ex ea diversitate inducitur in Scholas Nominalismus; in quo, ùti & in omni alio puncto nominali regula generalis est, ut statim fiat conventio in ipsis terminis, de quibus oritur contentio, ut res meliùs examinetur.

3. *Varietas opinionum circa candē.* Itaque Magister Sententiarum *3. dist: 11.* D. Thomas, Richardus & alij negant bonam esse in rigore hanc de Christo propositionem, *Christus est creatura.* è contra, alij DD: cum Cajetano, Varr: Svar: Ponc: Mastr: Belluto ostendunt eam esse absolutè tenendam, & dicunt cum proprietate sermonis, & rigore Christum posse dici creaturam; quia tamen ambigua est, & de facili potest trahi ad Arianum sensum, docentem Christum esse puram creaturam, propterea non est simpliciter asserendum, Christum esse creaturam, nè cum hæreticis etiam in ipsis vocibus participare videamur. Sed est addenda determinatio, vel explicativa particula naturæ humanæ: quia tamen hôc nostrô sæculô Arianismus jam quasi sopitus est: proinde

4. *Ista propositio: Christus est creatura est absolutè admittenda.* DICO primò: hæc propositio: *Christus est creatura*, est absolutè bona, & vera per Idiomatum comunicationem, etiam in rigore sermonis. Hæc est Mastrij, Poncij, Belluti, & aliorum quorundam Scotistarum, ac Thomistarum; contra Fabrum aliósque Scotistas, & S. Bonaventuram. Est autem de mente Scoti *3. dist: 11. q: 1. & 2.* qui licèt hic videatur problematicus; nihilominus ad partem affirmativam magis inclinat: quod inde colligitur; quia postquam utramque sententiam impugnasset in textu, authoritates PP: pro prælibata parte affirmativa sibi objectas non solvit: Et quia in eodem *3. cit: dist: 11. q. 3.* contra Thomistas hanc aliam propositionem, *Christus incepit esse*, docet absolutè esse veram, & de rigore sermonis, quæ hanc supponit, & ex eodem principio, scilicet; quatenus Christus includit naturam humanam, habet suam veritatem ac rigorem; quidquid dicant alij Scotistæ, qui sanè debent dare disparitatem, ut contrariam Scoti mentem evincant.

Probatur primò authoritate SS: PP: qui expressis suis testimonijs Conclusionem tenent; unde ex SS: PP: S. Augustinus *Epist: 57.* dicit; *quod Verbum attinet, Christus est Creator; quod verò ad hominem, creatura est Christus.* Et S. Hieronymus scribens super Epistolam ad Ephesios, & commentans illum passum, *ipsius facttura sumus*; dicit: *multi timore trepidant, nè Christum creaturam dicere compellantur; nos autem liberè proclamus, non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum confitemur.* Idem docent S. Leo *serm: 3. Pentecost:* & Gregorius Nazianzenus *Orat: 34.* & alij: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: bonæ, & in rigore veræ per communicationem Idiomatum sunt hæ prædicationes de Christo, *Christus est mortuus, & temporaliter genitus, finitus, &c.* Ergo similiter & ista, *Christus est creatura.* *Secundò*: esse creaturam est de Essentia hominis veri physici; sed Christus est verus homo physicus: Ergo esse creaturam est de essentia ejus. Subsumo; sed quod est de essentia Christi cum veritate, & rigore prædicatur de Christo: Ergo &c. *Tertiò*; in humanitate Christi est relatio creaturæ ad DEUM; quia humanitas sinè controversia est creatura; sed relationes quæ sunt in humanitate attribuuntur Christo in cōcreto; sic enim dicitur Christus similis, æqualis, speciosus præ Filijs hominum: Ergo & creatus; & consequenter creatura. 5. *Ratio Theologica ad idem.*

Objiciunt Adversarij Scotistæ plures SS: PP: asserentes contrarium: nam S. Basilius *lib: 2. contra Evnom:* ex professo probat, Christum non posse dici creaturam. Idem habet S. Ambrosius *lib: 1. de Fide, cap: 6* Chrysostomus, D. Augustinus *lib: 83. qq: q: 67*, & alij complures: Ergo &c. Respondeo dictos SS: PP: specialiter egisse in suis scriptis contra Arianos, asserentes Christum debere dici puram creaturam; in quo sensu est proculdubiò neganda hæc propositio, *Christus est creatura*: cæterùm cùm sensus Catholicus fateatur Christum simul includere Divinitatem, & quærant tantùm de rigore sermonis, ideo dictæ authoritates nil facient contra conclus: 6. *Quidam Scotistæ oppositi reprimuntur.*

Objicit secundò S. Bonaventura: communicatio Idiomatum non fit in his, ubi est repugnantia unius proprietatis naturæ ad aliam; alias sequeretur prædicata contradictoria verificari: sed hic est hujusmodi repugnantia proprietatum; quia creatura dicit inceptionem secundùm suum esse, & æternitas 7. *S. Bonaventuræ opponenti respōdet Scotus.*

tas quæ est proprietas Filij, non dicit: Ergo non potest hic fieri communicatio Idiomatum in hac propositione, *Christus est creatura*: cùm Christus sit Filius DEI æternus, & creatura incipiens in tempore. Respondeo cum Scoto Neg: Min: quia sicut nulla est repugnantia inter proprietates diversarum naturarum, quando Christus dicitur mortuus, temporaliter genitus &c. quæ æquè inferunt in Christo aliquam inceptionem secundùm suum esse, & desitionem; ita dicendum erit de hac prædicatione, *Christus est creatura*.

8. *Scotistæ oppositi contentantur.* Objiciunt rursus Scotistæ: Scotus hic *num: 13.* dicit; quòd hoc nomen *creatura* sit nomen denominativum, natum denominare tam naturam, quàm suppositum: Ergo cùm Christus secundùm suppositum suum æternum non possit dici creatura, non poterit absolutè, & in rigore dici creatura. Respondeo *primò* ad hunc quorundam Scotistarum Achillem explicando Scotum; docet hoc probabiliter, transeat Ant: docet hoc absolutè tanquam suam mẽtem expressam Neg: Ant: Itaque cùm Scotus in hac quæstione sit problematicus, ostendit disputationis gratiâ tantùm viam, & modum, quomodo contraria opinio possit sustineri, & responderi ad argumenta nostra, quæ prætendunt ex Esse hominis quod de Christo verè, & in rigore dicitur, inferre etiam debere dici de eo ly *creatum*: dicit, inquam, non esse eandem rationem, & eödem modô discurrendum de hoc prædicato *hominis*, ac de prædicato *creaturæ*; quia ly *homo* est nomen natum denominare solam naturam humanam; ly verò *creatum* est natum denominare utrumque, & suppositum & naturam; ac proinde licèt hæc concedatur, *Christus est homo*, in rigore; non tamen hæc, *Christus est creatura*. Cæterùm cùm non sit potior ratio, quare ly *homo* potiùs diceret solam naturam; & non ly *creatum*, ideo hæc doctrina Scoti non videtut esse mens ejus absoluta. Unde *secundò* Respondeo Neg: Ant: absolutè; quia non est major ratio, quare ly *mortuus, sepultus, mutabilis, &c.* non denominarent naturam, & suppositum simul; & quare ly *creatura*; sed secundùm Adversarios illa non denominant suppositum: Ergo nec ly *Creatura*.

9. *Scotus à Scotistis Adversarijs adductis benignè reconciliatur.* Objiciunt quartò iterum: idem Scotus *loc: cit: q. 2.* dicit, hanc propositionem esse falsam, *Christus secundùm quod homo est creatura*: Ergo similiter hæc debet esse falsa, *Christus est creatura*; cùm creatura assumatur ratione hominis. Respondeo Scotum loqui hic consequenter ad prius dicta, & ex suppositione, quòd falsa sit hæc propositio, *Christus est creatura qu: 1. loc: cit:* proposita, quam D. Thomas, & alij dicunt esse falsam in rigore sermonis; nam reduplicatio illa *secundùm*, nil aliud operatur, quàm quòd addat causam prædicati cum subjecto, nullô modô variando terminos propositionis de Inesse, qualis fuit illa *Christus est creatura*; unde si illa est falsa secundùm plures AA: dicit consequenter Scotus, quòd etiam hæc est falsa, *Christus in quantùm homo est creatura*: circa primam autem est Scotus problematicus: Ergo circa hanc secundam similiter nil determinatè potuit asserere. *Secundò* dico Scotum dicere, ideo illam esse falsam, quia in sensu reduplicativo, & specificativo potest intelligi; & ideo est valde ambigua, dignaquè ut negetur. Pro quo

10. *Peculiaris doctrina Scoti de reduplicativis.* Nota ex Scoto *cit*: præclaram ejus doctrinam de reduplicativis: dicit enim quòd isti duo sensus reduplicativus, & specificativus constantes ijsdem particulis sint distingvendi: nam *reduplicatio* adjecta non variat terminos propositionis de Inesse; neque illos diminuit; aut distrahit; sed solùm est determinatio extremi ad extremum, id est, dicit causam, propter quam unum extremum determinatè uniatur alteri; v.g. dum dico, homo in quantùm animal est sensitivus, ly *in quantùm* significat tantùm hoc extremum *sensitivum* inesse alteri extremo *homini* propter animalitatem. Particula verò *specificativa* adjecta mutat terminos, quia alterum distrahit, facitque ideo diversam propositionem ab illa de Inesse v. gr. dum dico Æthiops est albus secundùm dentes, ly *secundùm* diminuit prædicatum albus, & dicit album non inesse absolutè; sed secundùm determinatam partem dentium. In proposito ergo dicit Scotus, quòd hæc propositio, *Christus secundùm naturam humanam est creatura*, in sensu reduplicativo possit negari; quia ejus propositio de Inesse in probabili sententia suprà est falsa absolutè, prolata secundùm Thomistas, quam reduplicatio hìc adjecta non variat; quod tamen non est mens Scoti: potest tamen concedi in sensu specificativo; quia ly *secundùm* specificativè acceptum signifi-

cat partem, secundùm quam hoc extremum *creatura* verè inest Christo.

QUÆSTIO IV.

Discutitur illa Propositio: *Christus incepit esse.*

1. *Quomodo sit exponendum ly incipit, & desinit.*



NOTA primò: quòd ly *Incipit*, secundùm P. Occamum in sua Logica *Tract: de propositionibus*, debeat exponi per unam affirmativam propositionem de præsenti, & per alteram negativam de præterito, & adverbium *Immediatè:* Exempli gratiâ hæc, *Christus incipit Esse*, sic exponatur; Christus est homo, & immediatè ante hoc non fuit homo. Similiter ly *desinit* debet exponi per unam exponentem affirmativam de præsenti, & per aliam negativam de futurò: v. gr. hæc, *Christus moriens desinit esse*, sic exponatur; Christus est homo, & immediatè post hoc non erit homo. Ex hac doctrina propositio præsens *Christus incepit esse* videtur resoluta pro parte affirmativa, quòd omnino sit vera; quia secundùm naturam humanam Christus immediatè ante non fuit, & modò est; & sic benè diceretur, quod Christus inceperit esse in rigore: tamen pro majori corroboratione ejusdem resolutionis per communicationem Idiomatum.

2. *Rectè dicitur de Christo, quòd inceperit esse.* DICO primò: potest de Christo verè, & in rigore sermonis dici, *quòd inceperit esse*. Est Scoti *3. dist: 11. q. 2.* cum suis; & P: Alensis, Vasq: &c. contra Thomist: Svar: &c. Circa hanc propositionem monet Scotus *cit:* nè passim utamur istâ propositione; quia & SS: PP: noluerunt eam concedere, nè convenire viderentur cum hæreticis, existimantibus Christum esse puram creaturam, & incepisse secundùm omne esse, etiam primum simpliciter; verùm cùm hôc nostrô sæculo nullum sit ampliùs periculum, ita hæreticè apprehendendi, & intelligendi dictam propositionem; proinde in ejus prolatione non videtur etiam ullus scrupulus formandus inter Catholicos DD: maximè in Scholis modernis Theologicis.

3. *PP: authoritas pro asserto.* Probatur primò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium: ita habet Fulgentius *lib: de Incarnat: cap: 10.* Et Leo Papa *serm: 3. Pentec:* Nazianzenus *orat: 35.* Et D. Augustinus *tract: 105. in Joannem*, ubi ait; *antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec mediator Christus:* Ergo si non erat, sequitur quod incepérit esse.

Probatur secundò ratione: ideo secundùm Thomist: hæc propositio esset falsa, & contra rigorem sermonis, *Christus incepit esse*, quia subjectum ejus ly *Christus* supponit præcisè pro Persona Christi, quæ nequit incipere; cùm sit æterna: sed Christus non supponit pro Persona præcisè in hac propositione; Ergo hæc propositio adhuc est vera, etiam de rigore sermonis. Prob: Min: Christus non supponit præcisè in his alijs propositionibus, verissimis etiam de rigore sermonis secundùm Adversarios; *Christus est mortuus; est temporaliter genitus; est homo &c.* pro supposito, seu Persona; quia Persona Divina non est mortua, nec genita: Ergo neque in ista, *Christus incepit esse*. 4. *Quædam ratio Theologica pro eodem.*

5. *Alia ratio Theologica.* Probatur tertiò rursus aliâ ratione ejusdem Doctoris: datô quòd Christus supponeret pro Persona Divina, adhuc tamen non sequitur hanc propositionem, *Christus incepit esse*, esse falsam, etiam de rigore sermonis: Ergo &c. Prob: Ant: quando aliquod subjectum est compositum ex duabus partibus, tunc prædicatum, quod competit subjecto secundùm unam partem, dicitur ei competere absolutè, v. g. in hac propositione verissima, *animal rationale est risibile*, ly *risibile* competit subjecto tantùm secundùm unam partem rationalis formaliter; & tamen absolutè bene, & in rigore sermonis dicitur de toto subjecto composito sic, *animal rationale est risibile*: Ergo similiter cùm hoc subjectum Christus sit compositum suô modô ex Persona Divina, & natura humana, consequenter hoc prædicatum *Incepit esse*, competens aliàs formaliter naturæ humanæ, absolutè poterit dici de Christo in rigore.

6. *Rursus aliud argumentum.* Probatur quartò: quod incipit esse secundùm esse substantiæ, incipit esse simpliciter; quia esse substantiæ est quoddam esse simpliciter: sed Christus incepit esse secundùm esse humanum, quod est substantiale: Ergo simpliciter bene dicitur de ipso quòd inceperit esse.

7. *Probatur tandem eadem conclusio.* Probatur quintò: quod generatur physicè, incipit esse temporaliter, & simpliciter, ex Aristotele *5. physic: textu communi 7.* generatio enim est ad esse simpliciter; sed Christus secundùm naturam

ram humanam verè physicè generatus est: Ergo incepit esse.

8. *Qualiter quadam propositiones sunt enuncianda de Christo.*

Collige ex his; quid sit dicendum de his nominibus, DEUS, Verbum, JESUS, Emmanuel incepit esse: nam hæ propositiones, *Verbum incepit esse*, & *DEUS incepit esse*, non sunt nudè proferendæ: sed cum addito explicante ambiguitatem earum, scilicet secundùm naturam humanam: istæ verò *JESUS incepit esse; Emmanuel incepit esse*, sinè addito proferri possunt. Ratio est; quia ly *JESUS*, & *Emmanuel* idem sonant quod Christus; de Christo autem bene dicitur sinè addito, quòd inceperit esse.

9. *Christus est Verbum homo, ac Ens per accidens Logicum.*

NOTA hìc secundo: Christum idem valere, quod Verbum homo; esseque ens per accidens; non quidem Metaphysicum, quod aggregat res diversorum generum, quorum unum aliud informat, ùt homo albus; sed ens per accidens Logicum, quod plura aggregat, quorum unum rationem & diffinitionem alterius non includit.

10. *Quadam Scriptura à Thomistis allata pro conclusione exponuntur.*

Objiciunt primò Thomistæ: istæ propositiones Scripturæ sunt verissimæ, *antequam Abraham fieret, ego sum.* Joan: 8. Et *JESUS Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula*, ad Hebr: *ult:* Ergo ipsarum contradictoriæ sunt falsæ, *Christus incepit esse post Abraham*; & *Christus est hodie existens factus &c.* Respondeo glossando textus allatos Scripturæ; nam cùm in Christo sit duplex esse, Divinum, & humanum; Divinum est Esse primum Christi, humanum est secundarium; proinde authoritates allegatæ loqvuntur de esse primo Christi; non de secundario. Deinde Nego illa contradictoria allegata esse vera contradictoria; sed istæ potiùs sunt formalia earum contradictoria, *Christus incepit Esse, secundùm Divinitatem, seu primum esse*; & *Christus est factus existens hodie secundùm Esse primum Divinum.*

11. *Cajetanus opponens dimittitur inanis.*

Objiciunt secundò: hæc propositio est damnata unà cum nonnullis aliis articulis ab Universitate Parisiensi: & cùm appellatum esset ad Alexandrum VI. confirmavit, & condemnavit eam de novo: Ergo &c. Respondeo, ita quidem docere Cajetanum; sed utrum in re verum sit, expressè aliunde non constat: nec firmiter Cajetano est credendum; cùm sit Cicero loquens pro domo sua. Sed datò quòd revera esset damnata; non tamen est damnata in sensu Orthodoxo, quem habet Conclusio; sed in sensu Arianorum, asserentium, Christum esse puram creaturam, ita ut secundùm omnem suam entitatem inceperit esse. Vel potest dici, quòd non sit formaliter damnata; sed tantùm ejus usus tunc temporis prohibitus; quia videbatur esse æquivoca, & asserebat periculum simplicibus eam trahendi in sensum Acatholicum, & Arianum: Unde & Scotus ipse dictæ Universitatis Parisinæ Apollo sui ævi, svadet ab ejus usu abstinendum. Cæterum inter Catholicos DD: laudabiliter ejus usum admittit, eámque proponit *loc: cit:* examinando, utrum de rigore sermonis sit vera; & cooludit quôd sic.

12. *Quadam objectio Thomistarum consellitur.*

Objiciunt tertiò: quando ly *Christus* ponitur pro subjecto in propositione, semper supponit materialiter, id est, pro supposito; & non pro natura: Ergo hæc propositio, *Christus incepit esse*, est falsa; quia suppositum Christi non incepit Esse. Prob: Ant: nam *1. ad Cor: 8.* dicitur, *per Christum omnia esse fabricata, & creata*, quod Christo convenit in illa propositione ratione suppositi: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: universaliter; nam in Scriptura etiam dicitur de Christo, quòd sit mortuus, genitus temporaliter &c. quæ tamen non conveniunt ei ratione suppositi. Itaque licèt in allegata *ad Cor:* authoritate, Christus supponat pro supposito, non tamen hoc universaliter de eo est dicendum; sicut nec in proposita nostra propositione, *Christus incepit esse*; unde dico meliùs esse tenere, Christum supponere pro utroque.

QUÆSTIO V.

Enucleatur illa Propòsitio: *Christus est DEI Servus; est homo DEIfer; & est homo Dominicus.*

1. *Status quæstionis aperitur.*

NOTA primò circa primum articulum hujus quæstionem nem *Servitutem* dicere aliquam subjectionem: ex quo sequitur Christum secundùm Divinam naturam in nullo casu posse per communicationem Idiomatum rectè dici DEI Servum; secundùm enim hanc naturam nullam dicit subjectionem. Unde prælibata in titulo quæst: propositio solùm ventilatur de

Christo secundùm naturam humanam, ratione cujus subjicitur DEO.

2. *Quid sit Servitus naturalis, peccati, legalis & pœnalis?*

Nota secundò secundùm communem Theologorum doctrinam; quadruplicem in sacris litteris memorari servitutem. Naturalem videlicet, peccati, legalem, & Pœnalem. *Servitus naturalis* est illa subjectio, quâ omnes creaturæ subduntur Dominio alto DEI quà Auctori totius Universi, eique servæ efficiuntur cum dependentia essentiali ad ipsum; de hac procedit illud Sap: *16. tibi factori suo creatura deserviens. Servitus peccati est*, quà homo se subdit spontaneè peccato; & consequenter dominio Diaboli; de hac loquitur D. Joannes *epist: 1. cap: 10. qui facit peccatum, servus est peccati. Servitus Legalis est* subjectio inducta â lege positiva, vel consvetudine; unde contrahitur vel jure belli, vel nativitate, vel emptione, vel justâ judicis condemnatione; hâc servitute unus homo subjicitur alterius Dominio, ita ut more pecudum â Domino possit vendi, ex Aristotele *1. Polit: cap: 3.* & liberè de eo disponi. *Servitus pœnalis est*, quà creatura rationalis se subdit DEO serviendo, & obediendo ex metu pœnarum subeundarum; de hac loquitur Apostolus ad Rom: 8. *non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.*

3. *Christus nequit dici Servus servitute peccati.*

DICO primò: Christus non potest dici Servus nec servitute peccati, nec servitute legali, nec servitute pœnali. Ita communis Theologorum.

Probatur prima pars authoritate Scripturæ; nam *1. Petri 2.* dicitur, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*: Ergo &c.

4. *Quod suadetur ratione Theologicâ.*

Probatur secundò ratione Theologicâ: Christi natura humana fuit perpetua, substantiali, & accidentali sanctitate, quæ opponitur peccato, referta; substantiali quidem resultante ex Divinitate, & Personalitate Verbi, ùti constat ex illo Nazianzeni, *orat: 4. de Theol: Christus est Divinitate delibutus, hæc enim humanitatis unctio est.* Et illo D. Augustini *lib: 15. de Trin: cap: 26. tunc ait unctam fuisse invisibili DEO humanam naturam, quando Divina est juncta Persona.* Accidentali etiam, ùti liquet ex illo Joann: *1. vidimus eum â Patre plenum gratia, &c.* Ergo Christus non potest rectè dici Servus servitute peccati.

5. *Neq; potest dici Servus servitute legali, quod patet ex Cōcil: Francoford:*

Probatur secunda pars authoritate Concilij Francofordiensis, quod omni nisu excludit â Christo servitutem legalem, seu rationem mancipij, tanquam oppositam ingenuitati, quâ pollebat Christus: & rationem reddit; quia eadem est Persona DEI, & hominis in Christo, *qua Persona unitas*, inquit S. Synodus, *adoptionis, & servitutis tollit injuriam; nam si DEUS verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc adoptivus esset, vel Servus*, scilicet servitute legali. Et propterea Adrianus Papa graviter corripit in sua *Epistola ad Episcopos Hispaniæ Felicem, & Elipandum*, Christum DEI Servum legalem, & Filium adoptivum prædicantes, *tanta vos* (inquit Sum̃us Pontifex) *dementia deludit; adoptivum eum - - - - Filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum; & quod pudet dicere Servum; cùm impij & ingrati tantis beneficijs Liberatorem nostrum non pertimeatis venenosâ fauce susurrare: cur non veremini queruli obtrectatores DEO odibiles illum Servum nuncupare, qui vos de Servitute Diaboli liberavit?* & paucis interpositis, *Dominum igitur Angelorum omnisq; creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis Servum, & adoptivum;* Ergo Christus non potest dici Servus servitute legali.

6. *Ex Patribus quoque.*

Probatur secundò authoritate SS. PP: notam Servitutis legalis pariter abolentium â Christo ob unionem hypostaticam naturæ humanæ cum Persona Divina Verbi: Unde Damascenus *lib: 4. de Fide, cap: 14. ac nisi caro* (scilicet humana Christi) *DEO Verbo copulata fuisset, serva procul dubio, & ignorans extitisset; verùm ob personalem cum DEO Unionem habuit, ut nec serva esset, nec in ignoratione versaretur.* Eandem doctrinam habet *lib: 3. cap: 20.* Et S. Leo Papa *serm: 1. de Nativ:* Ergo &c.

7. *Et rationibus Theologicis.*

Probatur tertiò ratione: Servus servitute legali nullum habet jus ad hæreditatem Domini ex *8. Ethic: cap: 11.* sed Christus quatenus homo habet jus quoddam, seu dispositionem de congruo ad Divinam hæreditatem propter Unionem ad Verbum, evehentem Christum ad statum ingenuitatis: Ergo non est Servus servitute legali. *Secundò*; Servus legalis, seu mancipium, non com̃unicat ullô modô cum Domino suo: sed Christus com̃unicat cum Patre in Divinitate, juxta illud *ad Coloss: 2. & 9. In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* communicat etiam in honore, & sede, juxta illud ad *Hebr: 1. & 3. Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis:* Ergo Christus non est Servus servitute legali. *Tertiò;*

tiò; propter vinculum Matrimonij, quod init Dominus cum Serva aliqua, Serva efficitur libera; quia per Matrimonium communicatur uxori dignitas nominis Mariti *ex Authen: de Consulib: §. si autem uxorem*. Et *L. mulier. C. de dignit:* sed humana natura Christi majori vinculo, putà hypostaticæ Unionis fuit copulata DEO, quàm Serva per Matrimonium Domino alicui: Ergo ratione talis vinculi remota fuit ab eo
8. omnis nota Servitutis legalis.

Nec Servus servitute pœnali.

Probatur tertia pars: ab anima Christi ob summam affluentiam Divinorum Charismatum, quibus ab instanti creationis præventa fuit, secludenda est conditio moralis, quæ eam dedecet; sed servitus pœnalis dedecet animam Christi: Ergo ab ea est excludenda; & consequenter Christus non potest dici
9. Servus servitute pœnali.

Potest tamen de eo asseri Servitus naturalis, uti habet Scriptura.

DICO secundò: De Christo nihilominus verè, & propriè potest per communicationem Idiomatum efferri hæc propositio, *Christus est DEI Servus servitute naturali.* Colligitur ex Scoto *4. dist: 36. q. unica*, & tenent communiter Scotistæ, Thomistæ, & plures RR: contra Lugon: Becan: Vasq: & ex nostris contra Vulpem, ac Centinum.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ, denominationem Servi Christo attribuentis; sic dicitur Isaiæ 42. *Ecce Servus meus suscipiam eum &c.* Et *cap: 53. in scientia sua justificabit ipse Servus meus multos*; ubi vaticinium est de Christo: sed hæ, & similes authoritates non verificantur de Christo secundùm ullam aliam Servitutem, quàm naturalem; cùm tres aliæ species servitutis, ùt ostensum est paulò ante, repugnent Christo: Ergo de Christo verè, & pro-
10. priè efferri potest hæc propositio, *Christus est Servus DEI servitute naturali.*

Authoritas SS: PP:

Probatur secundò authoritate SS: PP: servitutem in Christo agnoscentium, utique non aliam, quàm naturalem, ob rationem jam allatam; sic loquitur Isidorus *lib: 1. de sum: bono, cap: 16*, Et Hieronymus *in Epist: ad Titum, cap: 1.* Et S. Athanasius *serm: 3. contra Arian.* Et S. Augustinus *1. de Trinit: cap: 7.* ubi ait; *non immeritò Scriptura utrumque dicit* (scilicet de Christo) *& æqualem Filium DEI, & Patrem majorem Filiò; illud enim propter formam DEI, homo autem propter formam Servi sinè ulla confusione intellectûs.* Et S. Chrysostomus *hom: 7 in epist: ad Philipp:* ponderans illud, *formam servi accipiens*, dicit; *sicut in forma DEI perfectus est DEUS* (scilicet Christus) *ita in forma Servi perfectus est Servus:* Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: Servitus 11.
Et probat ratio Theologica.
naturalis consistit in subjectione, alicujus Dominium arguente, ita ut Dominus ejus possit ad libitum de eo disponere ex Aristotele *1. Polit: cap: 3.* sed natura humana Christi est perfectè subjecta alto Dominio DEI cum dependentia essentiali; cùm sit ens creatum à DEO, & hoc Dominium altum DEI arguit in DEO dispositionem de natura humana Christi ad libitum, unde potest eam annihilare sicut alia entia creata: Ergo Christus secundùm hanc naturam per comunicationem Idiomatum rectè & propriè dici potest DEI Servus servitute naturali.

Objicies *primò*: Concilium Francofordiense simpliciter censet Christum non esse Servum DEI, & eum asserere talem ait esse scandalum; interpellans enim Felicem, & Elipandum Episcopos dicit, *Intelligite in hac professione vestra duplices Diabolicæ fraudis latuisse dolos - - - dum & Dominum JESUM Christum Servum prædicatis, & adoptivum - - - considerate quale est hoc scandalum inter paganas gentes, ut dicatur. DEUM Christianorum Servum esse vel adoptivum - - - nos per illum à Servitute liberati, non ille nobiscum Servus:* Ergo &c. *Secundò*; Adrianus Papa dicit, *in Epistola ad Episcopos Hispaniæ*, Christum à Scriptura tantùm vocari allegoricè, & metaphoricè Servum: Ergo &c. *Tertiò*; plures SS: PP: ùt D. 12.
Varia objecta Adversariorum excludentia omnem à Christo Servitutem.
Chrysostomus *homil: 13, in epist: ad Hebr:* S. Leo *Serm: 1. de Nativ:* S. Damascenus *lib: 4. de Fide, cap: 19.* & alij absolutè negant Christum esse DEI Servum: Ergo &c. *Quartò*; Christus ratione Unionis hypostaticæ communicat in eadem Sede Majestatis, & honore cultûs communicat cum DEO: Ergo nequit dici DEI Servus. *Quintò*; nexus thoralis Servæ cum libero tollit omnem servitutis conditionem à Serva: Ergo à fortiori nexus Unionis hypostaticæ tollit à natura humana Christi omnem servitutem etiam naturalem. *Sextò*; servituti opponitur ingenuitas: sed Christus est ingenuus ob Unionem personalem Verbi: Ergo non est ullò modò servus.

Respondeo *ad Primum*, Neg: Ant: 13.
Quibus respondetur.
& glosso S. Concilium dicendo; quòd solum intendat excludere à Christo vel servitutem peccati, ùt volunt quidam DD.

DD: vel certè servitutem legalem, ùti ego puto, utpote Ingenuitati Christi ex Unione hypostatica resultanti oppositam; & talem asserere ait esse scandalosum. Et quòd hæc sit mens Concilij inde patet; quia Elipandus, contra quem agebat prælibatum Concilium, excludebat à Christo participationem ejusdem honoris, & excellentiæ cum DEO, quod utique fit ratione servitutis legalis, quæ in Servo est exclusiva paris dignitatis cum Domino suo. Ad *Secundū*, Neg: Ant: sed Papa in memorata epistola tantùm vult, Christum fuisse prophetice à Scriptura obumbratum, & mysticè præfiguratum per illos, qui vocati fuerant, & erant Servi DEI servitute legali, scilicet per Job, David, & Jacob. Ad *Tertium* glosso eòdem modò SS: PP: allatos, sicut Concilium Francofordiense. Ad *Quartum, Quintum, & Sextum* dico, illas rationes procedere duntaxat de servitute legali, seu Mancipij, quam constanter Nego in Christo. In forma ad singula Respondeo; ad *Primam* Dist: Conseq: Christus nequit dici DEI Servus servitute legali Conc: Conseq: naturali Nego Conseq: cum hac enim stat communicatio Servi in eadem sede, & honore Domini sui. Ad *Secundam* Neg: Conseq: disparitas est; quia Dominus Servam secutò Matrimonij nexu non ampliùs dispoticè habet in sua potestate sicuti ante, & propterea in rigore non est ampliùs ejus Dominus: sed humanitas Christi etiam secutò nexu Unionis hypostaticæ manet adhuc sub Divina potestate, & DEO supremo Domino subjecta sicuti ante; atque adeò manet adhuc Serva servitute naturali. Ad *Tertiā* Dist: Maj: servituti legali opponitur Ingenuitas Conc: Maj: naturali Neg: Maj: Itaque cum servitute naturali est compatibilis Ingenuitas; & insuper inferre potest jus ad hæreditatem; nam Protoparentes nostri, si in justitia Originali perseverâssent, ratione gratiæ sanctificantis, vel ipsiusmet justitiæ Originalis habuissent jus ad hæreditatem, puta ad vitam æternam, fuissentque Ingenui; & tamen simul fuissent Servi servitute naturali. Et Sancti, etsi sint Servi DEI hâc servitute; attamen sunt Ingenui; unde cantat Ecclesia de S. Agatha in Officio Divino Breviarij, *summa Ingenuitas ista est, in qua Servitus Christi comprobatur.* Et D. Hieronymus commentans illud *Psalmi 115. Domine, quia ego servus tuus*, ait, *grandis dignitas, & meriti est esse Servum DEI*; si dignitas: Ergo Ingenuitas.

14. Circa secundam propositionem in titulo quæstionis registratam, *Christus est homo DEIfer.* NOTA tertiò: eam per communicationem Idiomatum à quibusdam SS: PP: concedi, & asseri, puta à S. Maximo Mart: *in exposit: cap: 7. libri de Cœlest: Hierarch:* Et à S. Basilio varijs in locis, signanter *in Psal: 45. & 49.* Ab alijs autem Negatur, & repudiatur tanquam Nestoriana, scil: à Damasceno *lib: 3. cap: 12.* Et à Cyrillo *lib: 1. contra Nestor:* Cæterùm si præfata propositio rectè intelligatur, & debitè explicetur, quòd nimirum humanitas Christi sit DEIfera, non quòd DEUM portaret tanquam onus, & extraneum; sed suum, & proprium, hoc est intimè, ac personaliter conjunctum, nil de Nestorianismo participat; sed est vera omnino, & tolerabilis per communicationem Idiomatum. *Quid sentiendum de illa propositione: Christus est homo DEIfer.*

15. Circa tertiam propositionem *Christus est homo Dominicus.* NOTA quartò: SS: PP: quoque in ea permittenda & proferenda fuisse divisos: nam D. Athanasius *in profess: Fidei.* Et S. Epiphanius *in Ancorato.* Et D. Augustinus *libro 83. qq: q. 36* eam permittunt, & usurpant. Sed D. Hieronymus *lib: 2. Apolog contra Ruff:* Et Nazianzenus *epist: 51.* ipsam rejiciunt; eámque retractat D. Augustinus *lib: 1. Retract: cap: 19.* Ego puto dictam propositionem, in sobrio sensu intellectam, & prolatam esse tolerabilem, ac veram; si videlicet ly *Dominicus* dicatur ab humanitate, considerata in abstracto, quæ sic spectata non est Dominus, sed pertinens ad Dominum: Solent autem SS: PP: & rectè quandoque usurpare humanitatem pro homine; & pro simplicibus vel abstractis complexa nomina in unum adhibere. *Et quid de illa: Christus est homo Dominicus.*



DI-

DISTINCTIO VIII.
De Sanctitate multiplici; & Gratijs CHRISTI.

QUÆSTIO I.
De Sanctitate substantiali, & Personali Christi.

1. *Sanctitas à D. Dionysio definitur.*



NOTA primò: Sanctitatem à S. Dionysio *lib: de Divin: Nomin: cap:12.* rectè describi; *sanctitas est ab omni scelere libera perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas:* Hæc ad propositum alia est substantialis; alia Personalis; alia formalis: *Prima* habetur per adventum substantiæ alicujus ex se intrinsecè sanctæ, & justæ; sic v.g. Christus dicitur sanctus per adventum suæ Divinitatis, seu Divinæ naturæ substantialis, copulatæ cum sua natura humana. *Secunda* obtinetur per unionem personæ sanctæ v. g. unionem hypostaticam Personæ Verbi uniti naturæ humanæ Christi. *Tertia* acquiritur per infusionem gratiæ habitualis sanctificantis animam, v. g. quæ est forma accidentalis spiritualis supernaturalis. De prima, & secunda præsens movetur quæstio, nùm sit in Christo; & an per eas anima ejusdem sit verè sancta, seclusâ omni gratiâ habituali.

2. *In Christo reperitur Sanctitas substantialis, & personalis.* DICO primò: In Christo est sanctitas substantialis, & Personalis. Est de Fide; & communis TT: ac SS: PP:

Probatur: In Christo verè includitur Divinitas, & Persona Verbi, uti ostendi *dist: 1. qu: 5. Concl: 1. & 3.* tum ex Scriptura; tum ex Concilijs; tum ex PP: sed utrumque istorum sanctitatem aliquam importat: Ergo in Christo fuit sanctitas substantialis, & Personalis.

3. *Anima Christi esset sancta substantialiter, etsi ei gratia habitualis non inesset.* DICO secundò: Anima Christi est ita sancta à sanctitate substantiali & Personali, ut, si in hypothesi possibili nulla ei gratia habitualis, quæ est de facto forma sanctificans, fuisset infusa; adhuc revera sancta DEOque grata, & accepta foret beneficiô sanctitatis substantialis, ac Personalis. Ita communior Scotistarum; & Thomistarum; contra Paludanum &c.

Probatur primò authoritate Concilij Francofordiensis sic dogmatizantis *in epist: ad Episcopos Hispaniæ: Christus naturâ unctus, nos per gratiam; quia in illo fuit planè Divinitas:* Ergo sicuti nostra redditur revera sancta per gratiam habitualem; ita redditur anima Christi sancta per naturam suam Divinam: & consequenter est ita sancta hâc sanctitate substantiali, ut tametsi ei nulla gratia habitualis fuisset infusa, adhuc foret DEO grata, & accepta.

4. *Testimonia SS: PP: ad idem.* Probatur secundò authoritate SS: PP: asserentium, animam Christi unctam esse, id est, sanctificatam Incarnatione Verbi, præsentiâ DEI Unctoris, unctione Verbi, naturæ &c. quæ omnia indigitant sanctitatem ejus substantialem, & Personalem; sic loquitur D. Cyrillus *lib: 4. in Joann: cap: 29. Christus,* inquit, *unctus est, non sicut alij Sancti, & Reges; sed quia Verbum caro factum est.* Et Gregorius Nazianzenus *orat: 4. de Theol:* ait, *Christus igitur propter humanitatem* (subintellige unctus est;) *ea enim humanitas, unita est non actu, & operatione ut in alijs, qui Christi nuncupantur; sed totius Unctionis præsentiâ.* Et Athanasius *orat: contra Arian:* ubi introducit Verbum sic loquens, *Ego sum chrisma sicut Unctio, Christus autem sive unctus est homo, qui à me assumptus est.* Et Dionysius Alexandrinus *in epistola contra Paulum Samosat:* dicit; *quia in Joanne erat quidem opus labor justitia; in JESU autem naturâ;* hoc est dicere, Joannes ungebatur labore, & exercitatione virtutis ex gratia, sed Christus naturâ Divinâ seu DEItate: Ergo Christi anima foret sancta substantialiter, tametsi in hypothesi possibili nulla gratia habitualis ei fuisset infusa. Consequens tenet; quia tunc adesset adhuc sufficiens principium eam sanctificandi substantialiter, puta Divinitas, & Personalitas Verbi.

5. *Et ratio Theologica pro eodem asserto.* Probatur tertiò ratione Theologicâ: tum quia in casu absentiæ gratiæ habitualis anima Christi adhuc haberet jus ad gloriam supernaturalem ratione Unionis hypostaticæ: Ergo censenda esset

esset sancta sanctitate substantiali, & Personali. Consequ: tenet; quia ideo anima justi censetur sancta sanctitate accidentali; quia habet jus ad gloriam propter gratiam habitualem: Ergo pari ratione anima Christi in casu absentiæ gratiæ habitualis censenda esset sancta sanctitate substantiali, resultante vi Unionis hypostaticæ: quia propter eam haberet jus ad gloriam: tum quia non est potior ratio; cur in casu conclusionis â Divinitate, & Personalitate non delibaretur, & efflueret vera sanctitas substantialis in animam Christi, quàm quód â gratia habituali sanctitas accidentalis deriveutur in eandem animam: Ergo &c.

6. *Scotus pro conclusione reconciliatur.*

Objicies: Scotus videtur adversari huic Conclusioni; nam *3. dist: 10.* dicit; *propter illam solam* (scilicet gratiam habitualem) *Christus habet jus in hæreditate æterna; non autem propter solam unionem Personalem*: Ergo in hypothesi quód nulla gratia habitualis fuisset collata animæ Christi, non haberet jus ullum ad gloriam; & consequenter non foret sanctus. Respondeo *primò:* Scotum memoratô textu solùm opponere suæ Responsioni; & ipsam replicam non solvere, eò quód in alio loco intenderit eam enodare; quare dicit *Responsionem quære*. Ex quo sequitur, quód quemadmodum Conclusio hujus replicæ non est Scoti resolutiva mens; ita nec Major, in qua habentur illa verba: ineptum namque est dicere, Doctorem aliquem suam adstruere mentem, dum sibi opponit, & solutionem oppositionis differt. Respondeo *secundò* exponendo Scotum; & dico quód tametsi concederetur Scotum *loc: cit:* resolutivè suam mentem aperire; tamen solùm vult inferre, Christum propter Unionem hypostaticam præcisè non habere jus in hæreditate æterna; sed propter hanc & acceptionem Divinam, quæ in casu Conclusionis foret pariter necessaria.

DICO tertiò: Nec Divinitas se solâ, nec Personalitas se solâ, nec Unio hypostatica se solâ confert sanctitatem substantialem, & Personalem animæ; sed omnia tria conjunctim considerata, & applicata.

7. *Divinitas se solâ non sanctificat substãtialiter & personaliter.*

Probatur prima pars: Divinitas non unitur immediatè animæ Christi; sed mediante Personalitate Verbi; unde & ejus Unio dicitur hypostatica, id est, Personalis: Ergo Divinitas se solâ non confert imediatè sanctitatem substantialem. Conseq: tenet; quia illud non confert sanctitatem substantialem, quod non est immediatè conjunctum subjecto sanctificato.

Probatur secunda pars: Personalitas seorsim considerata in suo conceptu formali nullam importat perfectionem substantialem, ùti docui *Tomo 1. Tract: de Trinit: dist: 2. q. 7.* Ergo neque sanctitatem substantialem, quæ perfectio quædam est. 8. *Nec personalitas se solâ.*

Probatur tertia pars: Tum quia Unio hypostatica formaliter est relatio: sed relatio se solâ nequit conferre Sanctitatem substantialem: Ergo neque Unio hypostatica se solâ. Tum quia unio gratiæ habitualis non confert se ipsâ præcisè sanctitatem accidentalem; sed ipsa gratia habitualis inhærens: Ergo nec Unio hypostatica Personæ se solâ confert sanctitatem substantialem. 9. *Nec Unio hypostatica se solâ.*

Probatur quarta pars: Tum quia SS: PP: passim docent sanctitatem substantialem Christi provenire â Divinitate, mediante Personâ Verbi hypostaticè unitâ, & conjunctâ; dum ajunt, humanitatem Christi fuisse â Divinitate delibutam, ob consortium cum Persona Divina Verbi; ita loquitur Nazianzenus *orat: 2. in Pascha*. Tum quia si neque Divinitas se solâ, neque Personalitas se solâ, neque Unio hypostatica se solâ conferat animæ Christi immediatè sanctitatem substantialem; relinquitur eam ab ipsis ùt unitim consideratis conferri. 10. *Sed hæc omnia conjunctim applicata.*

Objicies contra tertiam partem Conclusionis: plures SS: PP: videntur docere Christum fuisse absolutè sanctum vi Unionis hypostaticæ: Ergo ipsa se solâ confert sanctitatem substantialem: Ant: patet ex D. Augustino *lib: 15. de Trinit: cap: 26.* dicente, *tunc unitam, id est sanctificatam fuisse invisibili DEO humanam naturam, quando Divina est juncta Persona*, id est, quando hypostaticâ Unione fuit humanitas copulata Personæ Divinæ: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: ad ejus Probationem glosso S. P. Augustinum & dico, eum non accipere Unionem hypostaticam in sensu præcisivo, quasi ipsa Unio hypostatica præcisè, & se solâ fuerit ratio ungendi, & sanctificandi substantialiter humanam naturam Christi; sed in sensu materiali, quatenus ipsa connotabat Personam Divinam Verbi, & illâ mediante Divinitatem Verbi, humanitati conjunctam. 11. *Achilles Adversariorum prosternitur*

Objici-

12. *Personalitati ut identificata Divinitati Christi solum concediur Cultus Latriæ.* Objicies contra secundam partem; Personalitati Verbi conceditur adoratio Latriæ, secundùm illud Ecclesiæ in præfatione festi SS: Trinitatis, *ut in Confessione veræ sempiternæque DEItatis, & in Personis proprietas, & in Essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas*: Ergo Personalitas se solâ continet Sanctitatem; & consequenter etiam eam confert se solâ animæ Christi. Respondeo Dist: Ant: cum sua ratione, ex Præfatione Ecclesiæ desumpta, Personalitati solitariè consideratæ, & in abstracto conceditur adoratio Neg: Ant: conjunctim, & cum identitate Divinitatis consideratæ, ac in concreto acceptæ, seu sub connotatione Divinæ naturæ Conc: Ant: & Nego Consequentiam.

QUÆSTIO II.

De Sanctitate formali, seu gratia habituali; & actuali Christi.

1. *Varietas opinionum adducitur.* NOTA primò circa primum articulum quæstionis hic esse unam sententiam quorundam DD: apud Palud: *3. dist: 13, qu: 2.* negantium omnem gratiam habitualem in anima Christi, distinctam à gratia Unionis. Est & altera aliorum TT: qui licèt concedant dari in anima Christi gratiam habitualem, distinctam à gratia Unionis; negant tamen, quòd ipsa sit ratio formalis sanctificandi; unde, tenent totam sanctificationem animæ Christi provenire ab Unione hypostatica, vel Divinitate: ita Thomistæ & RR: Suar: Vasq: Hurtad: Amic: Arriaga &c. quibus adhæsit noster P. Poncius, & Vulpes, relictâ suæ Scholæ sententiâ.

2. *In Christo considerari potest gratia quintuplex.* NOTA secundò: quòd quintuplex gratia possit considerari in Christo; gratia scilicet actualis, gratia habitualis, gratia Capitis Ecclesiæ, gratia Unionis, & gratiæ gratis datæ. Per *gratias gratis datas* intelligunt TT: illa dona supernaturalia, quibus Christus fuit illustratus ad debitè implendum munus Legislatoris; item Redemptoris, de quibus infrà. Per *gratiam Unionis* intelligunt TT: ipsam Unionem hypostaticam, fundatam in natura humana Christi, & terminam ad Verbum. Per *gratiam Capitis Ecclesiæ* intelligunt donum aliquod speciale, ratione cujus Christus habet supremam potestatem, & influentiam in totam Ecclesiam. Per *gratiam habitualem* intelligunt donum aliud particulare, quod est habitus charitatis, creatus & infusus animæ Christi, ratione cujus dicitur sancta formaliter, & grata DEO. Per *actualem* intelligunt auxilium supernaturale per modum comprincipij moraliter excitantis.

NOTA tertiò: quòd ista gratia habitualis Christi sit ejusdem speciei cum gratia habituali aliorum hominum Sanctorum; uti tenet noster Richardus *3. dist: 13.* & debet esse communis TT: cujus ratio est; quia Sac: Scriptura, PP: & Concilia eodem modò loqvuntur de visione, lumine gloriæ, gratia & charitate Christi, ac aliorum Sanctorum: differunt tamen secundùm majus, & minus. 3. *Gratia habitualis Christi est ejusdē speciei cum gratia habituali aliorum.*

NOTA quartò: hanc gratiam habitualem propter multas rationes requiri in anima cujuslibet Sancti: *primò,* ut homo habeat aliquod Esse Divinum participatum; juxta illud *2. Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini Divinæ consortes naturæ. Secundò,* requiritur ad decorem, & ornatum ipsius animæ. *Tertiò;* ad eliciendas operationes gratas DEO, & meritorias. *Quartò;* quia DEUS agit ad modum naturæ; natura autem sicut non facit album sinè albedine, ita DEUS non facit hominem ordinariè gratum sinè gratia. 4. *Ob quas causas requiratur in Sãctis gratia habitualis.*

DICO primò: anima Christi fuit respersa copiosissimâ gratiâ habituali. Ita communis DD. Et contrarium asserere noster de Pitigianis ait esse hæreticum: quidquid sit de hoc 5. *In anima Christi fuit gratia habitualis juxta Scripturam.*

Probatur primò authoritate Scripturæ: nam Isaiæ 11. dicitur de Christo, quòd erit plenus omni specie gratis datæ, *requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilij &c.* in summa omni sorte gratiæ; & consequenter etiam gratiâ gratum faciente, & habituali: Ergo &c. Idem patet ex illo Lucæ 1. *Ideóque & quod nascetur ex te sanctum &c.* Joann: 1. *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ:* quas authoritates SS: PP: interpretantur de omni gratia decente Christum; sed gratia habitualis copiosissima decet Christum: Ergo &c. Proba-

6. Probatur secundò authoritate SS: PP: ponentium in anima Christi gratiam habitualem, seu charitatem infusam non minùs quàm in alia anima aliorum Sanctorum: ita docet D. Athanasius *serm: 2. contra Arian:* S. Cyrillus *Tomo 1. Conc: Ephesini, can: 1. in Epist: ad solitariam vitam agentes.* S. Chrysostomus *de S. & venerando Spiritu.* S. Hieronymus in illud Abacuc 3. *Egressus es in salutem populi.* S. Ambrosius, Bernardus, & alij passim; audi unicum passum D. Augustini *lib: 15. cap: 26 de Trinit: DEUS ipse JESUS non solùm Spiritum S. dedit ùt DEUS; sed etiam accepit ùt homo; & propterea dictus est plenus gratiâ; quia unxit eum DEUS Spiritu S. non utique oleo visibili, sed donô gratiæ* (scilicet habitualis) *quæ propriè est unctio à Spiritu S. proveniens:* Ergo &c.

Sanctos PP:

7. Probatur tertiò ratione, *primò:* alia dona supernaturalia, & virtutes erant copiosissimè in anima Christi, ùt conceditur ab Adversarijs: Ergo & donum gratiæ habitualis copiosæ. *Secundò:* Concil: Trid: *Sess: 6. can: 7. & 11.* generaliter definit; justos justificari & sanctificari per infusionem gratiæ habitualis, seu charitatis: Ergo hæc definitio debet etiam comprehendere Christum omnium justissimum. Verùm est, quòd in dicto decreto de Justificatione non fiat specialis mentio de Christo; tamen quia S. Scriptura & PP: dicunt, hoc donum esse commune omnibus justis, & Sanctis, quorum caput est Christus; & quia D. Paulus dicit, *sinè charitate impossibile est placere DEO;* proinde etiam de Christo intelligi potest dictus Concilij canon.

Et rationes Theologicas.

8. NOTA quintò pro secunda Conclusione: quòd justificari seu sanctificari per gratiam habitualem possit habere duplicem sensum; *primò*, ut sanctificare significet peccatorem transire à carentia sanctitatis ad Esse formaliter sanctum, & gratum DEO. *Secundò;* ut sanctificari significet, transire ex puris naturalibus ad gratiam, & esse sanctū, ac capacem hæreditatis æternæ: primus sensus non potest cadere super sanctificationem Christi præstitam per gratiam habitualem; sed in secundo quæritur, num à gratia habituali anima Christi acceperit formalem sanctificationem, & sanctitatem.

Gratiam habitualem sanctificare dupliciter intelligi potest.

9. DICO secundò: sanctificatio, & sanctitas formalis provenit animæ Christi de facto formaliter à gratia habituali. Deducitur ex Scoto *3. dist: 1. qu. 1.* Et rursus *dist: 13. q. 1.* Eandem Conclusionem tenent communiter Scotistæ, Rada, Faber, Gall: Mastr: Bellutus. Item S. Bonaventura, Alensis Richardus, Palud: Durand: Marsil: &c. contra Scholam Neotericam, Thom: & ex nostris Ponc: ac Vulpem.

Christus est de facto formaliter sanctus à gratia habituali.

Probatur primò authoritate Divi Bernardi *homil: 4. super Missus est;* ubi ait: *singulariter sanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem:* in quibus Verbis distinguit sanctificationem duplicem in Christo, unam quæ fit per assumptionē, seu unionē hypostaticam, & est substantialis; alteram per Spiritûs sanctificationem, quæ non potest esse alia, nisi formalis, & fit per gratiam habitualem: Ergo sanctificatio, & sanctitas formalis animæ Christi provenit à gratia habituali. 10.

Ratio Theologica pro præfata conclusione.

Probatur secundò ratione, quòd non fuerit sancta formaliter per Divinitatem anima Christi: quod sanctificat formaliter debet inhærere per modum formæ, sicut loquitur Trid: *in Decreto de justificatione;* & licèt ibi loquatur de nostra tantùm justificatione; tamen est eadem ratio quòad hoc de justificatione animæ Christi: sed Divinitas non potest ulli creaturæ inhærere per modum formæ: Ergo anima Christi non fit formaliter sancta per Divinitatem. Confirmatur: si Divinitas esset ratio formalis sanctificandi, deberet non minùs sanctificare corpus, quàm animam Christi; cùm utrique immediatè uniatur Divinitas; sed non est ratio formaliter sanctificans corpus Christi; cùm sit incapax quà tale formæ sanctificationis: Ergo &c.

Probatur tertiò: nec sanctitas formalis animæ Christi provenit ab Unione hypostatica; quia Unio secundùm se non est ratio formalis sanctificandi; cùm possit communicari naturæ irrationali incapaci sanctificationis: Ergo ab eo non poterat provenire formalis sanctitas animæ Christi. Confirmatur, per illud anima Christi formaliter sanctificatur, per quod ordinatur ad operandum physicè, & supernaturaliter opera meritoria; sed per solam Unionem formaliter non sic ordinatur: Ergo &c. Prob: Min: Unio nec est principium *Quò*, nec principium *Quod* eliciendi opera meritoria; quòd inde patet, quia 11.

Rursus aliud argumentū pro eadem.

quia æquè comunicatur corpori Christi tanquam principium *Quó*, vel *Quod*, ut possit supernaturaliter operari; cùm sit incapax: Ergo &c.

12. Objicies primò contra primam Conclusionem: gratia habitualis solùm reperitur in filijs adoptivis DEI: sed Christus non fuit filius adoptivus DEI: Ergo non habuit gratiam habitualem. Prob: Maj: tum quia ad Rom: 8. collatio gratiæ dicitur adoptio filiorum DEI: tum etiam quia Trid: *Sess: 6. cap: 4.* definit, justitiam hominis esse translationem â statu peccati ad statum adoptionis filiorum DEI: Ergo gratia habitualis solis filijs adoptivis convenit. Respondeo Neg: Maj: ad probationem ejus dico, Scripturam, & Concilium loqui de justificatione & sanctificatione impij ac puri hominis, ejúsque effectu secundario, qui est adoptio, & quem tribuit gratia habitualis non cuilibet subjecto, sed tantùm capaci, ùti sunt soli puri homines; cum quo stat bene, quòd Christus habuerit gratiam habitualem, quoad effectum primarium; qui est justificare & sanctificare formaliter.

Gratia habitualis fuit in Christo quoad effectũ primarium.

13. Objiciunt Adversarij contra secundam Conclusionem multos SS: PP: qui videntur dicere Christum per Unionem, vel Divinitatem fuisse sanctum; quos vide relatos apud eosdem: Ergo &c. Respondeo generaliter ad omnia loca ex PP: adducibilia, quòd SS: PP: in ijs tantùm velint, Christum per Unionem unà tamen cum alijs omnibus donis supernaturalibus completè fuisse redditum sanctum, inter quæ dona gratia habitualis tanquam formalis ratio sanctificandi, habet primum locum. Vel dic SS: PP: loqui de sanctificatione substantiali, facta per personationem Verbi, ad quam elevata fuit per Unionem hypostaticam; non verò de sanctificatione formali facta per gratiam habitualem.

SS: PP: objecti explanãtur.

14. Objiciunt tertiò contra eandem: anima nostra dicitur sancta & justa formaliter; quia habet sibi physicè conjunctam sanctitatem, & justitiam, sicut pariés albedinem; sed antecedenter ad gratiam habitualé habuit anima Christi sibi physicè conjunctam sanctitatem increatam Verbi Divini: Ergo per illam potius est facta sancta formaliter. Respondeo Dist: Maj: quia anima habet sibi conjunctam physicè sanctitatem per modum formæ, & actûs informantis ipsam Conc: Maj: quia habet sibi conjunctam sanctitatem per modum tantùm terminantis dependentiam ipsius Neg: Maj: & distinctâ sic Min: Neg: Conseq: Itaque Sanctitas increata Verbi, quæ est ipsummet Verbum, nec potest esse forma perficiens intrinsecè, nec actus informans; sed solùm perficit & conjungitur cum anima extrinsecè per modum termini, nudè terminantis ejus dependentiam.

Sanctitas increata Verbi perficit animam Christi solùm per modum termini.

DICO tertiò: Ut actiones Christi forent de facto supernaturales & meritoriæ debebant procedere â gratia habituali. Ita Scotistæ communiter.

15. Probatur: ut actiones Christi forent supernaturales & meritoriæ debebant procedere â comprincipijs elevantibus supernaturaliter: sed tale est dicto gratia habitualis: Ergo &c. Prob: Min: nam neque personalitas, neque Divinitas potest esse ejusmodi comprincipium: non personalitas; quia ipsa nõ est virtus operativa, & activa ùt *Quó*; sed est purus terminus: nec etiam Divinitas; quia comprincipium elevans supernaturaliter, vel debet habere identitatem cum principio, quod operatur; vel saltem illud informare physicè; quod utrumque repugnat Divinitati respectu animæ Christi: Ergo sola gratia habitualis est comprincipium elevans supernaturaliter animam Christi ad operationes supernaturales, & meritorias vitæ æternæ.

Ad supernaturalitatem actionum Christi concurrere debet gratia habitualis.

16. DICO quartò: Anima Christi de potentia absoluta poterat esse sancta, DEOque grata; imò & operari supernaturaliter, ac meritoriè sinè gratia habituali. Ita Scotus *1. dist: 17. q. 1.* Et *in 3. dist: 13. q. 1.* Et *4. dist: 12. qu. unica.* Et sequuntur Scotistæ.

Anima Christi potest de potentia absoluta esse sancta sinè gratia habituali.

Probatur: DEUS ùt Author naturæ non alligatur causis secundis; & quidquid potest illis mediantibus operari, etiam in genere causæ efficientis & extrinsecæ se solô potest operari, v. g. producere hominem, plantam &c. Ergo poterat quoque animam Christi diligere, & ita reddere sanctam, sibique gratam in ordine ad vitam æternam per solam suam gratuitam acceptationem, & volitionem sinè ullo habitu infuso gratiæ habitualis.

17. Circa alterum articulum quæstionis NOTA sextò: Gratiam actualem ad propositum sub duplici respectu posse considerari; *primò:* ut se habet per modum concursûs. *Secundò:* ut se habet per modum principij moraliter excitantis

Duplex acceptio actualis gratiæ Christi.

tantis ad malum aliquod fugiendum, vel bonum prosequendum. Nunc

DICO quintò: In anima Christi fuit gratia actualis per modum concursûs necessaria ad opera supernaturalia; non verò per modum principij moraliter excitantis: Ita Mastr: Vulpes, Faber, & alij Scotistæ; contra Neutristas, & P. Radam quò ad secundam partem.

18. *In anima Christi fuit necessaria gratia actualis per modum cõcursûs.* Probatur prima pars: Nullum opus etiam naturale à causa secunda effici potest absque proportionato concursu causæ primæ: Ergo neque ab anima Christi ullum opus supernaturale. Subsumo: sed hujusmodi concursus est quædam gratia actualis: Ergo in anima Christi fuit gratia actualis per modum concursûs necessaria ad opera supernaturalia.

19. *Non autem per modum principij moraliter excitantis.* Probatur secunda pars: gratia excitans, & præveniens sunt auxilia, solita à DEO conferri puris Viatoribus, ordinata ad auferendam difformitatem naturæ lapsæ, & ad comprimendam appetitûs sensitivi rebellionem contra rationem circa opus honestum eligendum: sed Christus non fuit purus Viator, nec ejus natura patiebatur ullam difformitatem naturæ lapsæ; quia non erat vulnerata, sed sana, & integra; carebat insuper omni rebellione adversùs rationem: Ergo in anima Christi non fuit necessaria ulla gratia per modum concursûs moraliter excitantis.

QUÆSTIO III.

De Mensura Gratiæ habitualis Christi.

DE quantitate gratiæ habitualis collatæ Christo, agit Scotus *3. dist: 13.* per quatuor quæstiones consequenter: ego totam substantiam constringam unicâ quæstione. Pro qua

1. *Quid sit infinitas physica & moralis?* NOTA primò: gratiam Christi, sicut & quamlibet qualitatem physicam posse dici infinitam duobus modis, physicè & moraliter. *Physicè* diceretur *gratia infinita*, si secundùm entitatem & naturam intrinsecam haberet infinitos gradus perfectionis actu. *Moraliter* verò, si in æstimatione communi hominum prudentum censeretur habere infinitatem quandam, id est, talem intensionem, quæ à nullo superaretur. In hoc sensu gratia Christi, uti & singula ejus opera meritoria passim ab omnibus admittuntur esse infinita moraliter; gratia quidem ratione Unionis hypstaticæ; opera verò, quia proficiscuntur à gratia Capitis; & agente habente personam infinitè perfectam: difficultas ergo est de infinitate gratiæ quoad esse physicum.

2. *Gratia in via semper potest crescere.* NOTA secundò: certum esse de Fide, gratiam, seu charitatem nostram, dum sumus in via, semper posse crescere. Ratio colligitur ex verbis Glossæ super illud Apostoli ad Philipp: 3. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quô modô comprehendam &c.* super quæ verba dicit Glossa, & est textus S. Augustini super Psal: 69. *Nemo fidelium, etsi multùm profecerit, dicat, sufficit; qui enim hoc dicit, de via exivit ad finem.* Colligitur *secundò* ex illo Apoc: 22. *qui justus est, justificetur adhuc.* Et definitur *in Clement: ad nostrum; de hæreticis;* ubi damnatur error Begardorum dicentium: quòd homo possit in hac via ad talem gradum charitatis pervenire, ut jam non possit crescere in charitate.

3. *Quid sit esse summum Positivè & Negativè?* NOTA tertiò: Ens aliquod posse dici summum dupliciter; Positivè, & Negative. *Positivè summum* dicitur illud ens, quod per excedentiam omnia existentia, & creabilia superat, nullúmq; ipsi æquiparatur, v. gr. qui habet summam positivè gratiam, superat omnes in gratia, & nemo est ipsi æqualis in gratia: taliter dicitur DEUS summus in genere Entis. *Negativè summum* ens dicitur illud, quod non exceditur ab alio, etsi aliquid ipsi æquiparetur: taliter decem genera Prædicamentorum dicuntur suma Negativè seu suprema; quia à nullo genere exceduntur; nullum tamen dicitur summum Positivè; cùm quodlibet eorum tantùm ex eo summum censeatur, quia dicit negationem excessûs, etsi omnia sint æqualia in non habere genus supra se.

4. *Alius est processus in infinitum ad materiam, & alius ad formam.* NOTA quartò: duplicem posse considerari processum in infinitum; alterum ad materiam, alterum ad formam. *Secundùm primũ* procederetur ad ipsum fieri: *secundùm posteriorem* ad ipsum factum esse: exemplum primi habetur in divisione continui alicujus, ubi proceditur ad aliam, & aliam consequenter: exemplum secundi habetur in augmentatione, ubi res augetur per quantitatem,

tem. In primo processu non est status; sed potest abiri in infinitum; unâ enim divisione factâ est potentia ad aliam, ex suppositione doctrinæ Aristotelicæ 6. *Physic*: quòd continuum sit semper divisibile in infinitum. In secundo verò est status; quia ibi proceditur ad formam & perfectionem: colligitur ex illo Aristotelis 2. *de anima, text: comm: 41. omnium naturâ constantium est finis tum magnitudinis, quàm accretionis*: huc valet etiam illud Scripturæ Sap: 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti*. His notaris

5. *GratiaChristi non fuit infinita entitativè.* DICO primò: Gratia Christi non fuit infinita secundùm entitatem physicam: Est Scoti *cit: qu: 4. num: 14.* expressè; unde miror, quòd à quibusdam in contrarium citetur; Magistrum sequuntur Discipuli, & Angelici; contra Gregor: Major: &c. quorum sententiam videtur probare Almanius dicens, esse comunem Sententiam Scholæ Parisiensis, quòd Christus de facto habuerit gratiam infinitam.

Probari potest *primò* Conclusio principijs physicis, datis à me *in Schola Philosophica, de Infinito*; ubi ostendo, repugnare infinitum cathegorematicum, seu actu existens secundùm omnes gradus. Similiter ex *Nombili 4.* suprà posito. Probatur *secundò* specialibus rationibus Scoti *cit*: ubi fundamentum D. Thomæ desumptum ex 2. 2. *qu: 24. art: 7.* impugnat, & deducit ad oppositum tribus rationibus; quarum *Prima* est, gratia seu charitas Christi, est participatio DEI determinata: Ergo necesse est, quòd secundùm aliquem gradum determinatum capiat partem infinitæ perfectionis DEI: Ergo non est infinita perfectio physicè; sed determinata ad certum gradum perfectionis. Conseq: patet; quia aliàs calor, & quævis forma creata, cùm participet DEUM, posset esse infinita. *Secunda* ratio est; DEUS gratiam Christi creavit ex nihilo: quod autem fit ex nihilo non est infinitum; quia non est ex se necessarium, sicut debet esse infinitum; sed merè contingens: Ergo &c. *Tertia* est; nulla est capacitas finiti recipientis ad formam infinitam; quia capacitas finiti proportionatur in gradu entis suo subjecto finito: Ergo anima Christi quæ fuit finita non poterit habere capacitatem ad recipiendam gratiam infinitam.

6. *Quædam evasio Ad-* Nec valet dicere cum aliquibus; quòd forma infinita augeat capacitatē recipientis finiti: nam forma substantialis nullò modò auget capacitatem materiæ primæ: Ergo à pari neque forma infinita augebit capacitatem recipientis finiti. *versariorum præcluditur*

DICO secundò: potuit animæ Christi conferri gratia summa Positivè & Negativè. Est Scoti 3. *dist: 13. qu. 4. num: 5.* & communis Scotistarum. 7. *AnimaChristi potuit conferri gratia summa Positivè & Negativè.*

Probatur primò ratione Scoti *cit*: subjectum receptivum accidentis convenientis habentis gradus, quod non determinatur ex se ad aliquem gradum, potest quemlibet gradum recipere; sicut patet de subjecto parietis, qui potest quemlibet gradum albedinis recipere: sed anima Christi est tale susceptivum; Ergo potest in se recipere quēlibet gradum gratiæ: Ergo summum Positivè, & Negativè. Prob: Min: Angelus est tale subjectum susceptivum secundùm Adversarios: Ergo & anima. Conseq: patet; quia anima & Angelus in ratione susceptivi sunt ejusdem rationis, sicut nix, & lapis in ratione suscipiendi albedinem.

8. *Quædam replica enervatur.* Dices: Esse disparitatem; quia Angelus habet perfectiorem naturam, adeoque poterit recipere summam gratiam; non sic anima Christi. *Contra*; ex hoc solùm sequitur, quòd Angelus possit agere plùs; non verò plùs recipere; nam major & perfectior entitas non infert majorem capacitatem in recipiendo, sed tantùm in agendo; sic licèt concedatur Angelum posse producere perfectiorem visionem, & fruitionem cæteris paribus; non tamen potest recipere plùs, maximè in genere infiniti.

9. *Stabilitur premissa Conclusio.* Confirmatur Conclusio: non est potior ratio, quare anima Christi esset capax recipiendi gratiam ùt quatuor, & non ùt octo seu in summo: Ergo cùm possit ùt quatuor, dicendum est, quòd possit recipere etiam ùt octo; & consequenter summam in utroque genere.

10. *Christus ab instanti cōceptionis habuit gratiam summam Positivè & Negativè respectu hactenus collatarum gratiarum.* DICO tertiò: DEUS de facto contulit animæ Christi ab instanti creationis summam gratiam Positivè, & Negativè, ita ut excedat omnes hactenus collatas cuicunque. Est Scoti *loc: cit: num: 9.* & sequuntur Scotistæ cum Marsil: Richard: Durand: Cajet: &c. contra RR.

Probatur primò: Joann: 3. dicitur de Christo; *non enim ad mensuram dat DEUS Spiritum*. Et Joannis 1. habetur; *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à*

niti à Patre plenum gratiæ, quod idem sonat ac summam: Ergo Christus habuit gratiam summam, quod indigitatur per ly *non ad mensuram*. Nec audiendi sunt RR: cum Toleto super istum passum Joannis dicentes; hoc non esse dictum de Christo. *Contra* enim est; quia textum illum esse dictum de Christo affirmat cum Doctore Subtili, & Angelico, communis SS: PP: ùt Augustinus *tract: 14. in Joann:* Chrysostomus, Nazianzenus *orat: 36.* cum quibus concordat Lyranus noster, & Glossa interlinealis, quæ majoris est authoritatis, quàm omnes RR: ac Toletus. Et colligitur ex contextu illo sequenti immediatè, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.*

11. *Ratio Scoti ad idem.*

Probatur secundò ratione Scoti: DEUS contulit animæ Christi tantam gratiam, quantam conferre potuit: sed potuit conferre summam Positivè, & Negativè; ùt priori Conclusione ostensum est: Ergo &c. Prob: Maj: ex S. Augustino *libro 3. de lib: arbit:* dicente, *quidquid tibi vera ratione meliùs occurrerit, quando ex Scriptura nil certi constat, sciat hoc DEUM magìs fecisse, quàm non fecisse*: sed videtur simpliciter meliùs secundùm rectam rationem, summam gratiam alicui creaturæ esse collatam, quàm non esse collatam; quia in hoc manifestatur summa DEI Misericordia, utpote largiens summum bonum gratiæ sinè meritis: Ergo probabile est hoc esse factum; non autem in alio potiùs, quàm in anima Christi in instanti creationis: Ergo &c.

12. *Roboratur Conclusio.*

Confirmatur Conclusio: magìs est assumi ad esse Divinum, quàm ad summam gratiam: sed anima Christi est assumpta ad esse Divinum per Unionem hypostaticam: Ergo etiam ad summam gratiam habitualem.

13. *Cur summa natura non sit facta de facto, & tamen summa gratia?*

Objicies primò: summa natura adhuc non est facta à DEO: Ergo neque summa gratia. Respondeo cum Doctore *cit: quòd si concedatur Antecedens* (verba sunt Doctoris) *quod tamen dubium videtur, & contra D. Augustinum lib: 3. de lib: arbit: cap: 5. potest negari Consequentia.* Et ratio disparitatis est; quia summa natura, si facta esset, non haberet influentiam in alias naturas, sicut de facto superiores species non influunt in inferiores; ideòque ejus nulla est necessitas: at summum in genere gratiæ influit secundùm Esse gratiæ in inferiora, scilicet Christus in membra Ecclesiæ; unde hujus est major necessitas.

14. *Cur gratia Christi non possit crescere?*

Objicies secundò juxta Notabile 2; Charitas seu gratia habitualis nostra potest crescere: Ergo & Christi: Ergo non fuit summa in instanti creationis animæ. Respondeo Neg: Conseq: nam peculiares sunt rationes pro Charitate & gràtia Christi; quàm pro nostra; ùti patet ex *Probationibus Conclusionis 3.*

15. *Quo pacto JESUS profecerit gratiâ.*

Objicies tertiò: Luc: 2. dicitur de Christo, quòd *JESUS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ*: Ergo ab instanti Conceptionis non habuit statim summam gratiam, & sapientiam. Respondeo cum S. Bonaventura hoc incrementum vel esse intelligendum sic quòd indies claruerit in operibus charitatis erga DEUM & homines: Vel quò ad actus, & effectus gratiæ; non verò quò ad habitus.

16. *Christi gratia non fuit summa Positivè cum excessu omnium communicabilium gratiarum.*

DICO quartò: Gratia Christi non fuit summa Positivè ita, ut excesserit omnes communicabiles, & possibiles gratias. Est Scoti *loc: cit:* & communis Scotistarum.

Probatur: de potentia DEI absoluta posset Spiritus S. assumere aliam naturam; & DEUS posset illi conferre æqualem gratiam gratiæ Christi, in quo nulla videtur implicantia: Ergo gratia Christi non fuit summa Positivè ita, ut excesserit omnes communicabiles, & possibiles gratias.

17. *Si Spiritus S. assumeret aliquam naturam, nulla contingeret monstruositas.*

Dices: Spiritum S. non posse assumere aliquam aliam naturam habentem æqualem gratiam cum gratia Christi; quia essent tunc duo Capita Ecclesiæ; & consequenter aliqua monstruositas, quæ nequit admitti: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: quia monstruositas non contingit, nisi ubi contingit defectus à rectitudine præscripta à lege ordinaria rerum; quod in casu probationis non fieret; quia DEUS sublatâ antiquâ lege poneret eô ipsô novam de duobus Capitibus.

QUÆSTIO IV.

De Gratia Capitis Christi.

1. *Christus est duntaxat Caput morale Ecclesiæ.*

OTA primò: Inter cæteras præcellentias, & dignitates Christo competentes, gratiam quoque Capitis esse insignem; quæ tamen appellatio

tio est Metaphorica; Christus enim non est Caput physicum Ecclesiæ, sed mysticum, morale & spirituale: sumitur autem metaphora ista per proprietates, quas habet Caput physicum respectu aliorum membrorum; quia spirituali-ter easdem videtur habere Christus respectu Ecclesiæ.

2. *Quatuor præcellentia Capitis physici.*

NOTA secundò: quòd Caput physicum quatuor habeat, in quibus excellit alia membra. *Primò:* quòd habeat primitatem; ex eo quòd sit prima pars hominis. *Secundò;* quòd habeat perfectionem majorem præ alijs; vigent enim omnes sensus interiores, & exteriores in Capite; in reliquis autē membris solus tactus. *Tertiò;* quia habet virtutem influendi motus in cætera omnia membra, & gubernandi ea in suis actibus: & hæc virtus dicitur sensitiva, ac motiva. *Quartò;* quòd habeat conformitatem cum membris cæteris alicujus corporis, eisque strictè conjungatur.

3. *Quid sit Ecclesia Militans & triumphans?*

NOTA tertiò: duplicem esse Ecclesiam, Militantem, & Triumphantem: *Militans* comprehendit solos Viatores, sub Fidei Christianæ vexillo Crucis militantes: *Triumphans* omnes Beatos, DEÔ jam fruentes in cœlo.

DICO primò: Christus rectè asseritur Mysticum, & spirituale Caput Ecclesiæ tam Militantis, quàm Triumphantis. Ita communis TT. & SS. PP.

4. *Christum esse Caput utriusq; Ecclesiæ, patet ex Scriptura.*

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: D. Paulus *ad Ephes: 1.* dicit de Christo, *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius.* Et *ad Coloss: 1. Ipse est Caput Ecclesiæ.* Idem scribit *ad Roman: 12.* & *1. ad Corinth: 12.* Ergo Christus est Caput Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis.

5. *Et ratione Theologica.*

Probatur secundò ratione: Christus habet specialiter illa quatuor, quæ pertinent ad esse Caput utriusque Ecclesiæ: Ergo est utriusque Caput. Prob: Ant: primò: Christus habet *primò* primitatem; quia gratia Christi est prima, & altior, ac prior secundùm propinquitatem ad DEUM, secundùm illud D. Pauli *ad Rom: 8. Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis DEI, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus.* Habet *secundò* specialem præ alijs Ecclesiæ membris perfectionem; quia habet plenitudinem gratiæ, juxta illud *Joann: 1. vers: 14. Vidimus eum plenum gratia &c.* & ita omnes gratiæ vigent in Christo, sicuti omnes sensus in Capite. *Tertiò,* habet virtutem influendi; quia sicut secundùm Anathomicos, & Medicos ab interiori Capitis parte protenduntur nervi quidam, per quos fluunt sensus ad membra; à posteriori verò protenduntur nervi, per quos fluunt motus ab anima ad singula membra alia corporis v. gr. agitatio manûs, ambulatio &c; ità Christus in utramque Ecclesiam verum sensum, & motum spiritualem influit; in Triumphantem quidem, quia Sanctos illuminat, comunicat gratias, sanctitates, & gloriam: in Militantem verò sensum, & motum: sensum influit per Fidem; motum verò per amorem; unde sicut membra sinè Capite non habent sensum, neque motum; ita nos sinè Christo non possumus habere sensum Fidei, nec motum amoris; juxta illud S. Scripturæ, *sinè me nihil potestis facere.* Joann: 17. *Quartò,* habet naturam ejusdem speciei cum omnibus hominibus contentis in utraque Ecclesia, strictòque comerciô conjunctam; quia per omnia fuit teste Scripturâ assimilatus Fratribus: Ergo Christus habet specialiter illa quæ pertinent ad esse Caput Mysticum utriusque Ecclesiæ.

Hinc collige primò: Cur Christus dicatur potiùs Caput, quàm Cor Ecclesiæ? quia metaphora Capitis magis quadrat Christo; cùm metaphora Capitis debeat sumi ab aliqua proprietate manifesta; est autem manifestum Caput influere in alia membra; & non est manifestum, cor influere in membra: unde Spiritui Sancto applicatur metaphora Cordis Ecclesiæ; quia quasi occultè vivificat, quemadmodum influentia vivifica Cordis est occulta, juxta illud Symboli, *& in Spiritum S. Dominum, & vivificantem.* 6. *Cur Christus non appelletur cor Ecclesiæ?*

Collige secundò: Christum esse Caput Ecclesiæ, & secundùm quod DEus, & secundùm quod est homo; quia utrôque modô influit; nam secundùm quod est DEus influit tanquam agens principale; & secundùm quod homo, tanquam agens instrumentale; magis tamen propriè diciturCaput secundùm quod est homo; quia secundùm humanitatem habet conformitatem naturæ cum membris, quæ est una principalis conditio ad esse Caput. 7. *Christus & quà DEUS, & quà homo est Caput Ecclesiæ.*

DICO secundò: Christus quà homo rectè asseritur etiam Caput Angelorum. Est communis cum Doctore 3. *dist: 7. qu: 3.* contra Gabriel: & Antisiodorens:

Proba-

8. *Christus etiã est Caput Angelorum juxta Scripturam.* Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: Paulus ad Colos: 2. dicit de Christo indistinctè, *quòd ipse sit Caput omnis Principatus, & Potestatis*: Ergo etiam Angelicæ, ùt explicat Glossa ibidẽ. Idem habetur ad Ephes: 1. ubi dicitur, *suscitans* (subintellige Pater) *eum* (subintellige Filium) *à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus, super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem*: Ergo Christus quà homo rectè asseritur Caput Angelorum, Potestatum, Virtutum, & Dominationum.

9. *Et testimonia Patrum.* Probatur secundò authoritate SS: PP: Conclusionem asserentium; ùt videre est apud S. Ambrosium *epist: 37.* Et S. Cyrillum *lib: 5. in Isaiam, super cap: 54.* Et S. Augustinum *in Psal: 36. conc: 3.* dicentem, *Christus Caput est, cujus membra sunt omnes, qui ab initio fuerunt justi, conjuncti etiam legionibus Angelorum, & Exercitibus*: Ergo &c.

10. *Ratio Theologica ad idem.* Probatur tertiò ratione: ubi est unum Corpus, est unum Caput: sed ex Angelis, & hominibus efficitur unum Corpus Mysticum; quia ambæ istæ species ordinantur ad unum finem Beatitudinis: Ergo habent unum Caput: sed non aliud quàm Christum quà hominem: Ergo &c.

11. *Rursus alia ratio.* Probatur quartò: Christus est propinquior DEO, quàm Angeli; habet perfectiùs dona gratiæ, quàm Angeli; insuper influit in Angelos per influxum gratiæ; hoc enim dicere cedit in ejus honorem: Ergo Christus quà homo asseritur rectè Caput Angelorum.

12. *Christus in donis habet conformitatem cum Angelis.* Objicit primò Gabriel *3. dist: 13. qu. unica*: Caput, & membra debent esse unius naturæ; sed Christus secundùm quod homo non est ejusdem naturæ cum Angelis: Ergo ùt sic non est illorum Caput. Respondeo Dist: Maj: non sunt ejusdem naturæ physicæ, seu in ratione entitatis: Conc: Min: in ratione donorum supernaturalium: Neg: Min: Itaque Christus in donis, & gratijs supernaturalibus habet conformitatem cum Angelis; licèt Christus habeat gratias in pleniori mensura, quàm Angeli, & citiùs ordine prædestinationis, quàm Angeli.

13. *S. Chrysostomus glossatur.* Objicit secundò idem Author S. Chrysostomum, exponentẽ illud D. Pauli *ad Ephes: 1. Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*, ubi dicit: *hominum secundùm carnem; Angelorum verò ùt est DEUS*: Ergo Christus quà homo non est Caput Angelorum. Respondeo glossando S. Patrem & dico, eum per allata Verba non intendere negare Christum esse Caput Angelorum, quà homo est; sed assignare tantùm causam, propter quam est eorum Caput, scilicet quia est DEUS; si enim tantùm esset homo, non posset esse illorum Caput; cùm natura humana sit inferior naturâ Angelorum: itaque natura humana elevata est ad esse Caput Ecclesiæ ratione Personæ Divinæ ei conjunctæ.

Quò sensu Papa dicatur Caput Ecclesiæ. 14.
Quæres: quomodo ergo Papa potest rectè se nominare Caput Ecclesiæ totius? NOTA pro Resolutione, ex D. Thom: *3. parte, qu: 8. art: 6.* quòd Caput in alia membra influat dupliciter: *primò*; modò quôdam interiori, eò pactô quò virtus motiva, & sensitiva à Capite derivata influit in alia membra. *Secundò*, secundùm quandam exteriorem gubernationem, & ministerium, prout scilicet secundùm visum, & alios sensus qui in Capite radicantur, regitur homo in exterioribus actibus. Respondeo jam, quòd priori modô solus Christus possit se nominare Caput Ecclesiæ; eò quòd interior gratiæ influxus proveniat à solo Christo, cujus humanitas est Divinitati, fonti omnis gratiæ, conjuncta. Posteriori modô Papa legitimus jure potest se nominare Caput Ecclesiæ Ministeriale; quia est Successor D. Petri, cui dixit Dominus, *tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* Unde sicut Romanæ nostræ Monarchiæ primarium, sed tamen invisibile Caput est DEUS, juxta illud, *non est potestas nisi à DEO, ad Rom: 13. vers: 1.* Secundarium verò, & visibile Cæsar Leopoldus: ita dicendum est de Ecclesia. Quod totum probari potest ex Callisto Papa *Dist: 12. cap: Non decet &c.* Et ex D. Augustino *in quæstionibus Novi, & Vet: Testam*: qui Petrum vocat Caput Apostolici Collegij, cujus Successor est quilibet Pontifex Romanus.

An Christus sit Caput Dæmonum? 15.
Quæres: An Christus quoque possit dici Caput Dæmonum? Respondeo sub distinctione; si sufficit ad illam denominationem Capitis, quòd habeat dominium, imperiúmque super Dæmones, rectè potest Christus asseri Caput Dæmonum; quia Christus rerum creatarum omnium, & consequenter Dæmonum dominus est, ac Caput juxta illud *Psal: 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Si verò ulteriùs requiratur, quòd Caput moraliter influat in sua membra,

tunc

tunc Christus non rectè dicitur Caput Dæmonum; quia Dæmones, & damnati sunt extra statum merendi; & consequenter incapaces ab extrinseco recipiendi gratias, promanentes à Christo, aliosque influxus mysticos.

QUÆSTIO V.

De Christi Gratijs gratis datis; & Donis Spiritûs Sancti ejusdem.

1. *Quid intelligatur per gratias gratis datas?*



NOTA primò: quòd per *gratias gratis datas*, intelliguntur illæ operationes seu actus, qui supra naturam sunt, & virtute Divinâ fiunt vel ad confirmationem Fidei; vel ad utilitatem spiritualem Ecclesiæ totius; vel ad manifestationem Mysteriorum DEI; & tandem unô verbô quæ ad alterius profectum potius, quàm ipsius operantis cedunt: unde per hoc differunt à gratia gratum faciente, id est, charitate: & secundò etiam; quia gratiæ gratis datæ reperiuntur in justis, atque injustis, ùt patet de Prophetia Balaam Gentilis; non sic gratia gratum faciens.

2. *Recensentur nobem gratiæ gratis datæ.* Hujusmodi gratiæ gratis datæ enumerantur novem à D. Paulo *1. ad Cor: 12.* his verbis, *alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri Fides, alij gratia sanitatum, alij operatio Virtutum, alij Prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera Linguarum, alij interpretatio sermonum.*

3. *Quid sint Dona Spiritus Sancti?* NOTA secundò: quòd per *Dona Spiritûs Sancti* intelligantur illæ gratiæ, quibus homo bene disponitur, ut fit facilè mobilis ad operandum ex particulari motione Spiritûs Sancti. Hujusmodi numerantur septem ab Isaia cap: 11. Sapientia, Intellectus, id est habitus primorum principiorum, Consilium, Scientia, Fortitudo, Pietas & Timor Domini. Ex his quatuor pertinent ad intellectum; scilicet Sapientia, Intellectus, Scientia, & Consilium: & tres ad voluntatem, nempe Timor, Pietas & Fortitudo.

4. *In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.* DICO primò: In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ. Est communis Theologorum; contra Abulens: excludentem à Christo gratiam Prophetiæ.

5. *Quod ostenditur quoque ratione Theologicâ.* Probatur primò authoritate SS: PP: Conclusionem statuentium; signanter eam tenet D. Cyrillus *lib: 10. in Joan: cap: 20.* Et D. Augustinus *epist: 57. ad Dardanum circa finē*, dicens, *sicuti in Capite sunt omnes sensus; ita in Christo sunt omnes gratiæ gratis datæ*: Ergo &c.

Probatur secundò ratione Theologicâ: gratiæ gratis datæ conferuntur ad manifestationem Fidei, & doctrinæ spiritualis gratiæ; sed principalis manifestator Fidei, & Doctor fuit Christus: Ergo habuit gratias omnes gratis datas. Prob: Maj: ex D. Paulo *1. ad Cor: 12.* ubi antequam agit de gratijs gratis datis, dicit vers: 7. *unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*, & ut explicet quomodo fiat ista manifestatio, enumerat gratias gratis datas *vers: 8.* Ergo &c.

6. *Rursus aliâ ratione.* Probatur tertiò aliâ ratione: nulla specialis perfectio decens Christum est ipsi deneganda: sed gratiæ gratis datæ sunt perfectiones decētes Christum; quia his magis ornatur ejus anima, & svaviùs disponitur ad operandum: Ergo hæ perfectiones non sunt Christo denegandæ.

7. *Ostenditur specialiter de Christo sermo sapientiæ & scientiæ.* Probatur quartò discurrendo per singulas istas gratias: nam *primò*, Christus habuit *Sermonem Sapientiæ, & scientiæ*, quæ sunt facilitates quædam ex speciali Spiritûs S. auxilio datæ ad proponendas, seu explicandas res Fidei; unde meritò *mirabantur homines de his, quæ procedebant de ore ejus*; Lucæ 4.

8. *De eodem docetur gratia Fidei.* *Secundò*; habuit *gratiam Fidei*, capiendo Fidem pro cognitione excellenti rerum Fidei; vel pro promptitudine res Fidei ponendi; vel pro fiducia perfecta impetrandi ac patrandi miracula; quia Christus habuit excellentissimam cognitionem Mysteriorum Fidei; & eximiam facilitatem ea proponendi; insuper habuit summam fiduciam obtinendi miracula: unde dicit Joann: 11. quando Lazarum jam suscitârat; *gratias ago tibi, quia audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis:* habuit etiam firmam fiduciam Fidem suam in Ecclesia semper permansuram, juxta illud, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* similiter habuit fiduciam in DEUM, quòd clarificaturus sit corpus suum.

9. *Gratia sanitatum, & Operatio virtutum.* *Tertiò*; habuit *gratiam sanitatum*, & *Operationem Virtutum*; quia quotquot tangebat, sanabat; unde dicitur de ipso Luc: 6. *quòd virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Quar-

10. *Gratia Linguarum.* *Quartò*; habuit *gratiam Linguarum*; quia per scientiam infusam, & beatam habuit omnium rerum notitiam; & consequenter Linguarum. Deinde fuit Doctor Universalis Mundi, quem decet omnium idiomatum callere diversitatem. Et licèt communiter loqueretur in Hebræo; tamé etiam Chananææ est locutus, quæ erat Samaritani sermonis; item prædicavit in civitate Sicchar; communicavit cum Romanis intra Jerusalem; & credendum est quòd in Lingua eorum Latina sit illis locutus. Tandem Eusebius Cæsariensis lib: 2. *Histor: Ecclesi cap: ult:* dicit; Christum scripsisse Epistolam ad Abagarum Regem in lingva Syriaca. Per hæc motiva patet etiam ipsum habuisse *Interpretationem sermonum*, intelligendo per hanc donum ad condendam Scripturam, vel transferendam de una lingva in aliam.

11. *Gratia Prophetiæ.* *Quintò*; habuit *gratiam Prophetiæ*; quia de illo olim prædixit Moyses, Deut: 18. *Prophetam de gente tua &c. suscitabit tibi Dominus DEUS.* Item ipse Christus de se dicit Lucæ 4. *quia nemo Propheta acceptus est in Patria*: ex quo loco probat D. Augustinus *tract: 15. in Joann:* non malè sensisse Samaritanam de Christo, cùm ad illum dixit, Joann: 4. *Domine, ut video, Propheta es tu.* Et hanc gratiam adstruunt etiam in Christo SS: PP: Ambros: *Serm: 8. in Psal: 118.* & alij. Ratio etiam est; quia Christus loquebatur ea, quæ erant procul à cognitione, & sensu hominum, ùt destructionem Jerusalem, & alia complura. Ex

12. *Et discretio Spirituum.* hoc etiam patet, quòd habuit *discretionem Spirituum*, quæ veluti quædam pars est Prophætiæ; quia vel significat vim cognoscendi interiores cogitationes mentis; vel saltèm discernendi, & judicandi ex instinctu Spiritûs S. inter motionem boni; & mali Spiritûs; & utrôque modô potuit Christus per scientiam beatam discernere Spiritus: Ergo Christus habuit omnes gratias gratis datas.

13. *Quædam objecta diluuntur.* Objicit *primò* Abulensis; de ratione Prophetiæ est, ut res revelata non sit nota Prophetæ, nisi duntaxat sub involucris: sed Christo res omnes clarissimè erant notæ: Ergo non habuit gratiam Prophetiæ. *Secundò*; nihil evacuandum aliquaodo fuit in Christo: sed Prophetia evacuabitur, ùt dicitur *1. ad Cor: 13.* Ergo &c. Respondeo *ad primum* Neg: Ant: nam quòd Prophetis sub involucris innotuerit res revelata, purè per accidens est ad rationem Prophetiæ; nam ratio Prophetiæ essentialiter tantùm importat denuntiationem rerum, quæ naturalem captum, & notitiam excedunt hic & nunc. Ad *secundum* Dist: Min: Propheta evacuabitur quò ad habitum Neg: Min: quò ad effectum, quia nimirum in altera vita nulli ampliùs eruot instruendi Conc: Min: hæc autem secunda evacuatio non dedecet Christum.

DICO secundò: In Christo fuerunt septem dona Spiritûs Sancti. Est omnium TT. 14. *In Christo erant septē dona Spiritus Sancti.*

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: Isaiæ 11. dicitur, *requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus Sapientiæ &c.* quem locum de Christo habente omnia dona Spiritûs S. interpretantur omnes SS: PP: Cyrillus, & Hieronymus super illum passum; item Irenæus, Athanasius, Basilius, Ambrosius: Ergo in Christo fuerunt omnia dona Spiritûs Sancti.

Probatur secundò ratione Theologicâ: per dona Spiritûs S. movetur anima à Spiritu S. ad facilè operandum: sed decens erat, ut anima Christi sic moveretur: Ergo habuit Christus dona Spiritûs Sancti.

Dices; non fuit in Christo spiritualis Timor; talis enim arguit imperfectionem: Ergo: Respondeo Dist: Ant: Timoris Servilis Conc: Ant: Filialis Nego Ant: Itaque est duplex Timor; *Filialis*, quò quis timet ob amorem erga alterum; & hôc timet Filius offendere Patrem, quem amat, & Beatus timet separari à DEO. *Servilis* est, quò quis timet ob punitionem culpæ: Christus ergo habuit solùm timorem Filialem, qui nascebatur in eo, partim quia fuit Filius DEI, quem summè dilexit; partim ex contemplatione Divinæ eminentiæ Patris, quâ potest unumquodque à se repellere; quam eminentiam timebat Christus, & reverebatur. 15. *In Christo fuit solus Timor Filialis.*

QUÆSTIO VI.

De Virtutibus Theologicis; & Moralibus Christi.



OTA primò: aliquem ad opera Virtutum posse moveri tripliciter. *Primò*; ratione naturali; & ad hoc ponun- 1. *Triplici modo potest quis moveri ad opera Virtutum.*

ponuntur Virtutes Morales acquisitæ. *Secundò*; ratione supernâturali; & ad hoc statuuntur secundùm Thomistas Virtutes morales infusæ: Secundùm verò Scotum sufficiunt in via Theologicales infusæ, & morales acquisitæ. *Tertiò*; movetur quis speciali motu Spiritûs S. & ad hoc ponuntur dona Spiritûs Sancti.

2. *Quid sint Virtutes Theologicæ?* NOTA secundò: per *Virtutes Theologicas* intelligi quasdam habitus supernaturales in substantia Fidei, Spei, & Charitatis, à DEO animæ rationali infusos; de quibus fusius egi *Tom: 3. Tract: de Virtutibus Theologicis, per totum*.

3. *Et Virtutes morales?* NOTA tertiò: per *Virtutes Morales* intelligi illas qualitates, quæ efficiunt hominem bonum in genere moris, vel artis: Unde sunt in duplici differentia; aliæ enim sunt purè intellectuales, utpote respicientes solum intellectum, cujusmodi sunt omnes habitus scientiales, & artis: aliæ sunt, quæ insunt in ordine ad mores homini componendos, vel comparandos, ut videlicet operetur conformiter ad dictamen rectæ rationis, & ad consecutionem sui finis; & tales sunt tum quatuor virtutes Cardinales, puta Justitia, Temperantia, Fortitudo, & Prudentia; tum aliæ ùt Liberalitas, Mansvetudo, Benignitas, &c.

4. *Virtutes possunt dupliciter considerari.* NOTA quartò: Tam Virtutes Theologicas, quàm Morales posse in præsentiarum dupliciter considerari: vel secundùm rationem habitûs, quam important; vel secundùm rationem actûs, procedentis ab habitu talium virtutum. *Primò modò* important actum primum, & rationem principij: *Secundò modò* important actum secundum, & rationem principiati effectûs, & rationis. his ita prælibatis

5. *In Christo non fuit actus Fidei Theologicus.* DICO primò: In Christo non fuerunt duæ illæ Virtutes Theologicæ Fidei, & Spei, nec quò ad actum, nec quò ad habitum. Est contra multos Scotistas; non tamen contra Scotum.

Probatur de *actu Fidei*: actu Fidei assentimur rebus non visis, juxta illud ad Hebr: 11. *Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium*: sed Christus videbat omnia in Verbo, quæ creduntur ab alijs: Ergo non habuit Fidem. Min: patet; quia Christus fuit ab instanti suæ conceptionis Beatus, & Comprehensor perfectus: Ergo videbat omnia clarissimè in Verbo.

Probatur secundò: actus Fidei non manet in patria; juxta illud Divi Pauli 1. *ad Cor: 13. cùm venerit quod perfectum est* (id est, visio & fruitio, sicut exponit S. Hieronymus) *evacuabitur, quod ex parte est*, id est, Fides, & Spes; sed Christus fuit in patria; quia fuit perfectè Beatus, & Comprehensor, ùt alibi ostendam: Ergo &c.

Probatur etiam de *habitu Fidei*: habitus dantur propter actus; sed in Christo non fuerunt, nec poterant esse actus Fidei, ùt ostensum est: Ergo nec habitus Fidei. 6. *Neq. habitus.*

Probatur secundò: quod arguit imperfectionem in anima Christi, non est ponendum: sed habitus Fidei arguit imperfectionem; quia inclinat ad cognoscendum aliquod objectum obscurè: Ergo non est ponendus in Christo.

NOTA hic: quòd licèt Christus non poterat elicere actum Fidei; habuit tamen præmium correspondens actui meritorio Fidei; quia habuit affectum bene dispositum ad eliciendum actum meritorium Fidei, si oporteret; vel si DEUS illum poneret in statu tali, in quò posset credere. 7. *Christus habuit præmiū correspondens Fidei actuali.*

Probatur Conclusio de *actu Spei*: Actus Theologicus spei versatur circa objectum, seu bonum Divinum, non habitum: sed Christus ab instanti Conceptionis habuit omne bonum Divinum beatitudinis in anima, quod alijs Beatis datur: Ergo non potuit elicere actum Spei. 8. *In Christò nullus fuit actus Spei Theologicus.*

Probatur secundò: Motus physicus requirit, ut mobile non sit in termino, quia acquisitô terminô cessat motus, ùt ait Aristoteles: Ergo similiter spes, quæ est veluti motus quidam animi in rem consequendam, requirit in subjecto sperante carentiam rei speratæ: sed Christus semper habuit DEUM, & fruebatur ipsô: Ergo non habuit actum spei.

Probatur etiam de *habitu spei*: Habitus spei à DEO infunditur in ordine ad actus secundos, ipso mediante eliciendos: Ergo cùm Christus non poterit elicere actum spei, gratis asseritur, quòd habuerit habitum spei. 9. *Neq. habitus.*

Objicies primò: Isaiæ 11. dicitur de Christo; quòd *Fides erit cinctorium renum ejus*: Ergo habet Fidem. Respondeo per fidem ibi intelligi vel cognitionem excellentem Mysteriorum Fidei; vel facilitatem proponendi accommodatè Fidem, vel fiduciam, de qua *priori quæstione conclus: 1.* Vel certè habuit Fidem 10. *Quò sensu Fides dicatur cinctorium renum Christi.*

dem quæ coincidit cum fidelitate in servandis promissis.

11. *Qualiter Christus speraverat gloriam corporis sui?* Objicies secundò: Christus sperabat gloriam sui corporis; item nominis exaltationem; quia hæc non habuit: Ergo &c. Respondeo Dist: Antec: sperabat eam per actum provenientem â spe Theologica, Neg: Ant: per actum provenientem ab alio principio: Conc: Ant: Itaque ille actus Spei in Christo non provenit â Virtute Theologica spei, sicut nascitur noster actus spei; quia enim nos non habemus gloriam animæ, neque habemus aliquid excellentiùs, quàm spem, quod sit principium elicitivum actûs sperandi gloriam corporis, ideo nos speramus actu provenient â virtute Theologica spei; Christus autem habuit gloriam animæ, & per gloriam animæ sperabat se consecuturum etiam gloriam corporis; quamvis deficiebat spes, eò quòd haberet aliquid excellentiùs, quò sperabat.

12. *Quædam replica expeditur.* Dices: Ille actus spei erat Theologicus: Ergo procedebat â Virtute Theologica spei. Respondeo Neg: Conseq: Ille actus Christi erat ideo Theologicus, quia procedebat â principio supernaturali, scilicet â beatitudine animæ, & tendebat in objectum Theologicum DEUM.

13. *Christus habuit omnes virtutes morales non dicentes imperfectionẽ.* DICO secundò: Christus habuit omnes Virtutes morales, tam quòad actum quàm habitum, quæ non dicunt aliquam imperfectionem. Est communis DD:

Probatur *primò:* Istæ virtutes sunt necessariæ, ut homo eliciat operationes perfectas secundùm esse naturale, & morale; sed Christus elicuit perfectissimas operationes: Ergo habuit has virtutes. *Secundò:* hujusmodi virtutes valde ornant animam: Ergo fuerunt in Christo. *Tertiò:* Christus eliciebat actus virtutis moralis justitiæ, fortitudinis, & prudentiæ &c: Ergo habuit omnes virtutes morales tam quoad actum, quàm quoad habitum.

DICO tertiò: Christus habuit virtutes morales, non dicentes imperfectionem, in gradu heroico; & quidem ab instanti Conceptionis per infusionem. 14. *Christus habuit virtutes morales in gradu heroico.*

Probatur prima pars: Christus habuit virtutes morales in gradu excellentissimo; quia in eo nullæ fuerunt passiones immoderatæ, sed omnes ad nutum compositæ, ita ut passiones omnes illico imperio suæ voluntatis comprimere valeret, in quo consistit gradus heroicus: Ergo &c.

Probatur secundà pars: Decebat animam Christi illico in instanti Conceptionis ornari omni genere virtutum moralium in gradu heroico, & aliunde non repugnabat ei sic ornari tunc: Ergo dicendum est, quòd Christus habuerit per infusionem in instanti Conceptionis omnes virtutes morales in gradu heroico, non dicentes imperfectionem. 15. *Etiam ab instanti cõceptionis.*

Dixi *quæ non dicunt aliquam imperfectionem;* quia quæ dicunt, dedecent Christum: unde Christus non habuit virtutem Pœnitentiæ; quia hæc præsupponit hominem peccâsse. Nec habuit *Continentiam* strictè sumptam, quæ importat abstinentiam ab his, quæ appetitus malè, & contra rationem appetit; quia hæc abstinenria non est nisi ubi prava concupiscentia adest, cui continentia hæc resistit; quod non est verum dicere de Christo. 16. *Christus non habuit virtutes involventes imperfectionẽ.*

DISTINCTIO IX.
De Scientijs; & Visione Beata Christi.

QUÆSTIO I.
De Scientia Increata; & Creata beata Christi.

1. *Quid sit Scientia increata, & creata Christi?* NOTA primò: Inter cæteras perfectiones Christi quoque recenseri scientiam; quæ multiplex in eo potest attendi: alia enim est Increata, alia creata. *Scientia Increata* pertinet ad intellectum Divinum Christi, & consistit in Visione increata Essentiæ Divinæ primariò, aliarúmque rerum secundariò in Essentia; de qua fusè in *materia de Scientia DEI.* *Creata Scientia* pertinet ad intellectum humanum Christi; & hæc subdividitur in beatam; & non beatam; in infusam; & non infusam.

NOTA

2. *Quid ſit ſcientia creata beata, & infuſa Chriſti; quid per ſe, & per accidens infuſa?*

Nota ſecundò: *Scientiam creatam beatam* Chriſti eſſe illam, quâ videt Eſſentiam Divinam in ſe viſione creatâ, & alias creaturas in ipſa. *Non beata* eſt, quâ videt res in proprio genere. *Scientia creata infuſa* eſt illa, quæ à ſolo Deo infunditur; idque dupliciter, vel per ſe, vel per accidens. *Per ſe infuſa* eſt illa, quæ proprijs viribus noo poteſt pro hoc ſtatu ab ullo homine acquiri; tales ſunt cognitiones, quæ verſantur circa objecta ſupernaturalia. *Per accidens infuſa* eſt ſcientia de objecto à nobis naturaliter attingibili quantùm eſt ex ſe; tamen hic & nunc infunditur nobis à ſolo Deo; talis fuit Scientia Scoti noſtri, & Doctoris noſtri Raymundi Lullij, qui eam divinitùs acceperunt. *Scientia acquiſita* eſt, quæ proprijs viribus intellectûs acquiritur per ſtudium, v. g. Logica.

3. *In Chriſto ab inſtanti conceptionis fuit ſcientia increata, & creata beata*

DICO primò: In Chriſto ab inſtanti Conceptionis ſtatuenda eſt ſcientia tam Increata; quàm Creata beata. Ita communis TT. & SS. PP. cum Scoto. *3. diſt: 14. q.* contra Lutherum, Bucerum, & Calvinum dicentes, in Chriſto fuiſſe multarum rerum ignorantiam: & contra alios aſſereotes Chriſtum Alphabetum ſub Magiſtris didiciſſe; & contra Agnoitas, tenentes Chriſtum ignoràſſe diem judicij.

Probatur primò de utraque ſcientia ſimul authoritate Conciliorum: nam Agatho Papa in epiſtola Synodi Romanæ, quæ in Synodo *Act: 4.* refertur, dicit, *confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque naturales proprietates habere confitemur.* Ergo & diſtinctas naturales ſcientias Increatam, & Creatam. Idem docet Conc: Later: *collat: 1.* Calcedon: *Act: 4.* Et Conſtant: *collat: 8. cap: 4. &c.*

4. *Speciale argumentum ex Scriptura pro ſcientia creata beata Chriſti.*

Probatur ſecundò ſpecialiter de Scientia creata authoritate S. Scripturæ, nam *Joann: 1.* dicitur; *DEUM nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*; ac ſi diceret inquit D. Auguſtinus *Tract: 3. in Joannem, Unigenitus qui vidit* (ſcientiâ videlicet beatâ) *ipſe enarravit.* Et Joann: 3. *qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit, & audivit hoc teſtatur.* Item cap: 8. *Ego quod vidi apud Patrem loquor:* qui omnes textus loqvuntur de ſcientia beata creata Chriſti quà hominis; cùm ſine ratione detorqueantur ad ſcientiam, & viſionem increatam: Ergo &c.

5. *Aliud ex ratione deſumptum.*

Probatur tertiò ratione eadem pars: Credibile eſt Divinam Perſonam ſtatim ornâſſe naturam ſibi unitam donis gratiæ, & gloriæ, ab eâque abſtuliſſe omnem indecentem imperfectionem; hoc enim cedit ad majorem Chriſti honorem: ſed habere ſcientiam creatam beatam eſt donum gratiæ, & gloriæ; & ejus carentia eſt quædam imperfectio dedecens naturam unitam Divinæ Perſonæ: Ergo dicendum eſt naturam Chriſti ab inſtanti fuiſſe ſic ornatam. Præterea natura Chriſti per Incarnationem ſublimata fuit ad ſupremum eſſe: Ergo etiam ad ſupremam operationem, qualis eſt ſcientia beata creata.

6. *Quô ſenſu DEUS lucē habitet inacceſſibilē?*

Dices: D. Paulus *1. ad Timot: ult:* dicit de DEO, *quòd lucem habitet inacceſſibilem, quam nullus videt, nec videre poteſt:* Ergò neque Chriſtus. Reſpondeo exponendo D. Paulum; & dico, eum loqui de lege communi DEUM clarè videre non poteſt; Chriſtus autem fuit ſimul Comprehenſor.

7. *Quædam Scripturæ reconciliantur.*

Objiciunt primò Hæretici contra ſecundam partem: 1. Joann: 7. dicitur de Chriſto, *quòd JESUS nondum erat clarificatus.* Item Joann: 17. *clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquam mundus fieret:* Ergo Chriſtus ante reſurrectionem ſuam non habuit Scientiam creatam beatam viſionis, quæ clarificat, & glorificat. Reſpondeo illos textus loqui de glorificatione, & exaltatione corporis, ac gloriæ ſui nominis per univerſum mundum; non verò de glorificatione, quæ fit in anima per Viſionem beatam.

8. *Quædam objectio reſolvitur.*

Objicıunt ſecundò: Chriſtus exiſtens in mundo promeruit ſibi beatitudinem, & conſequenter ſcientiam beatam: Ergo eam non habuit ab inſtanti Conceptionis. Prob: Ant: eſt perfectionis in creatura rationali mereri ſibi aliquod bonum per opera ſancta: Ergo &c. Reſpondeo Neg: Ant: & Diſt: Probationis ejus Ant: eſt perfectionis, quæ tamen habet annexam imperfectionem, dedecentem Chriſtum Conc: Antec: eſt perfectionis, quæ non habet annexam imperfectionem: Neg: Ant: Itaque mereri aliquid dicit quidem perfectionem; ſed tamen cum imperfectione aliqua; quia ſupponit merentem carere illô bonô, quod meretur: Chriſtus autem nunquam caruit bonô ſcientiæ beatæ.

Quæres: Utrum hæc ſcientia creata beata Chriſti terminabatur ad DEUM ſub ratione infiniti objecti? Reſpondeo, &

9. *Scientia creata beata Christi terminabatur ad DEUM sub ratione objecti infiniti.* DICO secundò: Scientia creata beata Christi omnino terminabatur ad DEUM sub ratione objecti infiniti. Ita Scotus *3. dist: 14. quæst: 2.* contra Henric: Ægid: &c.

Probatur: si scientia beata Christi non fuisset rerminata ad DEUM sub ratione infiniti objecti, non esset summa, & perfectissima visio: sed est: Ergo &c. Prob: Maj: omni possibili visò non sub ratione infiniri, potest aliquid perfectiùs videri, ab alio saltem intellectu: Ergo si scientia beata Christi non terminaretur ad DEUM sub ratione infiniti, non esser perfectissima. Deinde sequeretur, quòd Essentia Divina non quietet perfectè inrellectum Christi, quod non est dicendum. Prob: sequela; Essentia non quietat perfectè, nisi ùt visa existens desacto in tribus Personis; sed hoc ei convenit ratione infinitatis, ùt ostendit Doctor *1. dist: 28.* Ergo Essentia non quieraret perfectè intellectum Christi, si scientia ejus non rerminaretur ad DEUM sub ratione infinitatis.

10. *Quædam objecta refutantur.* Objicies: sequitur *primò*; quòd scientia beata Christi creata, & scientia increata DEI essent ejusdem speciei; quod est falsum; quia finitum, & infinitum differunt plùs, quàm specie: Probat: autem sequela; quia objectum specificat actum: Ergo cùm in proposito esset idem objectum Visionis Christi, & DEI, scilicet Essentia sub ratione infiniti proposita: scientia creata, & increata essent ejusdem rationis. *Secundò* sequeretur; quòd intellectus humanus Christi per illam scientiam beatam sic terminaram comprehenderet Essentiam; videret enim eam secundùm totam rationem visibilitatis; quod est inconveniens: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Neg: sequelam, ad ejus Probationem dico; quòd specificatio objecti sir tanrùm extrinseca; non verò intrinseca; intrinsecè ergo differunt scientia beata Christi, & DEI; quia procedunt à principijs specie distinctis. Respondeo *ad secundùm* Neg: sequelam similiter, cum Probatione ejus; ad comprehensionem propriè dictam requiritur commensuratio ex parte potentiæ comprehendentis, & objecti comprehensi: Christi autem intellectus humanus nequit habere hujùsmodi commensurationem, quæ consistit in intellectualitate infinita; adeoque nequit comprehendere Essentiam DEI; licet eam ùt infinitam videat.

DICO tertiò: Scientia Christi beata creata fuit quidem summa & perfectissima, non tamen comprehensiva. Ita Scotus *3. dist: 13. qu. 2.* & communis Scotistarum.

Probatur prima pars *primò* authoritate D. Isidori *de sum: bon: cap: 3* dicentis; *Trinitas tibi soli nota est, & homini assumpto:* quod dictum solummodo verum est, si intelligatur de notiria seu scientia beara perfectissima, ut sensus sit, quòd solus Christus secundùm humanitatem perfectissimè noscat, & sciat Trinitatem; nam minùs perfectè eam etiam noscunt alij Beari. *Secundò* ratione Scoti; gratia Christi habitualis fuit summa & perfectissima, ùt *priori Distinctione, quæst: 2. Conclus: 4.* ostensum est. Ergo à pari etiam scientia beata creata. Conseq: renet; nam perfectissimæ gratiæ correspondet perfectissima Visio, seu scientia beata creara. 11. *Scientia beata creata Christi fuit perfectissima.*

Probatur secunda pars: Tum quia scientia Christi beata creata fuit finita entitativè; Essentia autem Divina quæ est objectum talis scientiæ Christi est infinitum entitativè: sed infinitum nequit comprehendi à finito: Ergo &c. Tum quia ad propriam comprehensionem ex Scoto requiritur tanta intellectualitas in comprehendenre, quanta est intelligibilitas in objecto, ut fiat debita commensurario inrer utrumque: sed hæc intellectualitas non adest in intellectu creato Christi sciente: Ergo is nequir comprehendere. Tum tandem quia ita sentiunt SS. PP. Aug: *in q. de Trinit:* Ven: Beda, & alij negantes intellectum creatum posse comprehendere propriè aliquod objectum. 12. *Non tamen strictè comprehensiva.*

QUÆSTIO II.

De Lumine Gloriæ, concurrente ad Scientiam, seu Visionem beatam Christi.


Uæstionem istam de natura, & necessitate Luminis gloriæ examinavl in *primo Tomo, dist: de Visione beatifica*; occasione tamen scientiæ Christi aliqua ibi omissa hic proponam; nonnulla etiam denuo repetam breviter pro clariori deductione quæstionis præsentis. Unde

NOTA

1. *Duplex acceptio Luminis gloriæ*

NOTA primò: Lumen gloriæ duobus modis posse sumi. *Primò* pro omni auxilio supernaturali, necessariò ad beatitudinem consequendam seu clarè videndum DEUM; quale auxilium esset specialis concursus DEI, illustratio aliqua actualis Divina immissa in intellectum Christi, vel cujuscunque alterius Beati; quia est eadem ratio de Visione beata Christi quoad elicitionem ejus, ac aliorum Beatorum. *Secundò* pro habitu, seu qualitate supernaturali, præcedente actum Visionis, & elevante intellectum ad videndum DEUM clarè.

2. *Lumen gloriæ pro auxilio supernaturali acceptum est necessarium ad eliciendam claram visionẽ DEI.*

DICO primò: Accipiendo Lumen gloriæ pro aliquo auxilio supernaturali est necessarium ex parte intellectûs humani Christi ad eliciendam Scientiam beatam creatam, seu claram DEI visionem. Ita communis cum Scoto *4. dist. 49. qu. 11.*

Probatur primò authoritate Concilij Viennensis; relati in Clementina, *ad nostrum; de hæreticis*, quod *Errore 5.* damnat Begvardos, & Begvinas docentes sic; *docebant autem* (verba sunt Concilij, quæ seqvuntur) *quintò, quòd qualibet intellectualis natura ex se ipsa naturaliter est beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad DEUM videndum, & eo beatè fruendum:* Ergo oppositum hujus erroris est verum, etiam de Christo, qui veram habuit naturam intellectualem, similem alijs hominibus: Ergo ejus intellectus quoque necesse habebat lumen gloriæ per modum auxilij supernaturalis ad habendam scientiam beatam, seu Visionem.

3. *Rationes Scoti afferuntur pro eodem asserto.*

Probatur secundò rationibus Scoti; qui *loc: cit:* & alibi frequenter docet intellectum creatum non posse viribus naturæ consequi beatitudinem. Mirandum proinde, cur nonnulli Zoili eum censurent, quasi ejus doctrina cum hæresi Begvardorum, & Begvinarum coincideret. Probatur, inquam; quia Apostolus ad *Roman: 6.* inquit; *Gratia DEI vita æterna:* Ergo ad vitam æternam non sufficiunt vires naturæ; sed est necessaria aliqua gratia, vel adjuvamen supernaturale: nullum autem potiùs, quàm Lumen gloriæ, quomodocunque demum accipiatur: Ergo &c. Deinde assertio contraria, quæ est Begvardorum & Begvinarum, est pejor hæresis, quàm hæresis Pelagij: Ergo si illa est damnata, multò magis hæc erit damnanda, quæ negaret lumen gloriæ pro aliquo auxilio supernaturali acquisitum esse necessarium ad Visionem beatam, etiam ex parte intellectûs creati Christi. Probat: Antec: Pelagius dicebat, hominem posse justificari sinè gratia, & per vires naturæ; non tamen dicebat hominem viribus naturæ solis posse consequi beatitudinem: sed magis eget auxiliò supernaturali ille homo, qui vult consequi beatitudinem seu beatificari, quàm qui vult justificari: Ergo major est hæresis negare necessitatem auxilij supernaturalis ad visionem, quàm ad justificationem.

4. *Lumen gloriæ acceptũ pro habitu esse necessarium ad visionem DEI, Ecclesia non determinavit.*

DICO secundò: Accipiendo Lumen gloriæ pro habitu, seu qualitate præcedente actum visionis beatæ, elevante intellectum, esse necessarium ad visionem beatam, non est definitum ab Ecclesia. Est omnium Scotistarum; contra Capreol: Ferrar: Ægidium, Molinam, Bann: Zumel, &c. quorum aliqui putant hanc Conclusionem esse damnatam ùt hæreticam in Concilio Vienn: alij ipsam esse ad minùs temerariam, & erroneam; sed falsò omnino ùt patebit hic.

Probatur Conclusio: Si alicubi esset definitum ab Ecclesia, quòd Lumen gloriæ acceptum pro habitu sit necessarium ad Visionem beatam, maximè in Generali Concil: Viẽnensi, ùt dicunt Adversarij: sed Concil: Vienn: hoc non definivit: Ergo &c. Prob: Min: in dicto Concilio loquente de Lumine gloriæ necessario nullus apex invenitur, quô significaretur, vel nominaretur Luminis gloriæ pro habitu accepti necessitas: Et error Begvardorum, ac Begvinarum posset esse hæresis, quamvis Lumen gloriæ habituale esset impossibile: Ergo Concil: Vienn: nil definivit de necessitate Luminis gloriæ, acceptô pro qualitate habituali.

5. *Roboratur conclusio primò.*

Confirmatur primò: Concilium nil ampliùs requirit, quàm quòd sit necessarium lumen aliquod gloriæ supernaturale elevans potentiam, abstrahendo ab ejus specificatione, qualenam in specie debeat esse: Ergo per Lumen gloriæ requisitum à Concilio potest intelligi quodvis auxilium supernaturale, quamvis non sit qualitas aliqua habitualis. Ant: patet; quia Concil: Viennen: tunc non diremit litem, vertentem inter Scholasticos DD: de quidditate Luminis gloriæ; sed tantùm ostendit ejus necessitatẽ: Ergo non specificavit tunc qualenam in specie Lumen gloriæ sit, necessarium ad visionem DEI. Unde

Confir-

6. *Roboratur secundò.* Confirmatur secundò Conclusio: Non est credibile Concilium voluisse damnare opinionem hanc Scotisticam, quæ tunc adscribebatur à multis Scoto, & erat celebris, sinè eo quòd fecisset aliquam mentionem Scoti, & contentionis Scholasticorum, inter quos tempore Concilij erat hæc lis; solent enim Concilia ante damnationem errorum præmittere Authores eorum, & causas, ut fit in illa Clementina de Begvardis, & Begvinis: sed non fecit: Ergo non damnavit illam sententiam Scotisticam.

7. *Roboratur tertiò.* Confirmatur tertiò, & retunduntur censuræ Adversariorum: quando ex natura rei non potest inferri ex Concilio, sententiam aliquam esse hæreticam, vel temerariam; id deberet fortè posse colligi secundùm Adversarios ex torrente, & communi consensu DD: illam sententiam sic censurantium: Ergo cùm ex Concilio Viennensi Sententia Scotistica non possit inferri tanquam hæretica, vel temeraria, ùt ostensum est; id deberet colligi ex consensu DD: Subsumo; sed ex hoc non colligitur: quia omnes DD: Scotistæ dicunt, istam Sententiam esse verissimam, & Catholicissimam; qui omnes, & numerò sunt plures Adversarijs, & qualitate non inferiores: & certè non mediocrem speciem arrogantiæ præ se ferret, quicunque ex Adversarijs vellet absolutè afferre, graviores, & doctiores esse suæ Scholæ Magistros, quàm Scholæ Scotisticæ: si tamen hoc non obstante aliter de se & suis sentiant; dabunt Scotistis veniam, tam humiliter de ipsis sentire, quàm ipsi de Scotistis sentiunt.

8. *Defacto Lumen gloriæ habituale concurrit ad Visionem beatam Christi.* DICO tertiò: De Lege ordinaria de facto, etiam secundùm Scotum, concurrit lumen gloriæ habituale ad Visionem beatam Christi, & aliorum Beatorum. Est contra TT. extraneos; imò & quosdam Expositores Scoti, adducentes Scotum *3. dist: 31. qu: 1. & 4. dist: 49. qu: 11. in resolutione quæst: circa finem*; ubi videtur dicere, lumen gloriæ, quod defacto concurrit ad Visionem, non esse habitum, sed aliquid aliud; & hinc credo Adversarios sumpsisse occasionem sugillandi Scotum, tanquam hæreticum: sed erroneè.

9. *Ex Scoto intellectus Christi concurrit ad Visionem beatam.* NOTA autem secundò pro confutandis Scotistis Adversarijs: Maximum esse dubium inter Scotistas, an intellectus respectu objecti beatifici se habeat merè passivè; vel potiùs activè, sicut se habet respectu objectorum naturalium, cum quibus partialiter activè concurrit ad prædictam intellectionem? Scotus in hac re videtur multis problematicus; nam *1. dist: 3. qu: 8.* in principio solutionis determinans intellectum, & objectum esse causas intellectionis, intellectum tamen magis principalem, eximit ab hac doctrina objectum beatificum clarè visum, quod ait propter ejus excellentiam & excessum super facultatem creatam posse poni habere totam causalitatem respectu Visionis: hoc tamen non determinat absolutè; sed remittit se ad *4. dist: 49. q: 11.* ubi iterum videtur esse problematicus. Unde si teneatur, quòd intellectus passivè tantùm se habeat; sinè dubio de mente Scoti Lumen gloriæ concurrens non potest poni esse habitus aliquis in anima, per quam sit apta nata recipere Visionem; sufficit enim ipsa passivitas naturalis animæ, sicut sufficit ad recipiendum alios habitus supernaturales. Nihilominus dico Scotum magìs declinare ad alteram partem, activitatis scilicet intellectûs; quia *4. dist: 49. qu: 11.* ponit duas Conclusiones; quarum prima sic sonat, natura humana ex puris naturalibus non est sufficienter activa ad vivendum DEUM: Ergo tenet naturam habere aliquam activitatem ad videndum DEUM. Item *1. dist: 3. qu: 7. & 8.* tenet intellectum concurrere activè, & magis principaliter cum objecto ad intellectionem naturalem; Ergo ad supernaturalem saltem minùs principaliter concurrit activè. Clariùs *Quodl: 15. §. de secundo articulo,* asserit intellectum passibilem sic se habere ad formationem Verbi de creatura in Essentia visa, sicut se habet nunc ad formationem Verbi de objecto; & probat ex D. Augustino *7. de Civit: DEI cap: 30; sic DEUS res, quas condidit, administrat, ut eas proprios motus agere sinat*; unde subjungit Scotus hæc verba; *igitur remanebit in Patria naturalis actio, qua nata est competere natura secundùm suam perfectionem:* Ergo remanebit activitas intellectûs ad prædictam Visionem DEI. His igitur suppositis, quòd secundùm Scotum intellectus Christi, & cujusvis Beati concurrat activè ad Visionem.

10. *Roboratur Conclusio ex Scoto contra Scotistas.* Probatur jam primò Conclusio contra Scotistas Expositores, quòd Lumen concurrens ad Visionem sit quid habituale, etiam secundùm Scotum: secundùm Scotum intellectus Christi concur-

concurrit activè ad Visionem: Ergo Lumen gloriæ cum eo principio comprincipians, & ipsum elevans, est qualitas habitualis. Prob: Conseq: intellectus ex se non est sufficiens ad concurrendum activè; ùti est de Fide; quia alias Visio ejus beata non esset supernaturalis ex se: Ergo debet reddi sufficiens permanenter per aliquam qualitatem habitualem. Conseq: hæc tenet; quia qualitatis habitualis proprium est inclinare permanenter, & elevare, ut fiat sufficiens, & prompta potentia ad agendum; ùti patet in alijs habitibus.

Dicitur autem Lumen gloriæ habituale facere sufficientem intellectum, non quòd ipsi det aliquam intrinsecam virtutem; sed quia intellectus sinè isto instrumento habituali non posset producere visionem; sicut v.g. oculus corporeus sinè lumine corporeo non potest elicere visionem naturalem, ubi tamen Lumen non dat aliquam perfectionem intrinsecam oculo corporeo.

11. *Aliud argumentum ex eodem Doctore.* Confirmatur ex Scoto *4. dist: 49. q. 11.* Cognitio beatifica est cognitio intuitiva; unde debet esse cognitio DEI præsentis: DEUS autem non potest esse præsens intellectui Christi ex viribus naturæ: Ergo ut sit præsens, requiritur aliquid, quod intellectum illustret, & ita confortet eundem, ut aciem figere queat in ipsum DEUM; sed hoc optimè præstat Lumen gloriæ habituale: Ergo &c.

12. *Probatur conclusio contra extraneos DD.* Probatur secundò Conclusio contra alios DD: extraneos. Intellectus Christi concurrit activè defacto, & quidem connaturaliter ad Visionem beatam: Ergo debet in eo admitti aliquod comprincipium supernaturale ipsum proportionans: sed nullum magis congruentius est, quàm Lumen gloriæ habituale: Ergo &c: Probat: Ant: tribus motivis: *Primò:* voluntas Christi concurrit activè ad amorem beatificum: Ergo & intellectus ad Visionem. *Secundò*; Visio justi est actus vitalis: Ergo connaturaliter petit produci activè ab intellectu vitali. *Tertiò*; Intellectus Christi habet virtutem partialem ad concurrendum activè, & nil impedit quò minùs concurrat circa illam: Ergo debet dici, quòd eam exerceat: Conseq: hæc tenet; quia quotiescunque producitur aliquis effectus aliquâ causâ præsente, quæ potest partialiter concurrere, debet dici quòd concurrat; patet de calore producto præsente igne: Ergo &c.

Replicant Thomistæ: Intellectum Christi esse causam activam productivam intellectionis suæ, & Visionis beatæ, & dicunt speciem intelligibilem esse rationem formalem gignendi notitiam; ipsum autem intellectum tantummodo se habere tanquam materiale, quod perficitur à specie velut à principio & forma dante illi esse intellectivum actu & intrinsecè. *Contra*; ex hac doctrina sequeretur *primò*; quòd illa species sit unum magis intellectivum, quàm intellectus; quod est absurdum; quia intellectio est actus vitalis: Ergo non potest provenire à re inanimata, qualis est species. *Secundò* sequeretur; quòd etiam virtus sensitiva posset intelligere; quia posset recipere virtutem ab intrinseco intelligendi non minùs, quàm intellectus; quod tamen est inconveniens. *Tertiò* sequeretur; neque intellectum, neque voluntatem habere causalitatem particularem circa intellectionem, vel actus meritorios; & sic meritorij non essent meritorij, & liberi; nec intellectio esset vitalis; quia essent à principio extrinseco, quod nequit dare rationem liberi, meritorij, & vitalis. 13. *Thomistæ replicantes refutantur.*

DICO quartò; Lumen gloriæ habituale non est ita necessariò concurrens ad Visionem beatam, quin in Christo, & quovis alio beato possit de potentia absoluta DEI produci visio absque illo, etiam concurrente intellectu activè. Est Scoti *loc: cit:* & in 4. specialiter *dist: 49. qu: 11.* & Scotistarum; contra rigidiores Thomistas; & Salmanticenses. 14. *De potentia absoluta DEI posset fieri Visio beata sinè concursu Luminis gloriæ habitualis.*

Probatur ratione Scoti in *4. citat:* si lumen gloriæ esset ita simpliciter necessariò concurrens, ut de potentia absoluta Christus, vel alij beati non possent habere Visionem beatam, hoc proveniret vel ratione passivitatis intellectûs; vel ratione activitatis: sed ex neutro horum provenit: Ergo &c. Prob: Min: non ratione passivitatis; quia natura humana potest esse immediatum susceptivum beatitudinis, seu Visionis, sicut est immediatum susceptivum ipsius Luminis, quando ponitur, & aliarum formarum supernaturalium: Ergo seclusô Lumine gloriæ habituali habet sufficientem passivitatem ad recipiendam Visionem.

Nec etiam ratione activitatis intellectûs; quia juxta eundem Scotum *3. dist: 14. qu: 1.* quidquid DEUS potest per causam activam efficientem creatam mediatè, potest etiam se solô immediatè

mediatè: Ergo licèt de facto in Christo, & alijs Beatis producat Visionem mediante Lumine gloriæ habituali; de potentia tamen absoluta DEI posset eam producere absque illo.

15. *Paulus & Moyses viderunt DEUM sinè cōcursu Luminis habitualis.*

Confirmatur: Probatissima est Sententia, Paulum, & Moysen in hac vita vidisse DEUM; ùti docui *Tomo 1. tract: 1. dist: 4. quest: 2. Conclus: 2.* & tamen non habuerunt habitum Luminis gloriæ; quia ille habitus est qualitas permanens; & ideo si illum habuissent, permansisset post Visionem; cùm habitus sit difficulter mobilis; non mansit autem: Ergo &c.

QUÆSTIO III.

De Specie Impressa Divinæ Essentiæ, applicabili ad Scientiam, seu Visionem Christi.



HÆc quæstio pariter ex professo ventilata fuit *Tomo 1. tract: 1. dist: 4. de Visione beatifica*; ob connexionem tamen, quam habet cum præsenti Tractatu breviter quoque eam oportet denuo tangere. Unde

1. *Quid intelligatur per speciem impressam?*

NOTA primò: quòd per speciem impressam, intelligatur aliqua species Divinæ Essentiæ, quæ poneretur in intellectu ad repræsentandam clarè Essentiam Divinam.

2. *Christus nō indiguit ullâ specie impressa Divinæ Essentiæ ad eliciendā Visionem beatam.*

DICO primò: Non fuit necessaria aliqua species impressa Essentiæ Divinæ actu concurrens ad Scientiam seu Visionem beatam Christi. Est Scoti *4. dist: 49. qu: 11.* & suorum; contra Vasq: & alios RR.

Probatur: Species impressa intelligibilis ponitur propter objectum, quando scilicet objectum non potest esse præsens per se, nec per se movere potentiam, ùti fit in cognitione nostra abstractiva pro hoc statu, quæ dependet à sensibus: sed Essentia Divina est objectum sufficiens per se, & intellectus Christi ac cujusvis alterius Beati est capax recipere Visionem claram: Ergo non fuit in eo necessaria ulla species impressa Essentiæ Divinæ.

3. *Est possibilis species impressa Divinæ Essentiæ.*

DICO secundò: Est nihilominus possibilis hujusmodi species impressa Divinæ Essentiæ concurrens ad Scientiam beatam, seu Visionem Christi. Est Scoti *2. dist: 3. qu: 9.* & *4. dist: 49. qu: 11.* ac Scotistarum, contra D. Thomam, ejusque sequaces.

Probatur: potest dari species impressa quidditativè, & clarè repræsentans Essentiam Divinam abstractivè cognitam: Ergo etiam potest dari in Christo alia repræsentans Essentiam clarè visam, sicut contingit in Visione beata. Ant: admittitur ab Adverß: Probatur ergo Conseq: *primò*; quia non est potior ratio de una, quàm de altera specie. *Secundò*; si esset aliquod impedimentum quò minus esset possibilis hujusmodi species, maximè esset hoc, quòd Essentia sit objectum infinitum; illa verò species finita; finitum autem non potest repræsentare infinitum: sed hæc ratio non obstat; quia & ipsa Visio, quæ est species expressa Divinæ Essentiæ, est finita, & quidem clara: Ergo &c.

Objiciunt primò Thomistæ: Hæc species impressa in Christo, si esset dabilis, posset esse objectum beatificum: sed hoc est falsum; quia aliàs creatum aliquod objectivè beatificaret animam, quod soli objecto infinito competit: Ergo &c. Probat: Maj: illa species repræsentaret DEUM clarè visum, & sicuti est; Ergo posset esse objectum beatificum. Respondeo *primò*: hoc idem posse dici de specie expressa Visionis; quam tamen admittunt Thomistæ. Respondeo *secundò*, Neg: Maj: ad Probationem ejus dico cum Scoto *Quodl: 14. art: 4.* quòd aliquid possit esse medium cognoscendi dupliciter: unô modò quòd sit medium, per quod cognitum priùs cognoscitur aliud: altero, quòd non sit medium cognitum priùs; sed ratio cognoscendi: primum medium non potest esse ratio cognoscendi objectum, nisi virtualiter, & perfectè contineat entitatem objecti, quod per ipsum cognoscitur: secundum potest esse ratio cognoscendi, licèt non contineat virtualiter; sed sit inferioris perfectionis. Ad propositum species intelligibilis Essentiæ Divinæ si daretur, esset tantùm medium, & ratio cognoscendi secundò modò, sicut & Visio; ideòque si ipsa species impressa tantùm in se cognosceretur, non posset esse objectum beatificum, sicut nec est visio; quia non continet virtualiter in entitate sua Essentiam Divinam. 4. *Quoddam Thomistarū argumentū enervatur.*

Objicit secundò Bannes: Omnis cognitio fit per speciem magis immaterialem, vel saltèm æquè immaterialem, 5. *Bannes objiciens rejicitur.*

quàm

quàm sit res visa: sed nulla potest dari species impressa creata, quæ sit immaterialior, vel æquè immaterialis, ac est Essentia Divina Christo repræsentabilis per speciem impressam: Ergo &c. Maj: patet in omnibus potentijs cognoscitivis; nam sensitiva potentia percipit objecta non secundùm esse materiale; sed per species spirituales. Respondeo cum Scoto Neg: Maj: quia species, quibus unus Angelus alium Angelum cognoscit, non sunt spiritualiores ipsis Angelis. Ad Probationem dico, non esse paritatem de alijs potentijs sensitivis, & de intellectu; quia objecta aliarum potentiarum sensitivarum sunt materialia, & ideo ut attingantur, per species magis immateriales attingi debent; at objecta intellectûs sunt immaterialia, & ideo species per quas attingi solent, non debent esse magis spirituales; sed sufficit, quòd sint spirituales, & immateriales; imò quando objecta sunt maximè intelligibilia, & immaterialia, tunc species semper sunt minùs spirituales.

6. *Rursus alijs Thomistis objicientibus respondetur.* Objiciunt alij tertiò: si daretur talis species in Christo, posset Angelus eam viribus naturæ videre; cùm sit creatum quid: sed hoc est inconveniens: Ergo. Prob: Min: quia aliàs Angelus posset naturaliter videre DEUM. Respondeo cum Scoto Conc: Maj: & Neg: Min: cum ejus Probatione, quia Angelus nequit habere illam speciem ex viribus naturæ; à solo enim DEO creari potest; ideo licèt positâ jam specie Angelus posset DEUM distinctè cognoscere; non sequitur tamen inde, quòd eam possit habere ex se. Vide plura de hac materia *Tomo 1. tract: 1. dist: 4. quæst: 5.*

7. *Quo pacto Essentia Divina uniatur intellectui Christi?* Quæres primò: quomodo de facto Essentia Divina uniatur intellectui Christi, & aliorum Beatorum, cùm nulla species intelligibilis ejus admittatur? Respondeo relictis aliorum diversis Responsionibus, & maximè Thomistarum; quòd eô modô uniatur Essentia Divina intellectui Christi, quô uniretur ipsi mediante specie intelligibili, constituendo scilicet se præsentem in ratione objecti tantùm; non autem ut recipiatur in intellectu sicut species; hujusmodi enim receptio Essentiæ Divinæ repugnat; cùm sit substantia.

8. *Differentia speciei impressæ à Lu-* Quæres secundò: quomodo differret species impressa Essentiæ Divinæ in Christo, si daretur, à lumine habitua- li gloriæ? *-mine habituali gloriæ.* Respondeo in hoc, quòd munus speciei impressæ esset supplere vires objecti, ita ut non requireretur concursus ipsiusmet objecti; munus autem Luminis habitualis gloriæ est complere potentiam intellectivam in ratione potentiæ, & eam proportionare ad productionem Visionis, particulariter tamen concurrente vel specie, vel ipsô objectô in se.

QUÆSTIO IV.

De Extensione Scientiæ Beatæ, & Visionis Christi ad omnia in Verbo; & Modo ejusdem.



Ametsi suprà *qu: 1. conclus: 3.* resolutum sit, Scientiam beatam Christi de facto esse perfectissimam, & summam: consurgit nihilominus peculiaris controversia inter Scholasticos, utrum hæc perfectio, & summitas extendat se ad omnia objecta, quæ scit, & videt ipsum Verbum. Pro cujus resolutione. 1.

Status quæstionis elucidatur. Nota primò: quando quæritur, num Christus sciat, & videat beatificè omnia objecta in Verbo? ly *Verbum* non accipitur personaliter; sed essentialiter, id est, pro Essentia Divina, quæ est quoddam speculum limpidissimum universa objecta tum increata, cujusmodi sunt attributa, & personalitates Divinæ; tum creata, qualia sunt omnes Angeli, homines, cogitationes, cunctæque creaturæ universi præsentes & futuræ voluntariè repræsentans. Utuntur autem TT. hic istô terminô *Verbi*, quia quæ pertinent ad Scientiam, Cognitionem, seu Visionem intellectualem supernalem, Filio Divino, qui est Verbum, & Sapientia Patris, attribuuntur: quemadmodum quæ spectant ad potentiam, & operationem effectricem, attribuuntur Patri Divino: quæ ad bonitatem, ac charitatem Spiritui S.

2. *Christus aliquô modô scit, & videt omnia in Verbo scientiâ creatâ.* DICO primò: Christus aliquô modô scit scientiâ creatâ, & videt beatificè omnia in Verbo, quæ scit, & videt ipsum Verbum. Ita Scotus *3. dist: 14. qu: 4.* & sequuntur Scotistæ; ac ex RR: Lugo, Oviedo, Arriaga, &c.

Probatur ratione ex Scoto *3. dist: 14. quæst. 4.* deductâ; Circa assumptam huma-

humanitatem Christi asserendum est, quidquid verâ ratione meliùs occurrit; unde D. Augustinus *3. de lib: arbit: quidquid verâ ratione meliùs occurrerit, sciat hoc DEUM magis fecisse, quàm non fecisse:* sed asserere Christum aliquô modô scire scientiâ creatâ, & videre omnia in Verbo, verâ ratione occurrit tanquam meliùs: Ergo hoc est asserendum de Christo. Probat: Min: hoc asserendo de Christo peculiariter exaltatur perfectio animæ Christi: manifestatur etiam misericordia DEI conferens tam eximium donum Scientiæ beatæ, & Visionis Christo: & aliunde ejus collatio non repugnat rectæ rationi, ùt patebit ex infrà dicendis, ubi assignabitur modus, quô hæc Scientia, & Visio contingit: Ergo verâ ratione meliùs occurrit asserere Christum scire, & videre aliquô modô omnia in Verbô, quæ videt ipsum Verbum.

3. *Non tamen scit & videt omnia actu, quæ videt Verbum Scientiâ simplicis intelligentiæ.*

DICO secundò: Christus non scit Scientiâ creatâ beatâ, nec videt omnia actu in Verbo, quæ scit, & videt Verbum, seu DEUS Scientiâ simplicis intelligentiæ. Ita D. Thomas cum suis; eandem amplexantur plures Scotistæ, Faber, Pitig: Ponc: Frassen, Scholiastes, Bellut: &c. dicentes, hanc esse Scoti mêtem, eò quòd Scotus Conclusionem istam probabilem judicet *3. dist: 14. qu. 2. § sed si ista;* sed revera Doctor Subtilis in hoc punctô mansit totus ambiguus, & irresolutorius: oppositum autem tenent ex nostris Gallus, cum Vulpe; itê RR: Albert: Oviedo, Arriaga &c.

D. Thomas ad svadendam Conclusionem varia adducit argumenta; sed ea eruditè enervat Doctor Subtilis *loc: cit:* ostenditque eorum inefficaciam. Quare ijs relictis.

4. *Argumentũ energeticum Scotistarum pro Conclusione.*

Probatur argumentô Scotisticô: Si Christus sciret Scientiâ creatâ beatâ, & videret omnia actu in Verbo Scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ scit, & videt ipsum Verbum, vel DEUS; hoc fieret vel per plures Visiones, vel per unicam Visionem: sed neutrô modô scit, & videt omnia actu in Verbo Scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ scit, & videt ipsum Verbum, vel DEUS: Ergo &c. Probatur Minor *quoad primum modum;* quia tales visiones plures haberent objecta numerô infinita; puta, numerô infinita possibilia; unde deberent & ipsæ Scientiæ, ac Visiones esse numerô infinitæ in Christo: sed Christus est incapax infinitarum actu scientiarum, & visionum; cùm ejus potentia sciens, & videns sit finita: Ergo Scientia beata simplicis intelligentiæ, & Visio Christi non sit per plures scientias, & visiones. Probatur etiam Min: *quoad secundum:* Illa unica Scientia, & Visio vel ex natura sua intrinseca repræsentaret omnia objecta, quæ videt actu ipsum Verbum, puta infinita numerô possibilia; vel mediantibus respectibus quibusdam superadditis per modum accidentium, & quos non exigeret ex natura sua: sed neutrô modô illa omnia repræsentat: Ergo per unicam Scientiam & Visionem non vidit Christus omnia actu in Verbo, quæ vidit ipsum Verbum. Probatur Min: *de primo;* quia tunc ista Scientia, & Visio Christi esset infinitæ perfectionis extensivè; sicut est Scientia & Visio ipsiusmet Verbi, & DEI: Ergo &c. Prob: eadem Min: *de secundo:* tum quia ùt bene urget hic Poncius *in Comment:* deberent ejusmodi Scientiæ, & Visioni superaddi infiniti respectus, ob infinitatem objectorum; & sic daretur infinitum actu; quod passim ab eruditioribus Philosophis rejicitur; & ego rejicio pluribus rationibus in *mea Schola Philosophica.* Tum quia sequeretur, quòd illi respectus essent, scientiæ, & visiones formales illorum infinirorum objectorum; atque ita darentur plures scientiæ, ac visiones illorum objectorum; contra hypothesin. Prob: autem sequela; quia per illos respectus scirentur, & viderentur objecta illa secundaria; non autem per ipsam scientiam, & visionem; nam positâ tali Scientiâ, & Visione non perciperentur objecta; additis verò respectibus perciperentur: sed id, quô videtur objectum, est scientia, & Visio formalis; Ergo sequeretur quòd isti respectus essent scientiæ, & visiones formales.

Dices primò: Intellectus animæ Christi scit, & videt DEUM etiam sub ratione infiniti: Ergo similiter per Scientiam simplicis intelligentiæ scit, & videt omnia in Verbo, quamvis fine infinita, sinè eo quòd Scientia, & Visio illa sit infinita. Respondeo Neg: Conseq: quia infinitas in Scientia, & Visione non colligitur præcisè ex perfectione objecti, in quod tendit; sed potiùs ex numero objectorum in quæ tendit, & modo, quo cognoscuntur; unde cùm Scientia, & Visio Christi tendens in omnia 5. *Infinitas in Scientia attenditur ex numero objectorum in quæ tendit.*

omnia sit Scientia, & Visio tendens in nnmerum objectorum infinitorum, sequitur ipsam esse infinitam, non verò illam aliam, quâ scit, & videt DEUM infinitum numerô Unum. Responsio clarificatur exemplô; si unâ visione videam unicum lapidem distinctè; & alterâ videam simul actu mille lapides distinctè; certè secunda visio erit perfectior, quàm prima; & tamen hæc perfectio visionis non colligitur â perfectione objecti visi; sed â numero objectorum: Ergo &c. Aliud est ergo scire, & videre objectum infinitum; & aliud scire, & videre infinita infinitè; ad primum non requiritur virtus infinita; bene tamen ad secundum.

6. *Similiter Christus non videt omnia quæ videt Verbum Scientiâ visionis.*

DICO secundò: Similiter Christus non scit, & videt omnia actu, quæ scit, & videt ipsum Verbum per Scientiam Visionis. Ita RR. Scotistæ, Ponc: *in Comment:* Frassen, Bellut: &c, & sequitur Lugo; Neutristæ contra Thomist: & Svar: Vasq: & alios RR.

Probatur primò: Si posset Christus scire, & videre actu per Scientiam Visionis, quæ scit, & videt Verbum, deberet scire, & videre omnia futura, v.g. omnes futuras cogitationes Beatorum, quæ tali scientiâ natæ sunt videri; sed Christus non potest scire, & videre omnia futura, ùt contra distincta â possibilibus: Ergo &c. Prob: Min: si posset futura omnia, posset etiam omnia possibilia scire, & videre; sed hoc negant Thomistæ: Ergo &c. Prob: Maj: quia non minùs omnia possibilia sunt infinita, quam omnia futura: Ergo si posset scire, & videre omnia futura, posset etiam omnia possibilia.

7. *Confirmatio præfatæ Cõclusionis.*

Confirmatur: Illa Scientia, & Visio infinitorum futurorum esset perfectio simpliciter simplex: sed ista repugnat creaturæ: Ergo & Christi intellectui creato. Prob: Maj: illa Scientia, & Visio Christi esset infinita; quia repræsentativa actu infinitorum objectorum, & ejusdem rationis cum Visione DEI infinita: Ergo esset perfectio simpliciter simplex.

8. *Thomistis objicientibus respondetur.*

Objicies pro Thomistis: Christus non habet ullam ignorantiam: sed haberet, si non cognosceret omnia per Scientiam Visionis: Ergo &c. Maj: patet; quia SS. PP. excludunt â Christo omnem ignorantiam; ita facit Justinus Martyr *quæst: 58.* ubi dicit: *impium esse Christo tribuere ignorantiam.* Clemens Alexandrinus *in Pædagogo, cap: 6,* S. Hieronymus in illud *Hieremiæ 31. Mulier circumdabit virum:* Ergo &c. Respondeo *primò;* hôc argumentô etiam posse retorqueri contra Thomist: quòd Christus æquè debuisset habere cognitionem omnium possibilium; ne admittatur ignorantia in ipso; quam tamen cognitionem negant Thomistæ. Respondeo *secundò,* Neg: Min: quia ut Christus dicatur non habere ignorantiam tam possibilium, quàm futurorum, sufficit, quòd aliquô modô aliô, quàm actu ea cognoscat, de quo mox. Unde

9. *Christus videt omnia habitualiter duntaxat in Verbo.*

DICO tertiò: Anima Christi scit, & videt omnia intelligibilia tam futura, quàm possibilia habitualiter in Verbo. Hunc modum tanquam valde probabilem proponit Scotus *3. dist: 14. in calce, q. 2.* quem hodie RR. sequuntur Scotistæ, Faber, Ferch: Bellut: Mastr: Frassen, Ponc: &c. contra Svar: Thomist: & RR.

Probatur primò: Ex Scriptura constat, Christum aliquô modô vidisse omnia in Verbo: sed non actualiter, ut per duas præcedentes Conclusiones ostensum est: Ergo habitualiter. Maj: patet ex illo Joann: 16. *Nunc scimus, inquiunt Apostoli, quia scis omnia.* Ad Coloss: 7. *in quo sunt omnes thesauri, sapientiæ, & scientiæ absconditi:* unde dicit S. Damascenus *cap: 22. quòd Nestorio fidem adhibet, qui Christum progressum in sapientia, & scientia fecisse dicit:* Ergo Christus vidit, & cognoscit aliquô modô omnia habitualiter in Verbo.

10. *Probatur rursus conclusio.*

Probatur secundò: Dignitas, & perfectio animæ Christi exigit, ut anima ejus sciat, & videat aliquô modô omnia in Verbo: sed nullus potest congruentior modus assignari, quàm modus videndi habitualiter: Ergo &c. Ut autem sciatur, quid sit hoc scire, & cognoscere omnia habitualiter in Verbo.

11. *Explicatur natura habitus, quô asseritur videre Christũ omnia in Verbo.*

NOTA quòd duplex habitus possit assignari hîc: quidam est habitus inhærens animæ, quô mediante omnia objecta sciret, & cognosceret: Alius est habitus existens, qui est ipsum objectum, se & omnia alia objecta in ipso, vel virtualiter, vel eminentialiter, vel essentialiter inclusa manifestans: in Conclusione nostra ly *habitualiter* nõ accipitur, ut derivatur ab habitu in prima significatione; sed in secunda. Itaque quia anima Christi eô actu, quô scit, & videt Verbum tanquam objectum virtualiter, & essentialiter continens omnia alia objecta, habet omnia præsentia in actu

in actu primo, ita ut eorum notitiam possit causare in actu secundo, quando vult; ideo propter talem præsentialitatem dicuntur animæ omnia nota habitualiter: quia generaliter loquendo illud dicitur habitualiter notum, cujus actus primus est sufficienter ostensivus, & quô habitô possum exire in actum secundum cognitionis. Dicendum ergo est; quòd sicut Philosophus dixit, nos uti habitibus cùm volumus; ita Christus potuit uti actu illô, quô vidit primò Essentiam Dei, ad cognoscenda singula, quæ vult in speculo illo voluntario Essentiæ Divinæ; & quoties vult. Et licet actu simul non sciat, & cognoscat omnia; quia simul ad ea attendere non potest; potest tamen plurima, & tot, ad quot ejus virtus attentiva se extendit; & quodlibet ex infinitis in specie, & in individuo.

12. *Sententia Scoti hic longè differt ab opinione D. Bonav. & Henriq.* Ex his Infero: Conclusionem positam non coincidere cum sententia S. Bonaventuræ, & Henrici dicentium, Christum videre omnia habitualiter, id est, per habitum supradictum animæ inhærentem; sive ille habitus sit Lumen gloriæ, sive alius infusus, vel species aliqua, quæ ostenderet unicâ ratione objecta infinita. Ratio est; quia frustranea, imò impossibilis est hujus modi species, habitus, vel lumen; cùm sola Essentia Divina virtualiter infinita continens, possit esse ratio manifestans omnia illa objecta, circa quæ anima Christi vult notitiam elicere.

13. *Scientia Christi in Verbo est specialior.* Objicies primò: Anima Christi in hoc nil speciale videtur habere præ aliis Beatis, scientibus, & videntibus Essentiam Dei; cùm æquè alij Beati sic sciant, & videant omnia habitualiter in Verbo: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: quia ùt dicit hic Scotus, cuilibet alteri Beato est speculum repræsentans determinata, ultra quæ Beatus nô vult, nec potest ordinatè velle videre plura: sed animæ Christi est repræsentans omnia; cùm Christo non sit datus spiritus ad mensuram; & ideo potest ordinatè velle omnia, & quodcunque infinitorum, quod finitati suæ non repugnat.

14. *Glossatur illud, de die judicij nemo scit, neque Filius hominis.* Objicies secundò: Marc: 13. dicit Salvator; *quòd de die Judicij nemo sciat, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius hominis*: Ergo Christus non habuit omnium notitiam habitualiter. Diversissimas Glossas huc apportant SS: PP. & AA. meo videri optimè posset glossari dictus passus Scripturæ; quòd Filius non sciat Judicij diem viribus suæ naturæ; bene tamen per revelationem, vel scientiam infusam, vel beatam. Posset etiam dici; quòd Filius ignoret illum diem; quia sub secreto illum habuit, & cum conditione non manifestandi illum hominibus.

Quæstio V.

De Scientia Christi circa res in proprio genere.



1. *Quid sit Scientia Christi circa res in proprio genere?* NOTA primò; per Scientiam Christi circa res in proprio genere intelligi cognitionem illarum rerum, quæ fertur in ipsas res creatas, nô ùt relucent in Verbo; sed secundùm quod in seipsis existunt, vel existere possunt: unde distingvitur hæc cognitio â Scientia beata non per diversitatem objecti; sed per medium, seu rationem cognoscendi; quia in Scientia beata ipsa Essentia, seu Verbum est immediata ratio objectiva cognoscendi creaturas; in ista verò cognitione rerum in proprio genere, aliqua species informans intellectum, cùmque dirigens in creaturarum cognitionem est ratio cognoscendi.

2. *Et quid Scientia infusa, & acquisita?* NOTA secundò: In Christo ùt suprà notavi *qu: 1.* præter Scientiam creatam beatam, attendi etiam Scientiam non beatam; quæ rursus est duplex infusa, & acquisita; & de utraque præsens procedit quæstio. *Cognitionem infusam* hic appellat Scotus cognitionem Christi abstractivam de rebus in proprio genere; *acquisitam* verò vocat intellectivam de rebus in proprio genere. Cognitionem infusam, seu abstractivam habuit Christus per species (sicut ordinariè in nobis scientia abstractiva per species acquiritur) repræsentantes res absentes; quæ species non erant abstractæ â rebus ipsis per Christum, neque formatæ ab intellectu agente animæ Christi; sed erant formatæ â DEO, & infusæ intellectui Christi.

3. *Thomistarū doctrina de speciebus universalibus infusis Christo.* NOTA tertiò: Circa has species â DEO infusas Christo, Thomistæ consequenter ad sua principia in materia de Angelis solita ab ipsis dari, etiam loqvuntur parisormiter de istis speciebus cognitionis abstractivæ Christi: unde sicut ibi tenent, quòd Angeli habent aliquas

aliquas species concreatas ita universales, & excellentes, ut una repræsentare possit multas quidditates; & quò Angeli sunt perfectiores, eò pauciores habeant species, sed universaliores, & plura, ac distinctiùs repræsentantes, ita docent similiter Christum habuisse excellentissimam cognitionem infusam, seu abstractivam, causatam tamen per species universalissimas, & paucissimas, infinitas quidditates rerum repræsentantes. Verùm hanc doctrinam infringit Scotus longô sermone *2. dist: 3. qu: 10.* & ego easdem species exiliavi ab Angelis *Tomo I. Dist: 3. qu: 3.* Quare tenendum est cum Scoto, quòd animæ Christi tot fuerint infusæ species, quot sunt quidditates cognoscibiles; quæ tamen numerô sunt finitæ; quid verò sit dicendum de singularibus, resolvetur infrà. his prælibatis

4. *Christus habuit Scientiam infusam abstractivã de omnibus quidditatibus.*

DICO primò: Anima Christi fuit ornata scientiâ infusâ abstractivâ, quâ cognoscit omnia universalia, seu quidditates rerum habitualiter per species. Est Scoti *3. dist: 13. quæst: 3.* & communis Scotistarum aliorúmque DD.

Probari potest primò Conclusio omnibus illis Scripturis, quibus suprà *Dist: 8. qu: 5.* ostendi, in anima Christi ab instanti conceptionis omnia dona Spiritûs Sancti fuisse; item omnes gratias gratis datas; adeóque dona Sapientiæ, Scientiæ & Intellectûs, quæ se extendunt ad cognitionem omnium quidditatum.

5. *Quod ostenditur quoq; ratione Scoti.*

Probatur secundò ratione Scoti *eit:* Sciêntia infusa abstractiva dicit perfectionem in intellectu animæ Christi, & carentia ejus dicit imperfectionem in eodem, quem tamen decet esse ornatum omni scientiâ sibi non repugnante: Ergo debet concedi intellectui animæ Christi talis scientia seu cognitio infusa abstractiva, quâ cognovit habitualiter omnes quidditates rerum per species. Deinde in anima Christi fuit plenitudo gratiæ: Ergo & plenitudo scientiæ: sed ad hanc plenitudinem spectat quoque Scientia creata infusa abstractiva: Ergo &c.

6. *Ly habitualiter hic explicatur.*

NOTA autem quartò: ly *habitualiter* in Conclusione positum eodem modô debere explicari, quô illud suprà explicui de scientia beata Christi, quâ habitualiter cognovit omnia in Verbo.

7. *Scientia infusa quidditatum naturalium infusa in Christo ab instanti conceptionis*

DICO secundò: Scientia infusa de quidditatibus rerum naturalium, fuit Christo communicata statim ab instanti conceptionis. Ita Scotus *3. Dist: 14. q. 3.* & communis Theologorum contra Agnoitas.

Probatur primò authoritate SS: PP. ab instanti conceptionis attribuentium Christo omnimodam plenitudinem scientiæ, & excludentium omnem ignorantiam ab eodem: unde D. Augustinus *lib: de peccat: mer: & remiss: cap: 29. quam planè ignorantiam nullô modô crediderim in Infante illo, in quo Verbum caro factum est.* Et idem docet S. Damascenus *lib: 3. de Fide, cap: 22.* & Evlogius Alexandrinus Patriarcha *lib: adversùs Agnoitas:* Ergo cum Christus Infans habuerit plenitudinem Scientiæ, & nil ignoraverit, signum est ei ab instanti conceptionis cõmunicatam fuisse Scientiam Infusam de quidditatibus rerum.

8. *Ratio Theologica ad idem.*

Probatur secundò ratione Theologicâ: Tum quia decebat animam Christi ratione Unionis hypostaticæ statim ab instanti conceptionis ornari omni perfectione naturali ei non repugnante; sed scientia infusa est ejusmodi perfectio: Ergo decebat eâ ornari animam Christi ab instanti conceptionis. Tum quia Christus ab instanti conceptionis statim habuit perfectum usum rationis: Unde S. Jeremias Propheta vocat eum *cap. 31.* Virum inquiens, *Mulier circumdabit Virum*: Ergo congruebat eum jam tunc habere Scientiam infusam, usui perfectæ rationis inservientem. Quare rectè D. Bernardus *homil: 2. super Missus est,* dicit, *non minor fuit Sapientia JESU conceptus, quàm natus; parvus quàm magnus.*

DICO tertiò: Scientiâ infusâ cognovit quoque Christus plurima singularia; non tamen omnia si ea ponantur actu esse infinita. Ita Scotus *loco citato num: 6.* cum sua Schola; & communis; contra Agnoitas hæreticos.

9. *Scientia infusa Christi extendebat se ad cognoscenda plurima singularia.*

Probatur prima pars: Hujus modi scientia infusa non repugnabat esse in Christô, uti patet ex S. Augustino *super Genesin* dicente, *simul stare potest cognitio rerum in Verbo, & in proprio genere:* & aliunde eâ plurimùm commendat, & exaltat animam Christi: Ergo talis Scientia abstractiva singularium plurimorum est concedenda Christo. Tandem non est potior ratio quare concederetur in anima Christi cognitio abstractiva quidditatum, & non singularium: sed illa conceditur: Ergo & hæc.

Pro-

10. *Non tamen ad omnia.* Probatur secunda pars: quia si illa singularia ex suppositione sint infinita, deberet intellectus Christi habere infinitas eorum species: sed tales intellectui creato Christi repugnant, cùm fit limitatæ capacitatis; & talis, qui non potest se ad cognoscenda tot objecta simul convertere, eisque attendere: Ergo Christus scientiâ infusâ abstractivâ non cognovit omnia singularia.

11. *Itaque illâ scientiâ cognovit Christus illa singularia, quæ conveniebant suæ dignitati.* NOTA itaque: quòd DEUS à principio creationis animæ Christi ei infuderit omnium illorum singularium species, quæ conveniebant dignitati animæ ejus; & probabiliùs illas omnes, quibus cognovit sequentes res.

Primò omnes res naturales, quas cognoscunt Angeli per species sibi infusas. Ratio est; quia hujus modi scientia decebat animam Christi ratione Unionis hypostaticæ; & ei non repugnabat, adeòque ei est concedenda. Et hæc est in hoc tractatu irrefragabilis, & universalis ratio ad probandam omnem excellentiam, & perfectionem Christi; & illâ frequenter utitur Scotus.

12. *Item plura alia.* *Secundò*: Cognovit plurima individua alia, tam materialia, quàm immaterialia, tam substantialia, quàm accidentalia, ùt habet Scotus *2. Dist: 3. qu. 11. & alibi.* Ratio est; quia cognoscere singularia pertinet ad perfectionem prudentiæ; sed anima Christi habuit perfectam prudentiam: Ergo &c.

13. *Similiter cogitationes cordium, & actus liberos existentes.* *Tertiò*: Cognovit cogitationes cordium, & actus liberos existentes. Ratio est *primò*: quia Christus revelavit hominibus hujus modi cogitationes eorum, ùt patet Matth: 9. ubi dicitur, *cùm vidisset JESUS cogitationes eorum, dixit; ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Nec valet hoc referre ad cognitionem beatam tantùm; quia commodè etiam attribui potest scientiæ infusæ. *Secundò*: quia hujusmodi cognitio cogitationum spectat ad Christi dignitatem, & munus supremi judicis, qui de his cogitationibus potissimè judicaturus est.

14. *Similiter futura contingentia, & actus liberos futuros.* *Quartò*: Cognovit per hanc Scientiam infusam futura contingentia, & actus liberos futuros; ita hic quoque Scotus. Ratio est; tum quia hoc patet ex illo Matthæi 26. *antequam gallus cantabit, ter me negabis.* Tum quia hæc scientia est necessaria ad perfectam providentiam, quam habuit Christus; pertinet etiam ad consummatum, & perfectum donum Prophetiæ: ac munus Doctoris, qualis fuit Christus: unde Christus sæpe usus est hôc donô, prædicendo futura; ùt Luc: 19. ubi prædixit ruinam futuram Jerusalem.

Quintò: Per eandem cognovit res creatas spirituales, cujusmodi sunt omnes habitus supernaturales, quibus justificamur; item Visionem beatificam aliorum, gratiam, lumen gloriæ &c. Ratio horum omnium est; quia ista omnia sunt res creatæ, & finitæ, quibus non repugnat cognosci ab intellectu Christi, informatô singularibus speciebus infusis. 15. *Et habitus supernaturales, Lumen gloriæ, &c.*

Sextò: Cognovit per eam DEUM in quantùm est Unus, & omnia ejus attributa Essentialia à posteriori, quatenus nimirum per creaturas cognosci poterat. Ratio est; quia DEUS ùt Unus potest cognosci per effectus: sed Christus potissimè cognovit effectus DEI: Ergo & DEUM ùt Unum. 16. *Et DEUM in quantum est unus.*

Septimò: Probabiliter etiam per dictam Scientiam infusam cognovit DEUM ùt Trinum; non quidem cognitione quidditativâ, & evidenti, sicut fit in cognitione beata; sed tamen magis distinctè, & expressiùs, quàm per fidem. Ratio est; quia aliàs Christus vi Scientiæ Infusæ non potuisset orare ad Patrem; cùm ùt sic non cognovisset eum: nec potuisset vi talis scientiæ amare distinctè tres Personas; neque potuisset loqui de Mysterio Trinitatis, nisi uteretur scientiâ beatâ: & tamen de facto locutus est de eo, sicut & de alijs mysterijs: Ergo &c. 17. *Imò in quantum est Trinus.*

Modus autem quô per hanc Scientiam potuit cognoscere Mysterium Trinitatis, potest relictis aliorum sententiis assignari iste; quòd nimirùm vel viderit in alijs Viatoribus Fidem infallibilem, quâ credebant Trinitatem: vel certè quòd habuerit specialem speciem infusam, repræsentantem Trinitatem, per quam poterat concipere abstractivè DEUM ùt Unum, & Trinum imperfectô modô; perfectiori tamen, quàm per vires naturæ alius intellectus illum attingit. 18. *Assignatur verus modus videndi DEUM ut Trinum.*

NOTA sextò pro sequenti Conclusione: Scientiam acquisitam, seu experimentalem, quod idem est, dici *Experimentalem*; quia colligitur ex rebus per experientiam seu experimentum cognitis: *Experimentum* autem describitur, *quòd sit multorum singularium circa eandem rem cognitio*: comparamus enim singularia quæ cognoscimus cum his, 19. *Cur scientia acquisita Christi dicatur experimentalis?*

quæ

quæ adhuc non cognoscimus, de quibus judicamus sicut de cognitis, & generamus habitum experimenti.

20. *Christus habuit scientiam acquisitam experimentalem.* DICO quartò: Christus habuit Scientiam acquisitam Experimentalem virtute intellectûs agentis, & possibilis de rebus in proprio genere. Ita Scotus *3. Dist: 14. qu. 3.* & communis TT.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ *ad Hebr: 5.* dicitur de Christo; *cùm esset Filius DEI, didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Item alibi dicit Scriptura; *quòd JESUS proficiebat sapientiâ, & ætate*; quod de nulla alia Scientia intelligi potest, quàm de acquisita: Ergo &c.

21. *Authoritas Patrum, pro scientia experimentali Christi.* Probatur secundò authoritate SS. PP. Christo scientiam Experimentalem, seu acquisitam concedentium; sic facit S. Cyrillus *lib: de recta Fide, cap: 3.* dicens de Christo; *ubi autem nostram indutus est carnem, tentatus est per omnia; nihilominus non dicimus, quòd ignoravit quidquam, sed quòd præexistente Divinâ cognitione, etiam per ipsam experientiam voluit discere.* Vide etiam D. Ambrosium *lib: de Incar: Dom: Sacram:* & alios Sanctos Patres: Ergo &c.

22. *Ratio Theologica pro eadem.* Probatur tertiò ratione: Christus habuit intellectum agentem, & possibilem; quia pertinet ad perfectionem naturæ humanæ: Ergo habuit etiam propriam operationem, per quam collegit Scientiam acquisitam de rebus in proprio genere. Deinde multa fuerunt objecta, quæ actualiter ab initio non erant existentia, vel præsentia animæ Christi, adeoque quæ ab ipso tunc non poterant intuitivè cognosci in proprio genere: Ergo quando inceperunt existere, Christus de eis collegit Scientiam intuitivam acquisitam. Tandem admittitur scientia beata in anima Christi, quæ est connaturalis DEO; admittitur etiam Scientia infusa abstractiva, quæ est connaturalis Angelis: Ergo etiam admittenda est Scientia acquisita intuitiva, quæ est connaturalis naturæ humanæ Christi.

23. *Scotus hic reconciliatur.* Objicies contra ultimam Conclusionem: Scotus hic negat simul posse stare Scientiam infusam, & acquisitam: Ergo &c. Respondeo Neg: Antec: sed tantùm arguit hic contra D. Thomam, docens, quòd non possint stare simul secundùm eandem rationem, & eandem perfectionem, ita nimirum, ut utrâque cognosceretur idem objectum tam perfectè ac est cognoscibile, uti docere videbatur S. Thomas; una enim illarum tunc superflueret: admittit tamen Scotus ipsas posse stare simul hâc lege, ut Experimentalis attingat objectum aliâ ratione, & imperfectiùs quàm Scientia Infusa.

QUÆSTIO VI.

Quæsita alia circa Scientiam DEI Infusam resolvuntur.



1. *Scientia infusa Christi importat habitum distinctum à speciebus.* Quæres primò: An Scientia creata Infusa Christi circa res in proprio genere fuerit habitus, à speciebus infusis distinctus? Negat Vasq: Val: Pasqual: sed ego

DICO primò: Scientia creata infusa importat habitum omnino distinctum â speciebus. Ita Scotistæ passim; ac Thomistæ; quibus subscribunt Svar: Lugo: Aversa &c.

Probatur: Christus per Scientiam Infusam elicuit cognitiones actuales supernaturales circa objecta supernaturalia: sed ad ejusmodi elicitionem non tantùm est necessaria species infusa, tenens se ex parte objecti; sed etiam specialis elevatio ipsiusmet potentiæ intellectivæ, tanquam aliàs insufficientis ad actum supernaturalem: hæc autem elevatio optimè perficitur per habitum infusum; sicut perficitur elevatio intrinsecus ad eliciendum actum Fidei, per habitum infusum Fidei: Ergo Scientia creata infusa importat habitum omnino distinctum â speciebus.

2. *Scientia Christi est perfectior Angelicâ.* Quæres secundò: An Scientia Infusa Christi fuerit perfectior, quàm Scientia infusa Angelorum? Respondeo, &

DICO secundò: Scientia Christi Infusa excedebat longè in perfectione Scientiam datam Angelis in creatione eorundem; imò erat summè perfecta. Ita Scotus *3. Dist: 14. qu: 4.* & sequuntur Scotistæ; contra Thomistas asserentes, Scientiam Christi quoad modum cognoscendi fuisse imperfectiorem; eò quòd natura humana Christi sit imperfectior Angelicâ; & consequenter species huic commensurata.

Probatur: Tum quia gratia habitualis Christi fuit perfectior gratiâ Angelorum, imò summè perfecta positivè, & negativè: Ergo idem tenendum de Scientia Infusa. Tum quia decebat animam

animam Christi ratione Unionis hypostaticæ, excellentiorem & perfectiorem habere Scientiam Angelicâ; imò summè perfectam: Ergo &c.

3. *Thomistarũ doctrina de commensuratione specierum refutatur.* Ad rationem autem Thomistarum; quòd species debeant commensurari naturis, dico, Assumptum esse falsum; sed potiùs debent commensurari objectis, quæ repræsentant. Deinde gratis concessâ hâc doctrinâ Thomisticâ, quòd species commensurentur naturis; adhuc non sequitur scientiam Christi Infusam esse imperfectiorem; quia tametsi natura humana Christi secundùm se considerata sit imperfectior Angelicâ; attamen considerata ùt hypostaticè unita Verbo est perfectior; & consequenter postulans perfectiores species, & scientiam perfectiorem Infusam.

Quæres tertiò: Num Christus scientiâ Infusâ potuerit uti absque conversione ad phantasmata? Respondet negativè Durandus: sed ego

4. *Christus potenit uti conversione ad phantasmata.* DICO tertiò: Potuit utique Christus in usu suæ Scientiæ Infusæ uti conversione ad phantasmata; eâ tamen non indiguit. Prima pars est communis TT. Secundam habet Scotus *3. Dist: 14. qu. 3.* in fine.

Probatur prima pars: Actus Scientiæ Infusæ ex se non impediebat in Christo operationem sensitivam, & dependentem â phantasmatibus; hæ enim duæ operationes in homine non repugnant; imò sunt ordinariè sibi subordinatæ, & se invicem concomitantur circa objectum utrique commune, ac cadens sub sensum; unde ait Aristoteles, *oportet intelligentem phantasmata speculari:* Ergo potuit Christus in usu Scientiæ suæ Infusæ cum conversione ad phantasmata operari.

Probatur secunda pars ratione Scoti; quam habet in *lib: de anima, q. 18.* secundùm D. Augustinum *lib: 15. de Trinit: cap: ult:* Indigentia conversionis ad phantasmata oritur in nobis ex peccato Adami, in cujus pœnam est inflicta â Deo, tanquam infimus intelligendi modus: sed Christus caruit peccatô Adæ: Ergo non indiguit conversione ad phantasmata in usu suæ Scientiæ Infusæ. 5. *Simpliciter tamen non indiguit ejusmodi conversione.*

Quæres quartò: Utrum Scientia Infusa fuerit discursiva? Respondent RR. negativè; sed ego

DICO quartò: Scientia Infusa Christi poterat esse discursiva. Ita Scotus cum suis.

Probatur: quia ratio discursûs Scientiam Infusam Christi non deteriorat: Ergo ejus scientia poterat esse discursiva. Prob: Ant: tametsi ratio discursûs petat, ut cognitio conclusionis, ad quam discurritur, sit causata â cognitione præmissarum; non tamen postulat ut de novo cognoscatur tanquam ignota; sed ut cognoscatur tantùm tanquam effectus causati â præmissis, v.g. dum cognosco hanc Conclusionem per discursum, *ergo homo est risibilis,* quam jam antea etiam cognovi absque discursu: Ergo ratio discursûs non deteriorat Scientiam Christi Infusam. Unde 6. *Scientia Christi poterat esse discursiva.*

Nota: quòd discursus Christi virtute Scientiæ Infusæ factus, non fieret cum acquisitione scientiæ, & cognitionis, quam antea non haberet; sed esset potiùs exercitium, & usus scientiæ præhabitæ; ùt docet Scotus *3. Dist: 14. quæst: 3. ad tertium principium.* 7. *Discursus Christi esset usus scientiæ præhabitæ.*

DISTINCTIO X.

De Merito Christi.

Quæstio I.

De Voluntate Christi merente.

1. *Motivum hujus quæstionis.* NOTA primò: Quæstionem istam inter DD. Catholicos non esse controversam; discutitur tamen occasione hæresis Apollinaris, qui negavit Christum habere animam rationalem, & consequenter voluntatem creatam; item quorundam aliorum Hæreticorum, qui dicebantur Monothelitæ ab assertione unius Voluntatis in Christo, quorum dogma, etsi utcunque suprà *Dist: 3. quæst: 9. Conclus: 2.* rejecerim; placuit tamen idem hâc quæstione ampliùs & ex professo perstringere ubi proprius ejus locus est, penitùsque evertere.

Nota

2. *Quid sit voluntas latè & pressè sumpta?* Nota secundò ex Philosophia: Voluntatem posse dupliciter sumi; unò modò propriè ac pressè; & tunc definitur sic; *Voluntas est appetitus cum ratione liber*. Per ly *appetitus* differt ab intellectu: per ly *cum ratione*, id est sequens rationem, differt ab appetitu naturali, qui præcedit actum rationis: per ly *liber* differt ab appetitu sensitivo, qui ducitur, sed non ducit, adeóque non est intrinsecè liber. Secundò modò sumitur voluntas fusè pro quocunque appetitu; & in hac significatione voluntas seu appetitus est triplex: intellectivus, sensitivus, seu animalis, & naturalis. *Intellectivus* est voluntas quæ consequitur cognitionem intellectivam. *Sensitivus* est, qui sequitur cognitionem sensitivam quinque sensuum. *Naturalis* est, inclinatio cujuscunque rei ad suam perfectionem. Hic procedit quæstio de voluntate primò modò sumpta.

3. *In Christo fuit voluntas creata propriè dicta, uti patet ex Script:* DICO primò: In Christo præter voluntatem Divinam, fuit quoque voluntas creata propriè dicta, etiam quoad actum secundum. Ita Scotus *3. Dist: 17. qu: unica*, & definitur in VI. Synodo Generali *Act: 4. 8. & 11.* Item Concil: Lateran: sub Martino I. *Canone 11.*

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ; & *primò* omnibus illis Scripturæ textibus, quibus Christus voluntatem suam creatam distingvit à voluntate Increata Patris, quæ est realiter eadem cum sua Increata: sic dicitur Luc: 22. *non mea, sed tua voluntas fiat.* Et Joan: 5. *non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* *Secundò* probatur illis, quibus in Scriptura Christo attribuitur Obedientia, quæ cadere non potest nisi in voluntatem creatam, ùti habetur ad Philip: 2. *factus est obediens usq; ad mortem*; quæ & similia multa testimonia Scripturæ congerit S. Leo Papa contra dictos Hæreticos, ad ostendendum in Christo dari præter Divinam, etiam creatam humanam voluntatē: Ergo &c.

4. *Concilijs & PP.* Probat: secundò authoritate pluriū OecumenicorumConcil: quæ vide relata suprà *Dist: 3. q. 9. Concl: 2.* Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. creatam voluntatem Christo attribuentium; ùt videre est apud S. Damascenum *lib: 3. cap: 15.* Et apud S. Maximum *Epist: ad Nicand:* Et apud D. August: *lib: contra Felic: cap: 13.* Et apud Leonem Papam *Epist: 93.* Ergo &c.

5. *Nec non ex ratione Theologica.* Probatur quartò ratione: quā utitur Agatho Papa, & S. Damascenus *lib: 3. cap: 14.* voluntas est proprietas naturalis, non personalis, id est, sequitur naturam, non personam; unde in DEO est unica voluntas omnium trium Personarum propter unitatem naturæ: Ergo cùm in Christo præter naturam Divinam sit etiam humana; erit in eo quoque voluntas humana creata. Conseq: tenet; quia proprietates naturales multiplicantur ad multiplicationem naturæ: Ergo inerit Christo quoque voluntas humana, quæ est proprietas naturæ humanæ Christi. *Secundò:* In Christo præter intellectum Divinum fuit etiam creatus: Ergo etiam voluntas creata. *Tertiò:* Christus habuit summam fruitionem, & Visionem beatam creatam: sed ad hanc requiritur voluntas creata Christi. Ergo in eo præter voluntatem Divinam, fuit etiam voluntas creata.

Objectiones Monothelitarum vide solutas suprà *Distinctione tertiâ citatâ.*

6. *Voluntas humana Christi fuit libera.* DICO secundò: Voluntas humana Christi fuit propriè loquendo libera, in omnibus suis actibus. Ita Scotus *cit:* & communis TT.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: Isaiæ 7. dicitur de Christo, quòd *sciet reprobare malum, & eligere bonum:* sed reprobatio, & electio est operatio, seu actus liber: Ergò &c. Unde S. Cyrillus *lib: 1. in Isaiam, Orat: 4.* sub finem dicit: *eam facultatem liberè eligendi, qua alijs hominibus decursu ætatis advenit, in Christo Domino ab infantia fuisse.* Et Isa: 53. dicitur rursus de Christo, *oblatus est, quia ipse voluit:* in quem locum S. Hieronymus ait, *quòd non necessitate, sed voluntate crucem subijt.* Item Joan: 10. dicit ipse Christus de se, *ego pono animam meam, nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam.* Et Joan: 7. dicitur, *ambulabat JESUS in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare:* quæ omnia arguunt in Christo liberam voluntatem creatam: Ergo &c.

7. *Authoritas Conciliorū & ratio ad idem.* Probatur secundò authoritate GeneraliumConciliorum; profitentium in Christo perfectam humanam voluntatem; & consequenter liberam: ita facit VI. Synodus *Act:* 4. & alibi. & VII. Synodus; & Lateran: Concilium: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: De Fide est, Christum assumpsisse naturam humanam cū suis proprietatibus naturalibus: sed ex proprietatibus naturalibꝰ est etiam voluntas humana, quatenus libera in suis actibus: Ergo &c. *Secundò:* talis

talis libertas est perfectio sinè imperfectione in Christo, estquè necessaria ad merendum: Ergo Christus illam habuit unà cum voluntate humana.

8. *Voluntas creata Christi fuit Domina omnis sui actûs.*

Objicies primò cum Scoto: Omnis voluntas libera est domina sui actûs; sed voluntas humana Christi non est domina sui actûs: Ergo non est libera. Prob: Min: illa potentia non est domina sui actûs, quæ necessariò sequitur motum alterius potentiæ, eique subdita est: sed voluntas humana Christi sequebatur semper necessariò voluntatem Divinam: Ergo &c. Respondeo Dist: Maj: omnis voluntas est domina sui actûs, dominiô excludente coactionem, & necessitatem Conc: Maj: dominiô excludente subjectionem omnem: Neg: Maj: & sic Dist: Min: Nego Conseq: Itaque voluntas humana Christi erat domina omnis sui actûs semper, & liberrima quidem; quia nec cogebatur, nec necessitabatur à Divina voluntate: erat tamen ei subjecta: eô modô, quô voluntas nostra subjecta est DEO; & tamen est libera.

9. *In quo consistat conformitas voluntatis ad voluntatem.*

Nota tertiò pro sequenti Conclusione; quòd conformitas voluntatis ad voluntatem in duobus consistat; scilicet in objecto volito; & in ratione volendi; Conformitas in objecto volito est quando duæ voluntates unum & idem objectum volunt. Conformitas autem in modo volendi est, quando idem eôdem modô volunt.

10. *Voluntas creata Christi secundùm actum efficacem semper fuit conformis Divinæ.*

DICO tertiò: Voluntas creata deliberativa Christi secundùm actum efficacem semper fuit conformis Divinæ voluntati, tam in objecto volito; quàm in modo volendi. Est communis TT.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: nam Joan: 4. dicit Christus de se, *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Item Psalmo 39. dicit David in Persona Christi, *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam DEUS meus volui: &c.* Et Joann: 8. rursus dicit Christus, *Ego quæ placita sunt ei, facio semper*: qui omnes textus insinuant conformitatem voluntatis creatæ Christi cum Divina. Ergo &c. Et licèt hi textus à nonnullis trahantur ad voluntatem signi, seu præceptivam voluntatem; tamen cùm non sit potior ratio, quare non possint etiam intelligi de voluntate deliberativa Christi, ideo dicendum est, quòd sic debeant intelligi: & ita citata Concilia & PP. eos intelligunt de voluntate deliberativa.

Probatur secundò authoritate Conciliorum; conformitatem voluntatis creatæ Christi cum Divina asserentium; ut videre est in VI. Synodo cit: & in *Epist: Agathonis, Act: 11.* Et in definitione Conc: Lateran: Ergo &c.

11. *Authoritas Conciliorū, SS. PP. & ratio ad idē.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. idem dogmatizantium; uti constat ex S. Cyrillo *lib: 2. in Joann: cap: 146.* Et ex S. Damasceno *lib: 2. de Fide, cap: 22.* Et ex S. Hieronymo, Augustino, Gregorio, &c. Ergo &c.

Probatur quartò ratione: Voluntas creata Christi ob summam scientiam beatam infusam, & experimentalem; ob maximam itidem gratiam, & depurationem ab omni passione, ac affectu inordinato humano, fuit ordinatissimum agens: Ergo conformavit se in omnibus secundùm actum efficacem Divinæ voluntati.

12. *Quid operentur illa verba: Pater si fieri potest transfer Calicem &c.*

Objicies primò: Voluntas Divina efficaciter voluit mortem Christi; & voluntas humana noluit: Ergo in hoc non fuit conformitas voluntatis creatæ ad Divinam. Prob: Antec: ex illo Marci 4. *tristis est anima mea usque ad mortem. Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc à me.*; quæ verba indicant voluntatem humanam Christi noluisse, quod voluit Divina: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: de voluntate efficaci: ad ejus Probationem dico, ex illis verbis Scripturæ solùm colligi, quòd inefficaciter, & conditionatè tantùm voluerit amotionem Calicis, id est Passionis; efficaciter tamen voluit Passionem; uti colligitur ex sequentibus verbis; *verumtamen non mea; sed tua voluntas, fiat.* Addo S. Hilarium, aliósque PP. dicere; illam nolitionem, & tristitiam non fuisse in voluntate humana Christi de sua Passione, & morte; sed de scandalo Discipulorum, quod accepturi erant ex ejus Passione; unde timebat, ut à se, ad illos calix iste, id est meritum Passionis suæ transiret, atque ita possent conservari in Fide: Vel potest intelligi de peccato crucifigentium; ut docet S. Hieronymus.

13. *Quædam instantia eximantur.*

Dices: Tunc censetur difformitas, & repugnantia interna in nobis, quando appetitus sensitivus contrariatur rationi, esto non sortiatur effectum: Ergo cùm in Christo fuerit voluntas fugiendi mortem saltèm inefficax, fuit in eo repugnantia, & contradictio voluntatum. Respondeo tunc in nobis esse pugnam internam, quando appetitus sensiti-

sensitivus nimis effrænatè insurgit contra rationem; in Christo autem non erat hujusmodi effrænis repugnantia; quia mortem inefficaciter, & conditionatè nolitam, voluit simpliciter & absolutè.

14. *Voluntas creata Christi merebatur.* DICO quartò: Voluntas creata Christi propriè merebatur. Ita Scotus *3. Dist: 18. qu: unicâ*; & communis TT.

Probatur: Tum ex dicendis *quæstione 2. 3. 4. & 5. hâc dist:* ubi resolvam, quibus actibus voluntatis, quô tempore, quibus individuis, & quid meruerit. Tum ex Scriptura, Concilijs, & Patribus docentibus, Christum redemisse genus humanum suâ voluntariâ Passione, â libertate creata acceptata, & tolerata. Tum quia omnes conditiones ad merendum requisitæ inveniuntur in voluntate creata Christi; quas adduxi *Dist: 4. qu. 3.* Ergo &c.

QUÆSTIO II.

Quibus actibus meruerit Christus?



1. *In Christo sunt varij actus.* NOTA primò: Quòd varij possint actus considerari in Christo; puta actus portionis inferioris, actus portionis superioris, actus beatifici &c. de quibus inquiri potest, num ijs meruerit Christus?

2. *Quid sit portio superior & inferior intellectus & voluntatis?* NOTA autem secundò: quòd Scotus *3. Distinct: 18. qu. unicâ* cum alijs TT. communiter in intellectu, & voluntate animæ assignet duplicem portionem, superiorem & inferiorem. *Portio superior* in intellectu vocatur ipse Intellectus in quantum contemplatur DEUM, seu incommutabilem veritatem. *Portio inferior in Intellectu* est intellectus, quatenus contemplatur hæc inferiora, & caduca, ad administrandum ea. *Portio superior voluntatis* est etiam ipsamet voluntas, quatenus diligit DEUM & æterna. *Portio verò inferior voluntatis* est voluntas, quatenus diligit hæc inferiora, & caduca. S. Augustinus *12. de Triu: cap: 3:* comparat portionem superiorem Viro; inferiorem autem Fœminæ; quia sicut Vir est caput Mulieris & superior ejus, in entitate sua vivacior, & stabilior; ita & portio superior intellectûs, ac voluntatis respectu inferioris.

3. *Quid sit affectio justitiæ & commodi?* NOTA tertiò: Scotum *citatum* similiter duplicem distingvere affectionem in voluntate; affectionem justitiæ, & affectionem commodi. *Affectio justitiæ* est ipsa voluntas libera, quatenus elicit actum conformem regulæ superioris, â quo totam suam rectitudinem habet, v. g. regula rectæ rationis dicit, DEUM esse amandum tanquam summum bonum per se; & alia in ordine ad DEUM; voluntas dum ponit amorem circa DEUM, dicitur agere secundùm affectionem justitiæ. *Affectio verò commodi* est voluntas, quatenus in propriam utilitatem propensa v.g. Franciscanus dum ponit actum transgressivum altissimæ Paupertatis denarios possidendo, ut pretiosis induatur; dicitur tunc agere ex affectione commodi.

Cùm igitur Christus in via existens plura opera diversæ rationis exercuerit, quorum aliqua spectant ad portionem superiorem, ùt actus Charitatis ex parte voluntatis; & Visio beatifica ex parte intellectûs; & alia ad inferiorem, ùt jejunare, vigilare, orare, pati, & multa similia, quæ secundùm affectionem justitiæ, contra affectionem commodi Christus operatus est; ideo non immeritò hic quæritur â TT. quibusnam actibus promeruerit nobis Christus? an actibus portionis superioris, vel inferioris, vel utriusque simul?

4. *Christus meruit nobis per actus portionis inferioris.* DICO primò: Christus meruit nobis per actus portionis inferioris. Ita Scotus *3. Dist: 15. qu. unicâ, num: 8. & 9.* cum sua, & Angelica Schola.

Probatur *primò*: Christus secundùm portionem inferiorem fuit Viator perfectè: Ergo secundùm illam meruit non minùs, quàm nos Viatores. *Secundò*: multa potuerunt Christo accidere, contraria affectioni commodi; v.g. sitis, fames, flagella, Passio, & similia, quæ sustinere potuit Christus cum obedientia, & patientia, atque pro peccatis nostris offerre, sicut revera obtulit: Ergo secundùm portionem inferiorem per hujusmodi actus potuit merere; & de facto meruit. Unde dicit Apostolus ad Philipp: *2. factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* Et alibi; *sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.* Neque de ista Conclusione est dubium; omnes enim boni Catholici fatentur, Christum per continuos actus virtutum infusarum, & alios morales meruisse, quos habuit secundùm portionem inferiorem; quia illos liberè eliciebat, & ordinabat ad debitum

Q3

bitnm finem, quamvis essent ordinis naturalis. Sed præter hos actus in Christo erant duo alij, nempe actus quô diligebat creaturas visas in DEO; & alter quô beatificè fruebatur DEO; de quibus est difficultas.

5. *Imò etiam per actus portionis superioris.*

DICO secundò: Christus meruit etiam per actus portionis superioris, quibus diligebat creaturas visas in Verbo: item probabiliter per actum beatificum. Est Scoti *loc: cit:* contra Thomistas; & Recentiores.

Probatur prima pars: Actus portionis superioris, quibus diligebat creaturas visas in Verbo, v.g. Matrem suam, Discipulos suos, & Electos omnes relucentes in Verbo, progrediebantur à voluntate Christi liberè, erant actus honesti, formaliter boni, eliciti ex gratia à Christo Viatore, erant accepti à DEO, quæ sunt conditiones meritorij actûs, ut ostendi suprà *Distinct: 4. quæst: 3.* Ergo Christus per illos meruit.

6. *Omnis actus beatificus dilectionis Christi speciali privilegio acceptabatur ad esse meriti.*

Dices: Ergo similiter actus beatificus dilectionis S. Francisci, quô defacto diligit suos Fratres in Verbo visos erit meritorius; quod tamen est falsum. Respondeo: quòd quamvis non implicet actum illum dilectionis S. Francisci esse meritorium; posset enim DEUS illum acceptare: defacto tamen meritorius non est; quia defacto non acceptat; eò quòd persona S. Francisci sit tota extra statum merendi; non sic autem erat de Christo in via existente; quia tunc erat Viator, & omnis actus ejus acceptabatur; hoc enim decebat Personam Christi. Et sicut speciali privilegiô fuit Viator, & Comprehensor simul; sic etiam speciali privilegiô acceptabatur omnis actus ejus ad Esse meriti.

7. *Christus similiter merebatur per actum fruitionis.*

Probatur secunda pars ratione Scoti *cit:* Nos meremur per actum portionis superioris, quô voluntas nostra jungitur DEO: Ergo similiter Christus meruit per actum beatificum fruitionis, quô perfectissimè uniebatur DEO. Deinde Christus summè diligebat DEUM: Ergo credendum est, quòd DEUS talem amorem acceptaverit ad esse meriti.

8. *Quædam replica Recentiorum eliditur.*

Respondent RR: Distingvendo duplicem actum fruitionis, seu amoris in Christo, ita ut unus sit actus dilectionis in Christo, quatenus erat Comprehensor, qui sequebatur Visionem beatificam; & hôc non meruit; quia non est liber: alter, quatenus erat Viator, qui sequebatur cognitionem infusam; & hôc dicunt Christum meruisse; quia erat liber. *Contra* hanc responsionem est argumentum secundum Scoti principale, quô probat, quòd actus, quô anima Christi fruebatur DEO, non poterant esse duo, sed unus tantùm; argumentum est tale: actus fruitionis est actus adæquatus potentiæ; quia voluntas creata fruitur quantùm potest: sed una & eadem potentia circa idem objectum non habet actum unum adæquatum, & alterum inadæquatum, & distinctum à primo; aliàs primus non esset adæquatus: Ergo voluntas Christi non habuit duplicem actum dilectionis.

9. *Rursus alia replica eorundem refutatur.*

Replicant RR: ad hanc doctrinam dicentes: Majorem esse veram, quando actus sunt omnino ejusdem rationis: sed quando sunt diversi actus, & diversæ rationis, non est vera. In proposito autem dicunt esse diversos actus specie, quia actus fruitionis tendit in DEUM propter omnem perfectionem propter quam DEUS est amabilis; & amor qui est meritorius tendit in DEUM propter aliquam specialem rationem v. g. propter justitiam, vel misericordiam &c. quæ diversitas est sufficiens, ut actus illi distingvantur à priori. *Contra*; ista Responsio non satisfacit argumento Scoti; quia actus distingvuntur per objecta *2. de anima*: sed objectum fruitionis per se est ipse DEUS diligibilis propter se amore amicitiæ; similiter objectum primum meriti, quale est ille amor meritorius Adversariorum, est DEUS ipse diligibilis propter se amore amicitiæ volendo sibi bonum: cùm ergo objectum sit idem materialiter, & formaliter, actus ipsi secundùm rationem formalem non potuerunt esse diversi: Ergo erit unicus tantùm, quod dicit Scotus. Deinde hîc quæritur de actu amoris Christi, quô tendit in DEUM an sit meritorius; non de alijs actibus dilectionis, quamvis admitterentur ùt diversi.

10. *RR. iterum replicantes repelluntur.*

Replicant rursus; debere necessariò admitti duplicem actum amoris seu fruitionis in Christo, quorum unô merebatur, alterô non: nam admittitur duplex cognitio DEI, scilicet per Scientiam beatam, & per infusam: Ergo & duplex fruitio. Respondeo Neg: Ant: ad ejus Rationem Nego Consequ: disparitas est; quia scientia Christi erat de eodem objecto, sed diversô modô cognitô, & per diversa media, quæ faciunt

ciunt cognitionem diversam; distingvitur enim scientia penes medium; sed amor uterque hic si daretur, esset de eodem objecto, eôdem modô, ac eôdem mediô.

11. *Scotus non negat Christum mereri actu beatifico.* Objicies primò contra secundam partem Conclusionis: hæc doctrina non est ad mentem Scoti; aliàs sibi contradiceret; nam in corpore quæstionis tenet; quòd Christus meruit secundùm actus beatificos: in Responsione verò *ad secundum*, videtur tenere quòd meruit tantùm secundùm portionem inferiorem & superiorem, sed non quoad res visas in Verbo. Respondeo; quòd Scotus ponat tres vias asserendi, Christum meruisse; & dicit ut eligatur via magis grata. Insuper dicit, tertiam hanc viam quòd meruerit actu beatifico, esse difficilem: nihilominus qui vult eam tenere, debet respondere, quòd actus fruitionis, & meritorius sit unus. Contra eandem partem

12. *Actus beatificus Christi fuit liber.* Objicies secundò: Actus beatificus Christi fuit necessarius: Ergo non fuit meritorius. Anteced: patet; quia Christus non poterat se avertere à Visione, & fruitione DEI: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: nam actus fruitionis in Beatis, & consequenter in Christo causatur liberè à voluntate; & consequenter est liber; quare simpliciter possunt Beati illô se avertere à fruitione DEI; de facto tamen nunquam se avertent, neque cessabunt ab ea, propter continuam manutenentiam in statu Beatitudinis; ratione cujus sunt puri Comprehensores in termino positi.

13. *Christus nō fuit simpliciter in termino quoad utramq; portionem ante mortem.* Objic: tertiò contra primam Conclusionem: Christus secundùm utramque portionem fuit in termino: Ergo nō potuit secundùm ullam mereri. Conseq: tenet; Probat: Ant: specialiter de portione inferiori; illud est simpliciter in termino, quod nullum potest habere actum inordinatum circa finem ultimum, vel aliquod tendens ad ipsum: sed voluntas Christi secundùm portionem inferiorem non potuit habere ullum actum inordinatum; quia fuit impeccabilis: Ergo &c. Respondeo cum Scoto Neg: Antec: cum Maj: Probationis; quia ut aliquid dicatur esse simpliciter in termino quoad utramque portionem, non sufficit, quòd non possit elicere actum inordinatum circa finem ultimum, vel aliquid tendens in illum; sed ulteriùs requiritur, ut sit perfectè, & adæquatè conjunctum fini non solùm secundùm affectionem justitiæ, sed etiam commodi; quô modô portio inferior animæ Christi in via non fuit conjuncta DEO; passa enim est multa incommoda in hac vita, quæ non potuisset pati, si fuisset ultimatè in termino, & perfectè conjuncta DEO secundùm commodum.

Dices: Saltem portio superior Christi fuit secundùm utramque affectionem perfectè conjuncta DEO, & extra statum viæ. Respondeo cum Doctore Neg: Assumptum; quia opera elicita per portionem superiorem dependebant à conditione naturæ elicientis, quæ in via existens adhuc erat viatrix, adeóque non fuit perfectè unita DEO; & consequenter fuit capax meriti. Confirmatur Responsio; quia opera portionis superioris in Christo fuerunt omnino libera: Ergo meritoria: Antec: patet ex S. Augustino *de Prædestinatione cap: 15. Numquid metuendum fuit, ne homo ille, id est, Christus, liberò careret arbitriò: an ideo in illo non libera voluntas erat, ac tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat.* Videatur idem Sanctus *lib: 22. de Civit: cap: ult:* 14. *Neg. portio superior Christi secùdùm utrāq; affectionem fuit perfectè conjuncta DEO.*

QUÆSTIO III.

Quô tempore meruerit Christus?

DICO primò: Christus in primo instanti suæ Conceptionis cœpit mereri. Est Scoti *3. Dist: 18. quæ unicâ*, & Scotistarum; nec non D. Thomæ, S. Bonaventuræ, & est communior doctrina; contra Alensem, Durand: &c. 1. *Christus in primo instāti suæ conceptionis cœpit mereri.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; Nam S. Paulus dicit de Christo *ad Hebr: 10 Ingrediens mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem adaptâsti mihi*; & infrà: *tunc dixi, ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam DEUS voluntatem tuam.* ubi ly *ingrediens* idem significat, ac in primo instanti suæ Conceptionis, cùm Patri ampliùs holocausta non placuerint, tunc dixit Christus, *ecce venio:* Ergo Christus cœpit mereri in instanti suæ Conceptionis.

Probatur secundò ratione Scoti *eit:* Christus pro primo instanti habuit omnia requisita ad meritum: Ergo tunc meruit, 2. *Quod ratione Scoti quo, que ostenditur.*

meruit. Prob: Ant: habuit gratiam summam ùt suprà *Dist: 8. q. 3.* docui, habuit potentiam liberam perfectam non impeditam: objectum præsens per intellectum propositum, quod est Trinitas, cui volebat bonum propter se; sed hæc sufficiunt ad posse mereri: Ergo Christus meruit in primo instanti Conceptionis. *Secundò*; Angeli in primo instanti creationis suæ converterunt se ad DEUM, & per illam conversionem meruerunt sibi gloriam: Ergo id Christo non est denegandum: cùm hoc cedat etiam in majorem honorem ejus; eique non repugnet.

3. *In Christo non fuit discursus per diversas moras elaboratus.* Objicies ex Scoto *cit:* primò: Ad actum meritorium requiritur deliberatio, consultatio, & electio; sed electio præsupponit discursum syllogisticum practicum, qui nequit fieri in instanti: Ergò &c. Respondeo cum Doctore Dist: Min: electio præsupponit discursum Syllogisticum in perfectè cognoscente res Nego Min: in intellectu imperfectè cognoscente Conc: Min: Itaquè licèt in nobis requiratur electio, & discursus factus per diversa instantia; quia procedimus ab imperfecta cognitione rei ad perfectam; tamen in Christo qui habuit perfectam notitiam semper, & pro semper, superfluus fuisset hujusmodi discursus per diversas moras consummatus.

4. *Non obstante duplici mutatione Christus potuit mereri in instanti.* Objicies secundò: si anima Christi in primo instanti suæ creationis potuisset mereri, sequeretur quòd duæ mutationes, quarum terminus unus præcedit alterum, essent simul duratione; sed sequela est falsa: Ergo &c. Probatur sequela; istæ sunt duæ mutationes; transire à non esse animæ ad esse animam; & à non operari meritoriè ad operari; & terminus ad quem primæ mutationis, qui est *esse animam* est prior, quàm terminus alterius mutationis, operari enim præsupponit esse: sed mutationes horum terminorum essent simul: Ergo &c. Respondeo cum Doctore Conced: sequelam; quia quando mutationes sunt ordinatæ secundùm prius & posterius naturâ, possunt esse simul duratione temporis; in proposito ergo cùm una mutatio præcedat aliam naturâ tantùm; proinde & ipsi termini se præcedunt naturâ; adeoquè duratione possunt esse simul. Itaquè sicut cum Doctore sustinetur *in 2.* quòd Angelus in primo instanti potuerit peccare, non obstante quòd ibi intercedant duæ mutationes; ita etiam sustineri potest, quòd Christus in primo instanti potuerit mereri, & de facto meruerit, non obstante duplici mutatione.

DICO secundò: Christus toto tempore vitæ meruit sinè intermissione; specialiter autem, & completivè per Mortem, ac Passionem suam. Est communis Catholicorum.

5. *Christus toto tempore vitæ meruit.* Probatur prima pars Conclusionis: Christus toto tempore vitæ habuit omnia requisita ad semper merendum: Ergo toto tempore meruit.

Probatur secundò: Christus toto tempore vitæ fuit Salvator, & Redemptor: Ergo suum munus debebat semper implere; hoc autem fit merendo: Ergo toto tempore vitæ meruit.

Probatur tertiò; si aliquo tempore vitæ nō meruisset, maximè in infantia: sed tunc etiam meruit, ùt testantur SS.PP. Ambrosius *lib: 2. in Lucam de Nativ: Salvat:* Et D. Bernardus *Sermone 2. de Circumcisione.* ubi ait, *meritò sanè, dum circumciditur puer, qui datus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicet jam ex hoc cœperit operari salutem nostram*: Ergo &c.

6. *Completivè autem per mortem.* Probatur secunda pars: Joan: 19. dicitur; *consummatum est*; quô verbô, ùt Sancti PP. volunt, Christus significavit opus nostræ Redemptionis suâ Morte & Passione esse completum: Ergo Christus meruit completivè per Mortem & Passionem suam.

7. *Post mortē Christus nō meruit amplius.* DICO tertiò: Christus post mortem nil ampliùs meruit. Est communis DD:

Probatur: solum tempus viæ est ordinatum pro merito; quod patet ex illo Ecclesiast: 14. *ante obitum operare justitiam.* Et Apostolus ad Cor: 5. dicit, *omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria Corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Unde ipse Salvator dicit de se Joann: 9. *me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox quando nemo poterit operari.* Quo in loco omnes PP. per noctem mortem interpretantur, quâ secutâ nemo meritoriè operari potest: Ergo &c.

8. *Qualiter per vulnus lateris meruerit Christus.* Objicies: vulnus Lateris inflictum est Christo post mortem: & tamen per illud maximè meruit; Sacramenta enim in Christi meritis fundantur, quorum virtus fluxit de latere Christi, ùt loquitur Leo Papa *epist: 4. cap: 6.* & S. Augustinus *tract: 15. in Joann: quid vulnere isto salubrius.* Respondeo; quòd Christus

stus prævidit vivens vulnus illud sibi insligendum; unde liberè illud acceptavit, & pro nobis obtulit, & in pretium nostræ Redemptionis dedit sangvinem inde emanantem: & in hoc sensu etiam virtus Sacramentorum inde effluxit; non verò fuit tunc meritorium formaliter.

QUÆSTIO IV.

Quid Christus sibi meruerit?

1. *Christus de facto nō meruit sibi impassibilitatē & beatitudinem.*



TRia hic potissimè possunt inquiri: *primò*; an Christus sibi meruerit substantiam Incarnationis. *Secundò*; an Beatitudinem, seu gloriam animæ, aliáque dona gratiæ, & scientiæ. *Tertiò*; an sibi meruerit impassibilitatem, & gloriam Corporis: nominis exaltationem, & similia. Primum jam resolutum est suprà *Dist: 4. quæst: 3.* alia duo hic resolventur.

DICO primò; Christus de facto non meruit sibi impassibilitatem, seu Beatitudinem, & gloriam animæ: neque dona gratiæ, & scientiæ. Prima pars est Scoti *3. Dist: 18. qu. 1.* & Scotistarum; item Richard: Alens: & S. Bonaventuræ; contra Albertum Magnum, Bassol: &c. Secunda, & tertia tenetur communiter à RR: Scotistis.

Probatur prima pars primò ratione Scoti *cit:* si Christus meruisset Beatitudinem, vel meruisset ipsam per actum voluntatis circa finem ultimum, vel circa ea, quæ sunt ad finē ultimum, id est ad Beatitudinem; sed per neutrum horum actuum meruit: Ergo &c. Probatur Mini non per primum; quia talis actus circa ultimum finem est ipsamet formalis Beatitudo: Ergo illò non potuit mereri Beatitudinem; nil enim meretur seipsum. Nec etiam per secundum; quia Christus debuit ponere primum actum voluntatis circa ipsum finem ultimum, antequam poneret ullum circa ea, quæ sunt ad finem ultimum, propter duas rationes; *primò*, quia Essentia Divina fuit primò, & perfectè quidem præsens in ratione objecti ut eâ frueretur voluntas, & intellectus eam videret; secundariò verò objecta alia secundaria; visio enim secundariorum præsupponit Visionem ipsius Essentiæ. *Secundò*; illa Visio, & fruitio Christi non fuisset recta, si primò non fuisset terminata ad videndum Essentiam, & ad fruendum illâ tanquam ultimo fine, quô quilibet Beatus incessanter frui tenetur; unde si aliter faceret, peccaret: Ergo &c.

Probatur secundò eadem pars ratione ejusdem Doctoris: Christus non meruit Unionem hypostaticam, ùt suprà *Distinct: 4.* ostensum est: Ergo neque gloriam, & Beatitudinem. Conseq: tenet; quia Christus habuit Beatitudinem ex gratia Unionis; ad esse enim Divinum, quod Christus habuit, sequebatur Beatitudo animæ.

2. *Illa Scriptura: pro eo quod laboravit, explanatur.*

Objicies primò: Isaiæ 53. dicitur de Christo; *pro eo quòd laboravit, videbit, & satiabitur:* sed Visio satiativa est sola Visio beata, quæ involvit Beatitudinem juxta illud Psal: 26. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua:* Ergo per labores meruit Beatitudinem. Respondeo; quòd hæ, & similes Scripturæ tantùm probent, Christum meruisse per suos labores videre nominis sui exaltationem, & alia, de quibus infrà.

3. *Est quædā imperfectio accipere præmium per merita.*

Objicies secundò; Christus potuit mereri visionem, & fruitionem, ùti tenet Scotus *cit:* Ergo de facto ipsam meruit; & consequenter Beatitudinem, quæ consistit in his duobus actibus. Probat: Consequ: gloriosiùs est habere præmium ex merito, quàm sine merito, quando potest sic haberi: sed Christus potuit sic habere: Ergo &c. Respondeo Conc: Ant: & Neg: Consequ: & Dist: probationis ejus Maj: gloriosiùs est, si acquisitio talis præmij supponat aliquam imperfectionem Neg: Major: si non supponat Conc: Maj: Itaque accipere præmium per merita, supponit acceptantem aliquando fuisse sine tali præmio, adeóque transijsse à statu imperfecto ad perfectum; quod est summa imperfectio.

4. *Christus non meruit dona gratiæ.*

Probatur secunda pars: principium meriti non cadit sub meritum; sed gratia habitualis Christi fuit in Christo principium meriti; quia ejus opera procedebant ab eâ: Ergo illam gratiam Christus sibi non meruit.

5. *Neq; dona Scientiæ.*

Probatur tertia pars: Scientia Christi infusa, fuit Christo collata liberaliter, sicut gratia Unionis, ùt alibi ostensum est: Ergo illam gratiam non meruit.

6. *Christus indirectè meruit sui Nominis exaltationem.*

DICO secundò: Christus meruit sui Nominis exaltationem, gloriam Corporis, Dominium Orbis, & potestatem judiciariam saltèm indirectè. Est Scoti, & aliorum TT. contra Calvinum negan-

potestatem judiciariam &c. negantem Christum absolutè aliquid sibi meruisse.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: Lucæ 24. dicitur; *nónne hæc oportebat pati Christum, & sic intrare gloriam suam.* Et ad Hebr: 2. *vidimus JESUM propter Passionem Mortis gloriâ, & honore coronatum.* Et ad Philipp: 2. *propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen &c.* Ex quibus locis colligunt SS. PP. veritatem nostræ Conclusionis quoad primas duas partes. Et TT: inferunt, Christum per eandem Passionem sibi meruisse Regnum, & Dominium in Orbem universum, juxta illud Psal: 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes, &c.* Et illud ad Rom: 14. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Item potestatem judicandi, juxta illud Joan: 5. *Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.* Item accessum Spiritûs S. ad nos, & similia.

7. *Authoritas Patrum & ratio adducitur ad idē.* Probatur secundò authoritate SS. PP. specialiter de gloria Corporis; nam ita sentiunt D. Augustinus *Tract: 104. in Joan:* Et D. Chrysostomus, Ambrosius, Beda, & alij, scribentes in illud 2. *cap:* ad Philipp: *humiliavit semetipsum:* Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: quia Christus ab instanti Conceptionis dignitates, & officia non habuit, sicut habuit alia dona: Ergo tractu temporis ea sibi promeruit.

8. *Quædam objectio præcluditur* Objicies Scotum in hunc modum *loco cit:* discurrentem: quod debetur alicui ante omnem actum suum, non cadit sub ipsius meritum: sed gloria Corporis (idem dic de alijs dignitatibus in conclusione specificatis) debebatur Christo ante omnem actum suum meritorium: Ergo illam non promeruit. Prob: Min: gloriæ Animæ redundat in Corpus sibi unitum, nisi miraculosè à Deo impediatur: sed Anima Christi antecedenter ad omnem actum suum meritorium habuit gloriam; Ergo hæc redundabat in Corpus Christi sinè ullo merito. Resp: hoc Argumētum tantùm probare, etiam secundùm Doctorē, quòd Christus non meruit directè gloriam Corporis; sed benè indirectè, uti limitatum est in Conclusione: mereri autem Christi indirectè in hoc consistit, ùt explicat Scotus *3. Dist: 18. qu. unicâ, num: 15.* quòd meruerit Christus ablationem illius miraculi, quò impediebatur redundantia gloriæ Animæ ad Corpus conjunctum. Itaquè Christus non meruit ipsum debitum habendi gloriam Corporis; quia ab instanti Conceptionis tale debitum habuit ex vi Unionis hypostaticæ; sed tantùm meruit, ut gloria sibi aliàs debita poneretur in actu per cessationem miraculi, quò impediebatur. In forma Dist: Maj: quòd debetur alicui ante omnem actum suum, non cadit sub meritum ipsius directè, & pèr se Conce Maj: indirectè & per accidens Nego Maj: & sic Dist: Min: Nego Consequentiam.

Ex his colligitur: in Transfiguratione Domini, non fuisse tam novum miraculum, quàm cessationem antiqui, quò impediebatur gloria Animæ, ne in corpus diffunderetur, proùt in monte Thabor transfundebatur.

Nota autem primò: *Exaltationem Nominis Christi* maximè consistere in illis varijs testimonijs, quibus attestata est illius Divinitas, & sanctitas, dum nasceretur, baptizaretur, transfiguraretur &c. *Gloria verò Corporis* consistit in dotibus gloriosis, quibus est illustratum Corpus Christi in instanti Resurrectionis. 9. *In quo consistat exaltatio Nominis Christi.*

QUÆSTIO V.

Quid Christus meruerit hominibus, & Angelis?

DICO primò: omnis gratia homini lapso collata, sive sit Fides, sive quæcunque alia gratia, ad justificationem disponens; sivè ipsa gratia justificationis; item remissio omnis peccati, tam actualis, quàm originalis, apertio januæ cœlestis, introductio ad Paradisum, & tandem gloria æterna, est collata ex meritis Christi prævisis, vel actu exhibitis. Est communis Catholicorum Doctorum. 1. *Omnis gratia homini lapso collata, ex meritis Christi procedit.*

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: ad Ephes: 1. dicitur de Patre, *quòd benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo.* Et Joan: 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Item Joan: 15. *sinè me nihil potestis facere.* Ad Rom: 5. Et ad Tit: 4. idem docetur. Ex quibus locis clarè colligitur omnem gratiam nobis hominibus lapsis originaliter conferri ex meritis Christi.

Proba-

2. *Quod ſtabilitur authoritate Conciliorum.* Probatur ſecundò authoritate Conciliorum, maximè Milevitani, hoc idem nobis inculcantium. Unde Tridentinum *Seſſ: 6. cap: 7.* definit, cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis, & remiſſionis omnium peccatorum, ac ſuſceptionis gratiæ, & aliorum donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, eſſe Dominum JESUM Chriſtum, dum ait; *quanquam nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti communicantur; id tamen fit in hac impij juſtificatione, dum ejusdem ſanctiſſima Paſſionis meritò per Spiritum Sanctum charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur:* ſi ergo charitas, quæ eſt ratio formalis juſtificandi, eſt ex meritis Chriſti, à fortiori etiam alia omnia dona ſupernaturalia.

3. *Et Sanctorū Patrum.* Probatur tertiò authoritate SS:PP: docentium, nos omnia dona à Chriſto accepiſſe; ita loquitur D. Auguſtinus *Tract: 3. in Joann:* Et D. Chryſoſtomus *Homil: 13.* & D. Bernardus *Serm: 13. in Cantica*: Ergo &c.

4. *Omnis pariter gratia Angelis & Adæ collata pendet à Chriſti meritis.* DICO ſecundò: ſimiliter omnis gratia, ac gloria Angelis, & primo homini collata, eſt ex meritis Chriſti. Ita Scotus in multis lòcis; & tenetur à Scotiſtis, ac Alberto Magno, Svare &c. contra Vaſq: & alios RR.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: Ad Epheſ: 1. dicitur: *propoſuit omnia reſtaurare in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt.* Item ad Coloſſ: 1. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt:* Ex quibus locis, utpote generaliter loquentibus rectè colligunt SS: PP: & DD: Chriſtum tam Angelis, quàm primo Parenti ac omnibus hominibus omnem gratiam promeruiſſe, & gloriam: ità expreſsè S. Cyrillus Alexand: *lib: 5. in Iſaiam cap: 54.* ubi dicit, *per ipſum enim omnis fructificatio ſpiritualis, tam in Sanctis Angelis, quàm in nobis ipſis inſita eſt:* Ergo omnis gratia, & gloria Angelis, ac primo Parenti collata, eſt ex meritis Chriſti.

5. *Teſtimonia PP. & ratio Theologica ad idem.* Probatur ſecundò authoritate SS: PP: Concluſionem aſſerentium: ùt videre eſt apud Gregorium *in lib: 2. Regum cap: 2.* Et apud Fulgentium *lib: 2. ad Traſim cap: 2.* Et apud Auguſtinum *lib: de Conſenſu Evangeliſtarum cap: 35.* & alios: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: quia multùm extollit Chriſti dignitatem, & honorem ſententia docens, quòd non ſolùm hominibus deſcendentibus ab Adam; ſed etiam ipſi primo Homini, & Angelis meruerit gratiam, ac gloriam: Ergo &c.

6. *Sufficit meritum Chriſti præcedere collationē gratiæ in eſſe prævìſo.* Objicies primò: Chriſtus non meruit Patribus veteris Teſtamenti gratiam collatam: Ergo &c. Prob: Antec: meritum debet præcedere collationem gratiæ: ſed merita Chriſti non præceſſerunt gratiam collatam PP: veteris Teſtamenti: Ergo &c. Reſpondeo Neg: Ant: & Diſt: Probationis Maj: meritum debet præcedere collationem gratiæ, re ipsâ, & ſecundùm exhibitionem Nego Maj: in eſſe prævìſo Concedo Maj: Itaquè merita Chriſti in eſſe prævìſo præceſſerunt.

7. *S. Auguſtinus in favorem hic reconciliatur.* Objicies ſecundò: gratia, quæ confertur in applicatione Sacramentorum non eſt ex meritis Chriſti; ùti docet S. Auguſtinus *de Prædeſtin:* qui in Divinam Miſericordiam refert, quòd baptiſmus uni, & non alteri applicetur: Ergo &c. Reſpondeo Neg: Ant: & expono S. Patrem dicendo; quòd per dictum loquendi modum non intendat excludere conſortium meritorum Chriſti; ſed ſpecificat tantùm ex duobus principijs, à quibus unus effectus procedit, unum, & magis principale principium, ſubticendo quidem aliud; ſed tamen abſolutè nō negando gratiam: quem modum loquendi uſurpat S. Scriptura; quia & hæc videtur incluſa in illis terminis generalibus ad Epheſ: 1. *benedixit nos DEUS omni benedictione ſpiritnali in Chriſto:* Ex his ſequitur; quòd Chriſtus etiam meruit gratiam Prædeſtinationis Electorum; quia merita Chriſti fuerunt ſufficientiſſima in ſuo valore ad illam gratiam promerendam; & aliunde nil obſtat, quo minùs non poſſit Chriſtus hujusmodi gratiam mereri; cedit inſuper in ejus gloriam tale meritum: Ergo &c.

8. *Scoti quoq; textus benignè interpretatur.* Dices primò: Scotus *3. Diſt: 18. qu: unicâ, in reſolutione ad ſecundum* dicit, quòd Paſſio Chriſti prævìſa non fuit cauſa prædeſtinationis Electorum: Ergo Chriſtus non meruit Electis gratiam prædeſtinationis. Reſpondeo Negan: Conſequ: & expono Scotum, quòd loquatur de Chriſto in quantum erat futurus homo mortalis in carne paſſibili; ſub qua conſideratione utique Chriſtus erat poſterior gratiâ Electionis Beatorum, ſeu Prædeſtinationis: quia tamen ſecundùm ſubſtantiam ſuam abſtrahendo à modo adventûs ſui, fuit abſolutè

prior Christus; ideo probabiliter potest sustineri, quòd efficax præordinatio, seu Prædestinatio Electorum habuerit fundamentum in meritis Christi, & hoc colligitur ex illo Pauli ad Ephes: 1. *Elegit nos in ipso &c.* Et ratio est; quia DEUS est ordinatè volens, quod quâ tale priùs vult finem, quàm media; & priùs etiam ea media, quæ sunt propinqviora fini: Ergo priùs voluit DEUS se manifestare decernendo Unionem hypostaticam, & Christum; deinde verò voluit dare illi humanitati Christi summam gratiam, & gloriam; & propter maximam tandem Christi perfectionem, ac ejus merita, sinè respectu tamen carnis passibilis futura, eligere homines ad Beatitudinem.

9. *Merita Christi omnino poterãt prævideri ante prædestinationem Electorum.* Dices secundò: Merita Christi non poterant prævideri à DEO ante Prædestinationem Electorum; quia in illo signo, in quo intelligimus voluisse DEUM se ad extra communicare, intelligimus eum elegisse Christum, & simul cum eo omnes prædestinatos: Ergo &c. Respondeo Neg: Antec: quia electio Christi pro aliquo signo antecessit electionem aliorum; Christus enim electus est Caput, & Fons omnis gratiæ, ac benedictionis spiritualis, in cæteris hominibus repertæ, adeóque in illo signo poterant prævideri.

Quæstio VI.

Num Meritum Christi fuit infinitum.

1. *Varietas Sententiarũ D. Thomæ & Scoti.* Irca hanc quæstionem est magna controversia inter D. Thomam, & Scotum; D. Thomas enim cum suis, & Neutristis Vasq: Svar: Tann: Arriaga, Hurtado &c. docet, merita Christi fuisse infiniti valoris formaliter, & intrinsecè seclusâ acceptatione Divinâ, propter Divinam scilicet Personam concurrentem ad illa. Scotus è contra cum suis, & Nominalibus tenet, illa fuisse finita intrinsecè & formaliter; extrinsecè tamen seu moraliter tantùm infinita, quatenus nimirum DEUS acceptavit illa opera, & æstimavit illa tanquam pretium, ac satisfactionem sufficientem ad remittendam infinitam pœnam debitam peccatis. Cum qua sententia

DICO primò: Merita Christi fuerunt quidem intrinsecè summi valoris Negativè; non tamen infiniti intrinsecè, & formaliter. Ita Scotus *3. Dist: 19. qu: unicâ.*

Probatur prima pars ex dictis suprà *Dist: 8. qu: 3.* gratia Christi fuit summa Negativè: Ergo merita, & satisfactiones Christi, quæ ex gratia sumunt suum valorem, erunt valoris summi Negativè. 2. *Merita Christi fuerunt summi valoris formaliter.*

Pro altera parte probanda Scotus varias adducit rationes: ex quo depromam efficaciores:

Probatur secunda pars ratione Scoti: merita Christi consistebant in bona volitione Christi, elicita à voluntate humana Christi, concurrente gratiâ habituali, tanquam conprincipio creato, quâ volitione Christus acceptavit Passionem, & applicuit eam pro peccatis: sed talis volitio Christi non erat infiniti valoris intrinsecè: Ergo &c. Maj: conceditur; Prob: Min: *primò*; quia principia productiva hujus volitionis, nimirum voluntas, & gratia habitualis erant finita intrinsecè, à quibus essentialiter, & per se pendebat volitio meritoria Christi. *Secundò*; si ista volitio esset infiniti valoris intrinsecè, esset tanti valoris, quanti est volitio Increata DEI: sed hoc est falsum; quia volitio Christi fuit contingens, & creata: Ergo non erat infiniti valoris. Probat: Maj: volitio increata non habet alium majorem valorem, quàm infinitum: Ergo si volitio Christi haberet infinitum intrinsecè valorem, esset tanti valoris, quanti est volitio Increata DEI. 3. *Non tamen infiniti.*

Confirmatur: si volitio aliqua Christi haberet ex se infinitum valorem, & acceptabilitatem, sequeretur, quòd exigeret ex se esse tam grata DEO, & tam placere ei, quàm ipsum Verbum est gratum, & placeret: hoc autem est falsum: Ergo &c. Prob: Min: quia inde sequeretur, quòd sicut Verbum, & volitio ejus sunt simpliciter infinita, ita etiam volitio creata Christi esset simpliciter infinita: quod tamen non dicent Adversarij. Ad hæc Argumenta 4. *Quod alterius stabilitur.*

RespondentThomistæ unanimiter post Capreolum; quòd volitiones, & quæcunque aliæ actiones humanæ Christi possint dupliciter considerari, nimirum in genere entis, & in genere meriti: undè dicunt, quòd istæ, & aliæ rationes Scoti tantùm convincant, volitiones meritorias Christi non esse infinitas 5. *Thomistarum replica enervatur.*

nitas in genere entis, quod & Thomistæ concedunt; sed tamen non convincunt, quòd non fiat infinitæ in genere moris, & meriti. *Contra primò*; volitiones meritoriæ Christi non possunt habere infinitum valorem intrinsecè in ratione meriti, & satisfactionis, nisi etiam intrinsecè habeant infinitam perfectionem in entitate physica: Ergo &c. Prob: Ant: valor, & dignitas intrinseca operis cujusvis, secundùm quam æstimatur, pendet saltem partialiter ex essentia ipsius operis, & non ex aliquo accidente extrinseco: Ergo ut volitiones Christi habeant infinitum valorem in genere meriti, debent etiam habere infinitam perfectionem in entitate. Prob: Ant: aliàs volitio Christi non esset intrinsecè, & essentialiter meritoria; sed accidentaliter tantùm: item effectus tunc excederet causam in perfectione; entitas enim, & substantia actûs esset finita; valor autem sive bonitas moralis, secundùm quam volitio esset meritoria, intrinsecè infinita; quod dici nequit: Ergo &c. *Contra secundò*; ratio meriti, vel est aliquid distinctum ab ipsa entitate actûs, vel non; primum non dicent adversarij; quia aliàs eadem res erit formaliter finiti, & infiniti valoris, quod est falsum, si dicant secundum, sequitur, quòd illud distinctum nil aliud sit, quàm vel acceptatio Divina, vel aliud extrinsecum; & sic volitio Christi erit infiniti valoris tantùm ab aliquo extrinseco; non verò intrinsecè, & formaliter, quod est contra Thomistas.

6. *Neutristæ replicantes quoque repellantur.* Respondent secundò Neutristæ post Cajetanum: quòd volitio Christi, & aliæ actiones ejus accipiant infinitum valorem, ac dignitatem ex Persona infinita Christi, eliciente hujusmodi actiones. *Contra primò*; quamvis dignificaretur aliquomodo actio cum proportione ad dignitatem Personæ; tamen nunquam ita dignificari potest, ut actio ex se finita accipiat infinitam perfectionem ex sola circumstantia Personæ: Ergo &c. Prob: Ant: quamvis dignificetur, & crescat valor Visionis beatificæ ex objecto beatifico; tamen nunquam ab eo accepit infinitam perfectionem; aliàs Visio beata cujuslibet creaturæ esset infinitæ perfectionis: Ergo à pari idem dicendum, de actione Christi, proveniente à Persona infinita. *Contra secundò*; Persona infinita Christi habet se in elicienda volitione tantùm per modum principij *Quod*, agentis in virtute, & secundùm mensuram principij *Quo*; sicut suppositum aquæ calidæ, non producit plus caloris, quàm habeat ipsa aqua in sua virtute: Ergo licèt Persona Christi sit infinita, si principium *Quo*, scilicet voluntas sit limitatum, erit quoque volitio ipsa etiam limitata. Deinde si Verbum assumeret naturam peccatò infectam per possibile, vel impossibile, in tali casu volitiones ab illa elicitæ non essent infiniti valoris, imò nullius valoris apud DEUM; & tamen essent volitiones Personæ infinitæ: Ergo &c.

Replicat Svarez ad illam partem de Persona, & objecto beatifico allatam in confutatione prima Responsionis Neutristarum, & negat paritatem; quia, inquit, alio modo influit dignitas Personæ in actionem volitivam Christi; & aliò dignitas Objecti beatifici in Visionem; quod inde colligitur; quia actio volitiva procedens à Persona Divina dicitur Divina, & Theandrica, id est, DEI Virilis, seu DEI, & hominis; actio verò tendens in objectum beatificum non dicitur Divina; unde colligitur, quòd magis influat dignitas Personæ in volitionem; quàm dignitas objecti in Visionem. *Contra*: quòd volitio illa Christi dicatur Divina per denominationem extrinsecam, non probat adhuc, quòd intrinsecè sit infinitæ perfectionis, & valoris: nam etiam Visio beata potest extrinsecè denominari Divina, quatenus causatur partialiter ab objecto Divinitatis, seu Essentiæ infinitæ: illæ Ergo denominationes sunt voluntariæ impositæ à TT: actionibus Christi, & solùm indicant, quòd actiones Christi non à puro homine; sed ab homine, & DEO simul conjunctis eliciantur; cum quo tamen stat, quòd sint perfectionis finitæ in entitate; aliàs deberemus dicere, quòd tota natura Christi sit intrinsecè infinitæ entitatis; quia est intimè conjuncta Divinitati infinitæ. 7. *Signanter Svarez refutatur.*

Probatur secundò rursus ratione Scoti: quantitas meriti non oritur præcisè ex sola operantis dignitate; sed etiam ex alijs circumstantijs, puta ex intensione operis, duratione, loco, objecto ipsius actionis &c. sed hæc sunt finita: Ergo opus Christi quoque faciunt finitum, attribuendo ei bonitatem finitam moralem. 8. *Aliud argumẽtum Scoti pro valore finito meritorũ Christi.*

Probatur tertiò infringendo particularem rationem Neutristarum: Si merita Christi satisfactoria essent infiniti 9. *Alia ratio pro eadem doctrina.*

nici valoris, maximè ratione infinitæ Personæ conjunctæ elicientis: sed ratione Personæ non sunt infiniti valoris: Ergo &c. Prob: Min: *primò*; quia Persona non concurrit per se ad actiones; unde nullum etiam per se valorem ipsis superaddere potest; extrinsecè Ergo tantùm illas denominat, sicut facit objectum; hinc peccatum mortale dicitur tantùm extrinsecè infinitæ malitiæ, eò quòd sit contra infinitam bonitatem DEI. *Secundò*; sola Persona non concurrit ad opera meritoria Christi; sed etiam alia in *priori probatione* relata: quæ cùm finita sint, finitatem quoque transfundunt in illa opera: nam quando plura simul concurrunt ad unam rem constituendam, etsi unum eorum sit infinitum, non ideò res ipsa fit infinita; patet exemplò peccati, quòd non est infinitæ offensæ, etsi Persona offensa DEUS sit infinitus. *Tertiò*; Persona Verbi non habet ullam rationem particularem in genere causæ efficientis concurrendo ad volitiones Christi, quam non haberet tota Trinitas; sed tota Trinitas non tribuit aliquam intrinsecam perfectionem actionibus Christi; uti & aliarum creaturarum: Ergo nec Persona Christi volitioni. Et datò, quòd haberet specialem causalitatem; tamen volitio inde proveniens adhuc non erit infinita; eadem enim volitio infinita nequit provenire à causa finita, per se voluntatis humanæ Christi, & à Persona infinita concausante: aliàs eò ipsò esset imperfecta secundùm illam partem, secundùm quam essentialiter pendet à causa per se finita: Ergo &c.

10. *Rursus alia ratio.* Probatur quartò: ex oppofita sententia sequeretur omnia opera Christi fuisse æqualiter meritoria; cùm unum infinitum non sit majus alterô; atque ita sequeretur non plùs Christum meruisse uno opere, quantumvis excellentiori in genere moris aliò quovis inferiori opere; nec plus potuisse mereri omnibus suis operibus, quàm uno: quæ omnia sunt falsissima: Ergo &c.

11. *Roboratur iterum eadē assertio.* Probo quintò: justitia est ad alterum ex Aristotele *5. Ethic: cap: 1. 2. & 4.* sed satisfactio est actus justitiæ: Ergo est ad alterum: Ergo & Christus satisfecit alteri suis meritis, id est, Patri. Sed non satisfecit alteri quà DEUS erat; quia talis actus non esset ad alterum, sed ad seipsum: Ergo quà homo satisfecit. Satisfactio autem Christi quà hominis est quid creatum, & consequenter intrinsecè finitum: Ergo opera Christi erant intrinsecè finita.

12. *Script: & Extravag: Clementis VI. objecta reconciliantur.* Objiciunt primò Adversarij: Scriptura loquitur de Sangvine Christi, & pretio Redemptionis nostræ, tanquam de re infiniti valoris; unde dicitur Psal: 129. *apud Dominum Misericordia, & copiosa apud eum Redemptio.* Item 1. ad Cor: 6. *Empti enim estis pretio magno.* Item 1. Petri 1. *non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis; sed pretioso sangvine quasi Agni Immaculati Christi.* Confirmatur per *Extravag:* Clementis VI, *Unigenitus &c. de Pœnitentia & remissione peccatorum,* ubi dicitur; Christum suis meritis, & satisfactionibus, acquisivisse thesaurum infinitum hominibus: Ergo &c. Respondeo; ex his, & similibus locis tantùm haberi, quòd opera Christi habebant quandam infinitatem tantùm moralem, & extrinsecam; non verò intrinsecam. Itaquè vult Sac: Scriptura, & Pontifex dicere, quòd valor meritorum Christi sit tantus, ut ad omnes, & plures in futurum gignendos homines possit extendi; consvetudo enim est Scripturæ, SS: PP: & Pontificum, quòd quando volunt rem aliquam valde magnam, in se tamen finitam exprimere, eam exprimant nomine infiniti; sic dicitur Josue 22: quòd Filij Ruben, & Gad extruxerunt altare *infinitæ magnitudinis,* id est, valde magnum in quantitate molis.

13. *Quo sensu actiones meritoriæ Christi dicantur Theandricæ.* Objiciunt secundò: actiones meritoriæ Christi dicuntur à SS: Patribus signanter D. Dyonisio *Epist: 4. ad Cajet:* & S. Damasceno *lib: 3. de Fide, cap: 13. Theandrica,* id est, DEI viriles, seu actiones DEI & hominis: sed actio Theandrica procedit tam à Verbo, quàm ab homine: Ergo Verbum influit in actiones Christi: Ergo tales actiones erunt infiniti valoris intrinsecè. *Secundò*; D. Paulus dicit ad Hebr: 5. de Christo; *cum clamore valido, & lacrymis exauditus est pro sua reverentia,* id est, propter dignitatem suam: sed hæc fuit infiniti valoris: Ergo & valor operum Christi. Huic Objectioni jam suprà obviavi elidendo replicam Svarez; & hic rursus: Respondeo *ad primum:* Dist: Min: actiones Theandricæ procedunt tam à Verbo, quàm ab homine; id est procedunt à Persona, quæ est simul DEUS, & homo: Conc: Min: procedunt tam à Verbo, quàm ab homine, ita ut Verbum æquè specialiter in eas influat, ac humanitas: Neg: Min:

Min: Itaque etsi Persona sit principium *Quod* producendi illas actiones; non tamen peculiari aliquo influxu infinitante illas actiones influit. *Ad secundum*, Nego Conseq: quæ nunquam sequitur debitè ex illis præmissis sic dispositis. Deinde illa authoritas solùm vult, Christi orationes fuisse efficaces; non verò infinitas.

14. *Merita Christi nunquã possunt exhauriri.* Objiciunt tertiò: si meritum Christi esset finitum intrinsecè, posset exhauriri; sed hoc est falsum: Ergo &c. Prob: Maj: possent peccata hominum crescere in infinitum; sed satisfaciendo pro talibus exhauriretur meritum Christi finitum: Ergo &c. Probatur etiam Min: principalis; quia hoc videtur præjudicare excellentiæ Redemptoris, quòd exhauriantur ipsius satisfactiones. Respondeo Negan: Maj: ad Probationem ejus, admitto peccata posse crescere in infinitum; dico tamen, quòd tunc meritum Christi non exhaurietur: ratio est; quia meritum, & satisfactio Christi non applicatur divisibiliter, & per partes Redemptioni, uti supponit argumentum; sed applicatur indivisibiliter per modum causæ meritoriæ; ità ut totum meritum ad omnia, & singula peccata comparetur; sicut lumen Solis v. gr. ad omnes stellas illuminandas; unde si darentur successivè infinita peccata, ad omnium deletionem successivè posset applicari; sicut si successivè infinitæ stellæ ponerentur in firmamento, Sol omnes illuminaret successivè.

15. *Scotus defenditur à censura Vasquez.* Dices: Christus meruit nobis infinitam, & æternam gloriam: Ergo per meritum infinitum. Respondeo Neg: Conseq: quia quilibet Beatus suis meritis meruit sibi vitam æternam; & tamen illa merita erant finita; quòd ergo intuitu meritorum Christi accepimus æternam, & gloriam sinè fine, oritur ex gratuita DEI voluntate, acceptantis meritum finitum ad infinitum præmium conferendum; uti præclarè docet Scotus hìc; quem acriter more suo reprehendit Vasquez, quasi esset hæreticus à Tridentino damnatus; sed quia subtilem Scoti doctrinam superficiali duntaxat sua speculatione non penetravit, relegandus est priùs ad Scotistarum Scholas, ut ab eis profundiùs discat mentem tanti Doctoris: vult enim Scotus, quòd ultimatè tantùm compleatur actus meritorius per acceptationem Divinam, concurrentibus etiam alijs conditionibus; Hæretici verò docuerunt, quòd in sola acceptatione Divina totalis ratio meriti consistat. Scotum in hoc passu sequitur Bellarminus Jesuita *lib: 5. de justificatione, cap: 4.* Beda Venerabilis *cap: 5.* Valentia, Gabriel, & complures alij à Cavello citati, qui nequaquam Hæretici, damnati à Tridentino censendi sunt.

DISTINCTIO XI.

De Satisfactione; Mediatione; Redemptione; & Oratione Christi.

QUÆSTIO I.

Qualis fuerit satisfactio Christi pro Genere humano lapso?

1. *Definitur satisfactio.* OTA primò: Inter cæteras proprietates operum meritoriorum Christi; hanc quoque esse præcellentem; quòd fuerint satisfactoria pro peccatis Generis humani. Est autem ex Doctore Subtili *4 Dist: 15. q. 1. Satisfactio redditio voluntaria æqualitatis, aliàs indebiti:* quam descriptionē passim acceptant TT: ac Juristæ: Et explicatur breviter. Dicitur *Redditio*, ut satisfactio contra distingvatur à donatione gratuita. Dicitur *voluntaria*, ut excludatur à ratione satisfactionis solutio involuntaria, quæ potiùs satispassio dicitur, qualis est solutio damnatorum in Inferno. Dicitur *æqualitatis*, ut insinuetur, quòd satisfactio exigat æquivalentiam vel in entitate, vel in valore morali, & acceptatione illlus rei, quæ redditur pro debito. Additur ly *aliàs indebiti*, quia per illud

illud, quod ad Creditorem jam antea spectabat, non dicitur satisfieri Creditori secundùm justitiam rigorosam saltèm.

2. *Discrimen inter satisfactionem & restitutionem.*

NOTA secundò: Discrimen inter satisfactionem, & restitutionem; nam satisfactione recompensatur injuria, & damnum illatum honori ac dignitati: restitutione verò recompensatur res ablata. Item satisfactio est actus justitiæ vindicativæ; restitutio verò justitiæ commutativæ.

3. *Quid sit satisfactio Perfecta, & Imperfecta; & quæ Perfectæ conditiones.*

NOTA tertiò: duplicem posse considerari satisfactionem: Unam, quæ dicitur *Perfecta*, & secundùm rigorem justitiæ, per quam adæquatè, æquivalenter & condignè compensatur injuria illata; v.g. si solvas mille Aureos, quia debes mille Aureos. Alteram *Imperfectam*, quæ non est secundùm rigorem justitiæ, sed est insufficiens, acceptatur tamen ùt sufficiens à Creditore; ùt si debeas mille Aureos, & Creditor acceptet centum, quos persolvis. Ad perfectam, & de rigore justitiæ satisfactionem requiruntur sequentes conditiones. *Prima*; ut debitor satisfaciat ex proprijs bonis, & non ex bonis Creditoris. *Secunda*; ut satisfactio non fundetur in gratia collata à Creditore; hæc coincidit cum priori quasi. *Tertia*; ut Creditor non habeat dominium in illud, per quod Debitor satisfacit. *Quarta*; ut illud, per quod Debitor satisfacit, non debeatur Creditori aliô titulô, maximè justitiæ. *Quinta*; ut satisfactio sit talis, quam Debitor tenetur acceptare seclusâ omni suâ promissione. *Sexta*; ut sit à Persona, quæ offendit. *Septima*; ut sit ad alterum; quia nemo sibi ipsi propriè dicitur satisfacere.

DICO primò: Christus satisfecit ad sufficientiam, & superabundantiam pro Genere humano. Est Catholicorum, & de Fide.

4. *Christum satisfecisse ad superabundantiã patet ex Scriptura.*

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: nam *ad Titum 2.* dicitur de Christo: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ad omni iniquitate.* Item Apoc: 5. *Redemisti nos in sanguine tuo.* Et Joan: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi.* Idem habetur *ad Hebr: 9. Ad Ephes: 2. Ad Roman: 3. Psal: 68. Isaiæ 53.* qui textus indicant sufficientem, & superabundantem satisfactionem Christi pro Genere humano: Ergo &c.

5. *Oecumenicu Concilys.*

Probatur secundò authoritate Concilij Trident: *Sess: 6. cap: 1. & 16.* docentis, pœnam æternam debitam peccato mortali similiter remitti in Sacramento Pœnitentiæ ob merita Christi. Idem habet Concil: Milevit: contra Pelagium, Dioscorum: Ergo &c.

6. *Sanctis Patribus; & ratione.*

Probatur tertiò authoritate Summorum Pontificum; & SS: PP: nam Clemens VI. *Extravag: Unigenitus, de pænit: & remiss:* ait; *unam guttam sanguinis Christi propter Unionem ad Verbum sufficisse pro totius humani Generis Redemptione.* Et S. Bernardus, *Epist: 190. Fuit verò sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoq; peccatum maximum, quô factum est, ut effunderetur, deleret.*

Probatur quartò ratione: merita Christi erant summi, & moraliter infiniti valoris, uti suprà *Dist: 10. q. 6.* ostensum est: Ergo cùm illa applicuerit Christus pro curatione Generis humani, sufficienter pro eo satisfecit.

7. *Satisfactio Christi non fuit de toto rigore justitiæ.*

DICO secundò: Satisfactio Christi non fuit de toto rigore justitiæ. Est Doct: *3 Dist: 19. & 20.* Item *4. Dist: 15. q. 1.* & suorum; contra Thomistas, ac Svar: & alios RR: quibus novissimè adhæsit noster P: Frassen, & Poncius.

Probatur. Satisfactio Christi non habet omnes conditiones requisitas ad justitiam de toto rigore: Ergo &c. Probat: Ant: Satisfactio Christi fundatur in acceptatione libera Divina; item in gratia habituali formaliter; & radicaliter in gratia Unionis hypostaticæ; alijsque bonis Creditoris DEI, à quibus accepit suum valorem ac dignitatem: item omnes actiones Christi Patri æterno debebantur multis titulis gratitudinis, obedientiæ, &c. quæ omnia impediunt satisfactionem de toto rigore justitiæ: Ergo &c.

8. *Replica Svary eluditur.*

Respondet Svarez; quòd gratia, aliáque jam recensita impediant tantùm rigorosam satisfactionem, quando largiuntur à Creditore principaliter eo fine, ut per illa solvat debitum debitor; quando verò largiuntur absolutè nullâ habitâ ratione debiti exolvendi pro ea, tunc ille debitor potest ex illis satisfacere de toto rigore justitiæ. In proposito gratia Unionis, gratia habitualis, & alia dona non sunt data Christo, ut per illa satisfaciat; quia venisset Christus, tametsi Adami peccatum non esset commissum, & exolvendum. *Contra primò*; hæc Responsio est directè contra doctrinam Aristotelis *5. Ethic: cap: 6.* docentis, quòd perfecta, & rigorosa justitia sit inter personas liberas, quæ sunt

Domi-

Domini suarum actionum absoluti; & propter hoc negat Aristoteles, inter Patrem, & Filium; Dominum & Servum intercedere rigorosam justitiam; quia nec Filius, nec Servus habet aliquid, circa quod esset absolutus Dominus; cùm omnia sint Patris: sed Christus est DEI Servus, ùt suprà ostensum est; & quomodocunque considerentur ipsius dona, semper sunt ei collata ex bonis DEI: Ergo ex eis in nullo sensu potest rigorosè satisfacere. *Contra secundò*; falsum est, quòd dona collata Christo, non fuerint ei collata de facto eo fine, ut per ea satisfaceret pro debito nostro saltèm secundario, postquam nimirum Christus decretus est in carne passibili futurus.

9. *P. Frassen replicanti quoque respondetur.* Respondet secundò P. Frassen, & RR: dicentes, quòd licet ex bonis Creditoris gratiam Unionis acceperit; tamen illâ non satisfecit; quia satisfecit laboribus, & actionibus humanis, qui erant infiniti valoris ex se. Et si dicatur de ipsis; quòd tales actiones initebantur gratiæ habituali, quæ est ex bonis DEI Creditoris. Respondent, quòd illa gratia, & alia dona erant debita, & connaturalia Christo, quia erat DEUS, respectu cujus nullum donum est gratia. *Contra*; actiones omnes humanæ Christi erant finitæ, ùt suprà *Dist: 10. q. 6.* ostendi; tales autem fundantur in aliqua DEI Gratia, ut fiant sufficientes ad reddendum æqvivalens infinito debito, quale erat satisfactio pro offensa DEI infiniti: Ergo illis actionibus non satisfecit de toto rigore justitiæ. Deinde licet gratia Unionis non esset bonum Creditoris, quò formaliter satisfaceret Christus; erat tamen origo omnis valoris, & operationis meritoriæ Christi, adeòque ex illo adhuc satisfecit. Ad *illud quod addunt*, gratiam habitualem, & alia dona esse connaturalia Christo; dico hoc esse falsum; sicut enim Unio ipsa hypostatica non fuit connaturalis Christo, uti habetur ex Augustino dicente, *quòd in rebus per tempus ortis fuerit pro summa gratia collata naturæ naturali talis Unio*; ita & alia dona sequentia ad ipsam non erant connaturalia; sed ex mera gratia collata.

10. *Recentiorū objecta ex Scriptura & PP: dissolvuntur.* Objiciunt *primò* RR: Concilium Ephesinum, dicens *cap: 7. Tom: 2. Necessarium erat, ut hujusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amussim justitiæ exæquaret. Secundò*, S. Augustinum *lib: 13. de Trinit: cap: 13.* dicentem; *non autem Diabolus potentiâ DEI, sed justitiâ superandus fuit*: ex quibus authoritatibus habetur, quòd Christus satisfecerit de justitia: Ergo &c. Respondeo Dist: Consequ: quòd Christus satisfecerit de justitia rigorosa Neg: Conseq: de justitia minùs rigorosa Conc: Conseq: Itaque duplex consideratur justitia, *una rigorosa*, quæ excludit misericordiam, & gratiam Creditoris, & de hac non intelliguntur dictæ authoritates. *Altera minùs rigorosa*, quæ includit misericordiam, & gratiam Creditoris; & de hac loqvuntur allatæ authoritates; Christus enim satisfecit perfectissimè, & superabundanter, uti colligitur ex illo D. Pauli *ad Rom: 5. ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*; cum quo tamen stat, quòd non satisfecerit de toto rigore justitiæ.

Dices: dignificari debet meritum Christi & satisfactio: sed magis dignificatur dicendo, quòd satisfecerit de toto rigore justitiæ: Ergo &c. Respondeo Dist: Maj: quantùm sinè inconvenienti fieri potest Conc: Maj: si intercedat inconveniens aliquod Nego Maj: Itaque inconveniens magnum est, dicere merita Christi, & actiones ejus humanas esse infinitas intrinsecè; quia essent æqualis perfectionis eum actionibus Divinis. 11. *Esset inconveniens asserere merita Christi esse infiniti valoris.*

QUÆSTIO II.

Num pura Creatura potuerit præstare condignam satisfactionem pro peccatis alienis; & proprijs.

NOTA primò: quòd præsens quæstio procedat de absoluta DEI potentia; non verò de ordinaria; quia de ordinaria potentia, & de facto certum est apud omnes TT: quòd solus Christus DEUS, & homo simul satisfecerit de condigno pro peccatis alienis. 1. *Status quæstionis aperitur.*

NOTA secundò: quòd purus homo duobus modis possit intelligi: uno modo pro homine existente in puris naturalibus absque gratia & donis supernaturalibus: alio modo pro homine ab Adam non descendente habente gratiam habitualem & alia dona supernaturalia, exceptâ Unione hypostaticâ: quæstio procedit de puro homine in se- 2. *Purus homo duobus modis potest intelligi.*

cundo sensu. Sunt autem hic tres sententiæ: *Prima* est Thomistarum, & RR: plurium, Vasq: Lugonis &c. quæ negat purum hominem posse de condigno satisfacere pro aliorum, & suis peccatis. *Secunda* est Svarij, Crab: & aliorum plurium Neutristarum, quæ tenet hominem purum posse quidem satisfacere de condigno; sed pro peccatis tantùm alienis, si constitueretur caput aliorum; non verò pro suis. *Tertia* est Scoti, & Scotistarum è diametro opposita utrique; cum qua

3. *De potentia absoluta potest pura creatura de condigno satisfacere pro peccatis alienis.*

DICO primò: de potentia absoluta potest pura creatura rationalis in gratia plena constituta, ab Adam non descendens satisfacere de condigno pro peccatis alienis. Ita Scotus *3. Dist: 10.* Et *4. Dist: 15 qu. 1.* cum tota sua Schola.

Probatur primò ratione Scoti: potest DEUS creare hominem innocentem, non descendentem ab Adam, eique conferre plenitudinem gratiæ, ac inire cum eo pactum tale, si tu elicueris aliqua merita, ego illa acceptabo tanquàm de condigno satisfactoria pro omnibus peccatis alienis: Ergo talis creatura tunc posset de condigno satisfacere pro peccatis alienis. Ant: Prob: tùm quia in creatione talis hominis nulla est repugnantia neque ex parte DEI producentis, neque ex parte creaturæ productæ. Tum quia DEUS se solo sine ulla satisfactione ex parte causæ secūdæ potest salvare Genus humanum ut docui suprà *Dist: 1. q. 7.* Tùm denique ex S. Aug. *13 de Trin: cap: 10.* dicente *fuit quidem & alius modus redemptionis nostræ possibilis, quàm scilicet per Incarnationem; sed nullus sublevandæ miseriæ congruentior*: Ergo &c.

4. *Stabilitur præfata doctrina primò.*

Confirmatur primò: opus bonum procedens ex summa charitate in homine qui esset constitutus caput moraliter totius Generis humani cum reliquis requisitis circumstantijs ad condignam satisfactionem pro alienis peccatis, habet in se tantum valoris ad satisfaciendum, quantum habet peccatum ad offendendum; sed potest de lege absoluta DEI puro homini infundi summa charitas, eique donari titulus capitis moralis totius Generis humani, & alia requisita ad posse de condigno satisfacere tantum, quantum offendit peccatum totius Generis humani; cùm in hoc nulla sit implicantia: Ergo talis homo posset de potentia absoluta satisfacere de condigno pro peccatis omnibus aliorum hominum.

5. *Stabilitur secundò.*

Confirmatur secundò: Protoparens si in justitia accepta perstitisset, meruisset toti Generi humano justitiam Originalem; quemadmodùm demeruit transfusionem carentiæ ejus, & peccati Originalis in totam posteritatem: Ergo quævis alia creatura pura potuisset mereri pariter remissionem omnium peccatorum alienorum, à posteritate Adæ commissorum. Conseq: tenet; quia plus est mereri justitiam Originalem omnibus, quàm remissionem peccatorum alienorum: Ergo cùm potuisset primum præstare Adam; potuisset quoque secundum quævis creatura pura in gratia plena constituta.

6. *SS. PP. objecti interpretantur.*

Objiciunt primò Adversarij plures authoritates SS: PP: qui videtur dicere, quòd solus Christus potuerit sufficienter adhibere remedium Generi humano lapso: sic enim loquitur S. Cyrillus *de operibus cardinalibus Christi; cùm Originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium.* Et S. Leo *Serm: 1. de Nativit: nisi enim esset verus DEUS, non afferret remedium.* Idem sentiunt S. Cyprianus, Basilius, Anselmus, & alij citati à Vasq: Cornelio, & Svar: Ergo &c. Respondeo *primò* explicando SS: PP: & dico, quòd nil aliud velint, quàm quòd defacto ex suppositione ordinationis Divinæ, nemo poterat de condigno satisfacere pro peccatis: non autem loqvuntur in suppositione possibili, & potentiæ absolutæ, uti dicit Conclusio. Respondeo *secundò*, & dico, quòd SS: PP: loquantur de homine descendente ab Adam contrahente Originale, de quo fortè posset esse difficultas aliqua; Conclusio autem procedit de homine non descendente, nec contrahente peccatum Adæ.

7. *Alia objectio quoque enervatur.*

Objiciunt secundò: si pura creatura posset satisfacere de condigno, ad æqualitatem pro omnibus peccatis totius Generis humani, sequeretur DEUM gratis, & sinè urgente ratione fuisse Incarnatum, atque pro nobis mortuum: sed hoc est contra S. Paulum *ad Gal: 2:* Ergo &c. Prob: sequela; quia hoc eodem argumento utitur S. Paulus ibidem ad probandam infirmitatem Legis Mosaicæ pro justificandis hominibus; *si enim*, inquit, *per Legem justitia: Ergo gratis Christus mortuus est.* Respondeo hanc objectionem, quæ principale est fundamentum Adversariorum concludere tantùm defacto; non verò de possibili, & in alio Decretorum

torum Ordine: Unde in forma Neg: sequel: Maj: ad ejus Probationem dico, S. Paulum bene uti illô argumentô ad probandam infirmitatem Legis Mosaicæ de facto, nam de facto omnino gratis mortuus esset Christus pro justificatione nostra, si Lex Mosaica nos justificaret: in casu tamen possibili posset Lex Mosaica nos justificare, si DEUS sic ordinaret; quô positô Christus non moreretur pro nostra justificatione; sed fieret aliud Decretum circa nostram justificationem.

8. *Rursus alia dissolvitur.* Objicies tertiò: pura creatura esset Persona particularis, cujus meritum particulare non potest resarcire damnum generale totius Generis humani; nulla enim adesset proportio, & æqualitas: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: nam sicut peccatum Adæ ut persona particularis corrupit totum Genus naturæ humanæ; sic etiam de voluntate, & acceptione DEI posset meritum particulare resarcire damnum generale; & maximè si procederet à tali persona, quæ constituitur caput morale omnium, à qua ratione capitis sumeret meritum suam æquitatem, & proportionem.

9. *Pura creatura etiam pro peccato proprio de potentia absoluta posset de condigno satisfacere.* DICO secundò: Etiam pro peccato proprio posset de potentia absoluta pura creatura de condigno satisfacere. Ita Scotus *3. dist: 20.* & communiter Scotistæ; contra RR:

Probatur: in hujusmodi satisfactione exhibenda à pura creatura nulla est implicantia; Ergo. Prob: Ant: si esset aliqua repugnantia, maximè quòd quis non possit reddere æquale pro peccato suo; vel quia satisfaciens eo ipso esset peccator, cujus nullum opus acceptatur: sed ex neutro sequitur aliqua repugnantia: Ergo &c. Prob: Min: pro prima parte; quia malitia peccati non est infinita formaliter; aliàs unum peccatum non esset majus formaliter altero contra Scripturam S: si Ergo peccatum est finitæ tantùm malitiæ, poterit quis reddere æquivalens pro illo. Prob: Min: pro secunda parte; quia status peccatoris non impedit de potentia absoluta, quò minùs eliciat aliquos actus placentes DEO, maximè si DEUS vellet ad ipsorum exercitium concurrere, & illos acceptare tanquam satisfactorios; quia quòd de facto impediat, pendet ex tali Decretorum ordine; in casu autem Conclusionis DEUS non attenderet hunc Decretorum ordinem, sed pro libitu suo acceptaret opera etiam peccatoris tanquam placentia, & satisfactoria pro proprio peccato: Ergo &c.

10. *Replica Vasquezij rejicitur.* Respondet Vasquez: talis satisfaciens peccator ratione peccati meretur privari omni auxilio gratiæ spiritualis: sed non potest quis elicere actum placentem DEO sinè auxilio spiritualis gratiæ: Ergo &c. *Contra primò;* verum quidem est, quòd de facto non possit elici actus placens DEO tanquam satisfactorius de condigno sinè auxilio spiritualis gratiæ DEI; absolutè tamen si DEUS aliter ordinaret, posset elici; quod solùm intendit Conclusio. *Contra secundò;* saltèm adhuc manet in peccatore capacitas ad primam gratiam recipiendam; demus ergo quòd DEUS eam communicaret peccatori; tunc poterit se disponere ad justificationem, & consequenter ad merendum de condigno abolitionem suorum peccatorum juxta beneplacitum DEI.

11. *SS: PP: authoritates objecta glossantur.* Objiciunt primò RR: plures SS: PP: authoritates; specialiter S. Ambrosij *in S. Paulum ad Hebr: 9.* dicentis; *tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi Unigenitus DEI Filius moreretur.* Idem habet S. Leo *Epist: 81.* S. Chrysostomus *hom: 80:* Ergo ratione gravitatis peccati nulla pura creatura posset satisfacere pro suo personali peccato. Respondeo glossando PP. & dico ipsos intelligendos esse de lege ordinaria, & de facto juxta positam ordinationem suam; non autem de possibili, & de potentia absoluta.

12. *Lugonis fundamentum principale diruitur.* Objicies secundò fundamentum Lugonis: quamvis offensa DEI sit finita; tamen est tanta, ut mereatur pœnam infinitam secundùm durationem: sed implicat, ut pura creatura exolvat pœnam infinitam secundùm durationem: Ergo &c. Confirmatur; quia si posset pura creatura tollere pœnam infinitam, vilesceret offensa DEI; nec homines retraherentur bene à peccatis, quod videtur inconveniens: Ergo &c. Respondeo: hoc fundamentum esse modici ponderis; nam negatur absolutè Min: nos enim de facto, qui sumus puræ creaturæ, satisfacimus aliquomodo pro peccatis, & meremur beatitudinem; quæ tamen est infinita secundùm durationem: Ergo à fortiori aliqua alia creatura, cum qua DEUS specialiori modo procederet acceptando

ceptando ejus opera pro digna satisfactione. *Ad Confirmationem* dico, quòd creaturam puram posse tollere pœnam infinitam, nil juvet ad æstimandam offensam, aut retrahendos homines à peccatis: nam etiam de facto sciunt homines se posse aliquomodo satisfacere pro peccatis, per sua, & Christi merita; & tamen non retrahuntur à peccatis; insuper, vilescit ipsius offensa infinita DEI.

QUÆSTIO III.

De Universalitate Satisfactionis CHRISTI.

1. *Error de universalitate satisfactionis Christi.*

Ametsi suprà hâc *Dist: quæst: 1.* ostensum sit, satisfactionem Christi fuisse sufficientem, *imò* superabundantem pro delictis Generis humani; quia tamen Errones novissimi Calvinus, Beza & alij hæretici docent, Christum non satisfecisse, nec effudisse sanguinem pro omnibus individuis Generis humani, & signanter non reprobis; sed pro solis Electis: cui errori etiam adhæsit vir alioquin doctissimus Jansenius *lib: 3. de gratia Christi Salvatoris cap: 21.* docens de mente, ut ipse putat, S. Augustini; quòd Christus pro Infidelibus sic morientibus; item justis non perseverantibus; & universaliter pro reprobatis sanguinem suum non fuderit; idcirco horum dogma speciali hac quæstione judicavi refutandum.

2. *Christo pro singulis hominibus mortuus est, & satisfecit.*

DICO primò: Christus pro omnibus, & singulis hominibus, etiam reprobis defacto mortuus est, & satisfecit sua Passione. Ita communis Catholicorum DD:

Probatur primò authoritate Innocentij X. Summi Pontificis, qui in Bulla contra quinque Propositiones Jansenij facta, & publicata, quintam Propositionem Jansenij asserentem, *Semipelagianum esse dicere, Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnat tamquam blasphemam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam. Idem antea manifestè tradiderat Trid: *Sess: 6. cap: 3.* dicens; *verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur*: Ergo &c. Et quia tota hæc doctrina fundatur in S. Literis; ideo.

3. *Authoritates Scripturæ pro universalitate satisfactionis Christi.*

Probatur secundò authoritate S. Scripturæ: & quidem præter loca quæ *quæst: 1. hujus Dist:* adduxi, probando Christum quoad sufficientiam satisfecisse pro toto Genere humano, specialiter hic applicari potest illud ad *Hebr: 2. vidimus JESUM propter Passionem, gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ DEI pro omnibus gustaret mortem.* Item illud *1. ad Tim: 2. dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Item illud *2. ad Cor: 5. si unus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt. & pro omnibus mortuus est Christus.* Qui omnes textus generaliter loquuntur, & consequenter etiam de reprobis: Ergo Christus pro omnibus, & singulis de facto mortuus est, & satisfecit suâ Passione.

4. *SS: quoque PP: testimonia ad idem.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: unanimiter in Conclusionem conspirantium: & primò S. Ambrosius *serm: 8. in psal: 118.* dicit; *Mysticus Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus, omnibus resurrexit: ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi.* Secundò S. Hieronymus *epist: 83. ad Oceanum* ait; *mentitur Joannes Baptista, & digitô Christum, & voce demonstrans, Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Tertiò; clarissimè Conclusionem positam tenet S. Augustinus (quem aliàs Jansenius pro opinione sua allegat) *in Enarratione in psal: 95.* ubi sub finê dicit; *judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Ecce expressè fatetur S. Augustinus Christum exolvisse pretium per mortem suam pro toto mundo, & non pro solis Electis. Et propterea dicit pro defensione tanti Doctoris Ecclesiæ à calumnia, quæ ab Adversarijs ei per contrariam sententiam, imponitur, Prosper *in Præf: Respons: ad Object: Vincent:* *quòd inter ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, quæ Diabolicô continentur indiculô primò locô adscribitur falsò hæc Augustino, quòd Dominus noster JESUS Christus non pro omnium hominum salute & Redemptione sit passus.* Eandem calumniam ab Augustino repellit idem Prosper: *in Resp: 9. ad cap: Gallorum.*

5. *Et ratio Theologica.*

Probatur quartò ratione; Christus pro omnibus mortuus est, pro quibus oravit in Cruce dicens illud *Pater ignosce*

ignoſce illis: ſed oravit pro omnibus in Cruce etiam reprobis, & ſe crucifigentibus, quorum multi reprobi mortui ſunt, & damnati: Ergo pro omnibus & ſingulis mortuus eſt.

6. *Ille paſſus Script: pro multis effundetur &c. gloſſatur.*

Objiciunt primò Hæretici varios paſſus S. Scripturæ; & primò opponunt Matth: cap: 26. ubi dixit de ſuo ſanguine Chriſtus; *qui pro vobis, & multis effundetur*: Ergo non pro omnibus. Reſpondeo gloſſando Scripturam & dico, ly *pro multis* intelligi pro multis efficaciter; pro omnibus tamen effuſus eſt quantùm ad ſufficientiam, vel certè ly *pro multis*, idem eſt, quòd pro omnibus, juxta uſitatam Scripturæ phraſim.

7. *Similiter ille, animam meam pono pro ovibus meis &c. reconciliatur.*

Objiciunt ſecundò: Joann: 10. rursus proteſtatur Chriſtus; *ſe animam ſuam ponere pro ovibus ſuis*, id eſt, pro ſolis Prædeſtinatis: Ergo non pro omnibus alijs. Item ad *Epheſ: 5.* dicitur ſe tradidiſſe pro Eccleſia: Ergo non pro omnibus hominibus, & maximè non pro hircis, ſeu reprobatis, ac ijs, qui extra Eccleſiam ſunt, v. g. Gentilibus. Reſpondeo allegata Scripturæ loca non excludere cæteros omnes homines, alibi comprehenſos, ut in *Probat: 2. Conc:* patet; quos omnes Chriſtus cupit aggregari ovibus Gregis ſui, & effici Eccleſiæ ſuæ membra. Itaquè pro Eccleſia, & ovibus ſuis prælectis tradidit animam ſuam efficaciter, & cum effectu Salvationis infallibilis; non ſic autem pro reprobis. Eâdem viâ poſſunt ſolvi plures alij paſſus S. Scripturæ SS: PP: & ſpecialiter ille S. Auguſtini *epiſt: 102. non perit unus ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt*; in quo ponit vim Janſenius.

QUÆSTIO IV.

De Mediatione; Redemptione; & Oratione Chriſti.

1. *Quid ſit Mediator.*



NOTA primò per *Mediatorem* in propoſito intelligi, aliquem Pacificatorem, qui aliquas partes inimicas reconciliat; de cujus ratione eſt, ut ſit medius inter partes; & participet in aliquo de ipſiſmet partibus extremis; inſuper ut præſtet ſatisfactionem parti læſæ.

DICO primò: Chriſtus fuit reverà Mediator inter humanum Genus, & DEUM. Ita communis TT: & SS: PP:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, quæ officium Mediatoris Chriſto attribuit; ſic dicitur de eo ad *Hebr: 8. melioris Teſtamenti Mediator eſt.* Et *1. ad Tim: 2. unus enim DEUS, unus & Mediator DEI, & hominum Chriſtus JESUS.* Et rursus *ad Hebr: 9. Novi Teſtamenti Mediator eſt.* Et *ad Epheſ: 2. In Chriſto JESU vos, qui eratis, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti; ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua Legem mandatorum Decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in uno novum hominem, faciens pacem, & reconciliat ambos in uno corpore DEO per Crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo* &c. quibus verbis energeticè Apoſtolus exagerat Chriſti mediationem: Ergo &c. 2. *Chriſtus fuit Mediator inter homines & DEUM, juxta Scrip:*

Probatur ſecundò authoritate SS: PP. eandem Mediationem Chriſti præclarè aſſerentium; unde Irenæus *lib: 3. cap: 20. oportebat Mediatorem DEI, & hominum per ſuam cum utroq; propinquitatē, ambo in amicitiam, & concordiam adducere.* Et Hilarius *lib: 9. Mediator ipſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illò ipsò inter DEUM, & hominem, Mediatoris Sacramentò utrumque unus exiſtent*, &c. Et Hieronymus *hom: 16. quomodo factus eſt Mediator Chriſtus, ſermonem detulit, & attulit ea, quæ à Patre mittebantur; addidit etiam mortem; quia mori oportebat, mortuus eſt pro nobis*: Ergo Chriſtus reverà fuit Mediator inter humanum Genus, & DEUM. 3. *Sanctos Patres.*

Probatur tertiò ratione: Chriſtus habuit omnes conditiones Mediatoris, & præſtitit omnia, quæ Mediator inter homines, & DEUM debet præſtare: Ergo fuit reverà Mediator inter Genus humanum, & DEUM. Prob: Ant: nam imprimis Chriſtus fuit medius inter homines, & DEUM; quia ùt ait Rupertus *lib: 10 de Divinis Officijs cap: 6. antea inter Creatorem, & creaturam nullum fuit medium; nam quidquid erat, aut Creator erat, aut creatura: ut ergo medium inveniretur perfecta Societatis vinculum, hic introductus eſt &c. quia unus idemquè Chriſtus utrumque eſt, Creator videlicet, & creatura; Creator, quia DEUS, creatura, quia homo.* Deinde idem Chriſtus participavit de partibus inimicis, inter quas Mediatorem egit; quia habuit naturam Divinam DEI, & humanam 4. *Et rationem Theologicâ.*

nam Generis humani; unde Athanasius lib: *de Natura humana suscepta*, ait; *postquam factus est Mediator DEI, & hominum homo JESUS Christus, unitus Patri secundùm Spiritum S. nobis verò secundùm carnem, atque ita Mediatoris partibus functus inter DEUM, & hominem quia non solùm homo est; sed etiam DEUS:* Ergo habuit omnes conditiones Mediatoris.

5. *Christus præstitit omnia officia veri Mediatoris.*

Probatur etiam Ant: principale quoàd secundam partem; quòd omnia officia præstiterit veri Mediatoris: nam præstitit plenissimam satisfactionem DEO, tanquam parti læsæ; quia ut suprà *ex qu: 1. hujus Dist:* ostendi, Christus satisfecit ad sufficientiam, & superabundantiam pro Genere humano, quod offenderat DEUM suis peccatis. Deinde reconciliavit nos plenè DEO; unde Apostolus *2. ad Cor: 5. omnia ex DEO, qui nos reconciliavit sibi per Christum.* Pacificavit nos eum eodem DEO juxta illud *ad Ephes: 2. ipse est Pax nostra, qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua legem mandatorum evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem:* &c. Et *ad Coloss: 1. placuit - - - per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis* &c. Ergo Christus præstitit omnia officia veri Mediatoris.

6. *Spiritus S. exercet officium Consolatoris.*

Objicies: Spiritus S. exercuit officium Mediatoris, missus in terras: Ergo solus Christus non fuit Mediator. Respondeo Neg: Ant: quia Spiritus S. potiùs exercuit, & exercet officium Consolatoris.

7. *Angeli & SS. sunt intercessores nostri ad DEUM.*

DICES: Ergo saltem Angeli Sancti, & BB. Patroni sunt Mediatores nostri apud DEUM. Respondeo SS: Angelos & BB: non esse cum omni proprietate Mediatores: sed potius Intercessores, & Sollicitatores nostros apud Christum, & DEUM Patrem.

8. *Homines post perpetratum peccatum sunt redacti sub potestatem Diaboli & captivitatem peccati, ac mortis.*

NOTA secundò: Genus humanum post commissum peccatum Adæ fuisse redactum sub potestatem Diaboli, captivitatem peccati & mortis; uti tenet communis SS: PP: sententia; & patet ex illo D. Pauli *2. ad Tim: 2. ne quando det DEUS illis pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* De hac captivitate, & potestate loquitur quoque Gregorius Nazianzenus *Orat: 24. Nos enim à Diabolo detinebamur, utpote, qui venumdati eramus sub peccato.* Consistit autem hæc potestas Diaboli in Genus humanum in hoc, quòd is non tantùm existentes in peccato habeat jus post mortem perpetuò detinendi in carcere pœnali Inferni; sed etiam quòd vivos peccatores, gratiâ sanctificante spoliatos in peccatis detineat, varijsque tentationibus, maximè carnis exagitet, quibus certò succumbunt, & operantur opera carnis, nisi gratia Christi præveniantur: & de hoc secundo Diabolicæ potestatis genere procedit illud D. Augustini *lib. 13 de Trin. cap. 12. Apostolus autem apertiùs hoc prædicat ad Ephes. 2. & vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulâstis secundùm sæculum hujusmodi, secundùm Principem potestatis aëris hujus Spiritûs, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desiderijs carnis nostræ facientes voluntatem carnis, & affectionem, & eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri;* Et paucis interjectis; *quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aëris, qui operatur in filijs diffidentiæ.* Captivitas porrò peccati consistit in detentione privationis omnis gratiæ, & in continuatione iræ Divinæ adversus peccatores, ac in affectu habituali vel actuali ad peccatum. Captivitas mortis autem consistit in detentione destinationis ad Infernum ob peccatum.

9. *Christus fuit verus Redemptor generis humani, ubi liquet ex Script.*

DICO secundò: Christus fuit verus Redemptor suâ morte propriè redimens Genus humanum à potestate, & captivitate Diaboli, Peccati ac Mortis. Ita Catholici omnes; contra Bassum vetustum hæreticum, Abailardum, Socinum, alosquè Errones subtrahêtes ab operibus Christi rationem primæ Redemptionis Generis humani.

Probatur primò omnibus authoritatibus S. Scripturæ, suprà hâc *Dist. q. 2. & 3.* relatis, pro adstruenda satisfactione Christi sufficienti & superabundanti, nec non universalitate satisfactoris ejusdem. Deinde addo sequentes, quibus etiam utitur D. Bernardus contra Abailardum hæreticum; nam *1. ad Tim: 2.* dicitur; *unus est enim DEUS, unus DEI, & hominum Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et *ad Hebr. 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum - - - per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ:* qui omnes passus Christo attribuunt munus Redemptoris veri, & propriè dicti respectu Generis humani: Ergo &c.

Probatur

10. *Concilio Tridentino & Innocentio II.* Probatur secundò authoritate Conc: Trident: *Sess: 6. cap: 2.* definientis, adventum Christi fuisse in redemptionem Generis humani, scilicet à servitute peccati, & Diaboli, de qua discurrit *cap: 1. ejusdem Sessionis.* Et authoritate Innocentij II. qui *epist: ad Episcopos Senonenses, & Rhemenses*, damnantes in Synodo Senonensi errores Petri Abailardi, oppositum Conclusioni senriētis; quorum damnationem approbat subsequenti tenore; *Nos qui B. Petri Cathedrâ, cui à Domino est dictum, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licèt indigni residere conspicimur, communicatô Fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium Conciliô, destinata vobis à vestra discretione capitula, & universa ipsius Petri perversa dogmata SS: Canonum authoritate cum suo Authore damnavimus, eiquè tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus:* Ergo &c.

11. *Ac authoritate SS: PP:* Probatur tertiò authoritate Sanctorum PP: conclusionem asserentium; sic facit D. Bernardus *epist: 190. contra Abailardum.* Et D. Basilius *homil: in Psal: 49.* Et D. Anselmus *lib: 2. cur DEUS homo, cap: 19.* Et D. Augustinus *serm: 114. de temp:* ubi ait; *hodie Dominus noster in statera Crucis pretium nostræ salutis appendit, & unâ morte universum mundum, sicut omnium Conditor, ita & omnium Reparator absolvit:* si ut reparator universum mundum absolvit; Ergo eundem captivum redemit; absolvere enim est à captivitate liberare: Ergo &c.

12. *Quadam objectiones proferuntur.* Objicies *primò:* ly *redimere* in sacris litteris semper usurparur tantùm metaphoricè, nempe pro liberare sine solutione veri pretij, ùt patet Exod: 15. Et Deut: 7. Et *2. Reg: 7.* ubi DEUS dicitur redemisse Israëlem ex servitute Ægyptiorum, id est, liberâsse absque solutione ullius pretij: Ergo Christus non fuit verus, sed tantùm Metaphoricus Redemptor. *Secundò:* D. Stephanus Actor: 7. vocat Moysen Redemptorem: sed Moyses non redemit præbendo pretium: Ergo nec Christus, & consequenter fuit tantùm metaphoricus Redemptor. *Tertiò:* In vera Redemptione pretium persolutum pro captivo percipit is, qui captivum detinet; sed Diabolus detinens captivos homines nullum pretium accipit à Christo; sed DEUS: Ergo Christus non præstitit veram Redemptionem.

13. *Quibus respondetur.* Respondeo *ad Primum;* Neg: Ant: nam extant plures passus Scripturæ scilicet illi suprà *Conclus: 2.* relati, in quibus ly *redimere* capitur verè & realiter scilicet pro liberatione à captivitate, cum solutione pretij, quam præstitit Christus. *Ad Secundum* Nego paritatem; disparitas est; quia Moyses fuit tantùm particularis Redemptor à Tyrannide Pharaonica, ad quod exequendum opùs erat duntaxat authoritate, & potestate Divinâ: sed Christus fuit Redemptor Mundi ab ira *ad Roman: 5. & 9.* & à potestate tenebrarum, Diaboli & Mortis *ad Colossen: 1.* & *ad Hebr: 2.* idquè per sanguinem suum, dicente Apostolo; *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus:* adeoquè in Redemptione Christi debebat intervenire solutio pretij. *Ad Tertium* Dist: Maj: in vera Redemptione pretium accipit is, qui captivum detinet principaliter authoritativè: Conc: Maj: qui captivum detinet minùs principaliter & tantùm ex delegatione seu commissione Neg: Maj: Itaque DEUS est principalis detinens peccatores captivos, quatenus eos sua authoritate, & verè detrusit ad carceres damnationis; unde ei meritò à Christo persolvi debuit pretium Redemptionis; Diabolus aurem solùm ex ordinatione, & commissione Divina, unde se habet tantùm ut Lictor, & Apparitor Judicis DEI, ac Tortor, uti patet ex illa parabola Regis irati, tradentis Tortori Servum nequam Matth: 18.

Circa tertium articulum quæstionis NOTA tertiò: Non convenire Christo orare secundùm naruram Divinam; secundùm hanc enim est is, ad quem fit oratio; sed solùm convenit ei orare secundùm humanam; quia oratio est actus Religionis, quô quis cognoscit Superiorem; Christus autem secundùm naturam humanam duntaxat habuit Superiorem. 14. *Christo convenit orare solùm secùndùm naturam humanam.*

NOTA quartò: Orationem posse dupliciter fieri: Expresè, & Interpretativè. *Expressè* fit, quando formaliter, & directè mente, vel voce petitur aliquid ab altero. *Interpretativè*, quando orans non postulat aliquid expresè de novo; sed proponit alteri sua merita antiqua, quæ quasi virtualiter vim impetratoriam habent. jam 15. *Quid sit oratio expressa, & interpretativa*

DICO tertiò: Christus existens in via oravit expresè pro se, & nobis; imò & nunc in cœlis non cessat pro nobis ad Patrem interpellare. Est communis Catholicorum.

Proba-

16. *Christus in via expressè oravit.* Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; ad Hebræos 5. dicitur de Christo; *qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesq; ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et Matth: 14.3. ascendit in montem solus orare. Et Lucæ 6. dicitur; *exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione:* Ex quibus patet Christum tam pro se, quàm pro nobis orasse: pro se quidem, non expellendo malum culpæ, quod non habuit; nec ad obtinendam gratiam, vel gloriam essentialem; sed ad expellendum malum pœnæ, quod refugiebat sensualitas; & ad obtinendam corporis sui immortalitatem, ac Nominis exaltationem. Pro nobis ad expellenda à nobis omnia mala culpæ, & pœnæ; quibus eramus obnoxij: Et ad obtinenda gratiæ & gloriæ dona, quibus fuimus spoliati.

Probatur secundò ratione: orare pro se, & nobis non dedecet Christum viatorem; imò ejus opera recommendat: Ergo in via existens pro se, & nobis oravit.

17. *Imò & nunc in cœlis pro nobis Patrē interpellat.* Probatur secunda pars primò authoritate S. Scripturæ, *ad Hebr: 9. non enim in manufacta sancta JESUS introivit exemplaria veterum; sed in ipsum Cœlum, ut appareat nunc vultui DEI pro nobis.* Et *1. Joannis 2. Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum justum.* Et *ad Hebr: 7. Ad DEUM semper vivens & interpellans pro nobis*, deinde legimus Christum frequenter promisisse Apostolis post suam Ascensionem, se rogaturum Patrem, ut Spiritum S. mittat ipsis: Ergo Christus de facto non cessat in cœlo pro nobis ad Patrem interpellare.

Probatur secundò authoritate SS. PP: nam S. Ambrosius *super Epist: ad Roman: super cap: 8.* dicit; *Christum semper agere causas nostras apud Patrem, cujus postulatio contemni non potest, quia in Dextera DEI est.* Et S. Aug: *super Psal: 85. oratus*, inquit, *in forma DEI, orat in forma Servi, orat pro nobis, orat in nobis & oratur à nobis; ut Sacerdos orat etiam pro nobis; orat in nobis ut Caput nostrum; & oratur à nobis ut DEUS noster; oramus ad illum per illum, & in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum:* Ergo &c.

Probatur tertiò ratione; quia non repugnat, nec derogat excellentiæ aut meritis Christi, imò commendat ejus charitatem, interpellare etiam de facto pro nobis in cœlis: Ergo talis interpellatio, & oratio est concedenda Christo.

Objicies: si Christus pro nobis in cœlis oraret: Ergo possemus rogare Christum, ut pro nobis oret: sed hoc est hæreticum; quia non rogamus Christum ut pro nobis oret, sed ut nos exaudiat: Ergo &c. Respondeo, quòd adhitità distinctione naturarum in Christo possimus ipsum rogare, ut pro nobis oret: de facto tamen non debemus; sed rogare potius ut nos exaudiat, & misereatur; tum ob consvetudinem Ecclesiæ, quæ ita orat; tum ad evitandum errorem Arij, qui Christi Divinitatem negat; tum denique, quia Oratio facta ad Christum, simpliciter dirigitur ad ejus suppositum, quòd debet magis orari, quàm orare. 18. *Quædam objectio eluditur.*

DISTINCTIO XII.

De Potestate Judiciaria; Dignitate Regia; Pontificali, & Sacerdotali Christi.

QUÆSTIO I.

De Judiciaria Potestate; & Regia dignitate Christi.

1. *Christo pollet potestate, & dignitate judiciaria.* ICO primò: Christus pollet verâ, & perfectâ Potestate, atque dignitate judiciariâ. Ita Cathol: omnes.

Probatur primò authoritate Sacr. Scripturæ; hanc potestatem, & dignitatem Christo attribuentis in utroque Testamento; in veteri quidem *Psal: 97. judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.* Item habetur *Psal: 71.* In Novo etiam; nam Joan: 5. dicitur; *neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.* Unde idem Filius

Filius. Act: 10. appellatur, *constitutus à DEO Judex vivorum & mortuorum.* Et ipsemet Christus pompam, apparatum, & formam ultimi judicij à se exercendam declarat Math: 25. & Lucæ 13. Ergo Christus pollet potestate, & judiciariâ dignitate.

2. *Idem docent SS: PP:* Probatur secundò authoritate SS: PP: Conclusionem affirmantium; ùt videre est apud D. Cyrillum *lib: 2. in Joann: cap: 7.* Et S. Bonaventuram *4. Dist: 48. art: 1. qu: 1.* Et D. Augustinum *lib: 1. de Trinit: cap: 13.* dicentem: *Filius DEI judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua DEUS est, aequalis Patri.* Vide etiam Clementem Alexandrinum *1. Pedag: cap: 2.* Ergo &c.

3. *Re ostendit ratio Theologica.* Probatur tertiò ratione; omnes notæ ad veram, & perfectam Judiciariam potestatem, ac Dignitatem requisitæ reperiuntur in Christo: Ergo ipse pollet Potestate, & Dignitate Judiciaria. Prob: Ant: Notæ insigniores arguentes in aliquo veram, & perfectam judiciariam Dignitatem, atque Potestatem sunt morum probitas, mentis integritas, animi fortitudo, & notitia rei judicandæ; sed hæ notæ reperiuntur in Christo: Ergo &c. Probatur Min: quia Christus est non tantùm probus, sed probissimus, ac sanctissimus, uti patet ex illo, *qui peccatum non fecit.* Est summâ mentis integritate omnem animi perturbationem excludente præditus; unde de eo Clemens Alexandrinus *1. Pedag: cap: 2. solus DEI Filius Judex est, quod neq; peccare possit, & ab humanis animi perturbationibus penitus est liber.* Est præterea mirâ animi fortitudine omnis formidinis & corruptelæ experte dotatus: nam vaticinatur de ipso Isaias *cap: 42. Dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet; non clamabit, neque accipiet personam.* Et *cap: 11. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neq; secundùm auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in aequitate pro mansuetis terræ.* Habet tandem Christus plenissimam notitiam rei judicandæ; quia ejus intellectus collustratus est omni specie scientiæ, beatæ scilicet, infusæ, & experimentalis, ùt suprà *Dist: 9. qu. 1. & 5.* Unde rectè D. Ambrosius *lib: de interpellat: cap: 2. qui se existimat ab eo, qui omnia videt, non videri, & tenebris credit commissa sua posse celari, umbram prætendit: sed frustra latere se credit, cùm oculus Domini lucidior Sole omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & inimi cordis penetret conscientiam.* Ergo in Christo reperiuntur omnes notæ veri, & perfecti judicis, arguentes veram perfectamque judiciariam potestatem atque dignitatem.

DICO secundò: Potestas & Dignitas judiciaria convenit Christo principaliter secundùm naturam Divinam, & minùs principaliter secundùm naturam humanam. Ita Scotus *4. Dist: 48. qu: 1 num: 7.* & Scotistæ.

4. *Potestas judiciaria cõvenit christo principaliter secundùm naturam Divinam.* Probatur prima pars primò authoritate D. Augustini *lib: 1. de Trin: cap: 13* dicentis; *dicimus, quia secundùm id quòd DEUS est, judicat; hoc est, ex potestate Divinâ, non humana; & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est &c. quapropter Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate* (intellige principaliter) *sed ex ea, quâ Filius DEI est:* Ergo Potestas, & Dignitas judiciaria principaliter convenit Christo secundùm naturam Divinam.

5. *Et minùs principaliter secundùm humanam.* Probatur secunda pars; quia de hac minus principali judiciaria Potestate secundùm naturam humanam Christo conveniente intelliguntur suprà allata pro *Conclus: 1.* testimonia Sacr. Scripturæ, ùt docet Scotus *cit:* Ergo &c. Consistit autem principalis authoritas, & potestas judicativa Christi in hoc, quòd Christus quà DEUS sit author naturæ humanæ judicandæ cum supremo dominio super eandem, inabdicabili à se, glorificator ejusdem, vel reprobator, quæ prædicata soli DEO convenire possunt: & in hoc sensu procedunt omnes illæ Scripturæ, quæ asserunt Christum non judicare, sed DEUM, vel Patrem; ùt Joann: 12. *Ego non judico eum; non enim veni, ut judicem mundum.* Et Joann: 8. *Ego non judico quenquam.* Minus principalis Potestas judicativa Christi consistit in eo, quod ipse quà homo, acceperit à Patre authoritatem in forma spectabili, & judiciario apparatu, sedendo scilicet in Tribunali, causam singulorum horum cognoscendo, reos citando &c. sententiam judiciariam proferendo in universali judicio, de quo est Sermo Matthæi 25. & Lucæ 13.

QUÆSTIO II.

De Dignitate Regia Christi.

NOTA

1. *Quid sit Regia Dignitas.*



NOTA primò: per Regiam Dignitatem intelligi illam eminentiam, quâ aliquis supremus Princeps coronatus habet jus summum in aliquam Gentem, cum potestate legislativa in ea, quæ ad gubernationem, administrationem, pacem, & tranquillitatem spectant.

2. *Christus gaudebat Regiâ Dignitate.*

DICO primò: Christus omnino insignitus fuit Regiâ dignitate. Ita Catholica Fides.

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ; quæ passim Christo attribuit Regiam Dignitatem: sic dicitur Zach: 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus.* Et Lucæ 1. *Regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* Ergo &c.

Prob: secundò SS:PP: authoritate, Conclusioně uno ore profitentium; unde Clemens Alexandrinus *lib: 1. Stromat: Rex & à pueris imperitis, & à Judæis pronuntiatus incredulis, & ignaris, & ab ipsis Prophetis prædicatus ostenditur:* Ergo &c. Sed hic oritur quæstio, qualem Dignitatem Regiam habuerit, an temporalem, id est cum jure temporali in aliquod regnum mundi; an verò spiritualem, quæ est cum jurisdictione quadam in Ecclesiam Militantem in terris, cum potestate ordinandi in ea Superiores ac media salutis præscribendi, & Triumphantem in cœlis.

3. *Quædam opinio Authorum de Dignitate Regia Christi.*

NOTA secundò: hic fuisse opinionem peculiarem Armacani *lib: 4. de qq: Armen:* Et Abulensis *in cap: 21. Matth:* docentium; Christum habuisse jus temporale in Regnum Judæorum ratione successionis hæreditariæ ex parte Matris. Similiter Antoninus, Almainus, & alij docuerunt; Christum ratione Unionis hypostaticæ habuisse jus universale in totum mundum, quamvis eò uti noluerit. Contra quos omnes

4. *Christus nec fuit Rex temporalis totius Mundi, nec Judæorum.*

DICO primò: Christus nec habuit jus particulare temporale, quà Rex temporalis in Regnum Judæorum; nec universale in totum mundum. Ita communis TT:

Probatur primò authoritate Sac: Scripturæ: in qua summa paupertas Christi deprædicatur, quæ utique cum formali jure in Regnum Judæorum vel Mundum universum non subsisteret cum veritate; sic dicitur Matth: 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi Caput reclinet.* Item Joan: 18. dicit ipse Christus; *Regnum meum non est de hoc mundo:* Unde cantat Sedulius in hymno Ecclesiæ; *Crudelis Herodes DEUM, Regem venire quid times? non eripit mortalia, qui Regna dat cœlestia:* Ergo Christus non habuit jus ad Regnum Judæorum, vel Mundum universum.

5. *Specialis ratio probans Christum nõ fuisse Regem Judæorum temporalem.*

Probatur secundò specialiter de Regno Judæorum: nullus potest ostendi titulus legitimus sive donationis, sive electionis, sive successionis, qui fundaret aliquod jus in Christo ad possidendum Regnum Judæorum: Ergo &c. Prob: Ant: non titulus donationis, aut electionis; quia nusquam in Scriptura legitur Christum fuisse electum actu in Regem; imò quando ipsum eligere cogitabant, *fugit in montem ipse solus,* Joan: 6. Nec titulus successionis hæreditariæ; quia non constat Beatam Virginem descendisse ex stirpe David per Salomonem; multi enim cum Vasqu: sustinent, eam à David descendisse per Nathan. Et datô, quòd per Salomonem descendisset; non scitur adhuc ipsam fuisse primogenitam stirpis Regiæ; vel non adesse Masculum Regium, ad quem potiori jure deberet devolvi Regnum David. Præterea etiam suppositô, quòd fuisset Primogenita, & sola; tamen linea Salomonis quo ad jus Regium jam erat dudum intercisa; adeò ut Propheta Jeremias *cap: 22.* dicat; post Jechoniam non fuisse virum de Semine ejus, qui sederet super solium David; hinc est quòd Populus Israël post captivitatem Babylonicam gubernatus fuerit per Duces, qui ferè erant omnes de genere Sacerdotali: Ergo &c.

6. *Varia Scriptura asserentes Christum Regem, glossantur de Regno spirituali ejusdem.*

Objicies: Isaiæ 9. dicitur de Christo, quòd super solium David, & super Regnum ejus sedebit: Ergo &c. Et Mich: 5. *Ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israël.* Similia habentur Jerem: 13. & Luc: 1. & Joan: 2. Ergo Christus fuit Rex temporalis Regni Judæorum. Similiter Apoc: 1. vocatur *Rex Regum,* & consequẽter Rex totius Mundi. Præterea plures SS: Patres, docent Christum fuisse Regem in Judæa Jure hæreditario successionis; sic habet Athanasius *Serm: de DEIpara.* Et Hilarius *in Psalm: 2.* Ergo &c. Respondeo hæc, & similia loca Scripturæ, ac PP: intelligi debere de Regno spirituali Christi; non de temporali: & quidem citati PP: ipsimet se explicant sic; ut videre est apud Hilarium &c.

DICO

7\. *Christus fuit Rex spiritualis totius Mundi, uti constat ex Script:*

DICO tertiò: Christus fuit Rex spiritualis actualis habens jus supremum super omnia Regna Mundi. Ita communis TT:

Probatur primò authoritate Scripturarum relatarum pro *Conclus: 2.* quibus adde illud *Psalmi 2.* vaticinantis de Christo; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*; ubi sermo est de Regno spirituali tantùm; nam infrà exprimitur spiritualium Vasallorum hujus Regni obligatio spiritualis, dum dicitur; *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Et *Joan: 18. Regnum meum non est ex hoc mundo*: Ergo &c.

8\. *Ex SS: PP: & ratione.*

Probatur secundò authoritate SS: PP: Regnum spirituale in Christo affirmantium: signanter D. Augustini in *Psal: 149.* ubi probat Christum ideo esse Regem, quia est Sacerdos; & consequenter tenet eum esse Regem spiritualem; Sacerdotum enim est in spiritualibus duntaxat regere propriè: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: Christus defacto condidit solas leges spirituales, concernentes universum mundum; unde ab Isaia *33. cap:* vocatur, *Dominus Rex noster, Legifer noster.* Et Joan: 13. constituit legem universalem, dum ait; *Mandatum novum do vobis* Et hoc etiam collimat illud Math: *ult: Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra*: Ergo &c.

QUÆSTIO III.

De Pontificatu & Sacerdotio Christi.

DICO primò: Christus fuit verus Pontifex, verúsque Sacerdos. Ita Catholici omnes; contra Nestorium, & alios Hæreticos.

1\. *Christus fuit verus Pontifex.*

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; nam ad *Hebr: 5.* Christus conceptis terminis vocatur Pontifex; *appellatus à DEO Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Et rursus ad *Hebr: 9. Pontifex futurorum bonorum*: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS: PP; Pontificatum Christo attribuentium: unde D. Epiphanius *hæres: 55.* de Christo loquens, ait; *ipse Rex, ipse Pontifex &c.* Et D. Leo *epist: 83. cap: 4. quòd unquam Sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex* (scilicet Christus) *altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit?* Ergo &c.

2\. *Ratione docetur Pontificatus Christi.*

Probatur tertiò ratione: Christo convenit definitio veri Pontificis tradita ab Apostolo *ad Hebr: 5.* in hunc modum, *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*: Ergo Christus fuit verus Pontifex. Prob: Ant: Christus inprimis fuit *ex hominibus assumptus*; quia fuit verus homo: fuit à Patre æterno constitutus ad offerendum dona, & sacrificia, juxta illud *Psal: 109. Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: obtulit actu dona, & sacrificium pro peccatis; quia in ultima cœna obtulit Sacrificium incruentum sui Corporis, & Sangvinis; in Ara Crucis vero cruentum, uti luculenter explicat S. Synodus Tridentina *Sess: 22. cap: 1.* Ergo Christo convenit definitio veri Pontificis.

3\. *Christus quoque fuit Sacerdos verus.*

Probatur secunda pars: in primis iisdem argumentis, quibus mox ostensum est Christum fuisse Pontificem; nam omnis Pontifex verus simul est Sacerdos verus; cum utriusque munus sit sacrificare pro delictis populi ad DEUM. Secundò: patet hæc dignitas Sacerdotalis Christi ex specialibus Scripturis; nam *ad Hebr: 7.* dicitur de Christo; *hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Unde *cap: 12.* describitur efficacia sacrificij hujus Sacerdotis; *omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias*, intellige legales Taurorum, & vitulorum; *quæ nunquam possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera DEI de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus; unâ enim oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos.* Huc etiam facit ille textus suprà relatus ex *Psalmo 109. Tu es Sacerdos in æternum*: Ergo &c.

4\. *Concilia pro Sacerdotio Christi.*

Probatur secundò authoritate Conciliorum, verum Sacerdotium in Christo profitentium; ut videre est in Concilio Ephesino *Can: 10.* Et in *Tridentino Sess: 22. cap: 1.* dicente; *is igitur DEUS, & Dominus noster, etsi semel seipsum in Ara Crucis morte intercedente DEO Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium*

dotium ejus extinguendum non erat &c. - - - Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarant Corpus & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & vini DEO Patri obtulit : Ergo Chtistus fuit verus Sacerdos.

5. *Et testimonia PP: ad idem.* Probatur tertiò authoritate SS: PP: passim in litterarijs suis monumentis Christum Sacerdotem asserentium ; sic dicit D. Augustinus *in Psalm: 132. quis est Sacerdos, nisi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? quis est Sacerdos? nisi qui fuit victima, & Sacerdos, quod soli Christo convenit.* Et D. Fulgentius *lib: 1. ad Trasi: cap: 2. unus igitur idémque Mediator DEI, & hominum, homo Christus JESUS, ipse Pastor, & ovis; ipse Sponsus, & Sponsa; ipse Sacerdos, & victima.* Et S. Epiphanius *hæres: 55. ipse* (Christus scilicet) *Sacerdos, ipse altare, ipse DEUS, ipse homo, &c.* Ergo &c.

6. *Pontificatus & Sacerdotium conveniunt Christo secundùm naturam humanam.* DICO secundò : Pontificatus, & Sacerdotium conveniunt Christo secundùm naturam humanam duntaxat. Ita communis TT:

Probatur : tum authoritate Sacræ Scripturæ asserentis Pontificem verum debere assumi ex hominibus ad *Hebr: 5.* Tum authoritate SS:PP: Conclusionem tenentium ; unde Augustinus *in Psalm: 109. secundùm id, quod natus est de Patre DEUS apud DEUM coæternus gignenti non Sacerdos ; sed Sacerdos propter carnem assumptam, &c.* Tum tandem ratione ; quia Pontificatus actualis, & Sacerdotium involvunt actum Religionis, protestantem supremam excellentiam, & Dominium DEI, ad quem fit actus Pontificationis, & Sacrificij Sacerdotalis ; & præterea summissionem atque supplicationem sacrificantis ad DEUM ; quæ omnia Christo secundùm naturam humanam duntaxat convenire possunt: Ergo secundùm hanc naturam duntaxat Pontificatus, & Sacerdotium Christo conveniunt.

DISTINCTIO XIII.

De Potentia patrativa miraculorum ; impeccabilitate ; Passionibus ; & defectibus CHRISTI.

QUÆSTIO I.

An potentia patrandi Miracula in Christo fuerit Physica, vel Moralis?



1. *Christus patravit vera miracula.* NOTA primò cum communi TT: Christum per humanitatem suam sacratam complura vera patrâsse Miracula ; uti liquet ex tota hystoria Evangelica ; unde de ijs ait ipsemet Christus Joann: 14. *alioquin propter opera ipsa credite.* Immeritò proinde calumniantur Judæi, clamantes illa miracula non fuisse à Christo, sed à Diabolo facta, quos ipsemet Christus refutat Matth: 12. inquiens: *Omne Regnum in se divisum desolabitur : &c.*

2. *Quid intelligatur per potentiam physicam.* NOTA secundò : per *potentiam physicam patrativam Miraculorum* intelligi illam, quæ reali influxu attingit effectum miraculosum v. g. sanationem subitaneam oculorum cœci nati, idque vel principaliter, sicut calor producit calorem ; vel instrumentaliter, sicut calor producit formam ignis. Per *potentiam moralem miraculorum* intelligitur illa, quæ sic non attingit effectum miraculosum ; sed est tantùm causa, ut alia potentia physica influat, rogando scilicet, intercedendo, aliovè simili modo impetrando ab alio, ut patret opus miraculosum. *Et quid per moralem?*

3. *Quid sit miraculum?* NOTA tertiò : per miraculum hic intelligi *opus insolitum, prodigiosum, & vires naturales agentium naturalium quoad substantiam, vel saltem quoad modum excedens :* primi generis est, repentina conversio aquæ in vinum facta à Christo in Cana Galilææ : subita multiplicatio paucorum panum hordeaceorum pro saturandis pluribus millibus hominum: suscitatio mortui &c. quæ opera quoad substantiam excedunt facultates cujuscunque agentis naturalis. Secundi generis esset momentanea curatio alicujus hydropici, paralytici, fluxum sanguinis

guinis patientis; quæ opera etsi simpliciter arte medicâ fieri possint ab agente naturali; sub eo tamen modo, quo à Christo operata sunt, id est, in momento, absque applicatione ullius medicamenti excedunt vires naturales cujuscunque agentis.

4\. *Potentia patrativa miraculorum Christi fuit moralis duntaxat.*

DICO primò: Potentia patrativa Miraculorum in Christo non fuit physica; sed moralis; quare omnia miracula solùm impetratoriè procedebant ab humanitate Christi. Ita deducitur ex Scoto *4. Dist: 2. qu. 1.* Et *Dist: 1. qu. 5.* ubi docet Sacramenta novæ Legis à solo DEO habere suam efficaciam physicam; à Christo autem ùt causâ morali meritoria; & idem dicendum est à pari de operibus miraculosis. Doctorem sequuntur Discipuli omnes, exceptô Vulpe; consentit quoque Alensis, D. Bonaventura; & ex RR: Vasq: Lugo, Amicus, Arriaga &c. contra Thomistas, & ex RR: contra Svar: Tanner: & P. nostrum Vulpem.

Probatur primò: In Sacramentis Novæ Legis non est vis Physica causativa Gratiæ Sacramentalis; uti latè ostendo, tum authoritate S. Scripturæ; tum authoritate Conciliorum; tum SS: PP: & pluribus rationibus *Tomo 3. Tract: de Sacrament: Dist: 1. q. 7.* Ergo neque in humanitate Christi potentia patrativa Miraculorum est physica. Conseq: tenet à paritate; quia miraculum non minus est opus excedens causalitatem, & vim physicam causæ creatæ patrantis illud; quàm gratia Sacramentalis: Ergo si gratia Sacramentalis non potest à vi physica Sacramentorum Novæ Legis attingi; neque miraculum à potentia physica humanitatis Christi poterit physicè attingi; sed moraliter duntaxat, sicut attingitur gratia Sacramentalis à Sacramentis.

5\. *Authoritates SS: PP: pro eadem assert.*

Probatur secundò authoritate SS: PP: refundentium miracula in Divinitatem Christi, tanquam in solam causam physicam effectricem: unde D. Athanasius *libro 4. contra Arianos* ait; *humano quidem more manum extendebat; Divinitas autem morbum compescebat: & in Cæco à nativitate humanum à carne emittebat sputum; Divinitas autem oculos aperiebat; in Lazaro vocem ùt homo edebat; Divinitas autem ùt DEUS eum à mortuis resuscitabat.* Et S. Damascenus *lib: 3. de Fide* dicit; *humanitatis erat, quòd tenuerit Puellam manu, & erexit; Divinitatis autem vivificatio.* Lege etiam Leonem Pontificem *Epist: 10. cap: 4.* D. Augustinum *Tract: 8. in Joannem &c.* Ergo potentia patrativa Miraculorum in Christo non fuit physica, sed moralis duntaxat, ita ut omnia ejus miracula ab humanitate processerint impetratoriè.

Probatur tertiò ratione: Christus complura patravit miracula absque ullo interventu actionis physicæ, influxûque physico humanitatis Christi in ea; uti patet in curatione Servi Centurionis, Filij Reguli, &c. quibus impertijt sanitatem longè ablens ab eis: Ergo potentia patrativa Miraculorum Christi non est physica. Consequ: tenet; quia potentia physica physico influxu, & præsentiali applicatione attingit suum effectum. 6. *Ratio Theologica militat ad idem.*

Probatur quartò destruendo fundamenta principalia Adversariorum; quibus conantur persvadere potentiam patrativam miraculorum fuisse physicam cum vero influxu reali; quorum *primum est* Thomistarum: quòd nimirum spectet ad majorem & specialem Christi dignitatem potentia Physica faciendi miracula; non verò moralis. 7. *Etiam potentia moralis patrandi miracula confert ad specialem dignitatem Christi.* *Contra*; Illud non facit ad majorem, & specialem dignitatem Christi, quod communicari potest omnibus creaturis, & de facto aliquando communicatum est: sed potentia Physica patrativa miraculorum potest communicari, imò de facto actu communicata est pluribus, puta seni & sterili fœminæ potentia ad parturiendum, Matri videlicet Joannis Baptistæ; & etiam creaturis irrationalibus; unde Augustinus *lib: in Gen: ad litt: cap: 17. & 18.* ait: Deum interdum usum fuisse insensibilibus, & irrationalibus creaturis ad miracula Physica patranda; ùt lignô aridô ad flores, ac fructus repentè producendos; & asinæ ad loquendum: Ergo potentia physica faciendi miracula non facit ad specialem, & majorem dignitatem Christi. Unde remanet quòd potentia patrativa miraculorum Christi fuerit moralis duntaxat; quæ omnino facit ad specialissimam dignitatem ejus; hæc etenim est causa condignè meritoria, & omnium miraculorum Christi impetratoria, nulli puræ creaturæ communicabilis cum ea perfectione; cum supponat infinitum valorem Personæ merentis, & impetrantis.

8\. *Vis patrandi miracula in Christo non fuit a-*

Secundum Fundamentum RR: signanter Svarij est; quòd potentia patrativa miraculorum Christi fuerit potentia

liqua potentia obedientialis.

tia quædam obedientialis, humanitati Christi congenita, elevata à DEO per modum instrumenti ad physicè producendum effectum miraculosum, & consequenter physica. *Contra*; non debet adstrui potentia obedientialis activa in quolibet elevabilis à DEO ad quodlibet producendum; sed solùm in ordine ad producendos effectus supernaturales, habentes aliquam proportionem & analogiam cum illis effectibus, qui naturaliter ab eadem producuntur; debet insuper esse aliqua virtus inchoata in potentia tali elevabili, vel elevata ad producendum aliquid supernaturale; v: g: in Beata Virgine rectè adstrui potest potentia obedientialis activa ad producendam formationem miraculosam Corporis Christi in instanti; quia nimirum hic effectus habuit aliquam analogiam cum formatione successiva corporis, quod potuisset in tempore formare Beata Virgo, si per concubitum virilem concepisset, habuit insuper virtutem inchoatam illam formationem præstandi. Nunc autem miracula Christi non habuerunt ullam analogiam, vel proportionem cum effectibus alijs, ab humanitate procedentibus naturaliter; neque ad ea facienda adfuit virtus inchoata; ùt constat ex Historia Evangelica, & Damasceno, Athanasióque citatis: Ergo physica potentia patrativa Miraculorum in Christo non fuit potentia aliqua obedientialis elevata à DEO per modum instrumenti physicè producentis miraculum.

9\. *Nulla qualitas fortificans potentiam Christi ad patrandum physicè miracula fuit Christo communicata.*

Tertium fundamentum Thomistarum est; quòd humanitati Christi communicata fuit aliqua qualitas fortificans potentiam Christi patrativam miraculorum ad physicè producendos omnes effectus miraculosos. *Contra*; nequit explicari, qualis sit hæc qualitas; an corporalis, an spiritualis: non enim possunt dicere, quòd sit corporalis; quia aliàs non posset attingere effectus miraculosos spirituales Christi. Non etiam est spiritualis; quia aliàs non posset recipi in subjecto corporeo, quale est humanitas Christi pro majori parte: Ergo, &c.

10\. *Potentia Christi non fuit confortata ab unione hypostatica ad physicè operandum miracula.*

Quartum fundamentum est P. Vulpis; quòd hæc potentia sit bonificata unione hypostaticâ, eandem confortante ad physicè attingenda miracula. *Contra*; Unio hypostatica est formaliter pura relatio extrinsecùs adveniens, uti docui supra *Dist: 2. q. 2.* apta præcisè ad terminandam humanitatem locô subsistentiæ creatæ; non verò ad effectivè roborandum pro efficiendis operibus miraculosis. Unde quando SS: PP: dicunt potentiam patrativam miraculorum fuisse communicatam propter Unionem hypostaticam; hoc intelligendum est radicaliter, & remotè; non verò formaliter, & proximè.

11\. *Concilia & Sancti Patres objecti glossantur.*

Quintum fundamentum est commune Adversariorum; quòd SS: PP: & Concilia asserant, Christum reverà physicè patrâsse miracula; non verò moraliter & impetratoirè; unde D. Gregorius *lib: 2. Dialog: cap: 130.* dicit, *Christum miracula fecisse potestate; Martyres verò & Sanctos impetratione.* Et Conc. Epesin: ait *can: 11. Carnem Christi fuisse vivificatricem*, hoc est, vitæ factricem, utique physicè. Et in VI. Synodo Generali *in Epist: Sophronij* habetur, *Verbum per carnem effecisse opera, quæ erant Divinitatis indicia*: quæ omnia dicta physicam efficientiam Miraculorum in Christu adstruunt: Ergo &c. *Contra Primum*; D. Gregorius per ly *potestate* non vult indigitare physicam efficientiam; sed moralem duntaxat; nam potestas æquè continetur intra genus moris, ac impetrationis: v: g: Rex aliquis dicitur potestate sua conferre dignitates, & officia; etsi hoc physicè non faciat; sed moraliter. Deinde datò, quòd ly *potestate* physicam in Christo indicet efficientiam miraculorum; dico tamen tunc hujusmodi potestatem referendam esse ad naturam Divinam Christi, non autem humanitatem. *Contra secundum*; Concilium Ephensium non vult; quòd caro Christi sit instrumentum physicum vivificandi; sed tantùm quòd sit caro vivificantis, & non puri hominis; uti opinabatur Nestorius. *Contra Tertium*; VI. Synodus loquitur solùm de efficientia morali operum, quæ erant Divinitatis indicia; non autem de physica.

12\. *Scriptura quoque reconciliatur pro conclusione.*

Sextum Fundamentum eorum est; S. litteræ apertè insinuant, humanitatem Christi habuisse vim, & potentiam physicam ad facienda miracula; nam Luc: 6. dicitur: *virtus de illo exibat & sanabat omnes.* *Et cap: 8. tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem aliquam ex me exysse.* Et alibi dicitur, Christum imperando fecisse miracula, puta *Matth: 8.* per illa verba, *volo, mundare*, & confestim mundata est *lepra ejus.* Et Joann: *11.* per illa, *Lazare veni foràs*; qui modi loquendi exprimunt physi-

cam

cam causalitatem mundationis, & resuscitationis Lazari. Ergo &c *Contra*; primi duo passus allegati Scripturæ S. non probant aliam virtutem sanativam à Christo exeuntem, quàm moralem; nam ly *exire de Christo*, nil aliud significat, quàm Christum operari operâ sanitatis; operans autem moraliter, æquè bene dicitur operari, ac operans physicè; sicut patet de Rege, qui dicitur operari mortem alicujus Vasalli; quando moraliter tantùm influit in ejus mortem illam imperando. Alia etiam loca Matth: 8. & Joan: 11. imperium Christi continentia procedunt de Christo secundùm Divinam naturam, secundùm quam imperativè fecit miracula; non verò secundùm humanam; secundùm quam merè moraliter concurrit ad eorum patrationem.

Quæstio II.

De impeccabilitate Christi.

1. *Christus de facto non peccavit actu, uti docet Script:*

Dico primò: de facto Christus nunquam actu peccavit. Ita communis SS: PP: & TT: contra Calvinum dicentem, Christum in Cruce peccâsse peccato desperationis; & contra veteres Hæreticos varios.

Probatur primò authoritate S: Scripturæ: Joan: 8. dicitur, *quis ex vobis arguet me de peccato?* acsi diceret nullus. Et *Epist: D: Petri cap: 2. qui peccatum non fecit; nec est inventus dolus in ore ejus.* Et *ad Hebr: 4. non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*: qui omnes textus excludunt à Christo omne peccatum actu commissum: Ergo.

2. *Concilia Oecumenica & Patres.*

Probatur secundò: tum authoritate Conciliorum; quæ dogmatizant Conclusionem; sic Concilium Ephesinum *can: 10.* definit, Christum nunquam commisisse ullum peccatum. Idem facit Chalcedonense *act: 5.* Et aliæ Synodi Generales, contra antiquos Hæreticos collectæ. Tum authoritate SS: PP: à Christo non tantùm omne peccatum relegantium; sed & possibilitatem ad peccandum; ut videre est apud D. Augustin: *lib: 2. de pecc: mer: & remiss: cap: 11.* Et apud Hilarium *10. de Trinit:* Cyrillum, Athanasium, Epiphanium &c. unde Origines *12. Periar: 6. quemadmodum massa ferri, si esset in igne posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, nunquam posset frigus recipere; ita humanitas Christi posita in Verbo, tanquam ferrum in igne non possit converti conversione peccaminosâ*: Ergo Christus defacto nunquam peccavit actu.

3. *Ac ratio Theologica.*

Probatur tertiò ratione: Christus ab instanti Conceptionis continuâ summâ potitus fuit gloriâ, excludente omne peccatum actuale, summâque gratiâ habituali, & alijs donis cum peccato actuali non compatibilibus: Ergo dicendum est, quòd defacto nullo peccatô actuali peccaverit.

Dico secundò: Christus etiam de potentia ordinaria seu defacto non potuit peccare. Ita quoque communis SS: PP: & TT: signanter Scoti *3. dist: 12. q 1. num: 2.*

4. *Nec potuit Christus de facto de potentia ordinaria peccare.*

Probatur cum authoritate SS: PP: mox relatorum pro 1. *Concl:* quibus adde Dionysium Alexandrinum *contra Paulum Samosatenum* sic concludentem: *nemo est, quin peccare possit nisi unus Christus.* Tum ratione Scoti *cit:* anima Christi ab instanti unionis hypostaticæ cum Verbo fuit beata beatitudine Visionis, & fruitionis Beatificæ, transfundente in eandem animam quandam impeccabilitatem; & incompatibilitatem cum peccato. Similiter eadem anima fuit invariabiliter respersa confertâ plenitudine omnis gratiæ habitualis: præventaque potentissimis divinis auxilijs, præservantibus efficacissimè, ita ut peccare nequaquam valeret: Ergo Christus reverâ defacto fuit impeccabilis. Sed hic nascitur acris Controversia inter TT: qualis sit hæc impeccabilitas, quænam sit causa proxima, ac principalis ejus, ex qua proximè & formaliter oritur.

5. *Sententia Scotistarum & Thomistarum de impeccabilitate Christi.*

Qua in re prima Sententia est Scoti, & Scotistarum omnium, de Pitigianis exceptô: & sequuntur Nominales; Durand: Marsil: & plures RR: docens impeccabilitatem Christi, quam defacto habet, non esse intrinsecam; sed eam provenire partim ex plenitudine gloriæ, quâ potiebatur continuò Christus etiam adhuc viator; partim ex plenitudine gratiæ habitualis; & partim ex præventione Divina; non verò ex unione hypostatica; unde tenet hæc Sententia Christum de potentia absoluta potuisse peccare; non obstante unione

nione illa. Secunda est Thomistarum & plurimorum RR: Suar: Lug: Vasq: asserentium; impeccabilitatem Christi esse intrinsecam, cujus radix & causa principalis sit Unio hypostatica; unde negat de ulla potentia Christum potuisse peccare. Huic opinioni quidam eorum adeò tenaciter inhærent, ut non erubescant relatam Scoti sententiam acribus censuris perstringere; undeCapreolus referēte Medinâ ait contrariam Scoti Sententiam esse hæreticam, & blasphemam, contraque illam non rationibus, sed flammis agendum esse; hæc *Censura caprina*, inquit hic Scholiastes Scoti, *parvi facienda est*. Svarez impingit ei notam temeritatis. Crabrerà vocat scandalosam. Palatius Judaicam hæresim. Vasquez aliàs in censuras Scholasticorum antiquorum profusus; hic tamen noluit specificâ aliquâ vehementi censurâ eam percellere; ne tamen Scotum planè liberum à sua virga censoria dimitteret, ait, ejus opinionem esse dignam aliquâ censurâ. At quàm immeritò, & infundatè isti Scholastici Catones censoriò suô judiciò perstringant fundatissimam Sententiam Scoti, patebit ex sequentibus unde.

6. *Impeccabilitas Christi non est intrinseca ex Unione Hypostatica proveniens.* Dico tertiò: Impeccabilitas in Christo defactò non est intrinseca, orta ex unione hypostatica tanquam à causa proxima principali, & formali, eum intrinsecè impeccabilem reddente; unde non obstante ejusmodi unione, Christus manet ab intrinsèco peccabilis, ita ut de potentia absoluta peccare potuisset. Ita Scotus *3. dist. 2. q. 1.* & in *4. dist: 49.*

Probatur primò: Si impeccabilitas Christi esset intrinseca, orta ex Unione Hypostatica tanquam à causa proxima, & principali inducente eam indispensabiliter, voluntas creata Christi ampliùs non esset ab intrinseco libera ac indifferens ad bonum & malum, sicut voluntas nostra: sed est sic libera, & indifferens: Ergo ex Unione Hypostatica non oritur impeccabilitas in Christo. Prob: Min: Unio Hypostatica nec determinat voluntatem creatam Christi physicè, nec moraliter: Ergo manet libera, & indifferens stante tali Unione. Prob: Ant: non determinat eam *Physicè*; quia Unio non concurrit ad actum, nec in genere causæ efficientis; cùm sit pura relatio, uti suprà *dist: 2. q. 1.* ostendi, quæ non est de genere activorum ex Aristotele; nec in genere causæ moralis; cùm Unio non informet immediatè voluntatem. Nec etiam Unio Hypostatica determinat voluntatem creatam Christi *moraliter*, seu ex Ordinatione DEI; quia non constat de ejusmodi determinatione ex Scriptura, vel ex Concilijs, vel ex PP. Ergo voluntas creata Christi stante Unione Hypostaticâ manet omnino libera, & indifferens, sicut nostra; & consequenter peccabilis ab intrinseco, atque adeò Unio Hypostatica non affert tanquam causa proxima & principalis intrinsecam impeccabilitatem Christo.

Probatur secundò: Christus secundùm naturam humanam fuit verè & propriè creatura rationalis; Ergo secundùm hanc fuit ab intrinseco peccabilis: adeoque Unio Hypostatica tanquam causa proxima, & principalis non reddidit eam intrinsecè impeccabilem. Conseq: tenet; quia omnis creatura est rationalis ab intrinseco & secundùm naturam peccabilis juxta SS. PP. unde Hieronymus *tract: de Filio prodigo*, ait, *solus DEUS; est, in quem non potest cadere peccatum*. Et D. Ambrosius *lib: 3. de Spiritu S. omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est; sola autem est à peccato immunis, & immaculata sempiterna Divinitas*. Et propterea D. Augustinus impeccabilitatem, si quæ in aliqua creatura reperiatur, non in naturam creaturæ, sed in gratiam refundit, inquiens *lib: 3. contra Maxim: cap: 13. cuicunque rationali creaturæ præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ; sed gratia DEI.* 7. *Aliud argumentum Theologicum pro conclusione.*

Confirmatur: juxta Concilium Chalcedonense *act. 5.* ambæ naturæ Divina scilicet, & humana fuerunt in Christo inconfusæ salvis utriusque naturæ proprietatibus, ac passionibus: & consequenter per Unionem Hypostaticam non fuerunt evacuatæ: sed peccabilitas intrinseca, & posse deficere à regulis practicis morum est proprietas naturæ humanæ: Ergo hæc remansit in natura humana Christi; atque adeò ex Unione Hypostatica tanquam causa proxima, & principali in Christo non oritur impeccabilitas in Christo. 8. *Stabilitur eadem doctrina.*

Probatur tertiò; Si Unio Hypostatica redderet naturam humanam Christi simpliciter, & intrinsecè impeccabilem, ita ut nec de potentia absoluta posset peccare, vel hoc præstaret ideo: 9. *Rursus alia ratio pro asserto.*

hæc

hæc Unio, quia est ratio formalis formaliter santificandi naturam humanam Christi, ex qua sanctificatione resultaret impeccabilitas intrinseca: vel quia hæc Unio necessariò & indispensabiliter annexam habet beatitudinem, quæ necessariò peccatum, & potentiam proximam peccandi excludit: sed ex neutro capite Unio hypostatica reddit naturam humanam Christi simpliciter, & intrinsecè impeccabilem: Ergo &c. Prob: Min: non *ex primo capite*; quia suprà *Dist: 8. q. 2.* ostendi rationem formalem sanctificandi animam Christi non esse Unionem hypostaticam; sed gratiam habitualem infusam à DEO. Nec *ex secundo*; cùm inter Unionem hypostaticam, & beatitudinem non sit indispensabilis & necessaria connexio; quod inde patet; quia Unio hypostatica potest reperiri in natura irrationali, in qua non esset ulla beatitudo formalis; & quia ut bene arguit Scotus *3. dist: 2. q. 1.* prius ut prius seu ex rationis prioris potest esse sinè posteriori; sed Unio hypostatica est prior beatitudine; quia Unio hypostatica est ad Personari, & spectat ad actum primum; beatitudo verò ad operari, & spectat ad actum secundum; actus autem primus est prior actu secundo. Et tandem beatitudo animæ Christi non habuit semper indispensabilem connexionem cum beatitudine corporis Christi; unde toto tempore vitæ Corpus Christi non fuit beatum, nisi in Monte Thabor tempore Transfigurationis: Ergo nec Unio hypostatica cum beatitudine habet indispensabilem connexionem, ita ut à DEO non possent separari de potentia absoluta: & consequenter Unio hypostatica ex hoc capita indispensabilis connexionis cum beatitudine non reddidit naturam Christi intrinsecè impeccabilem, ita ut de potentia absoluta non posset peccare.

10. *Inducitur iterum aliud argumentum probativum conclusionis.*

Probatur quartò: solvendo oppositæ opinionis fundamenta; partim in PP. testimonijs, partim in quibusdam rationibus stabilita; quæ adeò debilia sunt, ut mirùm sit, quo pacto Adversarij Scotisticam sententiam tam audacter reijciant.

11. *SS: PP: à Thomistis objecti interpretan-*

Objiciunt itaque Thomistæ RR: primò longum Catalogum SS: PP: asserentium, Christum non potuisse peccare ob Unionem hypostaticam; adeoquè videntur docere Christum

tur in favorem asserti.

esse intrinsecè impeccabilem ab illa Unione tanquam à causa principali, & proxima; ita sentit D. Augustinus *de corrept: & gratia cap: an.* Et D Fulgentius, Hilarius, Dionysius Alexandrinus, Ambrosius, Athanasius, Epiphanius, & alij complures relati à Vasque: Ergo &c. Respondeo glossando SS: PP: & dico, vel eos esse intelligendos exigitivè, remotè, & radicaliter, ac si vellent dicere, Unionē hypostaticam connaturaliter exigere, ut anima Christi haberet alia quoque principia ab Unione distincta, puta, gratiam habitualem, beatitudinem actualem, præventionem DEI &c. quibus redderetur proximè impeccabilis. Vel intelligendi sunt de potentia ordinaria, quasi dicerent, Christum de lege præsenti nō potuisse peccare propter Unionē hypostaticam, uti quidam asserebant hæretici, contra quos citati PP: agebant; non verò de potetia absoluta, in quo sensu procedit Conclusio. Vel tandem intellegendi sunt de impeccabilitate extrinseca Christi, quam habuit remotè ab Unione hypostatica, quatenus hæc exigebat gratiam summam habitualem, visionem & fruitionem ac præventionem Divinam, à quibus proximè impeccabilis hic & nunc reddebatur; non tamen intrinsecè, & simpliciter. Et adstruere hujusmodi impeccabilitatem in Christo sufficiebat ad intentum PP: qui agebant contra Apollinarem, negantem in Christo mentem humanam, propter periculum lapsûs in aliquod peccatum, resultans ex mentè humana utpote vertibili ad malum: sufficiebat inquam, quia ratione Unionis hypostaticæ connaturaliter in mente Christi sequebatur beatitudo summa, gratia habitualis perfectissima, auxilia Divina præservativa ab omni peccato efficacissima, & reddentia Christum suo modo impeccabilem; etsi non ab intrinseco.

Objiciunt secundò Vasquez, & Lugo: Unio hypostatica affert Christo sanctitatem substantialem: Ergo & impeccabilitatem intrinsecam. Conseq: patet; quia sanctitas substantialis, & peccabilitas se non compatiuntur in eodem subjecto. Respondeo *primò* Neg: Conseq: cum sua Probatione: nam sanctitas substantialis non est alia, quàm conjunctionis cum Persona Divinia, & ratione cujus debetur ei peculiaris reverentia; cum quo benè stat, quòd natu- 12.

Cum sanctitate substantiali stat peccabilitas naturæ Christi.

natura aſſumpta ſit in potentia ad peccandum, imò ut ſit irrationalis; quare ſanctitas ſubſtantialis, & peccabilitas nullam dicunt oppoſitionem, aut incompatibilitatem formalem. Reſpondeo *ſecundò* hunc Achillem, cui tantùm fidunt Vasquez, & Lugo, ſolùm probare fortaſſis ſanctitatem ſubſtantialem ab Unione hypoſtatica provenientem de facto non eſſe compatibilem cum peccabilitate Chriſti, non tam ex ſe, quàm propter connexa alia dona gratiæ habitualis, beatitudinis &c. quæ connaturaliter de facto exigit; non autem de potentia abſoluta, & in caſu, quo Unio hypoſtatica fieret in natura creata abſque ſequela, & connexione (uti fieri non implicat DEO ita operante ex plenitudine abſolutæ ſuæ poteſtatis) illorum duorum.

13. *Peccabilitas naturæ Chriſti non redundat in Divinam naturam ejuſdem.*

Objiciunt tertiò Amicus, Averſa, Becan: &c. Si Chriſtus ab Unione hypoſtatica non redderetur intrinſecè impeccabilis; ſed eâ ſtante adhuc poſſet peccare, ſequeretur ingens abſurdum, quòd DEUS ipſe nedum per communicationem idiomatum ſecundùm naturam humanam diceretur peccabilis, ſicut dicitur mortuus; ſed etiam immediatè ſecundùm naturam Divinam: Ergo &c. Prob: Ant: quia DEUS tenetur naturam humanam hypoſtaticè aſſumptam regere, & gubernare, ita ut nullatenus poſſit peccare; ad hoc enim obligatur ex ſua bonitate: Ergo ſi ita non regeret naturam aſſumptam Chriſti, immediatè ſecundùm naturam Divinam diceretur peccabilis. Reſpondeo Neg: Ant: cum Ant: Probationis ejuſdem; nam ſi hic diſcurſus quidquam probaret, probaret nimium; probaret enim DEUM pariter teneri nos tanquam filios adoptivos, & ſervos ſuos regere, ac gubernare efficaciſſimis auxilijs, peccata noſtra præpedientibus; cùm nos ad ſui ſimilitudinem, & beatitudinem æternam aſſequendam creaverit; & bõitati ejus cõforme ſit, ut nos quà filios adoptivos, ac ſervos à lapſu præſervet; & tamẽ nos ſic non præſervando, nõ redditur peccabilis: Ergo &c.

14. *Variæ objectiones Thomiſtarum veterum afferuntur.*

Objiciunt quartò veteres Thomiſtæ, probantes ex alio capite DEUM omnino ſecundùm naturam Divinam in hac ſentẽtia propriè debere dici peccabilẽ; quia juxta vulgare axioma, actiones ſunt ſuppoſitorum; ſed in Chriſto eſt unum tantùm ſuppoſitum Divinum utriusque naturæ: Ergo huic ſuppoſito omnes actiones ejus attribuuntur & conſequenter ſuppoſitum Divinum, atque adeò DEUS, diceretur peccabilis. *Secundò*: ex Sententia Scoti ſequeretur Verbum Divinum fore odibile DEO, punibile, atque damnabile; quod eſt falſiſſimum: Ergo &c. Prob: Ant: quia peccatum eſt ſecundùm totam ſuam entitatem objectum Divinæ diſplicentiæ, & odij: Ergo & Verbum peccans. *Tertiò*; Concilium Francofordienſe *in epiſt: ad Epiſcopos Hiſpaniæ coll: 7.* dicit, Chriſtum non gratiâ, ſed naturâ unctum, alios verò gratiâ, & participatione; quæ ſententia deprompta eſt ex D. Hieronymo *in Pſal. 44.* Ergo Chriſtus fuit ſanctus per naturam; atque adeò per naturam, & Unionem hypoſtaticam impeccabilis.

15. *Actiones ſunt denominativè dumtaxat ſuppoſitorum.*

Reſpondeo *ad Primum*, Neg: Ant: & diſt: ejus Rationem; actiones ſunt ſuppoſitorum, denominativè Conc: elicitivè Nego. Itaquè ſuppoſitum alicujus agentis non elicit operationes per influxum ſui phyſicum, eâ ratione quâ ſuppoſitum eſt; ſed eâ ratione, quâ ſingulare eſt; quia principium actionis *Quo* ſufficientiſſimum eſt natura ipſa operantis, ſeu forma ſubſtantialis; & principium *Quod* eſt ſingulare; conditio verò operantis eſt exiſtentia; & omnia iſta habet humanitas Chriſti formaliter in ſe; quare ejus ſuppoſitum ſolùm denominatur operans ab operatione, à natura ipſa phyſicè proficiſcente.

16. *Poteſt ſuppoſito Divino Chriſti convenire denominatio purè extrinſeca peccabilis.*

Dices: Suppoſito Divino nec etiam denominativè poſſe convenire actionem peccaminoſam; hæc enim propoſitio offendit pias aures, *quòd ſuppoſitum Divinum denominetur peccans*, vel *peccabile*. Ergo. Reſpondeo Neg: Ant: quia ſicut ſuppoſito Divino convenit abſque inconvenienti per communicatione idiomatum denominatio mortalitatis, non obſtante quòd mortalitas pugnet cum immortalitate naturæ Divinæ, ita pariter, & maximè de potentia abſoluta ei convenire poteſt denominatio purè extrinſeca peccantis vel peccabilis. Et etiamſi iſta propoſitio vulgares fortaſſis Idiotarum aures offendat; doctas tamen TT: ac etiam noſtras offendere non debet, ſi ly *denominari* importet ſolam denominationem extrinſecam, per accidens, ac per communicationem idiomatum.

17. *Sicut & denominati...*

Reſpondeo *ad ſecundum*: diſt: ſequel: Ant: ſequeretur Verbum fore odibile DEO, punibile, & damnabile

per

per denominationem merè extrinsecam, & communicationem idiomatum, in hoc sensu videlicet, quòd Verbum esset odibile & punibile ratione naturæ humanæ assumptæ, quæ in se odibilis & punibilis esset Conc: sequel: Ant: sequeretur Verbum fore odibile DEO & punibile, & damnabile secundùm se, & propriè Neg: sequel: Ant: Itaque etiam hæc damnatio extrinseca odibilis, punibilis, & damnabilis à communicatione idiomatum desumpta, non repugnat Verbo de potentia absoluta; sicut defacto non repugnat Verbo denominatio mortui, vel mortalis.

18. *Quo sensu dicatur Christum unctum Unione hypostatica.*

Ad Tertium dico Concilium non dicere, Christum solâ unione hypostaticâ fuisse unctum; sed tantùm vult ipsum non solâ gratiâ, uti cæteros homines; sed naturâ unctum; quatenus scilicet ratione unionis hypostaticæ connaturaliter debebatur ei plenitudo gratiæ formaliter ungentis, & plenitudo gloriæ; non verò cæteris hominibus.

19. *Unde proveniat impeccabilitas quæ defacto in Christo reperitur.*

DICO quartò: Impeccabilitas, quæ defacto reperitur in Christo, est extrinseca duntaxat, securissima tamen, proveniens partim ex plenitudine gratiæ habitualis; partim ex plenitudine gloriæ; partim ex auxilijs Divinis, voluntatem Christi efficacissimè prævenientibus, ne possit hic & nunc peccare; partim tandem etiam, & quasi radicaliter ac exigitivè ab unione hypostatica. Ita Scotus *cit:* cum suis, & alijs DD: suprà relatis.

Probatur: nam cùm ex hactenus probatis impeccabilitas Christi defacto non sit intrinseca, ab unione hypostatica proveniens; relinquitur quòd sit extrinseca; maximâ tamen securitate, omnis periculi ad labendum experte afficiens humanitatem Christi; eò quòd proveniat partim ex plenitudine gratiæ habitualis formaliter, & perfectissimo modo sanctificantis animam Christi; partim à plenitudine gloriæ, voluntatem Christi sinè ulla conversione ad objecta alia peccaminosa, in fruitione objecti beatifici detinentis; partim ab efficacissimis auxilijs Divinis animam Christi ita efficaciter prævenientibus, & concomitantibus, ut in malum hic & nunc nequeat declinare; partim ab ipsâ unione hypostatica connaturaliter exigente omnia dona supernaturalia conducentia ad perpetuò perseverandum in gratia trahente: Ergo &c.

QUÆSTIO III.

De Passionibus Christi.

1. *Quid sit passio.*

NOTA primò: per Passionem hic intelligi; *qualitatem, in potentijs appetitivis, & sensitivis hominis ab objectis convenientibus, & disconvenientibus cognitis vel contactis causatam.* Hujusmodi à Philosophis numerantur undecim ex parte potentiarum appetitivarum; quarum quinque resident in appetitu irascibili, puta, spes, desperatio, timor, audacia, & ira; & sex in appetitu concupiscibili; videlicet amor, odium, desiderium, ad quod reducitur admiratio orta ex visione rei insolitæ, cujus causa aliquomodo ignoratur, & propterea desideratur sciri, gaudium, fuga, & tristitia. Ex parte potentiarum sensitivarum dolor.

2. *Natura humana Christi fuit prædita pluribus passionibus humanis.*

DICO primò: Natura Humana Christi fuit prædita compluribus passionibus humanis. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò: tum ex dicendis in sequentibus duabus Conclusionibus, ubi exprimentur certæ passiones, & affectus humani, humanitatem Christi afficientes. Tum ex VI. Synodo Generali *act: 4.* idem dogmatizante. Tum ex SS: PP: eosdem motus humanos, & proprietates Christo attribuentibus; ut Leone *in epist: 11.* Augustino *lib: 4. de Civit: DEI cap: 7.* Ambrosio &c. Tum ex ratione; quia Passiones humanæ sunt quædam vel qualitates, vel proprietates, vel motus naturam humanam regulariter sequentes: Ergo cùm Christus veram humanam naturam habuerit; utique etiam ejus passiones habuit.

DICO secundò: In Christo erant passiones reales spei naturalis, desperationis in sobrio sensu, audaciæ, amoris, odij, desiderij, gaudij & fugæ. Ita communiter TT:

3. *Signanter quadam desperat: audac: &c.*

Probatur primò Conclusio generaliter; hæ passiones humanæ sunt quædam proprietates naturæ humanæ, regulariter naturam humanam in quovis individuo sequentes: Ergo & in Christo.

Probatur deinde singulariter de

4. *Passiones desperationis, spei, audaciæ, amoris, odij, desiderij, gaudij, & fuga de Christo ostenduntur.*

quavis istarum passionum; primò *de spe naturali*; quia Christus sperabat liberationem ab illis pœnalitatibus, & cruciatibus, quibus tempore suæ Passionis affligebatur. Deinde de *desperatione*; nam tametsi non habuerit desperationem in sensu Calvini, insimulantis Christum de desperatione tali in Cruce, qualem habent reprobi de beatitudine consequenda; habuit tamen desperationem illam, quæ versatur circa malum sensibile inevitabile, circa quod, cùm ùt inevitabile proponatur, de evitatione desperatur: Christo enim multa mala physica naturalia proponebantur in vita, de quorum evitatione desperabat. Tertiò de *Audacia*; quia Christus habuit fortitudinem animi, & constantiam respectu mortis subeundæ; quæ infert quandam audaciam. Quartò de *Amore*, & *Odio*; quia Christus quædam objecta prosequebatur amore sensitivo; ùt conservationem vitæ suæ; quædam odiò, ùt mortem. Quintò de *Desiderio*; quia ipse de se ait, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*. De *Gaudio*; quia gaudebat de bonis spiritualibus, unde caoit de eo Psaltes Regius *psal: 83. Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum*. De *fuga*; quia fugiebat secundùm inclinationem appetitûs sensitivi mortem, dolores; unde dicebat, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*: Ergo reverà in Christo fuerunt enumeratæ in Conclusione passiones.

5. *Similiter aliæ passiones.*

DICO tertiò: Similiter inerant Christo passiones humanæ tristitiæ, iræ, timoris, doloris & admirationis Ita Scotus *3. dist: 15. q. unicâ*; communiter alij Theologi.

Probatur generaliter; quia & hi humani affectus, ac motus naturales sequuntur naturam humanam; & nulla est ratio eos ab humanitate excludendi: Ergo reverà inerant Christo.

6. *Pata Tristitia.*

Probatur secundò specialiter de singulis. Et primò de *Tristitia* constat tum ex Scriptura Matth: *26.* ubi Christus ipsemet de se dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Tum ex Concilijs, & PP: præfatum textum Scripturæ de vera tristitia voluntatis intelligentibus, signanter hunc sensum adstruit Agatho Papa *in sua epist:* in VI. Synodo *act: 4*. Et Sophronius *in alia epist:* in eadem Synodo *act: 12.* ubi afferunt istum passum Evangelij ad probandam voluntatem creatam rationalem Christi contra Monothelitas; quod rectè non instituerent, si Tristitia vera non fuisset in Christi voluntate. Tum ratione; Tristitia est passio causata in voluntate ab objecto proposito, & apprehenso, ùt disconveniente: sed multa mala fuerunt proposita Christo, quæ apprehendit ùt disconvenientia, puta, passio, mors &c. Ergo hujusmodi mala causabant verum affectû, motum, & passionem Tristitiæ in Christo.

NOTA autem primò: Tristitiam in voluntate Christi non fuisse secundùm portionem superiorem; secundùm enim hanc respicit æterna, ùt DEUM in se, ejusque perfectiones, quas voluntas Christi ob summum amorem in DEUM Patrem favebat ei, & nullo modo invidebat, tanquam objectum disconveniens sibi: fuit Ergo in eo Tristitia secundùm portionem inferiorem voluntatis, respicientem objecta creata temporalia, quorum plura Christi voluntati erant disconvenientia; ùt tormenta, & cruciatus flagellorum, clavorum, mors ipsa &c. 7. *Qua tamen non fuit in voluntate Christi secundum portionem superiorem.*

NOTA secundò: Tristitiam fuisse in Christi anima ut colligata appetitui sensitivo; tanta enim est animæ rationalis cum corpore connexio & confœderatio, ut sibi invicem proprias affectiones, & passiones communicent; & propterea cùm anima laborat Tristitiâ, corpus langvore deficit; imo quandoque penitus enecatur; hinc monet Ecclesiastes *cap: 3. Tristitiam longè repelle à te; multos enim occidit Tristitia.* E contra etiam dum Corpus afficitur dolore, anima qnoque Tristitia laborat. 8. *Qualiter in Christo causata fuerit Tristitia.*

Probatur secundò de *Ira*; nam hanc habebat Christus, quando Joann: *2.* flagello facto de funiculis ejecit vendentes, & ementes de templo, æs numulariorum evertit &c. quò visô *recordati sunt Discipuli ejus, quia scriptum est; zelus domus tuæ comedit me*, ubi Zelus accipitur pro Ira. Et Marc: *3.* dicitur, *quod erat circumspiciens eos cum Ira.* Ratio etiam eandem suadet in Christo; quia Ira rationabilis, carens scilicet perturbatione mentis, & solum affectum detestationis alicujus mali, aut vindictam legitimam importans, bona est, & plurimum deserviens ad retrahendos homines à malo, atque vindicanda peccata commissa contra Patrem: sed Christus retrahebat homines à malis, & castigabat peccata injuriosa Patri æterno: Ergo habuit Iram. 9. *Ira quoque infuit Christo.*

Proba-

10. *Timor.* Probatur tertiò de *Timore* : tum ex S. Scriptura, Christo timorem attribuente; unde Marc: *14.* dicitur, *capit JESUS pavere.* Tum ex PP. eundem affectum Christo adstruentibus; ut videre est apud S. Leonem *ferm: 7. de Passione Dom:* Apud Chrysostomum *homil: 24.* Et Cyrillum *lib: 4. in Joannem.* Tum etiam ratione; quia Timor est passio arguens in Christo assumptæ humanæ naturæ veritatem; est enim exprimens affectum naturalem hominis passibilis, cui imminet aliquod malum: est affectio deserviens Christo ad satisfactionem pro peccatis nostris: Ergo Timor est concedendus Christo.

11. *Dolor.* Probatur quartò de *Dolore*; primò authoritate S. Scripturæ, Christi dolores exprimente; unde dicitur de eo Isa: *53. verè dolores nostros ipse tulit.* Et *Trenor: 3. videte, si est Dolor similis, sicut Dolor meus:* Ergo &c. secundò, authoritate PP: signanter D. Augustini illud *Psalmi 87. repleta est malis anima mea,* commentante, *non vitijs; sed humanis malis, id est, Doloribus* : Ergo &c. Tertiò ratione Scoti *cit:* pars sensitiva in Christo fuit perfectissima, ejusquè complexio delicatissima, quæ secundùm Aristot: *2. de anima, text: communi 94.* est dispositio ad tactum; atque adeò etiam sensus tactûs fuit perfectissimus in Christo: Ergo percipiebat objectum disconveniens sibi applicatum, v. g. flagella, clavos &c. Subsumo; sed ex ejusmodi perceptione oritur Dolor verus in corpore Christi: Ergo Christo inerat vera passio Doloris.

12. *Et admiratio.* Probatur quintò de *Admiratione*; tum Scripturâ illâ Matth. *8. audiens JESUS miratus est.* Tum ratione; quia Christo secundùm experimentalem scientiam videbantur quædam nova, & insolita v.g. fides Centurionis *loc: cit:* & incredulitas Judæorum Marc: 6. quæ proinde causabant in eo motum Admirationis : Ergo inerant Christo Admiratio; & reliquæ passiones in conclusione registratæ.

13. *Quadam objectio negans Tristitiam in Christo excluditur.* Objicies primò : Si fuisset in Christo Tristitia, præcessisset nolitio in eo de Passione, & morte tanquam de objectis disconvenientibus : hoc autem dici nequit de Christo; quia de ipso dicitur Isaiæ 53. *verf: 7. oblatus est, quia ipse voluit.* Et Luci *22. verf: 15. desideriò desideravi hoc Pascha manducare vobiscum:* Ergo &c. Respondeo Neg: Maj: nam delectatio potest esse in voluntate, nullâ præcedente volitione elicitâ circa objectum conveniens, & delectabile appetitui sensitivo, propter eorum colligantiam : Ergo etiam Tristitia nullâ præcedente nolitione circa objectum disconveniens, propter eandem colligantiam. Ant: patet, in delectationibus purè subreptitijs, quæ v. g. in Confessarijs vehementer turpia in confessionibus audientibus suboriuntur, quædam talis delectatio inadvertenter orta quantumcunque intensa, non est peccatum; quamdiù est sine actu libero voluntatis, consentiente in delectationem: unde docet Doctor subtilis *1. dist: 1. q. 2.* & alibi; quòd sola illa delectatio sit peccatum, quæ sequitur actum elicitù voluntatis consentientis : Ergo similiter poterat in anima Christi esse Tristitia de morte subeunda, sine eo quòd præcessisset nolitio elicita voluntatis de morte, à pari. Proindè S. Augustinus dicit de talibus passionibus, quòd *impossibile sit, quin visis tangamur*; quod tam de Doloribus, & Tristitijs, quàm de delectationibus intellegendum est.

Ex hac resolutione colligitur fatuè procedere illos, qui in Confessione dicunt suâ culpa de delectationibus præcisè dicendo, peccavi, quia habui delectatione in comendendo, & similibus; sed debét dicere culpam de actibus voluntatis, ad quos sequntur delectationes sensitivæ, ut passiones naturales, ratio est; quia peccatum est in potestate voluntatis, ut habet Scotus *in Prologo q. 4. & dist: 17.* delectatio autem (idem dic de Tristitia) non est in potestate voluntatis, nisi mediatè; illud autem in quo est peccatum, debet esse in potestate voluntatis immediatè. 14. *In Confessione debent accusari actus voluntatis, ad quos sequntur delectationes.*

Colligitur secundò : quòd si Virgo, vel alia mulier violenter opprimatur, licèt delectetur, quia naturaliter voluntas inclinatur ad condelectandum appetitui sensitivo propter connexionem, quam habet voluntas ad oppositum, non peccaret, nisi deinde consentiret actu elicito voluntatis in delectationem. 15. *Aliud Corollarium.*

Objicies secundò contra secundam Conclusionem : Christus habuit summum Gaudium ex beatitudine essentiali : Ergo nullam Tristitiam. Respondeo Neg: Conseq: quia respectu diversorum objectorum non repugnant simul Gaudium & Tristitia; sicut scientia, & ignorantia respectu diversorum 16. *Gaudium & Tristitia respectu diversorum se compatiuntur.*

rum in Christo, & sub diverso modo tendendi in objecta diversa.

17. *Variæ objectiones contra passiones Christi.* Objicies tertiò: Ira nequit esse absque notabili motu perturbationis animi; sed talis dedecet Christum: Ergo in eo non erat Ira. Item à Christo relegant Timorem SS: PP: ùt Augustinus *enarrat: in psalm: 21.* Hironymus *in cap: 27. Matth.* Et Hilarius *lib: 10. Trinit:* Et ratio potest esse; quia Timor non est compatibilis cum fortitudine in gradu heroico: in Christo autem fuit fortitudo in gradu heroico. Tertiò; excludendus est à Christo sensibilis dolor secundùm D. Hilarium *lib: 10. de Trin:* dicentem; *Homo itaque JESUS Christus Unigenitus DEUS per carnem, & Verbum, ut hominis filius, ita & DEI Filius, hominem verum secundùm similitudinem nostri hominis deficiens à se DEO, sumpsit; in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret; afferrent hæc quidem impetum Passionis; non tamen dolorem Passionis inferrent.* Quartò tandem ab eodem rejicienda est Admirationis proprietas; hæc enim præsupponit ignorantiam repugnantem Christo: Ergo &c.

18. *Super quas respondetur.* Respondeo *ad Primum*: Neg: Maj: nam contrarium omnino cernitur in hominibus justis habentibus perfectam subjectionem omnium passionum; & à fortiori in Christo; qui cum summa harmoniâ habuit compositas omnes animi sui Passiones, tum ex bonitate naturæ, tum ex affluentia gratiarum, tum ex præsentia personalitatis Divinæ, & DEitatis unitæ, cohibentibus omnem inordinatum motum passionum mentis Christi. *Ad secundum* glosso SS:PP: & dico eos relegare à Christo solum timorem perturbantem ejus animum; vel impedientem efficacem voluntatem moriendi; non verò Timorem supra in probatione tertiæ partis Conclusionis explicatum, & carentem mox allegatis duabus imperfectionibus. Ad rationem deinde annexam Dist: Ant: Timor efficax non est compatibilis cum fortitudine in gradu heroico Conc: Maj: inefficax Neg: Maj: Timor itaque Christi fuit solùm inefficax, ortus ex præsentia mali, puta, mortis ingruentis; talis autem nō pugnabat cum fortitudine in gradu heroico; sicut nec pugnavit in Martyribus, qui sæpe metuebant inefficaciter tormenta, & mortem; quam tamen fortissimè passi sunt. *Ad tertium* Neg: Ant: ad S. Hilarij authoritatem dicit Vasquez Bellarm: Frassen, & alij, Hilarium omnino sensisse Christum nullum sensibilem dolorem sustinuisse. Sed S. Bonaventura, D. Thomas, Alensis noster, & Magister Sententiarum liberant Hilarium ab ista mente, & sensu, variéq; interpretantur allegatum ejus locum; quibus & ego subscribo, dicóque hunc S. Patrem solùm velle, vel quód in Christo nullus fuerit sensibilis Dolor, proveniens ex peccato ejus personali. Vel quód totus Christus non senserit Dolores, maximè verbum, uti censebat Arrius, quem confutabat Hilarius *loc: cit:* vel quód Christus Dolores non sustinuerit, & senserit ex impotentia naturali, & inevitabili necessitate, neque instar nostrûm ex passionum necessitate aut vehementia fuerit turbatus; sed servatâ superioris portionis plenariâ tranquillitate vim cruciatuum, vulnerum, nodorum, *&c.* desævientium sinè ordinario pœnarum sensu, seu effectu, qui in alijs hominibus cernitur, & sinè ullo Divinitatis dispendio, voluntariè admiserit. Et sanè S. Patrem Hilarium non fuisse in illa opinione erronea, simpliciter excludente à Christo dolores sensibiles, patet ex D. Hieronymi *Epistola 7. quæ est ad Latam*, ait: *libros Hilarij in offenso percurrat pede*; quod utique non diceret, si Hieronymus opinionē illam offensivam pedis in monumentis litterarijs Hilarij, in sensu objecto contentam, ei attribueret. Quód si tandem contendas cum P. Frassen, Hilarium reverà illius fuisse opinionis *in cit. 10. lib: de Trin:* dico tibi cum D. Bonaventura *Dist: 16. art: 1. q. 1. ad primum princip:* Hilarium eandem retractasse; ait enim citatus Doctor Seraphicus, *Audivi Parisiensem Episcopum Gulielmum referre, se librum illius retractationis vidisse, & perlegisse.* *Ad Quartum* Neg: Ant: & Dist: rationem ejusdē; Admiratio Christi præsupponit ignorantiam simpliciter, excludentem omnem scientiam Neg: Ant: ignorantiam tantùm secundùm quid, & non excludentē omnē scientiam Conc: Ant: itaque Christus omnia scivit aliquâ scientiâ, putâ, infusâ, & beatâ; unde non habuit ignorantiam simpliciter; non scivit tamen omnia scientiâ experimentali, eó quód omnia objecta talis scientiæ non erant simul existentia, & Christo proposita; quare quando aliqua eorum de novo inceperunt existere, & eidem proponi sub modo insolito, poterat de eis concipere Ad-

re Admirationem, & causas eorum investigare, cum desiderio illas sciendi de novo scientiâ experimentali; licèt ea antea sciret scientiâ aliâ, ita ut de ipsis interrogatus, scientificè posset respondere.

19. *Passiones non inerant Christo sub ratione imperfecta.*

DICO quartò: humanæ passiones non inerant Christo sub illa ratione imperfecta, sub qua reperiuntur in alijs hominibus dispersæ. Ita communis TT:

Probatur primò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; ùt videre est; apud D. Damascenum *3. de Fide cap: 20.* Et S. Ambrosium *lib: 1. de Fide cap: 3.* Et Augustinum *lib: 14. de Civit: DEI cap: 7.* Et Leonem *Epist: 11. ad Julianum*, dicentem: *Sensus corporei lugebant sinè lege peccati; & veritas affectionum sub moderamine DEItatis, & mentis:* Ergo &c.

20. *Quod ostenditur quoq; ratione.*

Probatur secundò ratione: anima Christi pollebat perfectò Dominiô in omnes suas facultates, ita ut non tantùm ex simplici promissione; sed etiam positivo consensu admittere posset in seipso passiones, & affectiones humanas; hoc enim decebat illam animam beatitudine continuâ, & summâ gratiâ respersam: Ergo ejus passiones non erant affectæ illâ ratione imperfectâ, quâ sunt affectæ nostræ v. g. passio iræ cum perturbatione mentis; fuga cum efficaci nolitione, & abominatione objecti disconvenientis; admiratio cum ignorantia omnimoda &c.

QUÆSTIO IV.

De Defectibus Corporalibus Christi.

1. *Defectus corporis alij sunt sinè vitio; alij cum vitio.*



NOta primò: defectus corporis alios esse purè naturales, & expertes omnis vitij; hujusmodi sunt fames, sitis, lassitudo &c. alios respersos aliquô vitiô & maculâ; tales sunt morbi, concupiscentia, &c.

2. *Rursus alij generales, alij particulares.*

NOTA secundò: Defectus purè naturales alios esse generales, ac communes toti Generi humano, ut mortalitas, passibilitas, fames, & sitis, &c. Alios particulares, & certis duntaxat individuis humanis convenientes, ortos ex specialibus causis, v. g. putredine sanguinis, imbecillitate naturæ, aëris intemperie &c. tales sunt febris, lepra, podagra, pallor in facie, &c.

3. *In corpore Christi fuerunt defectus naturales non vitiosi, & generales.*

DICO primò: Corpus Christi fuit obnoxium defectibus purè naturalibus, communibus toti Generi humano. Ita communis TT: & SS: PP:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, referentis varios similes defectus de Christo; sic Matth: 4. narratur ejus fames illis verbis; *postquam jejunâsset quadraginta diebus & noctibus, postea esurijt.* Et Joann: 6. ejusdem fatigatio illo textu, *JESUS ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem:* Ergo &c.

4. *Quod constat authoritate Conciliorum & Patrum.*

Probatur secundò authoritate SS: Conciliorum, Conclusionem definientium; signanter Chalcedonensis, & Ephesini *anathematismo 12.* Tertiò authoritate SS: PP: idem asserentium; unde Ambrosius, *qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur.* Et Fulgentius; *& carnem quidem nostram cum conditione humana mortalitatis induit;* si cum conditione, ergo cum defectibus ejus communibus. Et Athanasius *lib: de Incarnat: Corpus Christi communem habens cum cæteris substantiam; quippe corpus humidum, tametsi novô, & inusitatô miraculô ex solâ Virgine constatum; nihilominus mortale cum esset, itidem ut alia similia mortē subijt:* Ergo corpus Christi fuit obnoxiū defectibus cōmunibus naturalibus, cōmunibus toti Generi humano.

5. *Nec non ratione.*

Probatur etiam ratione: Corpus Christi fuit corpus verum & physicum ùt suprà ostendi *Dist: 3. q. 10.* sed verum & physicum corpus est obnoxium communibus naturalibus defectibus; uti patet experimento singulorum corporum nostrorum: Ergo Christi corpus fuit obnoxium communibus naturalibus defectibus humanis: Et hoc est quod dicit D. Damascenus *lib: 3 de Fide cap: 20. confitemur quòd omnes actus naturales, & passiones innoxias assumpsit Christus.*

6. *Defectus communes naturæ humanæ in Christo non præsupponunt peccatum.*

Objicies: Defectus generales, & communes naturæ humanæ sunt pœnæ peccati Originalis: Ergo non debent admitti in Christo. Respondeo Dist: Ant: sunt pœnæ præsupponentes necessariò peccatum in omni supposito habente illas Neg: Ant: sunt pœnæ præsupponentes de facto ordinariè in puris hominibus peccatum transeat Ant: In Christo ergo, qui venit ad destruendum peccatum nō præsupponebant illæ pœnæ peccatum, quamvis præsupponant in nobis peccantibus aliquod peccatum

DICO

7. *Corpus Christi non fuit obnoxium defectibus particularibus naturæ humanæ.* DICO secundò : Non tamen fuit obnoxium corpus Christi defectibus particularibus naturæ humanæ. Est communis TT:

Probatur *primò* : quia non decebat Christum, ut podagram, phthysim, hypocondriam, & similes infirmitates personales pateretur; quia eum valde impedirent à munere prædicandi: Ergo &c. *Secundò* : hujusmodi defectus non faciunt ad ostendendam ipsam realitatem, & veritatem corporis physici Christi, aut finem Redemptoris Generis humani necessariò; cùm sufficienter hæc ostendantut per defectus generales naturæ humanæ : Ergo &c. *Tertiò* : particulares defectus oriuntur vel ex imbecillitate virtutis formativæ; vel ex inordinatis actionibus; vel ex peccati vindicta : sed ex nullo horum in Christo oriri poterant defectus aliqui particulares corporis ejus : Ergo &c.

8. *Ille passus Script: languores nostros ipse tulit, glossatur.* Objicies apud Isai: 53. dicitur de Christo, quòd *languores nostros ipse tulit*; inter quos æquè recensendi sunt defectus particulares naturæ humanæ; unde Matth: 8. *cap:* secundùm translationem septuaginta interpretum dicit *vers: 17, ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras ipse portavit.* Confirmatur Isaias *loc: cit:* dicit de ipso, quòd reputatus sit quasi leprosus; sed lepra est particularis defectus : Ergo &c. Respondeo ad *primũ*; per ly *portavit* idẽ debere intelligi, quòd abstulit à nobis omnes infirmitates maximè spirituales. Vel potest intelligi per prædicta verba Prophetæ, quòd infirmitates, & dolores communes naturæ tulerit; non verò particulares. *Ad secundum* de lepra dico; Scripturam non dicere absolutè, quòd fuerit leprosus; sed quasi leprosus *reputavimus eum quasi leprosum*, propter scilicet convulsionem, & deformationem totius corporis in Passione factam; si enim fuisset formaliter leprosus, non fuisset à Judæis ad consortium commune admissus, secundùm legem Moysis.



DISTINCTIO XIV.

De Cultu Christi, Sanctæ Crucis, Sanctorum, Sacrarum Imaginum, & Reliquarum.

QUÆSTIO I.

De Quidditate, & divisione Adorationis, seu Cultûs.

1. *Descriptio adorationis ut sic.* ICO primò : rectè describitur Adoratio & cultus ut sic, quòd sit *actus venerationis ad virtutem Religionis pertinens, quò quis alteri se submittit in signum excellentiæ, & cujusdam Superioritatis.* Hæc deducitur ex SS: PP: signanter D. Damasceno *orat: 1. & 3. de Imaginibus, ubi dicit, adoratio est submissio, & humilitatis nota.*

Probatur bonitas hujus descriptionis, singulas partes enucleando : dicitur *actus venerationis*, ut designetur genus, in quo Adoratio convenit cum cultu civili, quo unus homo viator alterum veneratur. Additur *ad virtutem Religionis spectans*; ut exhibeatur differencia Adorationis à cultu civili præfato, & quibusvis alijs actibus, involuentibus aliquam venerationem, honorationem &c. Adoratio enim de qua hìc præcisè est cultus proveniens à Religione, quæ respicit honorationem, & venerationem DEI, sanctitatem rerumquè sacrarum. Apponitur ly *quò quis alteri se submittit in signum excellentiæ, & cujusdam Superioritatis;* ad ostendendum motivum Adorationis venerationis, & cultûs Religiosi, quod semper debet esse quædam peculiaris præemientia, Superioritas, sanctitas, vel similequid, movens adorantem ad eliciendum actum Adorationis, & ad exhibenda signa servitutis, subjectionis, honoris &c.

NOTA deinde primò : ad Adorationem plures debere concurrere actus, ut debitè integretur : *primò* enim concurrere debet actus recognitionis, quò adorans alterum recognoscit eminentiorem, 2. *Varij actus concurrunt ad adorationem.*

tiorem, excellentiorem, sanctiorem se *secundò* actus judicij recti, quò adorans prudenter judicat honestùm omnino bonumquè esse alterum eminentiorem, excellentioremquè prosequi peculiari aliquo cultu Adorationis. *Tertiò* actus, quò quis actu voluntatis vult alteri impendere cultum Adorationis, ac se submittere. *Quartò* actus exterior, in aliquo signo v. g. genuflexionis vel simili consistens, quò significatur illa voluntas submissionis. Circa secundum articulum quæstionis.

3. *Quid sit adoratio interior & exterior.* NOTA secundò: Adorationem Religiosam primò rectè dividi in Exteriorem, & Interiorem. *Exterior* est, quæ perficitur externo aliquo gestu & significatione v. g. inclinatione capitis, adgeniculatione, prostratione & similibus; quare omnes Adorationes in S. Scriptura expressæ, aliquò ex præfatis, vel simili signò peractæ leguntur; ut inclinatione genuum *3. Reg: c. 19.* vel osculo dexteræ Job *c: 31.* vel prostratione in terram Gen: *33.* *Interior* est, quæ perficitur sola mentis actione, & ordinariè præcedit in hominibus adorantibus exteriorem, eamquè quasi animat, format, ac perficit. Hâc etiam utuntur Angeli, qui teste Scripturâ DEUM adorant: item animæ separatæ, quæ in Apocalypsi dicuntur DEUM & Agnum adorare.

4. *Quid sit adoratio Dulia, hyperdulia & Latria.* NOTA tertiò: utramque istam Adorationem rursus dividi in Duliam, Hyperduliam, & Latriam. *Dulia* est cultus solitus exhiberi creaturis habentibus aliquam creatam excellentiam; non tamen singularissimam: hoc cultu licitè veneramur Sanctos, & Sanctas, tales ab Ecclesia agnitas propter eorum sanctitatem excellentem, resultantem vel ex Martyrio, vel ex Confessione, vel ex Virginitate, vel alia aliqua perfectione eximia morali. *Hyperdulia* est cultus solitus exhiberi alicui creaturæ, habenti aliquam singularissimam præ cæteris excellentiam: hoc cultu colitur ritè DEI para Virgo Maria ob Maternitatem Filij DEI. *Latria* est cultus ille supremus, qui nulli rei creatæ; sed soli DEO impenditur, juxta illud Deut: *6.* quòd etiam adducitur Matth: *4.* *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.*

Dices: D. Augustinus *q. 49. in Exodum*, occasione illius passûs Exodi *23* *Si Servieris Dijs eorum*, docet etiam Duliam DEO exhiberi; *Dulia*, inquit, *debetur DEO tanquam DEO:* Ergo Dulia non est rectè explicata, quòd sit cultus creaturæ alicui solitus exhiberi. Respondeo S. Patrem usurpâsse hæc duo vocabula secundùm primævam, & veterem institutionem, quatenus nimirum Dulia idem sonat, quod *servitus*, quæ respicit Dominum, & ut opponitur directè Domino; Latria verò quatenus idem sonat quod *reverentia*, quæ respicit Majestatem DEI, seu Creatoris. Nunc autem secundùm PP: & TT: recentiorem accommodationem præfata duo vocabula habent usum, & sensum, in *Notab: 3.* expressum.

QUÆSTIO II.

De Cultu CHRISTI.

DICÒ primò: Christus quatenus DEUS homo simpliciter unicâ adoratione adorari, & coli debet; ita ut humanitati ejus Verbo Divino hypostaticè unitæ eadem adoratio Latriæ sit impendenda, quæ ejus Divinitati & personalitati impenditur. Ita Scotus *3. dist: 9. q. unic:* & communis TT: ac SS: PP: contra Gabriel: 1. *Christus quà DEUS homo unica adoratione adorandus est secundùm Script:*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, præfatum Latriæ cultum, & adorationem Christo simpliciter, ac secundùm utramque naturam copulativè consideratò impensum exprimentis; sic dicitur Matth: *2.* *quòd Magi procidentes adoraverunt eum.* Et in Apocal: dicitur, quòd *viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Viventem in sæcula sæculorum.* Sic etiam Matth: *28.* *Mulieres accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Et S. Thomas Apostolus Joann: *20.* pariter adoravit Christum dicens, atque exclamans, *Dominus meus & DEUS meus*; qui omnes actus adorationis, & cultûs impensi fuerunt Christo ut DEO & homini simul, & à Scriptura non reprobantur: Ergo Christus simpliciter, & eâdem adoratione adorandus est tam quoad Divinitatem, quàm quoad humanitatem hypostaticè unitam Verbo.

Probatur secundò authoritate Sacrorum Conciliorum conclusionem definientium, signanter Ephesini *can: 8.* Et Synodi V. *can: 9.* & Lateranensis sub Martino I. quod canonem citatum 2. *Et testimonia Conciliorum generalium.*

Synodi V. refert, & probat sequentibus verbis; *si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim DEO Verbo, & semotim homini: aut siquis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem DEItatis, & humanitatis unam naturam sive essentiam convenientium protensè dicens, sic adorat Christum, sed non unâ adoratione DEUM Verbum Incarnatum cum ejus carne adoravit, juxta quod Sancta DEI Ecclesia ab initio traditum est, talis anathema sit.* Huc facit etiam Tridentium *sess: 13. cap: 5. & can: 6.* Ergo &c.

3. *SS: quoque PP: authoritatem.* Probatur tertiò authoritate SS. PP: eandem doctrinam in conclusione expresse statuentium; unde D. Augustinus *serm: 58. de verbis Domini*; & *serm: 26.* ait; *Dominicam ergo carnem; imo perfectam in Christo humanitatem ideo adora, quia à Divinitate suscepta est, ac DEItati unita:* Ergo ex Augustino humanitas Christi est adoranda eo cultu Latriæ, quô Verbum adoratur. Et S. Cyrillus in defensiõe anathematismi 8. seu octavi canonis Concilij Ephesini dicit; *citra periculum quis dixerit, quòd Incarnatum DEI Verbum, utpote unus existens Filius, non absque sua carne; sed potiùs cum illa adorandum; quemadmodùm scilicet hominis anima cum suo corpore honoratur.* Lege etiam Athanasium in *epist: ad Adelphium.* Et S. Epiphanium *ad Anchoratum.* Et S. Ambrosium *lib: 3 de Spir: S. cap: 12.* Et Damascenum *lib: 3. de Fide cap: 8.* dicentem; *Unus igitur Christus est DEUS perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, ac Spiritu S. unicâ adoratione:* Ergo &c.

4. *Ac rationem Theologicam.* Probatur quartò ratione; ut aliquod totum adoretur per se Latriâ, non requiritur, ut omnes partes ejus sint ratio formalis & motivum adorationis; sed satis est, ut una ex illis partibus sit talis: sed in Christo natura Divina est formalis ratio, & motivum adorationis Latriæ: Ergo totus Christus secundùm omnes suas partes, & per consequens secundùm naturam humanam est latreuticè adorandus. Probatur Maj: ut homo dicatur bonus, vel sanctus sufficit ut anima sola sit bona, & sancta: Ergo à pari ut aliquod totum adoretur per se Latriâ, sufficit quòd aliqua pars ejus sit ratio formalis, & motivum adorationis Latriæ.

5. *Illustre D. Augustini testimonium pro adoratione Christi.* Unde pro confirmatione conclusionis egregiè dixit S. Augustinus loc: cit: *si hominem à DEO separaveris, nunquam illi credam, nec serviam; sicut si quis purpuram regalem jacentem inveniat numquid adorabit? cùm verò Rex eâ fuerit indutus, periculum mortis incurrit, qui eam cum Rege adorare contempserit: ita in Christo humanitatem non solam, sed Divinitati unitam, unum scilicet Filium DEI, DEUM verum siquis adorare contempserit, in aeternum morietur:* hæc Augustinus: Ergo &c.

6. *Quo sensu soli DEO debeatur Latria.* Objicies primò: Adoratio Latriæ soli DEO debetur; sed humanitas Christi non est DEUS: Ergo &c. Respondetur Dist: Maj: Latriæ adoratio debetur soli DEO tanquam objecto motivo primario Conc: Maj: soli Deo tanquam objecto terminativo Neg: Maj: Itaquè etsi DEUS sit objectum motivum Latriæ; humanitas tamen conjuncta est etiam terminativum Latriæ.

7. *S. Damascenus reconciliatur.* Objicies secundò S. Damascenum *orat: 1 de Imaginibus; non materiam, sed materiæ authorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet; materiam verè per quam mihi salus parata est, colere non desinam, non tamen ut DEUM:* Ergo &c. Respondeo S. Damascenum non denegare coadorationem corporis materialis Christi tanquam objecti secundarij, quam evidentissimè docet *lib: 3. cit:* sed tantùm denegat adorationem Latriæ reliquæ materiæ, distinctæ ab humanitate, v. g. clavis, lanceæ. Vel certè negat corpori tanquàm objecto solitariè sumpto adorationem latriæ; non autem unito.

8. *Humanitas Christi, secundùm se considerata cum suis donis potest hyperdulia coli.* DICO secundò: Natura humana Christi secundùm se considerata cum omnibus donis, & gratijs seclusa Unione hypostatica, potest absque errore adorari cultu hyperduliæ; nec secundùm illam considerationem major ipsi debetur cultus. Est Doctoris *3. dist: 9. q. un:* Et cōmunis; contra Vasq: Suar: Et alios.

Probatur prima pars: potest intellectus considerare naturam humanam Christi cum omnibus suis donis, & gratijs singularissimis absque Unione hypostatica: sed in tali casu esset ratio motiva adorationis hyperduliæ: Ergo &c. Prob: Min: quia dona humanitatis Christi habent specialissimam excellentiam præ omnibus donis aliarum creaturam: sed talis excellētia fundat cultū verum hyperduliæ: Ergo &c.

9. *Cuidam instantia occuritur.* Dices: Intellectum non posse legitimè facere ejusmodi considerationem; quia involvit abstractionem in-

jurio-

juriosam Christo: Ergo &c. Respondeo Neg: Ant: cum sua ratione; nam sicut in Christo de facto sunt duæ excellentiæ, una ratione Sanctitatis formalis, altera ratione Unionis hypostaticæ; sic similiter intellectus potest illas separare; & tunc illis tanquam rationibus motivis diversum impendere cultum sinè ulla injuria; modò adorans credat Christum habere utramque excellentiam simpliciter; nam quod diversis titulis alicui debetur, potest exhiberi illi ex uno, sinè injura, licèt non exhibeatur ex altero; hinc Filius Regis sinè injuria potest honorare Regem quatenus Pater suus est; & non quatenus Rex est.

Confirmatur prima pars: Beata Virgo ob specialissimam dignitatem Matris DEI potest adorari cultu hyperduliæ: Ergo & humanitas Christi considerata cum donis, & gratijs singularissimis sinè ordine ad Unionem Verbi.

10. *Humanitas Christi secundùm se considerata non debetur major cultus quàm hyperdulia.*

Probatur secunda pars: excellentia humanitatis Christi, etsi singularissima sit; creata tamen est, & nõ involvit formaliter divinitatem, si consideretur sinè Unione ad Verbum: Ergo in tali consideratione non debetur illi major cultus, quàm hyperduliæ.

11. *Quædam Concilia objecta exponuntur pro conclusione.*

Objicit Vasquez; Concilia diversa contra Nestorium definiunt, quòd adorationes in Christo non sint dividendæ; sed unicâ adoratione totus Christus sit adorandus: ita habetur in epistola S. Cyrilli approbata à Concilio Ephesino. Item in anathematismo 8. dicti Concilij. Item in Synodo V. *collat: 8. can: 9.* Ergo &c. Respondeo hæc & similia Concilia agere contra Nestorium, docentem quòd in Christo debeant duæ Adorationes Latriæ admitti, terminatæ ad duas personas, ita ut separatim adoretur latreuticè DEUS Verbum, & separatim latreuticè homo; quem errorem ut abolerent definiêrunt, quòd natura humana à persona Divina separata non debeat adorrai latreuticè; bene tamen conjunctæ; & quidem unicâ adoratione latreuticâ. Itaq; breviter dico, quod Sacra Concilia solùm velint, adorationes in Christo non esse dividendas per pluralitatem aliquarum Personarum, in eo latreuticè adorandarum; & quam diu natura humana ac Divina considerantur ut unitæ hypostaticè. Idem dico ad SS: Patres, si qui adducantur.

NOTA primò: quòd Adoratio hyperduliæ terminanta ad solam humanitatem, quamvis licitè fieri possit; 12. *Adoratio ad humanitatem Christi duntaxat terminata, est inusitata.* inusitata tamen sit; eo quòd in adorando soleamus sinè præcisionibus ferri in ipsam Personam Christi; cui, cùm Divina sit, & prædita infinitâ excellentiâ, tribuitur cultus Latriæ Unde etiam Ecclesia consuevit Christum adorare semper cultu Latriæ, tum ut Christo principalem honorem exhibeat. Tum ne detur occasio cogitandi aliquid Christo indignum contra ejus Divinitatem; ac proinde dicit, *Christe miserere nobis*, & non *ora pro nobis*; quod secundùm humanitatem sinè inconvenienti intrinseco absolutè fieri potest.

QUÆSTIO III.

De cultu Sacratæ Crucis Christi.



DICO primò: Vera, & originalis Crux, quæ fuit instrumentum Dominicæ Passionis; ac omnes ejus portiones avulsæ, sunt adorandæ; & quidem adoratione Latriæ respectivæ. 1. *Crux Dominica originalis est adoranda.* Prima pars est de Fide; contra Claudium Taurinensẽ Episcopum primum impugnatorem cultûs S. Crucis; quem deinde secuti fuerunt Pauliciani, & Bogomili siliquæ Manichææ hæresis; nec non Wiclefistæ, Calvinistæ, & Lutherani.

Probatur prima pars authoritate Conciliorum; definientium Crucem Dominicam esse peculiari honore colendam, & adorandam; imò Synodus VII. *act: 7.* dicit, *etiam honorem, & Adorationem deferendam esse typo veneranda, & vivifica Crucis Christi*, quantò magis ipsi Originali: Ergo &c.

2. *Quod sarge rationibus suadetur.*

Probatur secundò, afferendo varias rationes, titulos, & motiva in S. Scriptura & Patribus fundata, ob quæ meritò singulari veneratione adoranda & colenda sit Dominica Crux: nam *primò* adduci potest ratio ac titulus *instrumenti*, quo deletum est chyrographum Decreti contra humanum genus scripti: & *Currûs triumphalis*, in quo de inimicis nostris Christus triumphavit ad Coloss: 2. *delens quod adversum nos erat chyrographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit, de medio, affigens illud Cruci, & expolians Principatus, & Potestates traduxit confidenter palam*

triumphans eos in semetipso. Secundò titulus Sacrarij, in quo Christus Patri reconciliavit genus humanum inimicum, ut habetur ad Coloss: *1. in quo placuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus. Tertiò titulus Ara*, in qua Christus consummavit omnia Sacrificia veteris legis, immolans semetipsum Sacrificium cruentum, de qua consummatione & immolatione præclarissimè discurrit Apostolus *toto cap: 8. ad Hebr*: Et observat S. Leo *serm: 4. de Pass: cap: 3.* dicens, *Crux ergo Christi Sacramentum veri, & prænuntiati Altaris habet, ubi per hostiam salutarem natura humana celebraretur oblatio. Quartò* allegari potest privilegium *contactûs physici carnis, & sanguinis Christi*; quò mirè fuit sacrata; unde Damascenus *lib: 4. cap: 12. hoc itaquè ingentis sanè pretij lignum, ac venerandum, in quo Christus semetipsum Sacrificij causâ pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis, & sanguinis contactu sanctificatum optimo jure adorari debet*: Ergo reverà Crux Dominica est adoranda.

3. *Traditione quoque Ecclesiæ adoratio Dominicæ crucis solidatur.* Probatur tertiò conclusio authoritate traditionis Ecclesiæ; quæ à primis statim temporibus Christianismi sacratæ Crucis cultum constituit, & practicavit; quemadmodùm constat, tum ex tam diligenti ejus investigatione, conquisitione, & tandè inventione Divini Numinis ductu, facta à S. Helena Constantini Imperatoris tempore; cujus historiam veridicè texit S. Ambrosius *orat: funeb: Theodosij Imperatoris*. Et S. Paulinus *epist: 11. ad Sever: Sulp*: Et Ruffinus *lib: historiar: cap: 8.* Et Theodoretus *lib: 1. cap: 18.* Tum ex vetustis SS: PP: cultum Adorationis Crucis Dominicæ pro tota Ecclesia constitutum commemorantibus; unde Rusticus Diaconus in *Dial: contra Acephal*: dicit, *clavos, quibus confixus est* (scilicet Christus) *& Lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat*: Ergo vera originalis Crux, quæ fuit instrumentum Dominicæ Passionis, (idem dic de omnibus ejus portionibus ob easdem rationes) est adoranda.

4. *Ad idem accedunt authoritates SS: PP:* Probatur quartò authoritate SS: PP: Adorationem Dominicæ Cruci originali concedentium; signanter S. Paulini Episcopi Nolani *ep: 11. cit*: Et D. Damasceni, *pretiosum reipsâ Crucis lignum & venerandum, in quo seipsum in Sacrificium pro nobis obtulit Christus tanquam sancti corporis, & sanguinis tactu sanctificatum, meritò est adorandum.* Aliam quoque hujus Adorationis causam profert S. Leo *serm: 8. de Pass: cap: 7.* Dùm exclamat, *O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est Crucifixi.* Ut proinde non sit mirum, quod scribit S. Chrysostomus *hom: 61. illud ipsum lignum, in quo S. corpus est extensum, & crucifixum, quantò omnium studiò expetitur? itaquè multi exiguum ex eo frustum adepti auro includentes viri pariter, ac fœmina de collo suo suspendunt, idquè ornamenti locò habent.*

5. *Et praxis Breviarij Romani.* Probatur quintò authoritate Divini Officij in Breviario Romano ordinati pro veneratione Dominicæ Crucis, in die Inventionis, & Exaltationis ejusdem; ac in Parasceve quando Adoratio Crucis, quæ typus est originalis, ex Ecclesiæ præscripto peragitur: Ergo Crux originalis Dominica est adoranda.

6. *Originali Cruci Dominicæ debetur adoratio Latriæ respectiva.* Probatur secunda pars; Tum quia typus & imago Sancti alicujus est colenda eadem veneratione, quâ colitur ipsum prototypon; ut dicam infrà: Ergo & Crux Christi est adoranda eodem cultu Latriæ saltem respectivæ; cùm humanitas ejus adoretur Latriâ absolutâ. Tum quia Crux Dominica habet specialem excellentiam fundatam in eo, quòd Christum tetigerit, eique instrumentum fuerit genus humanum redimendi; hæc autem excellentia respicit Christum tanquam fontem, à quo emanat; Ergo cùm Christus adoretur cultu Latriæ absolutæ, Crux ejus adorari debebit cultu Latriæ respectivæ, dicentis scilicet habitudinem ad Christum.

7. *Varia instantia hæreticorum afferuntur.* Objiciunt hæretici primò: Si Crux Dominica deberet adorari Latriâ respectivâ, maximè propter ejus contactum cum corpore Christi: sed ex hoc capite non debet sic adorari: Ergo &c. Probatur Min: aliàs ex eodem capite deberet adorari latreuticè venter Mariæ portans Christum infantem & os Judæ, osculum infigens Christo: & manus Malchæ colaphizantis: & crucifixores Christi: & aqua Jordanis, quâ baptizatus fuit Christus: item mensa, lectus, terra, asina triumphalis, & similia, quæ aliquo modo tetigerunt Christi humanitatem: sed hæc adorari latreuticè nequeunt: Ergo &c. *Secundò*:

de: non decet Filium venerari patibulum, in quo contumeliosè suspensus fuit Pater: Ergo nec decet nos Christianos venerari Crucem, in quam nostræ salutis Parens Christus fuit contumeliosè actus.

Respondeo *ad Primum*: Conc: Maj: & Neg: Min: ad ejus Probationis primam instantiam *de ventre B. V. Mariæ*

8. *Quibus exactè respondetur.*

dico, illum absque scrupulo posse adorari cultu Latriæ respectivæ, sicut Crux Dominica, ob diuturnum scilicet ejus cum carne Christi contactum, & ministerium eidem exhibitum in ordine ad redemptionem generis humani; de facto tamen solet Ecclesia abstinere ab ejusmodi adoratione ob rationes, quas tangam infrà. *Ad secundam* instantiam de *ore Judæ, manibus Malchæ, & Crucifixorum*, dico illa membra non esse adoranda ob peculiarem aliam rationem; eò quòd scilicet sint membra sceleratorum hominum, impiè contrectantium humanitatem Christi; unde ex contumelioso contactu illius Sacratissimæ humanitatis potiùs contraxerunt sacrilegium, quam rationem alicujus adorationis. *Ad tertiam* instantiam de *aqua Jordanis*, dico, illam numerò aquam, quæ tetigit immediatè humanitatem Christi (non autem aliam contiguam) posse adorari ob ejusmodi attactum, si adhuc existeret. *Ad quartam* de *asina triumphali* dico, eam non esse adorandam; quia erat jumentum commune, & rursus communibus usibus post triumphum Christi profanata; unde moralis ejus excellentia, quam à Christi contactu acceperat, & poterat esse ratio adorationis, illis usibus communibus fuit penitùs abolita. *Ad alias* allatas instantias, de *mensa* &c. eodem modo respondetur. *Ad secundam objectionem* Dist: Ant: non decet Filium venerari patibulum in quo contumeliosè propter propria delicta, & finè ulla utilitate, vel honore ipsiusmet Filij, & coactè fuit suspensus Pater Conc: Ant: in quo propter aliena delicta, & cum insigni utilitate, atque honore Filij, insuper voluntariè, fuit Pater suspensus Neg: Ant: cum Conseq: Itaque Christus suspensus est in Cruce Dominica, quæ olim habebat rationem patibuli, propter delicta aliena, puta, totius generis humani; & ex ejusmodi suspensione ingens resultavit utilitas, ac honor generi humano, scilicet reconciliatio ejusdem cum æterno Patre; redemptionis item & omnium gratiarum atque bonorum, signanter, æternæ gloriæ ac perpetui honoris consecuti: unde Augustinus *serm: de laude Crucis*; ait *O Crux, quæ DEO hominem conjunxisti, & à dominio Diaboli captivantis magnificè segregâsti! ô Crux quæ humano generi Passionem Salvatoris mundi, & redemptionem captivitatis humanæ verâ comitante Fide semper repræsentas incolumem! &c.*

DICO secundò: Typicæ quoque Cruces, seu effigies Crucis Dominicæ originalis, sive sint picturâ, sive metallo, sive lignô, aut quâvis aliâ materiâ expressæ, atque figuratæ, dignâ aliquâ veneratione, & adoratione sunt venerandæ. Ita communis Catholicorum Doctorum.

9. *Typicæ cruces similiter sunt venerandæ.*

Probatur *primò* ex determinatione SS: Conciliorum, aliquam adorationem typicis Crucibus assignantium; ùt videre est in VII. Synodo *act: 7.* Et in Trullana Synodo *can: 3.* dicente *unde & mente, & sermone, & sensu adorationem ei* (scilicet Cruci) *tribuentes &c. Secundò* ex SS: PP: venerationem eidem adscribentium; unde D. Augustinus *serm: 2. in psal: 36* ait; *Crux jam de pœna generis humani sublata* [illegible]; *cùm enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur: honorata est & finita est pœna, manet in gloria: à locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum. Tertiò* ex perpetua traditione, & vetusta praxi universalis Ecclesiæ, effigies Crucis Christi venerantis, de qua consule Tertulianum in *apolog: cap: 16.* & alibi: Ergo &c.

DICO tertiò; Tandem etiam signum Crucis, manibus solitum formari jam à primitiva Ecclesia in usu, & veneratione fuit. Ita quoque communis SS: PP: & TT:

10. *Ipsum etiam signum crucis manibus efformatum in usu & veneratione fuit semper secundùm Patres.*

Probatur primò authoritate SS: PP: attestantium signi Crucis frequentationem, & venerationem; unde D. Augustinus *serm: 181. de temp:* ait; *hóc enim signô Crucis consecratur Corpus Christi, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici &c.* Et D. Dyonisius Areopagita Primitivæ Ecclesiæ celebris Pater *lib: de Ecclesiast: hierarch:* pluries recenset usum S. Crucis in Baptismo, & consecratione Chrismatis. Idem testatur S. Ignatius, & S. Martialis apud Eusebium *lib: 5. cap: 43.* & tandem Tertulianus *lib: de coron: mil: cap: 3 Ergo &c.*

Probatur secundò ratione Theologica:

logica : ſignum Crucis ſingularem habet virtutem & efficaciam elidendi, ac
11. *Et rationem Theologicam.* reprimendi Dœmonum incurſus,& inſidias, uti conſtat ex SS: PP ſignanter ex Cyrillo Alexandrino *lib: 2. in Iſaiam* dicente; *hac enim re ſemper utimur, cùm omnem Diabolicam vexationem abolemus, ac Dæmonum impetus depellimus; murus enim firmus & impenetrabilis eſt.* Et ex Origene *hom: 6. in Exodum* ſcribente, *quid times Dæmones? quid? tremunt ſinè dubio Crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua enecati ſunt Principatus eorum & Poteſtates:* Ergo credendum eſt hoc ſignum Crucis manibus ſolitum formari jam à primitiva Eccleſia fuiſſe in uſu,& veneratione.

QUÆSTIO IV.

De Cultu, & Invocatione Sanctorum.

NOTA circa primum articulum hujus quæſtionis: Cultum Sanctorum à variis Hæreticis priſcis, & modernis fuiſſe acriter
1. *Impugnatores cultus Sanctorum.* inſectatum; nam cum impugnavit olim quidam Euſthatius apud Socratem *lib: 2. cap. 33.* Vigilantius & Eunominus apud Hironymum. Claudius Taurinenſis, Wiclephus apud Valdenſes *tom: 4. de Sacramental: tit: 13* eundem proſcripſit Calvinus cum ſuis aſſeclis *lib: 1. Inſtit: cap: 11.* Magdeburgenſes quoque *lib: 2. Centur: cap: 4.* ac tandem Lutherani penè omnes, attribuentes Sanctis ſolum cultum civilem: contra hos omnes.

DICO primò: Sanctis cum Chriſto jam actuali beatitudine fruentibus
2. *Meritò & licitè coluntur Sancti, uti liquet ex Scriptura.* meritò,& licitè impenditur Cultus Duliæ. Ita communis SS: PP: & Catholicorum DD:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, referentis Cultum Sanctorum Angelorum, & quorundam eximiorum virorum adhuc Sanctorum in via conſtitutorum; ſic narratur Gen: 18. Abraham adoràſſe Cultu ſcilicet Duliæ Angelos ſibi apparentes: idem dicitur de Loth Gen: 16. & de Joſue *cap: 5.* Joſue. Et Abdias refertur adoràſſe Eliam Prophetam *3. Reg 28.* Filij Prophetarum Eliſæum *4. Reg: cap: 2.* Nabuchodonoſor S. Danielem Dan: 2. nullusq iſtorum adorantium à S. Scriptura corripitur de ejuſmodi cultu: Ergo Sanctis meritò, & licitè impenditur Cultus Duliæ.

Probatur ſecundò authoritate SS. Conciliorum; nam ejuſmodi Cultum ut meritò & licitè impenſum Sanctis definivit VII. Synodus *act: 7.* pluráque alia antiqua Concilia; & rurſus noviſſimè S. Synodus Tridentina *ſeſſ: 25. in Decreto de Invocat: Venerat: & Relig: SS:* Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: Cultum SS: ùt licitum, & à primitiva jam Eccleſia practicatum atteſtantium; quorum authoritates jam à temporibus Apoſtolorum ſuper hujuſmodi Cultum profert Bellarminus *tom: 1. lib: 1. de SS: beatitud:* ego ad propoſitum adduco ſequentes tum Græcos, tum Latinos; ex Græcis ſit D. Baſilius *orat: in 40. Martyres*, ubi ait, *honòr quem bonis Conſervis* (id eſt Sanctis) *exhibemus, benevolentia in communem Dominum ſignificationem de ſe præbet.* Et D. Chryſoſtomus *hom: de S. Juventio, & Maximo* dicit, *Martyres quoque quos hodiè colimus.* Et D. Cyrillus Alexandrinus *lib: 6. in Julian:* ſcribit, *nos non DEOS Sanctos eſſe diximus Sanctos Martyres; ſed omni honore dignari conſuevimus.* Ex Latinis ſuffragatur D. Cyprianus *lib: 4. ep: 5.* ſcribens, *Martyrum paſſiones, & dies anniverſarios commemoratione celebremus.* Et D. Hieronymus *ad Riparium* dicens, *honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum.* Et tandem D. Auguſtinus *epiſt: 44.* ait, *oſtendatur mihi Roma in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi oſtenditur memoria Petri: in Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis?* Et *lib: 20. contra Fauſtum cap: 21.* dicit, *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat:* Ergo Sanctis meritò, & licitè impenditur Cultus Duliæ. 3. *Authoritates Patrum pro cultu Sanctorum.*

Probatur tertiò Traditione, & invariatâ praxi Eccleſiæ; quæ ſemper conſuevit Sanctis cum Chriſto regnantibus impendere Cultum; uti patet tum ex authoritatibus SS: PP: mox relatis. Tum ex citatis Concilijs. Tum ex actis Canonizationum, de quibus vide P: Macedonem in ſuis controverſijs, *tit: de Canonizat:* quibus ſummi Pontifices veros Servos DEI declarârunt per expreſſas Bullas poſſe licitè venerari; in aliorum verò, maximè priſcorum venerationem tacitè conſenſerunt; populi, communem, & immemora- 4. *Traditio & praxis Eccleſiæ oſtendit cultum Sanctorum licitum.*

morabilem cultum eorundem approbando: Ergo &c.

5. *Innumera quoque miracula.* Probatur quartò innumeris miraculis; quibus DEUS comprobavit Cultum Sanctorum tanquam sibi gratum, beneficia varia impertiendo Cultoribus Sanctorum; mirè puniendo blasphemantes, & spernentes venerationem, invocationemq; Servorum DEI, de quibus passim complura extant exempla apud priscos, recentioresque Scriptores: Ergo &c.

6. *Et complures rationes Theologicæ.* Probatur quintò rationibus Theologicis: *Primò*; Sancti pollent specialibus præcellentijs supernaturalibus Sanctitatis, & gratiarum variarum: Ergo ratione harum meritò, & licitè eis impenditur Cultus Duliæ. Conseq: tenet; quia Cultus civilis meritò, & licitè impenditur Viro, prædito præcellentiâ virtutis alicujus civilis, prudentiæ, v. g. sapientiæ, nobilitatis, &c. Ergo præcellentijs supernaturalibus impendi potest major Cultus, puta, Duliæ. *Secundò*; honor & Cultus Duliæ Sanctis impensus principaliter tribuitur Christo DEO, qui author est Sanctitatis Sanctorum, juxta D. Ambrosium *serm: 6:* dicentem, *quisquis honorat Martyres, honorat & Christum*, sicut è contrario, qui teste eodem Patre *cit: spernit Sanctos, spernit & Dominum*: Ergo licitè coluntur Sancti. *Tertiò*; Sancti præstant varia beneficia suis Clientibus, signanter agendo eorum Patronos ad Divinam Majestatem, uti patet ex Damasceno *lib: 3. de Fide cap: 13.* dicente, *an non honorandi Sancti, qui totius generis humani Patronos esse se profitentur?* Ergo meritò in gratitudinis vicem eis aliquis Cultus proportionatus est impendendus; non alius autem quàm Duliæ, qui respicit eximiam excellentiam Sanctitatis: Ergo &c.

7. *Objecta hæreticorum contra cultum Sanctorum proponuntur.* Objiciunt hæretici *Primò*: S. Scriptura prohibet Cultum Sanctorum Angelorum, nam ad Coloss: 2. dicitur, *nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum* &c. *Secundò, 1. ad Tim: 1.* demandatur *soli DEO honor & gloria. Tertiò* S. Petrus recusavit cultum sui à Cornelio exhibendum, *Act: 10.* Similiter Angelus adorationē sui à S. Joanne Evangelista exhibendam prohibuit. *Quartò* SS: PP: vetant coli Sanctos; signanter D. Athanasius, qui *serm: 3. cōtra Arian:* vult nec Angelos, nec homines esse colendos. Et D. Augustinus *lib: de vera Relig: cap: 55.* ait, *non sit nobis religio cultus hominum mortuorum; quia si piè vixerunt, non tamen habentur, ut tales honores quærant, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes*: Ergo &c. *Quintò*, Cultus Sanctorū derogat cultui DEI: Ergo &c.

8. *Eadem refutantur.* Respondeo *ad Primum* glossando Scripturam, & dico per eam solùm prohiberi superstitiosum Cultum Angelorum in quadam ficta humilitate, & religione consistentem, quem impendebant Angelis SemiJudæi, & Semiplatonici, fingentes Angelos esse quosdam medios DEOS, & opifices, ac gubernatores hujus universi, necessariò priùs tanquam Mediatores colendos, quàm Christum, & DEUM Patrem. *Ad secundum* dico, illum passum Scripturæ esse intelligendum de Cultu Latriæ, qui soli DEO debetur, & nequaquam Sanctis. Ad *Tertium* dicit D. Hieronymus *lib: contra Vigilant:* D. Petrum ideo recusâsse adorationem Cornelij, quia Cornelius voluit adorare Petrum sicut DEUM saltem minorem, prout Act. 14. Lycaones referuntur voluisse Paulo, & Barnabæ sacrificare veluti Mercurio, & Jovi. Alij rectiùs dicunt Petrum ex modestia, civilitate, & humilitate tantùm recusâsse honorem, & civicam venerationem Cornelij. Ad *Quartum* glosso SS: PP: & dico eos tantùm vetare Cultum Latriæ Angelis impendendum; uti patet ex ipsomet Augustino *lib: 20 contra Faustum cap: 21.* se explicante in hunc modum, *at illo Cultu, qui græcè Latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quadam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum esse docemus nisi unum DEUM.* Ad *Quintum* Neg: Ant: nam Sancti non coluntur ut DEUS; unde Augustinus *ep: 44.* alloquens Ethnicos objicientes Cultum Sanctorum ut illicitum, ait; *utinam & vos illos colere velletis, facilè enim ab illis discederetis non illos colere, id est, non colere ut DEOS, sed ut Sanctos.*

9. *Hostes Invocationis Sanctorum.* Circa alterum articulum quæstionis ijdem quoque Hæretici, qui Cultum Sanctorum impugnârunt, etiam Invocationem Sanctorum proscribere conati sunt, puta Vigilantius apud Hieronymum *lib: 1. contra eundem*, & Copronymus, qui apud Glicam *4. annal:* publicè edictò vetuit Sanctorum interpellationem. Et Valdenses apud Guidonem *hær: 6.* Et Lollardi apud Trithemium *in Cron: ad ann: 1315.* Wiclephistæ, item Lutherani, & Calvinistæ; unde

unde Calvinus *lib: 1. Instit: cap: 14.* Invocationem Angelorum appellat *Platonicam Philosophiam*, & *lib: 3. cap: 3.* eam vocat, *novitatem, superstitionem, horrendum sacrilegium, profanationem intercessionis Christi &c.* Et ibidem S Georgium, & Hypolitum invocatos à Catholicis proclamat *Larvas*. Et *lib: de ratione refor: Ecclef:* S. Dominicum aliosquè Sanctos vocitat *Carnifices*; S. Medardum, & cæteros Beatos *Bestias* &c. Contra istos Errones.

10. *Sanctorum invocatio semper fuit licita, uti constat ex Scriptura.*

DICO secundò: Invocatio Sanctorum semper fuit licita, & meritò practicata à populo fideli. Ita SS: PP: & Theologi.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, in qua extant varia exempla Invocationis Sanctorum non reprobata: sic Gen: *48.* Jacob invocat & precatur Angelum, ut benedicat Filijs Joseph. Et Eliphaz supponit esse licitam, & practicabilem invocationem Sanctorum Angelorum, dum ait Job *5.* *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere* Idem colligitur ex illo Jeremiæ *15.* *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum ipsum.* Et Daniel *cap: 8. & 9.* supplicat illuminari ab Angelo, & impetrat. Et in *lib:* Tobiæ, Zachariæ 1. & Apocalypsi *cap: 5. & 8.* Angeli intercedut ad DEUM pro hominibus, offerunt DEO preces eorum, & varia conferunt beneficia eisdem: Ergo Invocatio Sanctorum fuit semper licita, & meritò prcticata à populo fideli.

11. *Et SS: Concilijs.*

Prob: secundò authoritate Conciliorum; Invocationem Sanctorum approbantium; unde VII. Synodus *act: 1.* approbat epistolam Tharasij *ad Joannem Presbyt: & Anachor:* in qua dicitur, *poscimus intercessionem Intemeratæ Dominæ nostræ DEIparæ, sanctorum item Angelorum, omniumquè divorum.* Eandem confirmat Concilium Calcedonense *act: 11.* in quo exclamant Patres invocantes D. Flavium, *Flavius post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et Trident: *sess: 25. in Decreto de Invocat: SS:* ait, *bonum & utile est Sanctos invocare: Ergo.*

12. *Nec non Patrum testimonijs.*

Probatur tertiò authoritate SS PP: orantium, & distinctis formulis invocantium Sanctos; unde interpellat S. Gregorius Nazianzenus *orat: funebr: in Basilium*, eundem sanctum sequenti oratiõe *tu Caput, è cœlo nos aspice; & carnis stimulum à DEO nobis ad disciplinam datum vel precibus tuis siste, vel persuade fortiter ferre.* Et Gregorius Nyssenus *orat: in S. Theodorum* invocando orat ad memoratum Sanctum, *intercede pro nobis apud communem Regem - - - - tanquam miles pro nobis pugna; tanquã Martyr pro conservis utere libertate.* Idem præstat D. Basilius *hom: 20. de 40. Martyr:* Ergo &c. Confirmatur authoritate D. Augustini Invocationem Sanctorum plurimis testimonijs comprobantis, maximè *serm: 52. de diversis cap: 6.* Et *serm: 94. 96. & 99.* Et S. Heronymi *epist: 1. 25. 27. & in lib: contra Vigilant:* Et S. Chrysostomi *hom: panegyr: de Mart: Ægypt:* Et in *ep: 1. ad Corinth: 1. 12.* Et in *hom: de SS: Berenice* &c. Ergo &c.

Probatur quartò: Tum traditione perpetuâ & non interrupta Synagogæ, nec non Ecclesiæ, Invocationem Sanctorum tolerantis, & approbantis. Tum innumeris miraculis, ad Invocationem Sanctorum editis, uti constat ex authenticis historijs. Tum tandem ex consensu Christi fidelium: Ergo &c. 13. *Traditione Ecclesiæ.*

Probatur quintò ratione Theologicâ: ex nullo capite videtur Sanctorum Invocatio reprobanda: Ergo &c. 14. *Et ratione Theologica.* Probatur Ant. non ex eo *quòd ipsa deroget Christi honori*; quia invocare justos vivos & eorum orationibus se recommendare non derogat honori Christi; cùm talem Invocationem & recommeodationem practicaverit D. Paulus ad Thessal: inquiens, *Fratres orate pro nobis*: Ergo neque invocare justos mortuos, seu Sanctos derogat honori Christi. Neque ex eo *quòd nos invocantes audire aut videre non possint*, ut somniat Calvinus *lib: 3. Instit: cap: 20* dicens, *quis tam usque longas aures esse illis revelavit, quæ ad aures nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent?* quia etsi materiales aures tam longas non habeant, ut ijs nostras Invocationes vocales percipiant; habent nihilominus aures, & oculos spirituales, quibus eas attingũt; quales habent Angeli, quibus Luc: 15. percipiunt conversionem peccatoris; & quales habuit Elisæus, qui *4. Reg: 6.* intima consilia Regis Assyriorum penetravit: percipiunt ergo sancti nostras Invocationes in Verbo, dicente Gregorio Magno *lib: 4. Dialog: cap: 33. quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Neq; ex eo, *quòd nobis opitulari nequeant*: quia ut dicit S. Bernardus *serm: in Vigil: Sancti nos tria in festivitatibus Sanctorum considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum*

emplum

templum ejus, confusionem nostram, auxilium ejus quia potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini DEI sui. Neq; tandem ex eo, *quòd Sancti in vocati nolint patrocinari nobis*; quia si vivens Paulus ita accensus erat charitate in ordine ad patrocinandum proximo, ut propterea dixerit, *cupiebam anathema esse à Christo pro Patribus meis*; quantò magis jam collocatus in gloria; unde Bernardus, *Si Sanctus, dum hic viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro illis nunc tantò amplius, quantò verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, qui beatâ illâ patriâ charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit*: Ergo ex nullo capite videtur Sanctorum Invocatio reprobanda.

15. *Hæretici opponunt ex multiplici capite contra Invocationem Sanctorum; & refutantur.* Objiciunt hæretici *Primò*: ex Scriptura S. constat Sanctorum Invocationem non esse tolerandam, nec utilem: Ergo &c. Probatur Ant: quoad primam partem, nam *1. ad Tim: 2.* dicitur, *esse unus DEUS, unus & DEI, & hominum Mediator Christus Jesus.* Similiter *1. Joan: 2.* habetur, *si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem IESUM Christum*: Ergo non est toleranda Invocatio aliorum Mediatorum, & Advocatorum. Probatur idem Ant: quo ad secundam partem; Eccles: *9.* dicitur, *quòd mortui nihil noverunt amplius.* Et Isaiæ *63.* *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos*: Ergo inutilis est Invocatio Sanctorum. Respondeo Neg: Ant: ad probationem primæ partis ejusdem glosso *primum textum*, & dico eum solùm procedere de mediatione redemptionis, ac si diceret, unicus est Mediator, id est, Redemptor hominum; unde subdit ibidem, *qui dedit semetipsum Redemptionem pro nobis*: cum quo stat, quòd dentur alij plures Mediatores, id est, interpellatores pro hominibus ad DEUM. *Ad secundum textum* dico, Christum esse principalem Advocatum ad Patrem; Sanctos verò minùs principales, & subordinatos, qui advocationi Christi nequaquam præjudicant. Ad probationem secundæ partis Ant: principalis, explico *primum passum*, & dico eum ab Ecclesiaste esse prolatum in persona impiorum, uti liquet ex contextu, & illo quòd subditur, *nec habent ultra mercedem.* Et dato, quod loquatur ex propria sententia, tunc glosso illum textum, & dico mortuos nil noscere ampliùs notitiâ naturali, & experimentali, à sensibus dependente; cum quo stat, quòd Orationes, & Invocationes nostras noscant scientiâ supernaturali beatificâ in Verbo. Explico etiam *secundum passum* cum D. Hieronymo, & dico eum esse intelligendum in hoc sensu, quòd Abraham & Jacob non noscant posteros suos Hebræos scientiâ approbationis, id est, quod non agnoscant eos pro filijs, eò quòd in varia vitia, maximè idololatriæ, & alia prolapsi, degeneres effecti fuerant, ut Filij tantorum Patriarcharum nominarentur.

Objiciunt secundò complures SS: PP. qui videntur sentire Sanctos nequaquam esse invocandos; signanter autem obtrudunt Clementem Alexandrinum *lib: strom: cap: 8.* Origenem *lib: 8. contra Celes:* Irenæum *lib: 2. cap: 57.* Ignatium *epist: ad Philad:* &c. Ergo &c. *Tertiò* Invocatio Sanctorum omnino præjudicat gloriæ DEI, qui est unicus Protector noster: Ergo &c. *Quartò* eadem derogat efficacitati orationis Christi, quâ omnes gratias nobis promeruit: Ergo &c. Insuper præjudicat ejus promptitudini, quâ paratus est semper interpellare ad DEUM pro nobis, ut idcirco opus non habeamus alio recursu ad Sanctos: Ergo &c. 16. *Objiciunt iterum.*

17. *Sed rejiciuntur.* Respondeo ad *primum*, glossando allegatos PP: & dico eos solùm velle, quòd Sancti non sint invocandi tanquam aliqui Dij, & quasi ab eis præcisè, & non à DEO bonorum omnium largitore beneficia essent petenda: cum quo stat, quod ipsi invocari possint tanquam suffragatores, & interpellatores ad DEUM, ut is principaliter petita beneficia conferat. Vel certè volunt, ut Sancti non invocentur cum prælatione vel æqualitate ad Christum; sed bene tanquam subordinati sollicitatores per Christum ad DEUM. *Ad rationem primam in oppositum* Neg: Ant: nam Sancti non invocantur tanquam Protectores supremi, qui sua authoritate & potestate homines protegerent; sed tanquam Patroni, ut apud DEUM protectionem hominibus obtineant suis interpellationibus. *Ad alteram rationem* Neg: quoque Ant: nam sicut non derogat efficacitati orationis Christi, quòd Sacramenta nobis applicemus, quibus obtinemus gratias Sacramentales; ita pariter nec derogat, si Sanctos invocemus; ut ipsi per Christum nobis aliquas gratias impetrent. *Ad ultimam* Neg: similiter Ant: & dico, tamesi Christus sit paratissimus ad interpellandum pro nobis; attamen quia non semper

cum debita dispositione. modo, & ordine ad eum accedimus, idcirco rectè confugimus ad Sanctos ceu familiares Regis cœlestis, ut ipsi suppleant indispositionem nostram, atque inefficaciam precum nostrarum; utquè ita beneficium postulatum obtineamus per merita, & interpositionem Christi.

QUÆSTIO V.

De Cultu Sacrarum Reliquiarum.

1. *Persecutores Sacrarum Reliquiarū.*



Acratarū exuviarum & Reliquiarum Sanctorum Cultum ijdem Hæretici supprimere conati fuêre, qui suprà eorundem Cultum, & Invocationem verbis, ac factis infestârunt; unde Eunomius & Vigilantius Catholicarum Reliquiarum Cultores vocitabant *Cinerareos*, & *Idololatras*. Lutherus *serm: de Cruce*, sacras has portiones Cœlitum in terris relictas, vilipendendo *blattis* & *tineis* commendat, *seductiones* appellat, & *altissimè sub terra defodiendas* cupit; Wilcleph easdem mirè abominatur.

2. *Quid intelligatur nomine Reliquiarum.* NOTA autem primò: nomine *Reliquiarum* intelligi tum corpora Sanctorum, justè defunctorum, eorùmque portiones etiam minimas, vestes, ac alia, quibus usi fuere Sancti in hac vita ad suam necessitatem ministeriumquè pœnitentiæ, ac mortificationis.

DICO primò: Sanctorum Reliquiæ statim ab exordio Ecclesiæ veneratæ fuerunt; & licitò meritòquè cultu honoratæ. Ita Catholici omnes.

3. *Sacra Reliquia Sanctorum ab Initio Ecclesiæ fuerunt in veneratione.* Probatur primò authoritate S. Scripturæ; afferentis exempla cultûs diversarum Reliquiarum; sic narratur Exodi 13. quòd Moyses secum cum veneratione asportaverit ex Ægypto ossa S. Joseph Patriarchæ. Et 4. *Reg: cap:* 13. ipsemet DEUS etiam confirmans venerationem Reliquiarum corporis Elisæi, cadaver quoddam in sepulchrum dicti Prophetæ injectum contactu corporis ejusdem illicò suscitavit, ne videlicet cultus sacri corporis profano cadavere associato tolleretur. Et 4. *Reg:* 23. Josias eversis idolis, & sepulchris idololatrarum ejusdem Prophetæ ossa, casu reperta, jussit separari, & intacta manere; unde additur ibidem, *Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Samaria*: Ergo &c.

4. *Scriptura pro cultu Reliquiarū.* Probatur secundò rursùs authoritate Scripturæ; varios prodigiosos effectus Reliquiarum allegantis, ex quibus earum veneratio, ac Cultus licitus, meritusquè colligitur; sic Matth: 6. de fimbria D. Petri habetur, quòd patrârit miracula. Et Act: 19. sudaria, ac semicinctia D. Pauli ægrotos miraculosè curârunt. Et sanè si umbra sola D. Petri, ut in ijsdem actibus Apostolicis legitur, miracula operata est, quantò magis ossa, cæteræquè Reliquiæ Sanctorum.

5. *Concilia Oecumenica ad idem.* Probatur tertiò authoritate sacrorū Conciliorum Oecumenicorū; Cultum Reliquiarū, ut licitum, & meritò ipsis impendendum difinientium; sic determinavit Nicænum II. quod Sacras Reliquias vocat *fontes salutares*. *Et Act:* 7. excommunicat contemnentes Martyrum lypsana. Eundem Cultum approbat Lateranense III. sub Innocentio III. *can: 6. tit: de Reliq: & vener: SS*: Et in Clement: *eod: tit*: Et Trident: *sess: 25. in Decreto de Invocat: SS*: Accedunt quoque Concilia Provincialia complura, signanter Carthaginense V. Braccarense III. Moguntinum. Et tandem Gangrense, proclamans anathema in eos, qui memorias Martyrum execrantur. Addi potest tandem etiam Jus Civile, Reliquiarum venerationem commendans (*de Epist: & Cleric: L. deternimus*: Ergo &c.

6. *Authoritates quoque SS: PP: pro eodem cultu.* Probatur quartò authoritate SS: PP: Cultum Reliquiarum approbatarum adstruentium, & commendantium; unde testatur D. Hieronymus adhuc suo tempore in Sebaste devotè coli ossa Prophetarum Oseæ, Jonæ, & Abdiæ. Et D. Ambrosius *Ep:* 53. de SS: Gervasio, & Protasio ait, *condamus ergo Reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus invehamus; totamquè diem fidâ devotione celebremus.* Et D. Basilius in illud *psal: 115. pretiosa in conspectu Domini* rescribit, *in lege veteri morticinia habentur in abominatione; nunc contra si mors cuipiam irrogatur pro Christi nomine pretiosa censentur Reliquiæ ejus; tunc si quis tangeret cadaver, immundus erat; nunc Martyris ossa si quis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quodammodò sanctificationis particeps.* Lege etiam D. Chrysostomum *hom: 65. de SS: Beren*: &c. D. Augustinum *lib: 22. de Civ: cap: 3.* & alios PP: Ergo &c.

7. *Qui & tra-* Probatur quintò: tum perpetua tradi-

ditione Ecclesiæ suadetur. traditione Ecclesiæ, Sanctorum Reliquias venerantis; uti constat ex *citatis* suprà Synodis generalibus, ac Provincialibus. Tum ex solemnibus Translationibus Reliquiarum quorundam Sanctorum, ac earum in volucris in thecis aureis, & argenteis statim ab exordio Ecclesiæ factis, de quibus vide Hieronymum *ep: 53.* & Bellarminum *lib: 2. cap: 3.* Tum ex constructione Ararum cum impositione variarum Reliquiarum; ac earundem delatione in publicis Processionibus, ab Ecclesia toleratis. Tum ex ratione Theologica; quia corpora Sanctorum habent speciales prærogativas, ob quas meritò sunt colenda; fuerunt enim organa animæ ad opera pietatis; organa quoque Spiritus S. ad patranda miracula, & conferenda beneficia complura; eruntquè aliquando consortia beatitudinis supernaturalis: Ergo ab exordio Ecclesiæ licitè, meritoquè semper fuerunt venerata.

8. *Objecta hæreticorum diluuntur.* Objiciunt hæretici *primò*: Christus reprehendit venerationem Reliquiarum, maximè illam, quæ relucet in ædificatione sepulchrorum eorundem; unde dicit Pharisæis Luc: 11. *væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum*: Ergo &c. *Secundò* DEUS abscondit corpus S. Moysis, ut habetur Deut: *ult*: ne coleretur à Judæis: Ergo &c. *Tertiò* Concilium Eliberit: adversatur conclusioni; nam *can: 34.* ait: *cereos per diem placuit in Cæmiterio non accendi; inquietandi enim Spiritus Sanctorum non sunt.* Respondeo *ad Primum*; Neg: Ant: ad Scripturam dico, per eam solùm reprehendi Judæos, quòd per hypocrisim, ut virtutem pietatis ostentent, ædificent monumenta Prophetarum, & ornent sepulchra eorum, atque ita occultent animum malevolum erga Christum Principem Prophetarum; cùm tamen eum occidere meditarentur, sicut Patres eorum occiderunt alios Prophetas. *Ad secundum* dico, ideo duntaxat corpus Moysis fuisse absconditum à DEO, ne illud colerent tanquam Idolum; eò quòd populus Israeliticus esset tunc pronus ad Idololatriam, & aliunde recordabatur factorum mirabilium Moysis, Superioritatis ac regiminis felicis ejusdem. Cæterùm cùm in populo Christiano cesset ejusmodi periculum idololatrandi, propter datas bonas instructiones de Cultu Reliquiarum, idcirco Sanctorum Reliquiæ non sunt altè in terram defodiendæ, ut vult Lutherus. *Ad tertium* Neg: Ant: ad allegatum canonem dico, cereorum accensionem in Cæmiterio ideo solùm prohibitam esse, ne Christiani eos accendentes, & gentilibus cohabitantes videantur imitari Ethnicorum Fidem, ac ritus superstitiosos, quibus sibi persvadebant animas defunctorum adhuc degere in sepulchris, eorumquè corpora adhuc habere aliquid sensûs, cibis, ac lucernis quandoque indigere.

NOTA autem secundò; ut licitè institui possit Cultus privatus aliquarum Reliquiarum, non requiri approbationem eorundem ab Episcopo factam; ut rectè hic docet P. Herincx; sed sufficit, quòd per relationem fide dignam, aut alia indicia fundantia moralem certitudinem, constet eas reverà esse exuvias alicujus veri Sancti. Similiter ad ejusmodi Cultum non requiritur, ut sint Reliquiæ alicujus Sancti, jam ab Ecclesia actu solemni canonizationis in Divorum numerum relati, sed sufficit moralem habere certitudinem de ejus Sanctimonia. 9. *Privatus Cultus Reliquiarum non requirit approbationem Episcopi.*

NOTA tertiò: ut autem Cultus publicus Reliquiarum aliquarum novarum, aut noviter inventarum licitè institui valeat, debent eæ, antequam populo pro publica veneratione super altare, aut in alio Ecclesiæ loco exponantur, recognosci & approbari ab Ordinario loci, adhibitis in Consilium Theologis, alijsquè viris pijs, imò in casu quo gravis aliqua difficultas circa hoc orietur, resolutio Concilij Provincialis foret expectanda juxta Tridentium *sess: 25. in Decreto de Reliq:* &c. Quæ doctrina intelligitur de Reliquijs, quæ exponuntur ut exuviæ Sancti Canonizati, vel Beatificati, uti tenet P. Herinex, Barbosa, Sanchez, Rodriquez &c. Quæ enim exponuntur tanquam Reliquiæ necdum Canonizati, etiam Summi Pontificis approbationem requirunt, uti habet Lateranense relatum *in cap: 2. de Reliq. & vener: SS.* 10. *Bene tamen publicus.*

NOTA quartò: Reliquias debitè recognitas, & approbatas posse absolute publicè coli, tametsi in diversis locis perhibeantur esse; uti de S. Adalberto Episcopo & Martyre contingit, cujus sacra lypsana à Boëmis asseruntur esse Pragæ in Boëmia in Metropolitana Ecclesia; à Polonis verò Gnesnæ in Polonia. Ratio est, quia Cultus Reliquiarum terminatur ad substantiam, id est, ad os, vel alias exuvias Sancti; unde in substantia non erratur à colentibus, ubicun- 11. *Reliquiæ quæ asseruntur esse in diversis locis, in ejsdem simul coli possunt.*

ubicunque illa exiſtat; ſed tantùm erratur in ſingularitate materiæ, dum nimirum colentes arbitrantur hanc materiam eſſe hujus Sancti; cùm intereà ſit alterius Sancti; uti contingit in veneratione Reliquiarum plurium incognitarum, quæ è Catacumbis Romanis elevantur, & à Pontifice novo nomine Sancti inſigniuntur, ac, ut dicitur, baptizantur.

11. *Decret Urbani VIII. de Cultu Servorum DEI.* NOTA quintò: Circa Servos DEI necdum beatificatos emanâſſe Decretum Urbani VIII. Summi Pontificis, editum anni 1625. die 13. Mart: quô prohibentur ſequentia. *Primò* ne Imagines eorum in oratorijs publicis, & privatis, vel Eccleſijs pingantur cum ſignis venerationem, ac Cultum aliquem præ ſe ferentibus, v.g. cum ſplendoribùs, aut radijs circa caput, laureolis, & ſimilibus. *Secundò* ne ad ſepulchra eorum appendantur tabellæ votivæ, aut Imagines ex quacunq; materia demùm forent; intellige ſtabiliter, & permanenter, ut idem Pontifex poſtea declaravit. *Tertiò*, ne ad eorundem Mauſolæa, vel Imagines luminaria tolerentur. *Quartò*, ne libri, miracula, revelationes, aliaquè ab eis geſta edantur: *declarans* tamen, *quòd per ſupra ſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per commmem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumquè Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientiâ, ac tolerantiâ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij coluntur.* Circa hoc Decretum putat Baſſæus, & Herincx attendendam eſſe receptionem, & vigorem illius Urbanianæ ordinationis, quæ nonnullis in locis Chriſtianitatis, maximè remotis ab Urbe, non viget, & aliter practicatur per longam conſuetudinem, Ordinarijs locorum deſuper tacentibus.

QUÆSTIO VI.

De Cultu Sacrarum Imaginum.

1. *Aſſeruntur Iconomachi.* OTA primò: primos Iconomachos, ſeu ſacrarum Imaginum impugnatores fuiſſe quoſdam Judæos, uti patet ex Thalmud, edito anno 476. Hos ſecutus eſt Machometes in ſuo Alcorano *cap: 15. & 17.* Maximè autem Iconomachiam promovit quidam Hebræus circa tempora Concilij II. Nicæni, qui primùm Arabes, deinde etiam Græcos; imò & Leonem Iſauricum Imperatorem, acerbiſſimum Iconoclaſten errore peſſimo de abolendis, profanandis, & exterminandis Imaginibus ſacris imbuit. Patrem Iſauricum imitatus eſt impiobus Filius Copronymus, alijquè Orientis hæretici Auguſti, puta, Leo Armenus, Michaël Balbus, & Theophilus. Iiſdem ſacris Iconibus bellum movit in occidente Claudius Hiſpanus Felicis Urgelitani diſcipulus poſtea Epiſcopus Taurinenſis. Item Wicleff. ann: 1372. Caroloſtadius Lutheri diſcipulus, Zvvinglius, Calvinus, & Lutherus.

DICO primò: Licitè poſſunt effigiari ſacræ Imagines DEI, Chriſti, & Sanctorum, atque collocari in privatis ædibus, publiciſquè Oratorijs, ac Eccleſijs. Ita communis Catholicorum contra præfatos hæreticos.

Probatur Primò ex facto ipſiuſmet Chriſti, qui vultum ſuum pallio impreſſum, & debitè effigiatum refertur tranſmiſiſſe Abagaro Regi Edeſſæ, uti recenſent Scriptores omni exceptione majores, S. Damaſus, & Stephanus, ac Adrianus Pontifices, & teſtatur ſe conſpexiſſe Leo Lector in VII. Synodo: 5. Ergo &c. 2. *Sacra Imagines licitè effigiantur, & obſervantur.*

Probatur ſecundò authoritate Conciliorum Oecumenicorum: nam effigiationem ſactatum Iconum earumquè uſum ab antiquo permittit, & approbat VII. Synodus *act: 7. act: 5.* ubi refert, & approbat hiſtoriam de Chriſti Crucifixi Imagine, à Nicodemo depicta; quæ dum à perfida gente Hebræorum fuiſſet lanceâ perforata, ſanguine & aquâ manavit. Concluſionem quoque ſuſtinuit Tridentium *ſeſſ: 25. in Decreto de Invoc: SS: & ſacris Imagin:* Ergo &c. 3. *Quod conſtat ex Concilijs.*

Probatur tertiò antiquo uſu Synagogæ, permittentis Imagines Cherubim in templo Salomonis. Et ex traditione perpetua Eccleſiæ, Imagines ſacras tolerantis, & earum uſum approbantis in Eccleſijs, uti conſtat tum ex VII. Synodo *cit:* & ex Concilio Conſtantinopolitano ſub Men: *act: 5.* Tum ex hiſtorijs veridicis Eccleſiaſticis, referentibus effigiem Chriſti in Sudario expreſſam à S. Berenice (aliàs Veronica) uſque modò conſervari Romæ, quam & ego Romæ exiſtens tempore Pontificatûs Alexandri VII. Summi Pontificis pluries conſpexi. Et ex narrationibus Nicephori, Damaſceni, ac D. Thomæ, atteſtantibus 4. *Traditione Eccleſiæ & uſu Synagogæ.*

stantibus Imagines quasdam Christi, & DEIparæ fuisse depictas à S. Luca, & defacto in quibusdam partibus Orbis conservari cum singulari veneratione: Ergo &c.

5. *Assertione SS: PP:* Probatur quartò: authoritate SS: PP: attestantium, licitum usum, & effigiationem sacrarum Imaginum in templis, & ædibus; unde scribit S. Damasus in vita S. Sylvestri; *Hisce temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicam Constantinianam, ubi posuit dona ista, fastigiam argenteam habens in fronte Salvatorem sedentem*, id est, Imaginem Salvatoris. Et Paulinus Nolanus *ep: 12. ad Sever: recte in loco refectionis humanæ Martinus pingitur*, &c. lege etiam Ambrosium *ep: de SS: Gertas. & Basilium lib: de puducitia cap:* 7. Ergo &c.

6. *Et Argumentu Theologicu.* Probatur quintò: Sacræ Imagines Christi & Sanctorum tam in privatis ædibus, quàm in Oratorijs publicis, & Ecclesijs sunt utiles ad excitandam memoriam Christi, & sanctorum; sunt stimuli ad eorundem imitationem in salutaribus actionibus, non minùs quàm libri, qui tamen etiam secundùm hæreticos, licitè imprimuntur de vita Christi, & Sanctorum; unde rectè Gregorius Magnus *lib: 9. ep: 9. quod legentibus Scriptura, hoc Idiotis præstat pictura cernentibus.* Similiter Icones sacræ cedunt in honorem Christi, & Sanctorum. Ad earum quoque præsentiam, & Cultum DEUS sæpius operatur miracula, varias gratias, & beneficia præstando. Et aliunde eorum figuratio, ac usus nihil mali involuit, ut patebit, mox solvendo objecta hæreticorum: Ergo Sacræ Imagines licitè possunt effigiari, ac collocari in ædibus privatis, & publicis Oratorijs, ac Ecclesijs.

7. *Hæretici obtrudunt varia motiva contra Sacrarum Imaginum effigiationē.* Objiciunt hæretici *Primò*: Effigiatio Imaginem maximè Sanctorum vetatur à DEO; unde dicitur Exod: 20. *non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem;* id est, Imaginem quamcunque creaturæ etiam Sanctæ: Ergo &c. *Secundò* easdem prohibet Concilium Elibertinum *can: 36.* dicens, *placuit in templis non haberi picturas, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*: Ergo &c. *Tertiò* Conciliū Constantinopolitanum celebratum sub Leone Imperatore; & alterum III. sic dictum reprobant usum Imaginum. Et Francofordiense rejicit VII. Synodum Imagines approbantem, ut refert Addo *in Chronic: ann: 795.* Ergo &c. *Quartò* S. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius Augusti devoti scripserunt libros contra Imagines; uti refert Calvinus *lib: 1. Instit: cap: 11.* & Magdeburgenses *centur: 8. cap. 9.* Ergo &c. *Quintò* SS: PP: Irenæus *lib: 1. cap: 24* Epiphanius *hæret: 79.* Ambrosius *de obitu Theodosij*. Hieronymus *in cap: 8. Dan*: Et Gregorius Papa *lib: 7. Epistolarum, ep: 54. & 109.* usum Imaginū reprobant: Ergo &c.

8. Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: & glosso textum Exodi dicendo, quòd solum prohibeat usum idolorum; unde Septuaginta locò *sculptilis*, vertunt *idolum*. Et si quid ampliùs prohibeat, id est, etiam usum similitudinum seu Imaginum, dico illam prohibitionem fuisse purè cæremonialem, quæ unà cum alijs Legis Mosaicæ cæremonialibus legibus est evacuata per Legem Novam. *Ad Secundum* dico, vel illum canonem esse suppositititium, ut conjecturat Baronius *ad ann: 57.* vel modici roboris, eò quòd conditus à solâ Synodo Provinciali, collecta ex 19. duntaxat Episcopis, vel tandem non est prohibitivus simpliciter, quasi nullatenus Imagines Sanctorum possent pingi; sed tantùm vetat, ne pingantur in parietibus Ecclesiarum, eò quòd facilè ibidem possint deturpari, deformari, ac indecentiam quandam, & monstruositatem pati; atque ita fieri ludibrio Ethnicis, easdem impugnantibus. *Ad Tertium* dico, illa duo Concilia Constantinopolitana fuisse Pseudo Synodos; quia inconsultâ Sede Apostolicâ celebrata; cujus tamen annuentia omnino requiritur ad valorem cujuscunque Concilij, ut deciditur in Concilio Nicæno magno; & tenent omnes Theologi, confitenturquè Episcopi Ægyptiorum *epist: ad Felicem Papam*, quæ *tom: 1. Conciliorum* registratur illis verbis, *scimus in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.* Ad Francofordiense Concilium Neg: Ant: imò illa Synodus VII. fuit approbata à Synodo Francofordiensi. Vel si contendas reverà VII. Synodum fuisse rejectam à Synodo Francofordiensi; dico illam VII. Synodum non fuisse Synodum generalem in Spiritu S. congreatam, sed quandam Pseudo-Synodum VII. & Conciliabulum Iconomachorum. *Ad Quartum* dico, illos libros esse suppositios, & falsò à Magdeburgensibus, ac Calvino attributos tàm pijs Imperatoribus, qui Cultum Sanctorum ter sanctè pro-

Sed eadem energicè eliduntur.

dè profitebantur, uti ostendit noster P. Macedo *in suis controversijs fol: 591.* Ad Sanctos tandem Patres objectos respondeo sigillatim ; & dico, quòd *Irenæus loc: cit:* ideo arguat Carpocratem, quòd Imagines Christi coleret more gentili, id est, proprijs Sacrificijs Gentilium, simulquè cum eis adoraret Imagines Homeri, Platonis, Pythagoræ, & Aristotelis. *Epiphanius* verò *cit:* damnat Colliridianos propterea, quia impendebant DEiparæ Cultum tanquam cuidam DEÆ. *Ambrosius* autem solùm damnat *loc: cit:* Cultum Crucis, quando in ea non adoratur Christus, sed lignum nudè sumptum. *Hieronymus cit: loc:* tantùm negat statuas non debere adorari pro Dijs ; *Gregorius* tandem Cultum superstitiosum duntaxat Imaginum reprehendit.

9. *Iconomachis rursus objicientibus respondetur.* Objiciunt præterea hæretici ; Theologi Catholici Durandus, & Abulensis excipiunt saltem usum & effigiationem Imaginum DEI & SS: Trinitatis : Ergo &c. *Secundò* ; usus Imaginum est superstitiosus, & similis cuidam observantiæ Ethnicorum : Ergo &c. Respondeo *ad Primum*, allegatos Theologos quidem excipere usum & effigiationem DEI, ac SS: Trinitatis ; sed in hoc erràsse, uti habet Torrens communis aliorum Theologorum. Et sanè etiam DEUM, ac SS: Trinitatem non obstante ejus pura spiritualitate posse licitè effigiari, patet tum ex illo Tridentini *sess: 25. in Decreto de Invocat: SS:* ubi talem effigiationem permittit, & solam cautelam apponit, *ut doceatur Populus non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Tum ex usu vetustæ Ecclesiæ Nolanæ, quæ jam à tempore S. Paulini conservabat Imaginem SS: Trinitatis, in qua Christus in carne, vox Patris de cœlo, & Spiritus S. instar columbæ erat depictus. Tum tandem ex ratione ; nam si Scriptura S. licitè DEO attribuat per tropum membra ; quidni & pictor ? Et cùm DEUS ipse teste eâdem Scripturâ sæpius apparuerit in specie visibili ; cur non in simili quoque posset effigiari ? *Ad Secundum* Neg: Ant: nam Gentiles ideo utuntur Imaginibus Jovis ; Veneris, &c. Ut eas venerentur Cultu Latriæ ; Catholici autem S. Icones Angelorum, Apostolorum, &c: habent in suis ædibus, & Ecclesijs, ut eas venerentur Cultu Duliæ, qui est longè dispar cultui Ethnicorum. Unde.

DICO secundò : Non tantùm usus, sed & Cultus Sanctarum Imaginum est licitus. Ita communis SS: PP: & Theologorum ; contra Iconomachos suprà relatos.

Probatur primò ex Scriptura ; quæ testatur figuras illas, in quibus vel DEUS, vel Angeli Sancti Patriarchis, alijsque viris apparuêre, aliquo Cultu, utique Duliæ, veneratos fuisse ab ijsdem ; sic Abraham Gen: 22. Tres viros in Mambre apparentes adoravit, sive SS: Trinitatem, sive tres Angelos repræsentaverint. Et Loth: Gen: 19. in specie sensibili apparentes *duos Angelos pronus adoravit.* Idem Josue 5. fecit Josue. Et Daniel cum magna reverentia alloquitur *Angelum vestitum lineis, cujus corpus quasi Chrysolythus*, Dan: 10. Et Moyses Exod: 3. nonnè flammam Rubi, in qua Dominus apparebat, humiliter honoravit ? Et numquid Moyses, Josue, & Seniores expressuri Cultum Duliæ venerati sunt arcam fœderis, *Josue pronus* (inquit textus Jos: 7.) *cecidit in terram coram Arca Domini usque ad Vesperam, tam ipse, quàm Seniores Israël* : eandem Arcam in signum Cultûs solenni pompâ circumferebant Israëlitæ. Si Cultus Arcæ Domini, & aliarum figurarum fuit licitus olim, cur non & modo Cultus Sanctarum Imaginum ? 10. *Cultus quoque Sacrarum Imaginum est licitus, teste Scriptura.*

11. *Afferuntur Concilia pro licito Cultu Imaginum.* Probatur secundò authoritate Conciliorum conclusionem difinientium contra Iconomachos : signanter Nicæni Concilij II. & Romani sub Gregorio III. Et Synodi VII. Generalis. Et Florentini *sess: 5.* Et Tridentini *sess: 25. de Invocat: SS: & Sacris Imagin: dicentis, mandat S. Synodus - - - Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisquè debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in ijs Divinitas, vel virtus, per quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant ; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illi repræsentant, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt veneremur* :. Quo textu totus Cultus solitus à Catholicis impendi Sacris Imaginibus circumstantionatè explicatur : Ergo Cultus Sacrarum Imaginum est licitus.

Probatur

12. *Accedit authoritas SS: PP: eundem Cultum dogmatizans.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: Cultum sacrarum Imaginum per omne sæculum approbantium; unde Athanasius *lib: interrogat: & respon: ad Antiochum Princ:* dicit, *Christiani non aliâ ratione Imagines colunt, nisi quemadmodum etiam cùm Filios nostros, & Patres nostros osculamur animi nostri desiderium indicamus; sicut & Judæus olim legis tabulas, & duo Cherubin aurea, & sculptilia quondam adorabat, non lapidis, aurive naturam colens, sed Dominum, qui ea, ut fierent, præceperat.* Et D. Basilius *lib: contra Julian: Imperat:* scribit, *unde & historias, & characteres Imaginum illorum:* scilicet Apostolorum, Prophetarum, & Martyrum; *honoro, & adoro; præcipuè cùm hoc sit à SS: Apostolis nobis traditum, non est prohibendum; sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* Lege etiam Damascenum *Orat: pro Imag:* Et Theodoretum *histor: de Simone Stylita.* Et Augustinum *ep:* 103. & alibi sæpissimè; Gregorium, Theophylactum, Euthymium, Cyrillum Nilum, &c. Ergo &c.

13. *Quæ ex usu & Traditione tam Græca quàm Latina Ecclesia quoq; patet.*

Probatur quartò: Perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ utriusque Græcæ, & Latinæ, Cultum Sacrarum Imaginum practicantis; quæ constat tum ex Concilijs relatis: tum ex PP: allegatis. Idem stabilitur innumeris Miraculis authenticis pro Cultu, & honore Sanctarum Imaginum approbando editis: de quibus consule Eusebium Cæsariensem *lib:* 7. *historiar: cap:* 14. Et S. Damascenum *Orat.* 3. *de Imagin.* Et Paulum Diaconum *lib:* 21. *rerum Roman:* Euagrium, Athanasium, et VII. Synodum Generalem, referentes plurima miracula in confirmationem Cultûs Sanctarum Imaginum à DEO patrata: Ergo &c.

14. *Et docetur variis argumentis Theologicis.*

Probatur quintò conclusio ratione Theologicâ *Primò*: Imagines Regum, & Amicorum licitè honorantur cultu civili propter prototypa: Ergo similiter Imagines DEI, Christi Regis, & Sanctorum, utpote Amicorum DEI licitè coluntur Cultu majori. *Secundò*; Idola, & statuæ falsorum DEorum meritò abjiciuntur, & conteruntur, non propter materiam, ex qua compactæ sunt; sed propter respectum, quem habent in repræsentando dæmones, vel falsos DEOS: Ergo è contrario Imagines DEI veri, Christi, & Sanctorum licitè ac meritò effigiantur, & coluntur propter respectum, quem habent ad sua prototypa DEUM, Christum, & Sanctos. *Tertiò*; Cultus impensus Sanctis imaginibus redundat in honorem prototyporum; sicut despectus illatus statuis Imperatorum, & Regiarum personarum redundat in despectum eorundem, uti patet ex facto Theodosij Imperatoris, qui ignominiam Statuæ Suæ Augustæ illatam ab Antiochenis cæde tot millium vindicavit, uti refert S. Chrysostomus *Orat:* 2. & 3. & D. Ambrosius *Orat: de morte Theodosij*: Ergo talis Cultus licitè impenditur sanctis Imaginibus.

15. *Hæreticis impugnantibus Cultum Sacrarum Imaginum respondetur; & afferuntur varij modi licitè colendi Imagines.*

Objiciunt *primò* hæretici: Cultus Imaginum accedit ad Cultum idololaticum Gentilium: Ergo non est licitus. *Secundò*, Cultus Imaginum derogat honori prototyporum: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: ut patet dilucidè ex doctrina Concilij Tridentini, supra allata *probat:* 2. Itaque ut omnis cavillatio hæreticorum præcludatur, observandum est, Cultum & adorationem Imaginum rectè apud Catholicos uno ex sequentibus modis institui: *Primò*, ut actiones quædam honorificæ physicè, & ad extra quidem peragantur circa Imaginem Christi; vel alicujus Sancti; animus tamen internus reverà intendat tantummodò honorare ipsum Christum, vel Sanctum in entitate; ita ut materia Imaginis nullatenus honoretur animô; huc collimant illi Catholici versus:

Effigiem Christi transis, reverenter adora;
Non tam effigiem, sed quem designat honora.

Secundò; ut Cultus & actus adorationis primariò quidem animô exerceatur circa prototypon; secundariò tamen etiam ipsam Imaginem tanquam quid conjunctum prototypo; quemadmodum in Cultu Eucharistiæ primariò adoratur Christus, ejusque Divinitas; secundariò autem etiam species Sacramentales, tanquam signa Christum continentia. *Tertiò*; ut Imago substituatur locô exemplaris seu prototypti, sicut voces substituuntur pro rebus significatis, ac de votibus prædicatur id, quod solis rebus convenit: quo modo etsi actiones adorativæ physicè exercentur circa Imagines; moraliter tamen adoratur ipsum exemplar. *Ad secundam* Objectionem Neg: Ant: nam ut ait VII. Synodus *act:* 5. *Imaginis honor in prototypum resultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.*

DI-

DISTINCTIO XV.

De principalioribus Mysterijs vitæ Salvatoris nostri.

QUÆSTIO I.

De Conceptione Nativitate, Circumcisione, Epiphania, & alijs actis Christi, usque ad Baptismum.

1. *Ad Conceptionem Christi concurrit tam Spiritus S. quàm B. V. Maria.*



OTA Primò circa Conceptionem Christi: Eam peractam fuisse tum à Spiritu S. tum à Matre Virgine Maria. Ratio primi petitur ex illo Matth: *1. quòd enim in ea natum est, de Spiritu S.* Et illo Luc: *1. Spiritus S superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et tandem ex illo Symboli Apostolici, *qui conceptus est de Spiritu S.* Ratio secundi liquet primò ex illo Luc: *1. ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Secundò*, quia Christus dicebatur verè Filius Beatæ Virginis, uti fusiùs ostendi *Dist: 5. q: 4.* Ergo ipsa verè concurrit ad ejus conceptionem sicut aliæ matres. De hoc puncto vide plura, quæ dixi *cit: dist: 5. q: 4.*

2. *Conceptio Christi facta est post consensum Virginis.*

NOTA secundò: Conceptionem Christi non immediatè ad datam salutationem Angelicam, sed post præstitum demum consensum Virginis expressum illis verbis, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum* fuisse factam. Unde Augustinus *serm: 18. de Sanctis* dicit, *nec mora, revertitur Nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.*

3. *Quæ sit materia corporis Christi.*

Nota tertiò: Circa materiam, ex qua concepta, & formata fuit corpulenta substantia, seu humanitas Christi, & quomodo formata fuerit, satis me dixisse suprà *dist: 5 q: 4.*

4. *Christus fuit conceptus sine labe originalis peccati, at debito ejusdē.*

Nota quartò: Christum fuisse conceptum sine omni labe originalis peccati, omniquè ejus debito, conceptionibus omnibus aliorum hominum (si matrem Christi excipias) alias adhærente ob peccatum Adæ; uti patet ex Concilijs Oecumenicis, Patribus, communi Theologorum sensu, & ratione Theologica; quia non decebat eum, qui venit redimere Genus humanum ab illo malo originali universali, esse infectum eòdem malò. Circa Nativitatem Christi.

5. *Christus conceptus fuit 25. Martij; natus verò in Bethlem 25. Decemb:*

Nota quintò: Christum die 25. Martij conceptum, tandem exactis novem mensibus, & sex diebus fuisse natum 25. Decembris, uti habet recepta traditio Ecclesiæ. Facta fuit autem hæc Nativitas absque violatione, seu apertione claustri virginei, & uteri DEIparæ Virginis MARIÆ, & consequenter absque omni dolorifera passione; sicut docent SS: PP: & constat ex illo Responsorio Breviarij Romani, ordinato pro Festo Circumcisionis, *nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore.* Contigit præterea in civitate Bethlehem, olim Ephrata dicta, quemadmodum narrat S. textus; tempore imperij Octaviani Imperatoris, Anno 42. à creatione verò Mundi quinquies millesimo, centesimo, nonagesimo nono; Olympiade 194. uti calculat Martyrologium Romanum *die 25. Decemb:* Circa Circumcisionem Christi.

6. *Circumcisus verò die octavo à Ministris Synagogæ Bethlemitica ob varias causas.*

Nota sextò: Christum circumcisum fuisse in Bethlehem die octavo post sui Nativitatem, juxta illud Luc: *2. postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer:* &c. Quis porro hanc functionem Circumcisionis peregerit, variæ sunt opiniones PP: & TT: quidam autumant eam factam esse ab ipsamet S. Matre MARIA; quidam à Nutritio Christi D. Josepho; alij tandem, & fortè rectiùs, à Ministris Hebræis, servientibus in Synagoga Bethlehem, uti tenet D. Augustinus *lib: 2. contra Parmen: cap: 17.* permisit autem Christus se circumcidi non quasi applicaturus sibi remedium hoc (aliàs ordinatum ad deletionem Originalis peccati) pro abolendo à se peccato aliquo, ab Adamo contracto, vel quasi Lege illa veteri de suscipienda Circumcisione teneretur; sed ne Judæis ejus omissione præberet ansam se cavillandi; item ut ostenderet se reverà constare carne, per omnia simili nostræ carni; item ut nos doceret Legis observantiam, & obedientiam; & tandem ut communi quoque

que signaculò populi DEI consignarentur, uti discurrit hic P. Herincz. Circa Epiphaniam Christi.

7. *Varia Epiphania Christi.* Nota septimò: Epiphania idem est quòd *manifestatio*; Christus autem variam sortitus est Epiphaniam; *Primò*; quando fuit manifestatus per Angelum, qui Pastoribus ad gregem suum de nocte vigilantibus indicavit ejus Nativitatem. *Secundò*; per Simeonem justum, quando fuit præsentatus in templo die Purificationis DEIparæ. *Tertiò*; in orientali plaga sat à Bethlehem dissita, quando stella index nati Regis Christi tribus Magis apparuit, eosquè perduxit in Bethlehem, quod contigit 13. die post Nativitatem, opere dromedariorum, ut habet vetus Traditio. Dicuntur autem isti viri *Magi*, non quòd in Magia Diabolica versati essent; sed quia callebant apprimè Astrologiam, & naturalem Philosophiam, quæ nomine Magiæ olim insigniebatur maximè apud Persas, qui suos Astrologos, & Sapientes *Magos* vocitabant. Appellantur etiam *Reges*, id est, Domini suorum oppidorum, vel Primores suæ gentis; qui olim dicebantur Reges; prout amici Job vocantur *Reges Tob: 2.* & quatuor Reges contra quinque dimicâsse Gen: 14. Plaga orientalis ex qua narrantur hi Magi venisse, secundùm Tertul: & Justin: fuit Arabia felix, aliàs Caldæa regio dicta; quod colligitur tum ex qualitate munerum oblatorum, quæ in Arbia reperiuntur in magna copia: tum ex illo vaticinio. *Psal. 71. Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et illo Isa: *60. Omnes de Saba venient aurum, et thus deferentes.*

8. *Stella apparens Magis fuit astrum novum.* Nota octavò: illud Sidus Magis apparens non fuisse de numero illorum astrorum, quæ in formatione cœli ab opifice DEO fuerunt condita; sed fuit quidam lucidus orbis Angelica virtute ex sublunari aliqua materia proportionata formatus, & exhibitus Magis, antequè eos motus usque dum attingerent Bethlehem. Ratio est, tum quia motum habuit irregularem. Tum quia quandoque apparebat, quandoque non. Tum quia movebatur per infimam regionem aëris, adeò vicinus terræ, ut distinctè ostenderet domum, in qua Divinus Pusio morabatur, & super eandem staret. Tum tandem, quia consummatâ hâc Epiphaniâ nunquam ampliùs hoc corpus stelleum neq; in sphæra astrorum, neque in regione aëris comparuit. Circa oblationem Pueri Jesu in Jerusalem.

9. *Cur DEIpara voluerit Legem primogenitorum, & puerperæ parturientis masculum adimplere?* Nota nonò: Tametsi DEIparam neque Lex vetus primogenitorum offerendorum; neque Lex puerperæ parturientis masculum ligaret; voluit tamen eam adimplere: unde die 40. postquam enixa fuit suum primogenitum ascendit in templum Jerosolymitanum, ibidemquè obtulit Puerum JESUM, ut impleretur Scriptura Malach: *3 Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*: & exolvit simul par turturum more pauperum, aut duos pullos columbarum, perficiendo purificationis cæremonias, etsi esset immunis ab omni immunditia legali, & profluvio menstrui, aliàs exigente purificationem seu expiationem; utpote quæ non suscepto semine viri conceperat, & pepererat suum masculum, qualem conceptionem, & partum solùm comitantur sordes menstruæ. Rationes porrò ob quas Christus permisit à Matre sua observari illas cæremonias primogenitorum, & puerperæ parturientis masculum, possunt assignari fermè eædem, quæ pro observantia Circumcisionis *notab:* 6. fuerunt adductæ. Circa alia gesta Christi in Infantia.

10. *De Infantia & reliqua ætate Christi usque ad Baptismum.* Nota decimò: Peracta oblatione Pueri JESU, brevi post secutam fuisse ejus fugam in Ægyptum, propter Herodis Infanticidium universale, demandatum in Bethlehem, & tota ejus vicinia, uti facer refert textus Matth: 2. Extincto deinde Herode monitu Angeli accidit reditus Christi ex Ægypto in Nazareth; ubi deinceps remansit Puer iste Divinus, crescens sapientiâ & gratiâ DEI confortatus; uti dicitur Luc: 2. Ascendens quoque inde anno duodecimo suæ ætatis cum Parentibus suis in templum juxta morem, quotannis solitum observari, quo tempore insciis ipsis mansit in templo Jerosolymitano, imixtus coronæ Doctorum, quos audiebat, & interrogabat afferendo adeò profundas quæstiones, & resolutiones super easdem, *ut omnes stuperent super prudentia, & responsis ejus.* Posthæc *descendit cum Parentibus suis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis.* Luc: 2. atque ita ibidem exigit Infantiam, pueritiam, & ætatem reliquam usque ad Baptismum.

QUÆSTIO II.

De Baptismo, Jejunio, Prædicatione, Miraculis, Conversatione, Victu, & Cultu Corporis Christi; ejusq; Paupertate.

1. *Quando, & quare Christus susceperit baptisma Joann:*

NOTA primò: quòd Baptismus Christi inciderit teste sacro textu Luc: 3. in annum 15. imperij Tiberij Cæsaris, qui fuit 30. ætatis Christi. Suscepit autem Christus à D. Joanne Baptista suo Præcursore Baptisma ob varias causas. *Primò*, ut comprobaret Baptismum Joannis. *Secundò*, ut homines ad suum Baptismum novæ Legis invitaret. *Tertiò*, ut humilitatis exemplum in ejus susceptione, utpote suo Baptismo inferioris præberet. *Quartò*, ut testimonium Patris Divini super suam personam tunc redderetur. *Quintò*, ut adventus Spiritûs S. in columbæ specie super se perageretur, atque ita suus Baptismus gratiâ cœlesti refertus ostenderetur, ac Christianis magis desiderabilis redderetur. Dies Baptismi à Christo suscepti juxta communem PP: & Ecclesiæ traditionem ac Divinum officium Breviarij Romani fuit dies Epiphaniæ. Circa jejunium.

2. *De jejunio & tentatione Christi.*

Nota secundò: peractô Baptismô, datâ etiam voce declarativâ Patris, nec non Spiritûs S: apparitione completâ, Christum plenum Spiritu S. regressum, fuisse à Jordane, ut loquitur Scriptura 4. *cap:* & abijsse in desertum, ubi 40. continuis diebus sine cibo, & potu carnem suam macerando jejunavit pro expiatione peccatorum generis humani; ubi & varios insultus, ac tentationes Diaboli *cit: cap:* recensitas passus est. Pro conficiendo porro rigoroso jejunio illo, aliàs puris naturæ viribus insupportabili, Divinitas Christi suppetias dedit, naturam humanam, actionesquè interiores, & contrarias ita attemperando, ut fame nimiâ, ac deficientiâ virium non extingueretur. Circa Prædicationem.

3. *De tempore qualitate, & modo Prædicationis Christi.*

Nota tertiò: Christum absolutô Jejuniô quadragenariô, & superatâ tentatione Diaboli de deserto in publicum processisse, ad inchoandum munus suæ Prædicationis, quod integrô trienniô, & aliquot mensibus exercuit, juxta receptam SS: PP: opinionem. Tamesi autem prædicaverit potissimè, & ex instituto Judæis, uti liquet ex sacro textu Evangeliorum: hi enim habebant promissionem Messiæ ex suo semine nasciturі, sicut & novæ Legis à Messia asferendæ; Gentibus tamen etiam legitur saltem obiter prædicâsse, puta, Samaritanis Joann: 4. & Chananææ Matth: 15. & eorum ampliorem instructionem commisit Discipulis suis Matth: 28. illis verbis, *docete omnes gentes.* Quam sanctam, quamquè salutarem, & prodigiosam doctrinam Christus sua prædicatione protulerit, patet ex sacro Codice quatuor Evangeliorum, nec eget commendatione ulteriori. Modus prædicandi Christi erat plerumque publicus, vel in templo, vel in Synagoga, unde dicit Joan: *18. ego palam locutus sum mundo, & semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil*, id est, quod vellet habere occultatum; unde quamvis quandoque coram solis Discipulis sermocinaretur; id ipsum tamen deinde in publicam per eosdem deduci notitiam mandavit, unde ait Matth: *10. quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Circa Miracula Christi.

4. *De miraculis Christi, signanter Conversione aquæ in vinum.*

Nota quartò: me suprà *dist: 12. q: 1.* qualitatem potentiæ patrativæ Miracula Christi abunde jam explicuisse. Unde hìc solùm restat advertere, Christum complura patrâsse Miracula, quæ sigillatim explicantur in Historia S. Evangelica, & ibidem sunt videnda. Primum Miraculum manifestum, Divinitatis Christi probativum (occultum enim primum erat mirabilis ille egressus sui ex utero DEIparæ salvô claustrô Virginali, alterum verò Jejunium arctissimum 40. dierum in deserto) fuit prodigiosa illa conversio aquæ in vinum, facta in Cana Galilææ tempore nuptiarum, quibus Christus quoque cum sua benedicta Matre interfuerat, miraculum istud patratum fuit in Epiphania juxta illud Breviarij Romani, *tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus - - - Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias.* Num autem ista Epiphania fuerit illa, in qua baptizatus est Christus, vel altera subsequentis anni, variant tum TT: tum SS: PP: quorum arbitria vide apud Expositores Sacræ Scripturæ. Circa Conversationem Christi.

6. *Conversatio*

Nota quintò: quòd Sacra Historia Evangelica abunde doceat Conversationem

Christi fuit socialis. nem Christi fuisse socialem, seu inter homines; hanc enim requirebat finis adventûs ejus in carne passibili, puta, redemptio & instructio hominum. Ab hac tamen opportunè sæpius se subduxit Salvator noster ad vacandum contemplationi, & orationi; atque ita combinavit utramque vitam, practicam & contemplativam, quod à Patribus judicatur perfectissimum vivendi genus, DEOque gratissimum. Circa victum Christi.

7. *Victus verò ejus usitatus.* Nota sextò: Christum usum fuisse usitato Victu; unde vescebatur communibus cibis, & bibebat ordinarium potum Judæorum, uti tenent PP: Hujusmodi enim victus decet illos, qui vitam socialem sectantur. Et propterea D. Franciscus Seraphicus vitæ Christi, ac Apostolorum mirificus renovator *cap: 3. Regulæ*, eundem Victum usitatum suis præscripsit dicens, *de omnibus cibis, qui apponuntur eis* (scilicet Fratribus) *liceat manducare.* Circa Cultum corporis.

8. *Et vestitus vulgaris, calceamenta quoque solùm Sandaliata.* Nota septimò: Vestitum Christi fuisse quoque vulgarem, usitatum sed pauperem omnino, uti habent SS: PP: communiter: & consistebat secundùm Euthymium in una tunica inconsutili quæ erat locô indusij; & altera exteriori; ac pallio. Circa calceamenta sustinet D. Bonaventura, scribens *in cap: 3. Reg: S. Francisci, & in opusculo de Sandal: Apostol:* eum nullis usum fuisse calceis, sed quandoque ad summum solis apertis sandalijs, seu soleis, solam plantam pedis ab offendiculo viæ defendentibus contentum incessisse; quam doctrinam plurium antiquorum Patrum authoritatibus stabilit, signanter D. Hieronymi *ep. ad Eustoch:* unde & Apostoli aut nudis pedibus; aut certè tantùm sandaliati incesserunt, quemadmodum ex vetustissimis picturis, cælaturis, & SS: PP: constat, utique sic instructi exemplô sui Magistri: & propterea etiam D. Franciscus perfectus Christi Imitator usum calceamentorum suis interdixit. Circa tandem Paupertatem Christi.

8. *Quanta fuerit paupertas Christi.* Nota octavò: Eum practicâsse adeò arctam paupertatem, ut quandoque prorsus nullum habuerit peculium, sicut colligitur ex SS: PP: signanter D. Bonaventura *opusc: de paup: Christi q: 2.* Et ex D. Thoma *opusc: contra impug: Relig: c. 7.* Et ex illo *2. ad Cor: 8. propter nos egenus factus est.* Et illo Matth: *8. vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et propterea Luc: *8. sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Id ipsum liquet ex eo, quòd ipse quà Magister omnis perfectionis tendentibus ad veram perfectionem Evangelicam præscribat Marc: 10. venditionem omnium facultatum, & nudam sequelam sui: & ex illo alio, quòd Discipulis suis non permittat duas tunicas, neque aurum, vel argentum Luc: 9. ut ita expediti à sollicitudine inordinata rerum temporalium avidiùs Divinis Divitijs æternæ gloriæ inhiarent, ac officium prædicationis Evangelij continua sedulitate prosequerentur.

Nota nonò: Cum hac arcta Christi paupertate nihilominus consistere, quòd aliquando in communi saltem, id est, cum collegio Apostolorum habuerit aliquos loculos, inservientes usibus necessarijs rerum, uti constat ex Scriptura Joan. 13. & definitur à Nicolao Pontifice *cap: exivi, de verbor: signif: in 6.* dicente; *sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, sic & in nonnullis alijs infirma carnis assumens (prout Evangelica testatur historia) non tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis.* 9. *Christus in communi habuit quosdam loculos.*

QUÆSTIO III.

De Christi Passione, Morte, Sepultura, Statu in Triduo Mortis, Resurrectione, Ascensione, &c.



NOTA primò; circa Passionem: eam exactè describi à 4. Evangelistis; quare hic solùm aliqua tangam, quæ ibidem non exprimuntur. *Primò* itaque Passio Christi fuit omnium acerbissima, & maxima; quod colligitur tum ex illo Thren: 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*, quod Ecclesia in Breviario Romano applicat Christo patienti. Tum ex eo, quòd Christus haberet perfectissimam complexionem, adeoque præditam maxima vivacitate sensuum præsertim tactûs, & consequenter præ cæteris hominibus magis sentiens quodvis doloriferum, & afflictivum corpori suo te- 1. *De acerbitate Passionis Christi, & tenebris motu terræ comitantibus.*

nerrimo applicatum. Tum tandem ex eo, quôd haberet expeditissimam potentiam apprehensivam, vehementissimè attigentem causas doloris & tristitiæ, ex cujus attigentia summè augebatur dolor sensibilis in corpore, & ex hoc tristitia in mente gravissima. *Secundò;* Tenebræ quæ tempore Passionis contigerunt teste Scripturâ Matth: 27. erant universales universalitate totius sphæræ terrestris, uti habet communis traditio SS: PP: signanter Dionysij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, & aliorum. Unde easdem tenebras sensit Dionysius Areopagita existens Heliopoli in Ægypto, uti patet ex ejus *ep: 7. ad Polycarp:* Et eas tanquam prodigium singulare annotârunt Romani in suo archivo teste Tertuliano *in Apolog: cap: 21.* Acciderunt autem ejusmodi tenebræ secundùm D. Dionysium per interpositionem Lunæ. quæ plena effecta ab Oriente planè extra omne conjunctionis tempus ad Solem impulsu Divino, vel Angelico perlata, & retrogrado cursu accurrens orbem suum opposuit Soli, radios ejusdem aliàs illuminatores terræ intercipiens, & reflectens, tegensque corpus Solis, ac sic tenebras omnibus terricolis inducens, quas vaticinatus fuerat S. Vates Amos *cap: 8. accidit Sol tuus in meridie.* Et tametsi Lunæ Orbis sit multò minor Solis sphærâ; ut proinde naturaliter loquendo is non poterit integrè tegere hunc; attamen credendum est DEUM, vel Angelos, reliquas partes sphæræ Solaris eminentes etiam obumbrâsse condensis quibusdam nubibus interpositis; vel aliô modô nobis incognitô, ita ut ubique terrarum tenebræ formales causarentur.

Tertiò: Ille Terræ motus tempore Passionis Christi contigens non tantùm montem Golgothæ concussit, & aperuit, de quo D. Cyrillus Jerosolymitanus *catech: 13.* sed etiam Bythiniam, ut testatur Eusebius in Chronico; item Hetruriam Italiæ in monte Alverniæ, clarô Stigmatizationis mysteriô D. Francisci; similiter promontorium Cajetæ in regno Neapolitano, pluraque alia loca convulsit, & in hodiernum usque diem hiantes scissuras induxit. Circa Mortem Christi.

2. *Ob varias causas præordinata fuit Passio*

Nota secundò: eam ob varias congruentias fuisse à DEO præordinatam; signanter verò ut eâ testificaretur veritas assumptæ carnis in Christo; ut eâdem eliderετur æterna mors communis ab universa natura lapsa incursa; &c. Fuit autem Mors Christi etiam congruenter per affixionem in Cruce consummata, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur,* quemadmodum canit Ecclesia; item ut acerbitas Passionis Christi magis ostenderetur, utpote quæ exantlata fuit ignominiosissimô genere mortis. Circa Sepulturam.

Christi in Cruce.

3. *Congruentiæ pro Sepultura Christi;*

Nota tertiò: Christum propter diversas quoque congruentiales rationes nactum fuisse solitam Sepulturam, scilicet ut comprobaretur ejus physica Mors, quam regulariter sequitur Sepultura: item ut resurrectio subsequens tantò mirabilior evaderet. Sepultura hæc contigit in monumento novo teste S. Scripturâ, exciso in petra, & per advolutionem saxi, ne videlicet daretur occasio Discipulis corpus Christi clanculum subtrahendi, & spargendi famam quasi is à mortuis resurrexisset, uti discurrebant Judæi. Circa Triduum Mortis Christi.

4. *Quid sit Triduum Mortis Christi.*

Nota quartò: Per Triduum Mortis intelligi illud tempus, in quo à corpore Christi anima fuit separata; & hoc modo dies Veneris ratione ultimæ suæ partis dies Sabbati integer, & dies Dominica ratione sui initij dicuntur hìc triduum constituere.

5. *In Triduo Mortis Christi Divinitas non fuit separata ab anima & corpore ejus.*

Nota quintò: Divinitatem in Triduo isto mortis Christi, non fuisse separatam ab anima, & corpore Christi, uti patet ex Symbolo Apostolico, ip quo ab illo loco; *Et in JESUM Christum,* &c. usque ad illa verba, *descendit ad inferos,* eodem tenore verborum de Filio DEI dicitur, quòd sit natus, ac quòd sit mortuus: sed in Christo nato est Divinitas conjuncta animæ, & corpori: ergo etiam in Christo mortuo in triduo. Deinde ex Damasceno *lib: 3. de Fide cap: 17.* dicente, *Verbum eorum. quæ semel assumpsit, nihil dimisit.*

6. *Christus in Triduo Mortis non fuit homo.*

Nota sextò: De Fide certum esse, Christum in Triduo Mortis non fuisse hominem. Ratio prima Scoti est, quia in illo Triduo Christus non vivebat: Ergo non fuit verè homo. Conseq: tenet; quia homo est animal vivens: Ergo si non vivebat, non erat homo. Ratio secunda Scoti est; quia Verbum in illo Triduo non habuit sibi unitam humanitatem, licet haberet unitas partes ejus essentiales: Ergo non fuit Christus homo: Probatur Ant: quia humanitas componitur ex anima, & corpore unitis;

tis; sed anima', & corpus in Triduo non erant unita: Ergo neque dabatur aliqua humanitas, quæ esset unita Verbo.

7.
Status Quæstionis de descensu Christi ad inferos aperitur.

Nota septimò: In illo Triduo de Christo narrari in Symbolo Apost: descensum ejus ad Inferos circa quem observandum, Christum non descendisse ad Infernum secundùm totam naturam hnmanam; talis enim natura non fuit in Triduo: nec secundùm corpus, quia mansit in sepùlchro: Difficultas ergo est, an secundùm animam verè descenderit: Et cum multa sint loca subterranea, quæ vocantur Infernus, ut Limbus Patrum; Limbus puerorum; purgatorium; locus damnatorum; qui antonomasticè dicitur Infernus; proinde quæritur, ad quem ex istis Infernis descenderit. Quâ in re Calvinistæ, & Lutherani negant Christum descendisse ad ullum Infernum secundùm substantiam; sed tantùm quoad potentiam, operationem, & effectum; unde rejiciunt multi symboli articulum, tanquam à Papistis confectum; *descendit ad Inferos*: Contra quos.

8.
Anima Christi secundùm realem præsentiam descendit ad Limbum Patrum.

Dico primò: Anima Christi secundùm realem, & substantialem præsentiam descendit ad Infernum, qui dicitur Limbus Patrum & sinus Abrahæ; ad alia verò loca probabile est, quòd non nisi secundùm virtutem. Prima pars est difinita in Concilio Toletano IV. & Lateranensi III. *cap*: *1*. quorum authoritate primò probatur prima pars conclusionis.

Probatur secundò eadem pars authoritate S. Scripturæ *psal: 107.* dicitur de Christo, *quòd contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Item *ad Eph: 4. quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ*, id est, ad Limbum Patrum, ut exponunt Patres: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: conclusionem tenentium; signanter D. Augnstini *Epist: 99.* Ergo &c.

9.
Nomine Paradisi Latroni promissi intelligitur beatitudo.

Dices: Christus Latroni bono promisit, quòd illo die mortis sit futurus secum in Paradiso: Ergo Christus post mortem suam immediatè fuit in Paradiso, & non in limbo Patrum. Respondeo, quòd Paradisus ibi accipiatur metaphoricè pro visione beata, quam mox bonus Latro, & SS: PP: erant habituræ in Resurrectione Christi.

10.
Ad Infernum damnatorum anima Christi non descendit.

Probatur secunda pars, quòd scilicet anima Christi ad Infernum damnatorum præsentialiter non descenderit: in inferno nullus est ordo, nullusquè fructus descensûs Christi ibi erat sperandus: Ergo non descendit præsentialiter realiter.

11.
Christus descendens ad Purgatorium liberabit animas ibidem detentas.

Quæres primò; quid contulerit Christus descendens animabus Purgatorij? Respondeo cum D. Bonaventura *3. Dist: 2. q: 5.* quòd omnes liberaverit, secum ad Cœlum adducendos in Ascensione. Responsio colligitur ex illo Eccles: *24. v. 45. penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Unde S. Gregorius *serm: 137. de tempore dicit de electis suis nullum apud Inferos reliquit.* Sed animæ Purgatorij sunt de Electis: Ergo eas liberavit ex Purgatorio.

12.
Descendens verò in Limbum contulit Patribus beatitudinem.

Quæres secundò: quid contulerit animabus SS: PP: in Limbo? Respondeo quòd duo illis contulerit; nempe beatitudinem cælestem, juxta illud Eccles: *loc. cit: illuminabo omnes sperantes in Domino*; & liberationem ex limbo; juxta illud Zachar: *9. v: 11, tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Circa Resurrectionem Christi.

13.
Quæ fuerint causæ, dies & tempus Resurrectionis Christi.

Nota octavò causas ejusdem: nam corpus concurrit in genere causa materialis; anima in genere causæ formalis; ipse Christus, ejus gloria, & nostra justificatio sive Redemptio in genere causæ finalis, juxta illud ad Rom: *4. v: ult: resurrexit propter justificationem nostram.* In genere tandem causæ efficientis concurrit DEUS, juxta illud *Act: 2. v: 23. Hunc JESUM DEUS resuscitavit à mortuis.* Posset etiam dici, quòd sicut in generali Resurrectione hominum, juxta communem Theologorum Angeli concurrent ministerialiter ad Resurrectionem, colligendo ossa, & reliqua ad locum congruum resurrectioni transferendo; ita etiam anima Christi poterat ministerialiter concurrere ad dispositionem corporis, colligendo partes dispersas, addendo siquid materiæ desnit, ut sit aptum informationi. Ratio est, quia hoc commendat animam Christi, eiquè non repugnat.

Nota nonò: hanc Resurrectionem Christi contigisse die Dominico. Colligitur ex Traditione Ecclesiæ: & S. Scriptura, quæ dicit eum resurrexisse tertia die, quia die Veneris erat passus: Et S. Matthæus diem Resurrectionis dicit esse primam Sabbati, quæ apud nos est Dominica. Quoad horam dicunt aliqui

qui, quòd ſurrexerit horâ primâ poſt mediam noctem. Attamen eſt ſententia probabilior multorum PP: ſpecialiter S. Ignatij *epiſt: 5.* dicentis, Chriſtum reſurrexiſſe in aurora die Dominicâ; & adducit in confirmationem illud *pſalmi 29. ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Unde cantat Sedulius *lib: 4. cap: 5.*

Separat interea poſt triſtia Sabbata, fœlix
Irradiare dies culmen, quod Numinis alti
A Domino dominante tulit primusquè videre
promeruit.

Et Eccleſia hoc idem inſinuat in illo hymno feriæ tertiæ, *Ales diei nuncius*, &c. Et in illo: *Aurora lucis rutilat - - - dum Rex ille fortiſſimus mortis confractis viribus*, &c.

14. *Chriſtus poſt Reſurrectionem habuit integrum corpus.*

Quæres tertiò: An Chriſtus poſt Reſurrectionem habuerit verum, & integrum corpus? Reſpondeo affirmativè. Colligitur ex illo Luc: *ult: palpate & videte.* Ratio etiam eſt; quia decuit, quòd ſicut in prima aſſumptione naturæ humanæ Verbum aſſumpſit naturam perfectam cum omnibus ſuis partibus eſſentialibus, & integralibus; ita etiam reaſſumeret in Reſurrectione perfectum, & integrum.

15. *Ornatum 4. dotibus glorioſis.*

Quæres quartò: Utrum Corpus Chriſti in Reſurrectione fuerit ornatum quatuor dotibus corporis glorioſi? Pro reſolutione Nota; quotuor eſſe dotes ſeu prærogativas corporis glorioſi; nimirum dotem Incorruptibilitatis, Agibilitatis, ſubtilitatis, & claritatis. *Incorruptibilitas* facit, ut corpus ampliùs non patiatur ab aliquo corruptivo intrinſeco, vel extrinſeco. *Agibilitas* facit, ut corpus ſe poſſit promptiſſimè movere de loco ad locum motu progreſſivo, & locali. *Subtilitas* facit, ut corpus non obſtante quantitate ſuâ poſſit penetrare aliud corpus, & coëxiſtere cum alio corpore in eodem loco ad placitum ſuum. *Claritas* tandem reddit corpus fulgidum, ſpeciali luce illud reſpergens ad manifeſtationem ſui. Reſpondeo jam ad quæſtionem affirmativè. Ratio eſt; quia noſtra corpora habebunt poſt ſuam Reſurrectionem quatuor illas dotes: Ergo ſimiliter corpus Chriſti illas habuit. Ant: patet ex S. Paulo *1. ad Cor: 15. ſic & Reſurrectio mortuorum; ſeminatur* (corpus ſcilicet) *in corruptione; ſurget in incorruptione*, ecce habetur impaſſibilitas, ſeu Incorruptibilitas: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*; ecce ſubtilitas: *ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*; ecce claritas: *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*; ecce agilitas, quæ ſpiritui aſſimulatur propter celerrimum motum, &c.

16. *Etſi Reſurrectio Chriſti non fuiſſet accelerata, corpus ejus in Sepulchro non computruiſſet.*

Quæres quintò: Utrum corpus Chriſti fuiſſet putrefactum in Sepulchro, ſi Reſurrectio non fuiſſet accelerata? Reſpondeo Negativè. Ratio eſt; quia probabiliter DEUS illud miraculosè conſervâſſet à putredine, ſicut conſervat S. P. N. Franciſci corpus; hoc enim cedit in majorem ejus gloriam. Unde in Spiritu de hoc cecinit Pſalmiſta *Pſam: 15. non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Circa Aſcenſionem Chriſti.

17. *Chriſtus aſcendit in Cœlum ex monte Oliveti ſtatim poſt Reſurrectionem circa meridiem.*

Nota decimò: Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum die 40. à die Reſurrectionis, circa horam prandij ſeu meridiem, uti colligitur ex illo *Act: 1. & conveſcens præcepit eis - - - & videntibus illis elevatus eſt*; & teſtet D. Auguſtinus, Proſper & alij PP: Myſterium hoc Aſcenſionis contigit in monte Oliveti, ſicut liquet ex *cit: cap: Act:* & Traditione Eccleſiæ, contenta in *Martyrol: Rom:* ubi etiamnum hodie teſte noſtro P. Quareſimo, olim incolâ Terræ Sanctæ *tom. 2. elucid: terr: Sanct: pereg: 9. cap:* 8. adhuc unum veſtigium pedis petræ impreſſum ex parte conſpicitur, articulis verſùs Aquilonem expreſſis, cum modica declinatione verſus Orientem.

18. *Chriſtus aſcendit propria virtute ſuæ humanitatis.*

Nota undecimò: Chriſtum aſcendiſſe propriâ virtute humanitatis ſuæ; quemadmodum colligitur ex illo *Iſa: 63. quis eſt iſte, qui venit formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*, id eſt, procedens propriâ virtute. Et ex D. Gregorio *hom: 2. de Aſcenſ:* dicit, *Elias legitur in curru aſcendiſſe, ut apertè demonſtraretur purum hominem indigere auxiliô alienô; Redemptor autem noſter non curru, nec Angelis, ut D. Virgo, ſublatus legitur; qui ergo fecit omnia, ſuper omnia ſuâ virtute ferebatur.* Et licet Marc: *ult: cap:* dicatur, *quòd Chriſtus ſit aſſumptus in Cœlum*; attamen per hoc ſolùm datur intelligi, quòd Chriſtus non ſolâ virtute humanâ; ſed & Divinâ concurrente in Cœlum ſit ſublatus.

19. *Quo ſenſu Chriſtus dicatur ſedere a dextris Patris cæleſtis.*

Nota tandem duodecimò: Chriſtum poſt Aſcenſionem memoratam dici ſedere ad dexteram Patris Divini, uti loquitur Symbolum Nicænum, Apoſtolicum, & Athanaſij, quæ ſeſſio accipienda eſt metaphoricè; cum Pater corporalem dexteram non habeat. Itaque per ejuſmodi ſeſſionem intelligitur

exiſtentia

existentia Christi in statu honoris peculiarissimi,& regni super hoc universum. Insinuatur etiam stabilis quies ejusdem, & æqualis gloria, ac possessio æqualis consortij in Divinitate, nec non Regia, ac judiciaria potestas ejusdem super omnes, finaliter à Christo obtenta post exantlatam Passionem, & præstitam redemptionem universalem humani generis.Plura in ampliori forma de mysterijs Christi dicta, vide tum apud sacros quatuor Scriptores Evangeliorum; tum apud SS: PP: ac Expositores Scripturæ, signanter P.Lyranum nostrum *in Exposi: liter:* Jansenium *in Concord: Evan:* Cornel: à Lapide, D. Bonaventuram, & alios.

DISTINCTIO XVI.

De Præcellentijs, & mysterijs B: V: Mariæ.

PROLOQUIUM

In nullo tractatu Theologiæ aptior est locus tranctandi de præcellentijs, ac mysterijs B: V: M: quam in isto, propter correlationem nimirum DEIparæ, Matrisque intemeratæ ad suum Filium, verâ generatione ex se natum; idcirco de ijs, quantum ad institutum Theologicum spectat, pariter disseram; unde sit.

QUÆSTIO I.

De Immaculata Conceptione DEIparæ Virginis MARIÆ.

I. Adducitur antiquitas & celebritas Mysterij de Immaculata Conceptione DEIparæ, & ob ejus defensionem Scotus intitulatur Doctor subtilis.



NOTA primò: nomine *Conceptionis Immaculatæ* hic intelligi, carentiam maculæ peccati originalis in Beata Virgine Maria illo primo instanti, quo anima ipsius fuit corpori unita. Hujusmodi Conceptionem illibatam B: V: MARIÆ jam à temporibus S.Bernardi, id est, ab anno 1142. acriter impugnatam in Gallijs, tandem ad initium sæculi 14. contra torrentem Theologorum sui ævi acerrimè, & omnium solemnissimè in actibus publicis Academicis Universitatis Parisiensis defendit noster P. Joannes Duns Scotus, *qui*, (verba sunt Patris Cavelli in Rosar: sæculo 14.) *jussu Summi Pontificis habita solemni disputatione coram Facultate Parisiensi, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis de Immaculata Conceptione tantâ ingenij subtilitate, tantâ solutionum facilitate, & perspicuitate omnia adversa argumenta mirâ dexteritate confregit, & refellit, suamque piam sententiam de Conceptione Marianâ ipsius Mariæ fretus auxiliò, argumentorum pondere, tot tamquè urgentibus rationibus comprobavit, & munivit, quòd celeberrimam illam Facultatem, matrem Universitatum in suam piam traxerit sententiam; quæ in gratificationem nomine* Doctoris Subtilis *ipsum condecoravit, & acerrimis ejus disputationibus inducta, sacrum illud, ac celebre Marianum Decretum condidit, ne scilicet imposterum quisquam ad Magisterij gradum admitteretur, qui totâ vitâ se propugnaturum Immaculatam Conceptionem jurejurando non adstringeret. Postea Scotus Coloniam profectus victoriam pro Immaculata Conceptione ex Discipulis Alberti Magni reportavit, & nomen* Doctoris Subtilis *ibi denuò est solemniter acclamatū. Fertur etiam à Pontifice in præmium ei datum.* Hactenus Cavellus, olim Archi-Episcopus Armachanus. His itaque gestis à subtilium Principe Scoto, omnes Ordines Religiosi, sacrô Prædicatorum exceptô, Scoti sententiam secuti sunt: imò & ex ipso Prædicatorum Ordine Ambrosius Catherinus cum viginti tribus alijs classicis Scriptoribus privilegio DEIparæ de Immaculata Conceptione pijssimô calamô subscripsêre, specialesque ediderunt Tractatus in defensionem Immaculatæ Conceptionis, Doctor etiam Angelicus D. Thomas infrà citandus in Immaculatūm Virginis Gazophylatium nummos aliquot magni valoris, cum suo Patriarcha D. Dominico reposuit; & multi alij relati à Corduba *in Quæstionario, quæst: 44.* Suarez *tom: 2.* Valen-

Valentia, &c. Hanc eandem sententiam Scoti tandem DEO sic suaviter disponente, Universa Ecclesia Romana fuit amplexata, eoque certitudinis tractu temporis deventum est, ut Paulus V. & novissimè Alexander VII. contrariam opinionem docere prohibuerint, in lectionibus, concionibus, conclusionibus; alijsque actibus publicis; & hoc sub gravissimis pœnis Apostolicis, unde.

2. *Quod Beatissima Virgo Maria sit sine labe originalis peccati concepta.*

Dico primò: Beatissima Virgo MARIA fuit concepta sine omni peccato originali. Ita Scotus *3. dist: 3. q: 1. & dist: 18, num: 13.* Estquè communis jam Ecclesiæ, & DDr consensus; contra Thomistas antiquiores.

Conclusionem hanc quatuor fundamentis probabo; sicut & Adversarij ex quatuor capitibus contrariam persuadere opinionem conantur; ut opposita juxta se posita magis elucescant.

3. *Probatur primò fundamento ex Scriptura desumptò.*

Primum fundamentum sit desumptum ex S. Scriptura, Immaculatam Conceptionem insinuante; & quidem dimissis compluribus textibus, in sensu morali multùm efficacibus, uti est ille *Cant: 2. tota pulchra es anima mea:* & ille *Gen: 3. ponam inimicitias inter te, & mulierem*, & ille *Isa: 11. consurget Virga de Jesse* &c. omnes illæ authoritates, quæ dicunt Beatam Virginem fuisse plenam gratiâ, in Salutatione Angelica, *Ave Maria gratiâ plena.* Et in Magnificat, *fecit mihi magna, qui potens est*, &c. probant Beatam Virginem habuisse omnia dona gratiæ, quæ secundùm rectam rationem ei non repugnant, sed potiùs decent: sed sic est, quòd donum Immaculatæ Conceptionis secundùm rectam rationem Beatæ Virgini non repugnet; imò eam ut Matrem DEI summè deceat; neque per hoc æquiparatur Christo, ut putant Adversarij; quia Christus ex vi suæ conceptionis fuit immunis ab originali; Maria verò, ex gratia tantùm privilegio, & meritis Christi: Ergo habuit donum Immaculatæ Conceptionis.

4. *Roboratur idem fundamentum Scripturisticum.*

Confirmatur: Scripturæ in contrarium adductæ, licet sint generaliter loquentes de contractione originalis peccati à quolibet homine; tamen non probant Beatam Virginem contraxisse originale: Ergo. Probatur Ant: ita universaliter *loquuntur* Scripturæ de commissione peccati actualis à quolibet homine, ac aliæ de originali; & tamen illæ non probant, etiam secundùm Adversarios, Beatam Virginem commisisse unquam peccatum actuale: Ergo aliæ similiter non probant eam contraxisse originale. Probatur Ant: *2. Paralip: cap: 6.* generaliter dicitur de actuali; *non est, enim homo, qui non peccet.* Et Jacob: *3. in multis offendimus omnes*: quæ sunt locutiones generalissimæ: Ergo &c.

5. *Secundum fundamentum pro Immaculata Conceptione ex authoritate Summorum Pontificum, veteri usu Ecclesiæ & Conciliorū.*

Secundum fundamentum sit desumptum ex authoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, & usu veteri Ecclesiæ, Immaculatam Conceptionem profitentium; Unde Julius II. Papa instituit Ordinem Religiosum Monialium Conceptionis in honorem Immaculatæ Conceptionis. Item noster Sixtus IV. multis privilegijs, ac Indulgentijs donavit eos, qui celebrabunt festum Immaculatæ Conceptionis; quod festum Ecclesia Græca jam ante mille annos, teste Galathino *lib: 7. cap: 4.* & Oviedo, Burgensi Fabricio, & alijs Authoribus. Latina verò ante 500. circa tempora D. Bernardi celebrabat, saltèm privatim. Concilium Basileense *sess: 36.* renovavit Institutionem hujus Festi; & Pius V. sub pœna Excommunicationis præcepit recitari Laudes Divinas juxta ordinem Breviarij Reformati à Tridentino, in quo Breviario præcipitur celebrari Festum Immaculatæ Conceptionis in tota Ecclesia: quæ omnia Summi Pontifices, & Ecclesia Romana, quæ est caput aliarum, Magistra veritatis, & quæ nullis temerarijs novitatibus succumbit, non ordinâssent, si de Immaculata Conceptione Mariæ dubitâssent: statuta enim Ecclesiæ fundata sunt super sanctitatem, ut sapienter docet D. Bonaventura *3 dist: 3. art: 1. q: 1.* ita ut nullo die pro aliquo Sancto solemnizet Ecclesia, cujus persona sanctitificata non fuerit. Huc etiam facit oraculum Synodi VII. *Act: 3 11. & 13.* ubi sæpius B. V. MARIA vocatur *Immaculata.* Et favent complures prohibitiones rigorosæ Summorum Pontificum Pauli V. ann: 16. 17. die 31. Aug: & Gregorij XV. ann. 16. 22. die 24. Maij. Ee nuper Alexandri VII. vetantium, ne in publicis concionibus, lectionibus conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis opposita sententia proferatur. Favet tandem authoritas Innocentij XI. nunc Ecclesiam gubernantis, qui Officium parvum de Immaculata Conceptione novis prædicatis *Immaculata Conceptionis* à se auctum, & recognitum imprimi permisit Romæ ann: 1679. Ergo &c.

Confirma-

6. *Stabilitur præfatum argumentum primò.*

Confirmatur: secundùm D. Thomam, S. Bernardum & Ildephonsum, satis probatur Beatam Virginem tempore Nativitatis suæ fuisse sanctam, & Immaculatam, quia Ecclesia Nativitatem celebrat: Ergo similiter satis probatur modò Immaculata Conceptio, quia Ecclesia hujusmodi Conceptionem celebrat.

7. *Stabilitur secundò.*

Confirmatur secundò: omnes SS: PP: & DD: docent, quòd in Fide, moribus, & cultu Sanctorum teneamur sequi ritum S. Romanæ Ecclesiæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ; *in his enim* (inquit D. Thomas *quod 9 art: 6.*) *quæ ad cultum Divinum pertinent, Ecclesia Romana errare non potest, eò quòd regatur Divinâ Providentiâ speciali*: Ergo credendum est, quòd Spiritus S. à quo regitur, non diu permitteret, in cultu hujus Mysterij Conceptionis mendacium, sed id opportunè Ecclesiæ revelaret: sed hactenus non revelavit esse maculatè conceptam: Ergo censenda est Immaculatè concepta.

8. *Ecclesia per Conceptionem B: V: Immaculatam intelligit Conceptionem naturalem.*

Respondent antiquiores Thomistæ primò: quòd Ecclesia & PP: piè celebrent Festum Conceptionis, non ratione Immaculatæ Conceptionis; sed ratione sanctificationis immediatè subsecutæ. Aut si celebret Festum Conceptionis, non vult quòd Beata Virgo in primo instanti fuerit concepta sine Originali, secundùm Conceptionem naturalem; sed tantùm secundùm spiritualem, quæ facta est per gratiæ sanctificantis infusionem. *Contrà*; Sixtus IV. in Extravaganti sua, *Grave nimis* &c. quæ habetur in libro dicto, *Monumenta Fratrum Minorum tract: 2.* & novissimè Gregorius XV. per Festum Conceptionis intelligunt Conceptionem naturalem; non verò spiritualem per sanctificationem; quod inde patet, quia prohibent, ne in Missa aliò quàm Conceptionis nomine utantur Sacerdotes. Idem docet Concilium Basileense; & in eodem sensu intellexit Decretum Sixti IV. ipsum Concilium Tridentinum, estquè defacto communis Ecclesiæ, & Doctorum intellectus.

9. *Quædam evasio Thomistarum præcluditur.*

Resondent secundò aliter; quòd Ecclesia celebret quidem Conceptionem naturalem Beatæ Virginis; non tamen quatenus sancta, & Immaculata est; sed quatenus fuit principium nostri remedij, fundamentumquè propinquum nostræ salutis, esto per Christum futuræ; quòdq; ideo in gratiarum actionem pro tali beneficio prædicta Conceptio celebretur. *Contra*; nisi simul sancta crederetur ab Ecclesia naturalis Conceptio, non celebraretur, quamvis immediatè post ab Originali sanctificata fuisset; sicuti Nativitas Joannis Baptistæ non celebraretur ab Ecclesia, nisi sancta fuisset; quemadmodum nec ipsius Conceptio celebratur defacto; quamvis mirabilis, & licet ipse Joannes immediatè ab Originali fuisset sanctificatus, uti dicit Bernardus *epist: ad Canonicos Lugdunenses.*

10. *Tertium fundamentum probantibum Immaculatam Conceptionem B: V: Mariæ ex PP. per omnia sæcula eandem asserentibus.*

Tertium fundamentum sit desumptum ab authoritate SS: PP: Immaculatam Conceptionem DEIparæ asserentium; ex quibus ad sex millia testimonia noster P. Alva adducit, & coacervat copiosum Catalogum P. Cavellus, P. Poncius in fine coment: super tertium Sent: Scoti *in Rosario*, præfato commentario appenso. Ego, ut instituto meo satisfaciam, ex quolibet sæculo ab ipso exordio Christianæ Religionis, usque ad hæc nostra tempora adducam saltem unam.

Ex primo sæculo habetur authoritas S. Jacobi Apostoli, *in Liturgia* post consecrationem dicentis, *memento præcipuè sanctissimæ Immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ DEIparæ semper Virginis MARIÆ.*

Ex secundo sæculo S. Thesiphontis discipuli S. Jacobi docentis Apostolos definijsse Beatam Virginem fuisse sine Originali conceptam per hæc Verba, *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præservata fuit à peccato originali in primo instanti sua Conceptionis.* Ita habetur in uno ex libris repertis in monte S. Granatensi ann: 1595. qui reputantur ab Universitate Complutensi pro authenticis.

Ex tertio sæculo; S. Hypolitus Martyr: *Orat: de consummatione mundi.* dicit *Christus advenit ex sancta, & Immaculata Virgine.*

Ex quarto sæculo; S. Chrysostomus *in Liturgia pro Virgine*, vocat eam *semper beatissimam, & penitus Immaculatam.*

Ex quinto sæculo; S. Augustinus *lib: de natura & gratia cap: 36.* dicit, *exceptâ Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem, inde enim scimus, quòd plus ei gratiæ collatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum,* &c.

Ex sexto sæculo; habetur authoritas S. Gregorij *lib: 1. Regist: cap: 1.* dicen-

tis, *ſublimis Maria, ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret. meritorum verticem, ſuper omnes Angelorum choros uſque ad Thronum DEItatis erexit*: ex quo apparet ipſam Angelos, qui Originale nunquam habuerunt, ſuperare in Conceptione.

Ex ſeptimo ſæculo; Ildephonſus Archi-Epiſcopus Toletanus *lib: contra eos, qui diſputant de Virgine*, ait; *quomodo Spiritu S. eam replente, non ſine peccato fuit?* acſi diceret, fuit.

Ex octavo ſæculo VII. Synodus act: 3. & Francoſordienſis ſimiliter, vocant eam *Immaculatam, prorſus puram, & formatam de magis Immaculata terra, quàm Adam.*

Ex nono ſæculo Idiota doctiſſimus, & ſanctiſſimus *lib: de contemplatione Virginis* dicit; *tota pulchra Virgo glorioſiſſima, non in parte; ſed in toto, & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec unquam fuit.*

Ex decimo ſæculo; Anſelmus *lib. de Concept: Virg: cap:* 18. ſcribit; *decebat, ut illius hominis Conceptio de Matre puriſſima fieret; decens enim erat, ut eâ puritate, quâ major ſub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret.*

Ex duodecimo ſæculo; S. Bernardus licet ab alijs in contrarium citetur; *ſerm: 4. ſuper Salve Regina* dicit, *innocens fuiſti, ab originalibus, & actualibus; nemo ita præter te.*

Ex decimo tertio ſæculo; S. Dominicus Fundatur PP: Prædicatorum *tract: de corpore Chriſti*, quem ſcripſit contra hæreticos Albigenſes dixit; *ſicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri, ſcilicet Chriſto, cujus terra, id eſt Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.*

Pro decimo quarto ſæculo collocari poteſt Scotus Doctor Subtilis, Immaculatæ Conceptionis victorioſus aſſertor *in 3. diſt: 18. num: 13.*

Ex decimo quinto Beatus Joannes de Capiſtrano, tractatum integrum pro Immaculata Conceptione edidit. Et S. Bernardinus licet ab alijs in contrarium adducatur, dixit *tom: 1. ſerm: 52. Virgo Maria ſine tyranno concupiſcentiæ peccati originalis fuit; quia ſine eo concepta eſt.*

Ex decimo ſexto ſæculo adduci poſſunt deciſiones omnium Univerſitatum Orbis, quæ uno animo, & affectu in Immaculatam Conceptionem conſpirârunt.

Accedit, quòd omnes Hiſpaniarum Archi-Epiſcopi, & omnium Ordinum Generales habitis prius graviſſimis conſultationibus ad Sedem Apoſtolicam legationem inſtituerint ann: 1618. pro hujus veritatis deciſione, ita ut ſententia Immaculatæ Conceptionis jam jam in vigilia ſuæ definitionis eſſe videatur. 11.

Solemnes legationes ad Sedem Apoſtolicam pro Immaculata Conceptione B. V. Mariæ.

Contra Thomiſtas oppoſitos placet quoque adducere aliqua loca D. Thomæ ex operibus ejus antiquioribus, ex quibus licebit colligere, eum non ita tenaciter, & ſemper impugnâſſe Immaculatam Conceptionem. Primò itaque dicit *in 1. diſt: 44. art: 3. talis fuit puritas Virginis, quæ à peccato originali, & actuali fuit immunis.* Secundò *in 3. diſt: 17. q: 2. art: 4.* Reſpondens illi dicto Anſelmi, *decuit Virginem eâ puritate nitere*, &c. ait; *quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, pervenit ad ſummum puritatis.* Tertiò *in opuſcul: 7. in expoſitione Salutationis Angelicæ* dicit; *nec originale, nec veniale peccatum incurrit.* Quartò *lectione 6. in cap: 3. ad Galat:* ait; *non inveni mulierem præter Beatam Virginem, quæ à peccato originali eſſet immunis.* Et licet quædam memorata loca in novis Exemplaribus non reperiantur: tamen Joannes Vitalis *tract: de Concept: Virg:* ſcribit, ſe vidiſſe librum Retractationum D. Thomæ, in quo retractat, quidquid contra Immaculatam Conceptionem ſcripſit, confirmans ſe ijs, quæ dixerat *in 1. diſt: 44. art: 3.* ubi Virginem ab Originali eximit. Unde patet manifeſtè D. Thomam non fuiſſe abſolutum in impugnanda Immaculata Conceptione, ſed potiùs pro ea ſtetiſſe; aut certè problematicum extitiſſe. 12.

S. Thomas & S. Dominicus favent Immaculatæ Conceptioni.

Quartum fundamentum eſt à ratione: ubi Scotus noſter *citat:* contra primam rationem D. Thomæ dicentis, aſſerere Immaculatam Conceptionem eſt præjudicare Excellentiæ Filij in quantùm eſt Mediator, oſtendit è contra; quòd negare Immaculatam Conceptionem ſit derogare Excellentiæ Filij in quantum eſt Redemptor; & ex hoc medio conficit tres rationes: quia ſcilicet Redemptoris Excellentia poteſt cognoſci per comparationem ad tria, puta primò per comparationem ad DEUM, cui Redemptor conciliat: ſecundò per comparationem ad pœnam, & malum à quo liberat: tertiò per comparationem ad obligationem perſonæ, quam reconciliat. Prima ratio Scoti ſic proponitur: Perfectiſſimus Mediator, & Redemptor debet 13.

Quartum fundamentum per rationes Scoti oſtendens DEIparam fuiſſe Immaculatè Conceptam.

debet habere perfectissimum modum redimendi saltem circa aliquam personam, circa quam habet specialem respectum: sed Christus est perfectissimus Mediator, & Redemptor, & perfectissimus modus redimendi est præservare potiùs ab originali; quàm ab eo sublevare, & liberare: Ergo aliquam personam redemit hoc speciali modo: sed nullam magis decuit redimere, quàm Matrem suam Virginem Mariam: Ergo eam redemit. Probatur Min: perfectissimè placaret aliquis Regem temporalem, pro offensa Filij primò contrahenda, propter quam deberet exhæreditari, si omni modo præveniret, ne Rex offenderetur, & Filius præservaretur ab ira Patris, & exhæreditatione: Ergo similiter est perfectissimus modus redimendi, si DEUS placetur pro culpa originali incurrenda ab aliqua creatura, si creaturam illam præservet ab originali contrahendo, propter quod exhæreditamur à cœlo: sed nullam magis decebat præservare, quàm suam Matrem: Ergo eam præservavit.

14. *Alia ratio Scoti ad idem.* Secunda ratio Scoti sic proponitur: perfectissimus Mediator meretur amotionem non tantùm partis pœnæ; sed omnis omnino pœnæ, quam potest ab eo, pro quo mediat: Ergo Christus qui est perfectissimus Mediator debuit amovere à natura humana omnem pœnam, saltem in aliquo ejus individuo: sed in nullo alio potiùs, quàm in Matre sua: Ergo &c. Peccatum autem Originale est magna pœna, & secundùm Scotum major, quàm carentia Visionis Divinæ; quia ut habet idem Doctor *2. dist: 36.* in peccato est carentia non solùm boni commodi; sed etiam boni justi, & justitiæ, quod bonum justitiæ est magis conveniens voluntati quàm bonum commodi, qualis est Visio & fruitio, quæ pertinet tantùm ad bonum commodi.

15. *Rursus alia ratio ejusdē Doctoris Subtilis.* Tertia ratio Scoti sic proponitur: Ille est perfectissimus Mediator, cui persona reconciliata est summè obligata: sed si Beata Virgo non esset præservata ab originali labe, non esset ei summè obligata: Ergo &c. Probatur Min: unusquisque magis est obligatus illi Mediatori, qui præservavit, & conservavit in innocentia, quàm illi qui permisit ipsum incurrere peccatum, & postea immediatè sublevavit: Ergo &c.

16. *Confirmatio prima pro assentio-* Conclusio posset etiam sic efficaciter Confirmari: Christus dispensavit cum Matre sua in alijs legibus Divinis, videlicet in lege fomitis: item in illa, *in dolore paries Filios:* item in illa, *in pulverem reverteris:* Ergo multò magis in ista, *omnes in Adam peccaverunt;* & illa *omnes nascuntur Filij ira;* cum hujusmodi dispensatio augeat dignitatem Matris. *ne Immaculata Conceptionis DEIparæ.*

Confirmari posset secundò omnibus rationibus, quibus utitur D. Thomas *3. part: q: 27. art: 4.* ad probandum D. Virginem fuisse immunem ab omni actuali peccato; quarum prima est, quia honor & ignominia Matris redundat in prolem. Secunda, quia Mater Christi singularem affinitatem & conjunctionē habuit cum Christo. Tertia, quia singulari modo DEI Filius, qui est Sapientia, habitavit in Matre, non solùm in anima, sed etiam in corpore; at *in malevolam animam non intrabit Spiritus Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis Sap: 1. vers: 4.* Quæ omnia probant Mariam fuisse immunem ab originali: Ergo, &c. 17. *Secunda Confirmatio pro eadem.*

18. *Tertia Confirmatio.* Confirmari potest tertiò: in rebus dubijs, quando per Fidem, aut determinationem certam Ecclesiæ, aut per revelationem, aut per evidentiam facti de aliquo privilegio Christi, & beatæ Virginis super legem communem, non constat oppositum; tunc piè, & rationabiliter credendum est, DEUM circa hoc fecisse id, quòd secundùm rectam rationem naturalem ostenditur, dicitur ipsum fecisse, & quod esset indecens non fecisse: Ergo cùm de privilegio Immaculatæ Conceptionis Virginis sit dubiū, & recta ratio, dictet melius esse dicere eam habuisse hujusmodi privilegium, & dicere contrarium sit indecens, consequenter dicendum est, DEUM hujusmodi privilegiū Virgini concessisse. Ant: patet, quia tantùm duæ sunt regulæ veritatis, scilicet naturalis, & supernaturalis: Ergo quando deficit supernaturalis, id est, revelatio, uti in proposito contingit, oportet credere naturali; ad hoc enim dixit David *psal: 4. signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Huc etiam quadrat dictum D. Augustini *lib: 3. de libero arbitr: cap: 5. quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc DEUM magis fecisse, quàm non fecisse,* in ordine ad Excellentiam Immaculatæ Conceptionis Matri suæ conferendam; hæc enim eam decebat; & aliunde non repugnabat.

19. *Quarta confirmatio.* Confirmari potest quartò: quidquid cedit in laudem & perfectionem laudem

DEIparæ est de ea asserendum, nisi authoritas vel ratio obstet: sed cedit in laudem & perfectionem DEIparæ asserere eam esse sine macula originali conceptam, & nulla authoritas, aut ratio urgens obstat, ut patebit mox solvendo objectiones Adversariorum: Ergo hoc est asserendum de DEIpara.

20. *Quinta confirmatio ex miraculis & revelationibus.*

Confirmari potest quintò hæc sententia pluribus miraculis, & revelationibus, quæ de Immaculata Conceptione leguntur in libro dicto *flores Sanctorum.* Specialiter autem revelatione S. Brigidæ *lib: 5. in fine*; cujus revelationes approbatæ sunt in Concilio Constantiensi; & ab Urbano IV. & Martino V. ut habetur *in earum prologo.* Et licet Cajetanus fat acribus verbis invehatur contra revelationes S. Brigidæ, & alleget in oppositum revelationem S. Catharinæ Senensis, cui dicit potiùs esse standum: tamen hujusmodi revelatio S. Catharinæ nusquam invenitur; nec Confessor ejus Raymundus, nec Thomas Senensis, qui vitam dictæ Sanctæ, & revelationes scripserunt, faciunt de ea mentionem.

Quæstio II.

Objectiones Thomistarum contra Illibatam DEIparæ Conceptionem dilvuntur.

1. *Scotus respondet ad textus generales Scripturæ, dicentes omnes in Adam peccâsse.*

Ex quatuor fundamentis Adversarij impugnant Immaculatam Conceptionem: *primò* ex S. Scriptura docente; *omnes in Adam peccâsse; omnes nasci Filios iræ,* &c. Respondet Scotus ad similes passus generaliter, eos debere intelligi cum accomoda, solâ scilicet Virgine Mariâ exceptâ cui in hoc collatum est speciale privilegium; ut colligitur ex Tridentino, quod *sess: 5.* habet hæc verba, *declarat tamen hac ipsa S. Synodus, non esse sua intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam Immaculatam Virginem MARIAM.*

2. *Variæ authoritates ex Consilys, & Pontificibus à Thomist: objecta glossantur.*

Secundò adducunt Concilium Milevitanum confirmatum ab Innocentio I. *cap: 2.* docens, de Fide esse, omnes descendentes ab Adam per seminalem propaginem contrahere maculam originalis peccati. Idem docet Zosimus Papa Et *de Consecr: dist: 4. cap: firmissimè* dicitur, *firmissimè crede, & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci*: Respondeo; Concilium, & reliquas authoritates allegatas explicari per definitiones Conciliorum, & Pontificum posteriores, puta per Tridentinum & Sixtum IV. qui excipiunt Beatam Virginem ab originali; unde ut reconcilientur prædictæ authoritates, dico eas debere intelligi cum accomoda, sicut Scripturæ suprà intelligebantur.

3. *Quædam authoritates SS: PP: generales objectæ reconciliantur.*

Tertiò coacervant Adversarij ingentem cumulum authoritatum SS: PP: quorum aliqui docent in communi omnes posteros Adæ contraxisse originale: Ergo & Beata Virgo. Respondeo ad hos, quòd hoc sit verum de cursu ordinario; cum quo tamen stat, quòd aliquod individuum ex eis habuerit speciale privilegium præservationis.

4. *Sicut & aliæ speciales.*

Adducunt deinde alios PP: docentes in speciali, Beatam Virginem fuisse mundatam, purgatam, & similia; ex quibus infertur, Beatam Virginem fuisse priùs maculatam labe originali. Respondeo; similes clausulas esse intelligendas de mundatione facta per præventionem Spiritûs Sancti non de mundatione præsupponente Originale. Addunt quoque specialissimas authoritates, & *primò* Sancti Augustini *super psal:* dicentis: *MARIA ex Adam mortua est, propter peccatum:* Ergo, &c. Respondeo Cajetanum corruptè adduxisse hunc textum; subticuit enim ly *Ada*, quod addit S. Augustinus, post ly *propter peccatum Adæ.* Itaque sensus est, quòd Beata Virgo à pœnalitatibus,

5. *Ad specialissimas quæque nonnullas eorundem respondetur.*

quæ in ea fuerunt propter exercitium, & meritum, non fuerit præservata; & de horum genere est mors Virginis. *Secundò*, obtrudunt S. Ambrosium *super psalmum, Beati Immaculati*, &c. dicentem, *Dominus venit in carne, qua erat obnoxia peccato in Matre.* Respondeo sensum esse, quòd Christus venerit in carne, quæ erat obnoxia peccato, non actu; sed potentialiter. Hâc viâ multa objecta PP: solvuntur. *Tertiò*, S. Eusebium Emissenum dicentem, *à peccati originalis nexu nullum omnino immunem extitisse, nec etiam ipsam Genitricem Redemptoris.* Respondeo, S. Eusebium ab Adversarijs non fideliter citari; quia ipse addit unam particulam, quæ maximè facit pro nobis; & est tamen ab Adversarijs expuncta, scilicet ly *per se*, ut sensus sit, Beatam Virginem non per se, & ex sua generatione; sed ex privilegio Christi fuisse præservatam. *Quartò*, S. Anselmum

6. Anselmum *lib: 2. cur DEUS homo cap: 16.* dicentem, *licet ipsa Christi conceptio munda sit; Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam Mater sua.* Respondeo, cùm dictus Sanctus alibi expressè contrarium doceat, intelligendus est, non de peccatis propriè dictis; sed sicut ipse *cap: 7. lib: de conceptu Virginis* dicit, eum qui ex libidine conceptus est, hoc ipso posse dici esse in peccatis conceptum; quia ex illa conceptione seminali habet, unde naturaliter contrahat peccatum Originale: cùm ergo Beata Virgo sit concepta in conceptione seminum ex libidine Parentum suorum, secundùm hoc dici potest impropriè esse concepta in peccatis, & iniquitatibus. *Quintò* objiciunt S. Bernardum, S. Bonaventuram, S. Thomam, S. Antonium de Padua, & S. Bernardinum, & S. Vincentium Ferrerium, expressè docentes maculatam Conceptionem. Respondeo; S. Bernardum, S. Bonaventuram, D. Thomam, & S. Bernardinum fuisse quidem in contraria opinione; quia suo tempore videbant festum Immaculatæ Conceptionis non ita solemniter, & ex præcepto Ecclesiæ celebrari; quia omnes Scholæ publicè asserebant, Beatam Virginem esse in macula Originali conceptam: sed si nunc viderent Romanorum Pontificum authoritatem ita apertè faventem alteri sententiæ, de Immaculata Conceptione, eam omnino amplexarentur; quia hi SS: Doctores plurimùm æstimabant, & reverebantur Ecclesiæ authoritatem, adeò ut ipse D. Thomas *2. 2. q: 10. art: 12.* dicat, plus esse Ecclesiæ authoritati tribuendum, quàm cujuscunque Doctoris. S. Antonius falsè in oppositum citatur: quia ille Sermo de Nativitate, in quo secundùm Adversarios oppositum dicitur tenere, non est S. Antonij. Idem dicendum de S. Vincentio Ferrerio.

Rursus aliæ authoritates PP: à Thomistis adductæ explanantur.

7. Quartô Locô ponit D. Thomas suas rationes in oppositum; quarum prima est, sequeretur ex Scoti sententia Beatam Virginem non indiguisse Christo Redemptore, quod est falsum: Ergo &c. Respondeo Neg: sequelam; nam fatetur Scotus Beatam Virginé vi propriæ conceptionis naturalis subjectam fuisse secundùm debitum peccato Originali; sed tamen per gratiam Christi fuisse ab actuali contractione ejusdem præservatam; unde Christus fuit Virginis Redemptor præservativus; licet non fuerit sublevativus, sicut fuit aliorũ hominũ.

Quædam ratio D. Thomæ contra Immaculatam enervatur.

8. Secunda ratio D. Thomæ est hæc: sequitur ulterius, quòd Christus non aperuisset jannam cœlestem Mariæ; quia hæc clausa est alijs hominibus propter Originale; unde si Beata Virgo mortua fuisset ante Passionem Domini, potuisset intrare januam cœli; quòd videtur derogare Christo, qui pro omnibus eam aperuit. Respondeo Neg: Sequelam; quia Christus dicitur sufficienter Virgini januam cœli apetuisse, per hoc, quòd eam præservaverit ab Originali, propter quod ei clauderetur dicta janua: Utrum autem verè intrâsset cœlum, si ante Passionem Christi mortua fuisset, tenet Scotus, quòd probabilius descendisset ad Limbum Patrum, usque ad Filij descensum eò; nam & ipsi SS: PP: erant purgati ab Originali ante mortem suam; & tamen non poterant ingredi januam cœli immediatè.

Rursus alia ratio ejusdem refutatur.

9. Tertia est Thomistarum ista: Beata Virgo non habuit justitiam originalem Adami pro primo instanti: Ergo habuit ejus carentiam, quod est peccatum Originale. Respondeo Neg: Conseq: quia locô justitiæ originalis Adami habuit gratiam aliam æqualem, imò superantem justitiam originalem.

Cuidam Thomistico argumento obviatur.

10. Objicit quintò sibi ipsemet Scotus in corpore quæstionum: Beata Virgo non potuit præservari ab Originali labe; quia prius fuit filia naturalis Adæ, eò quòd fuerit priùs persona, quàm haberet gratiam præservantem: Ergo &c. Resondet ipse Scotus per sat longum discursum; cujus substantia in hoc consistit, quòd licet pro aliquo priori concedatur fuisse filia Adæ naturalis, pro quo debuisset ipsi in esse Originalis macula, tamen dicit, quòd non infuerit; quia fuit extrinsecus impedita illa macula, per specialem operationem DEI præservantis. Posset etiam negari, quôd fuerit pro aliquo instanti reali filia Adæ sine omni gratiæ, quia eô instanti, quo anima infundebatur corpori simul infundebatur & gratia præservans. Tandem posset fortè dici, quôd fuerit filia Adæ privativè; non tamen positivè.

Aliud quoque à Scoto adductum ab eodem Doctore convellitur.

11. Quæres; Utrum Beata Virgo contraxerit debitum incurrendi peccatum originale? Per *debitum incurrendi* intelligunt Theologi, exigentiam naturæ, ut afficiatur peccatô Originali, quantùm est ex vi nativitatis suæ. Respondeo cum Scoto contra Catharinum, & alios affirmativè. Ratio est; quia ut dixi de-

Beata Virgo contraxit debitum incurrendi peccatum Originali.

bitum

bitum hujusmodi est quædam exigentia naturæ ad attrahendum Originale; hæc autem est identificata cum ipsa natura, ùt descendente ab Adamo per seminalem rationem: Ergo cum Beata Virgo habuerit naturam sic ab Adamo descendentem, consequenter etiam habuit debitum incurrendi Originalem labem. Ratio alia est efficacior; quia Beata Virgo dicitur à Christo aliquando redempta: Ergo fuit aliquando captiva: sed non fuit captiva secundùm ipsum Originale: Ergo secundùm debitum illud habendi.

12. *An sit de Fide asserere Beatam Virginem contraxisse illud debitũ.*

Quæres; An sit de fide Beatam Virginem contraxisse hujusmodi debitum? Aliqui Authores putant quòd sic; & moventur *primò* ex illo Pauli *2. ad Cor: 5. si Christus pro omnibus mortuus est; Ergo omnes mortui sunt*; & consequenter etiam Beata Virgo saltem secundùm debitum. *Secundò*; Beata Virgo est mortua naturaliter; mors autem infligitur vel propter Originale ipsum, vel saltem propter debitum ejus: Ergo, &c. Utrum autem à parte rei definita sit de Fide dicta Authorum sententia, non constat omnino expressè; ego ad minùs puto, asserere Beatam Virginem non contraxisse debitum incurrendi Originale peccatum, esse parùm probabile, & contra communem modernorum sensum.

13. *Expediuntur tandem Thomistæ Mysterium Conceptionis DEIparæ impugnantes.*

Objiciunt Thomistæ sextò: Beata Virgo Maria fuit subjecta omnibus pœnis, à DEO ordinatis propter Originale peccatum; quia patiebatur ærumnas varias, mœrores, mortem &c. Ergo fuit aliquando maculata illo peccatô. Respondeo Neg: Conseq: nam Beata Virgo Maria patiebatur illas ærumnas non in pœnalitatem, ex Originali peccato descendentem; sed in meritum, & ampliorem gratiam: aliunde etiam expediebat eas pati, ut assimilaretur suo Filio in tolerantia similium ærumnarum, mœrorum, &c.

Complura alia objecta ab Adversarijs, maximè Bandello, Turrecremata, Spina, Eymerico, Cajetano, Medina, Beza, quodam Anonymo, deprompta tum ex Scriptura, tum ex varijs Concilijs Provincialibus, tum ex PP: tum ex Officijs Ecclesiasticis, tum ex Jure Canonico, tum ex manuscriptis vetustis, revelationibus, sentiminibus gravissimorum Theologorum, rationibus, & alijs capitibus per extensum adducit noster Pater Alua & Astorga, eruditequè solvit, ac refutat in suo Volumine magno, intitulato *Rady Solis*, impresso Lovanij.

Quæstio III.

De Gratia Sanctificante Beatæ Virginis Mariæ; ejusdemquè Immunitate à peccato actuali.



ICO primò: Beata Virgo Maria adhuc in utero Matris existens consecuta est gratiam habitualem formaliter sanctificantem; imò primô instanti suæ animationis. Ita communis SS: PP: & Theologorum. 1.

Beata Virgo in utero existens dotata fuit gratiâ sanctificante.

Probatur prima pars: *primò* ex communi sensu Ecclesiæ, quæ idcirco Nativitatem ejus ceu sanctè natæ celebrat publicô officiô jam ab antiquo. *Secundò* ex SS: PP: sanctificationem DEIparæ in utero existentis pronuntiantibus; unde D. Bernardus *ep: 174.* ait; *quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* *Tertiò* exemplô aliorum Sanctorum; nam si secundùm D. Cyprianum, Gregorium, Ambrosium, ac alios PP: privilegium gratiæ sanctificantis seu sanctificationis formalis in utero concessum fuit Joanni Baptistæ Præcursori Christi, & Jeremiæ vati Christi; quantò magis Mariæ Matri Christi: Ergo, &c.

Probatur secunda pars: quia decebat Matrem DEI statim primô instanti suæ animationis collustrari gratiâ formaliter sanctificante: & aliunde nulla erat ratio ejus collationem differendi: Ergo tunc fuit consecuta gratiam sanctificantem. 2.

Statim ab instanti Conceptionis.

Dico secundò: Beata Virgo Maria non accepit in prima sanctificatione gratiam summè intensam, quam aliquando erat habitura. Ita communiter Theologi. 3.

Quæ tamen non fuit summè intensa.

Probatur: Beata Virgo accepit in prima sanctificatione gratiam viatoris, de cujus ratione est, ut possit augeri; est enim principium meriti; unde dicitur Proverb: *4. quod justorum semita quasi lux splendescens procedat; & crescat usque ad perfectum diem:* Ergo Beata Virgo Maria non accepit in prima sanctificatione gratiam summè intensam.

Dico tertiò: In prima sanctificatione data fuit Virgini intensior gratia, 4.

Gratia pro-

quàm

ma ſanctificans Beatæ Virginis fuit intenſior, quàm prima omnium hominum & Angelorum.

quàm ulli hominum, & Angelorum in prima ſanctificatione collata fuerit. Ita quoque communiter Theologi.

Probatur: Beata Virgo poſt Chriſtum effecta eſt ſanctior præ hominibus, & Angelis; quia fuit conjunctior Verbo, & Chriſto, qui eſt fons gratiæ: Ergo ei in prima ſanctificatione collata fuit intenſior gratia, quàm ulli hominum, vel Angelorum. Nec refert quòd in prima ſanctificatione non habuerit illam conjunctionem, quia ſatis eſt habuiſſe ordinem ad illam ex Divina prædeſtinatione. Deinde hoc decebat Matrem DEI, & ei non repugnabat; quod eſt pium Scoti argumentum in hac materia, & applicari poteſt, ad probandam omnem excellentiam Virginis: Ergo &c.

5. *Imò quàm ſuprema eorundem, in quam tractu temporis conſummantur.*

Dico quartò: Piè credendum eſt, gratiam Beatæ Virginis in prima ſanctificatione fuiſſe intenſiorem, quàm ſupremam gratiam, in quam tractu temporis homines, & Angeli conſummantur.

Probari poteſt primò ex illo *pſal: 86. Fundamenta ejus in montibus ſanctis*; quia fundamenta ſanctitatis Virginis poſita fuerunt, ubi alij Sancti conſummantur: nec mirùm, quia qui illam fundavit, factus eſt in ea homo: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS: PP: concluſionem aſſerentium; unde in hunc ſenſum explicat S. Gregorius *lib: 1. Reg: cap: 1.* illud Iſai: *2. & erit præparatus mons Domini in vertice montium: poteſt*, inquit, *hujus montis nomine Beata Virgo Maria deſignari*; in vertice autem montium fuiſſe intelligi poteſt; quia gratia quæ alijs fuit finis, & terminus, illi initium & fundamentum fuiſſe videtur. Et S. Petrus Damianus *ſerm: de aſſumptione* dicit, *attende Seraphim, & videbis, quidquid majus eſt, minus eſſe Virgine, ſolumquè Opificem opus iſtud ſupergredi.* Vide etiam S. Bernatdum *ſerm: 4. de Aſſumpt:* & alios PP:

6. *Poterat nihilominus Beata Virgo eandem intendere per merita ſubſequentia.*

Dico quintò: Beata VIrgo non obſtante quòd habuerit in prima ſanctificatione intenſiorem gratiam, quàm homines, & Angeli; tamen poterat intendere eandem, & conſequenter mereri tam ante, quam poſt Conceptionem. Ita S. Bonaventura, D. Thomas, Occamus, &c. Contra Alenſem, Rich: &c. docentes, Beatam Virginem tantùm potuiſſe mereri uſque ad Filij Conceptionem. Doctor noſter circa hanc concluſionem eſt dubius *in 4 diſtinct: 4. q: 6.*

Probatur primò: non eſt credibile Beatam Virginem per tot dolores & labores, ex perfectiſſimo amore ſuſceptos pro Chriſto, nil meruiſſe: Ergo &c. *Secundò*: Beata Virgo quamdiu in mortali corpore vixit, non fuit beata, neque in ſtatu comprehenſionis ſecundùm animam: Ergo fuit in ſtatu Viatorum; & conſequenter poterat intendere per opera meritoria ſuam gratiam habitualem.

7. *Quam plenitudinem gratiæ habuerit DEIpara tempore Salutationis Angelicæ.*

Dices: Ergo Angelus eſt mentitus, quando ante Conceptionem eam ſalutavit *gratiâ plenam*. Reſpondeo Neg: illatum; quia illa plenitudo non eſt intelligenda de omnimoda & ſimplici conſummatione; ſed de plenitudine, quæ ſufficit ad eſſe dignè diſpoſitam, ut fiat Mater Chriſti DEI; & à qua habebat confirmationem in gratia, ut de cætero non poſſet ampliùs peccare.

8. *B. M. meruit perfectiſſimis actibus vitæ activæ & contemplativæ.*

Quæres primò: quibus actibus Beata Virgo meruerit intenſionem gratiæ? Reſpondeo; quôd actibus perfectiſſimis tam vitæ activæ, quàm contemplativæ. Probatur; quia tota vita Beatæ Virginis partitur in tria tempora: *Primum* protenditur uſque ad Filij conceptionem: *Secundum* ab Incarnatione uſque ad Aſcenſionem Domini: *Tertium* uſque ad obitum Virginis: in ſingulis autem his temporibus excellentiſſima opera vitæ utriuſque exercuit: Ergo &c.

9. *Tum tempore præcedente Conceptionem.*

Probatur de primo tempore, quòd in eo meruerit: nam hoc tempore ex antiquorum Patrum ſcriptis colligitur, Beatam Virginem in templo habitâſſe, & ibi contemptationi vacâſſe poſtulando ardentiſſimè adventum Meſſiæ, unde refert Sabellius *lib: 2. Exemp: cap: 4. & 9.* ex quadam antiqua Traditione, ſolitam fuiſſe Virginem totâ hâc ætate à prima luce uſque ad tertiam horam contemplationi vacare: deinde uſque ad meridiem operi alicui incumbere: reliquam verò diei partem ſacræ lectioni, & orationi impendere; quod etiam ita fuiſſe revelatum B: Brigidæ refert Caniſius, qui de hac ætate latè ſcribit *lib: de B: M: cap: 12. & 13.*

10. *Tum ab Incarnatione uſque ad Aſcenſionem Chriſti.*

Probatur de ſecundo tempore; quia ſecundùm S. Anſelmum à Conceptione Chriſti uſque ad Aſcenſionem ſedens ſecus pedes Filij audiebat verbum illius; nunquam enim ferè à Filio diſcedebat; plurimosquè actus Fidei, Charitatis, Obedientiæ, & Humilitatis exercebat. Deinde quoad vitam activam exercuit ſumma pietatis officia erga Filium

lium; Sponso suo etiam ministravit, maximos dolores in Filij Passione sustinuit, ut rectè considerat S. Anselmus *lib: de excellentia Virg: c: 5.*

11. *Tum reliquo tempore vitæ.* Probatur de tertio tempore, ex Sabellico *cit:* & Nicephoro *lib: 2. histor: cap: 3.* dicente, quòd Beata Virgo post Christi mortem in S. Joannis domo habitaverit, privatamquè, & ab omni consortio hominum semotam vitam contemplativam egerit; quia Filij absentiam perpetuâ contemplatione, & charitate compensabat: activam etiam egit; quia tunc Apostolos, & Lucam Evangelistam de Mysterijs Fidei instruxit; uti docet S. Hieronymus *serm: de Assumptione.*

De quaotitate, intensione, & excellentia gratiæ Beatæ Virginis, præclarè scribunt S. Damascenus *Orat: de Assumptione.* Epiphanius *orat: de laudibus Virginis.* S. Anselmus *lib: de excellentia Virg:* S. Ephrem: similiter *de Laudibus Virginis.* S. Bonaventura *in speculo Mariæ*, & *in opusculo de laudibus Virginis.* S. Bernardinus *serm: 51.* & alij Concionatores illustres, quos vide in Bibliotheca PP:

12. *Quænam dona acceperit Beata Virgo in sua justificatione.* Quæres; quænam dona acceperit Beata Virgo in sua justificatione? Respondeo; quòd *primò* acceperit unà cum gratia omnes virtutes per se infusas supernaturales, omniaquè dona Spiritûs S. similiter & virtutes morales, præcisis imperfectionibus. Ita docet S. Bernardus, & S. Athanasius. Ratio est; quia Adam à principio suæ creationis accepit hujusmodi dona: Ergo à fortiori Beata Virgo. *Secundò* accepit omnes gratias gratis datas; licet non habuerit omnium usum. Ratio primi est; quia Luc:. 1. dicitur plena gratiâ, ad quam plenitudinem possunt etiam gratiæ gratis datæ reduci. Ratio secundi; quia non legimus D. Virg: habuisse usum docendi formaliter, quod pertinet ad virtutem Sapientiæ; nec legitur fecisse miracula, dum esset in vita, quod ad gratiam miraculorum pertinet. Legitur tamen prophetâsse Luc: 1. *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

13. *B.V. Maria semper fuit immunis ab omni peccato actuali.* Dico sextò: Beata Virgo Maria toto tempore vitæ fuit immunis ab omni actuali peccato, etiam levissimo. Ita communit SS: PP: & TT: contra Calvinistas, & Lutheranos.

Probatur primò authoritate Tridentioi *sess: 6. can: 23.* apertè asserentis, Beatam Virginem toto tempore vitæ vitâsse omnia peccata, etiam venialia; *si quis hominem* (inquit) *semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè justificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit:* Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS: PP: idem privilegium evitationis omnis peccati actualis DEIparæ attribuentium; unde D. Bernardus *serm: 2. de Assumpt: absit enim ut proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari queratur.* Et S. Augustinus *lib: de nat: & grat: cap: 36. hâc ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hic viverent congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros dicamus?* Ergo &c. 14. *Quod authoritate SS: PP: ostenditur.*

Probatur tertiò ratione: sicut honor Parentum redundat in Filios secundùm illud *Proverb: 18. gloria Filiorum Parentes eorum*; ita pariter ignominia Parentum redundat in Filios: Ergo si Beata Virgo Maria Mater Filij sui Christi aliquando fuisset dehonorata aliquò peccatô, utique hæc ignomioia quoque in Christum Filium redundâsset: hoc autem non est dicendum: Ergo &c. Præterea sicut decebat DEIparam non maculari peccatô Originali; ita pariter decet eam non fœdari aliquò peccatô actuali: Ergo &c. 15. *Et ratione Theologicâ comprobatur.*

Objiciunt hæretici *primò*: Beata Virgo peccavit peccatô contra Fidem; eam aliqui SS: PP: ut Cyrillus Alexandrinus *in comm: ad Joann:* Et Basilius *ep: 318.* dicunt Beatam Virginem tempore Passionis sui Filij dubitâsse, & hæsitâsse, atque scandalum passam fuisse in materia Fidei: Ergo &c. *Secundò*: peccavit peccatô ambitionis, petendo in nuptijs Canæ Galilææ miraculum à suo Filio: Ergo &c. *Tertiò* peccavit peccatô infidelitatis, quando Luc: 1. Gabrieli Verbi Incarnationem annuntianti quasi incredula dixit, *quomodo fiet istud? Quartò* peccatô impatientiæ, quando objurgando Filium suum in templo Jerosolymis remanentem dixit, *Fili quid fecisti nobis sic?* Ergo B.M. commisit peccata actualia. 16. *Variæ peccata actuali Beatæ Virgini impinguntur.*

Respondeo *ad Primum*: Neg: Aut: & glosso allegatos Patres dicendo, quòd solùm velint, Beatam Virginem tempore Passionis actam fuisse in quandam admirationem, 17. *Sed ab ijsdem purgatur.*

mirationem, & stuporem, absque tamen ulla in Fide hæsitatione. *Ad Secundum* Neg: quoque Ant: quia illa Verba, *vinum non habent* non sunt indicium inanis ambitionis, sed eximiæ Fidei Beatæ Virginis circa Divinitatem, & omnipotentiam Filij sui; simulquè magnæ charitatis ejus erga pauperes, quos nolebat pudore suffundi propter defectum vini. *Ad Tertium* Neg: pariter Ant: nam ùt ait D. Augustinus *hom 44. cap: 5. dum interrogavit, de promissione non dubitavit.* Et Bernardus *hom: 4. super missus est; non dubitat de facto; sed modum requirit, & ordinem. Ad Quartum* Neg: etiam Ant: & dico, illa verba esse potiùs testativa doloris Materni de absentia Filij, & amoris eximij erga eundem expressiva.

18. *Quid sit fomes peccati, quamdiu maneat, & quomodo auferatur.*

Quæres: An in Beata Virgine fuerit aliquando fomes peccati? Nota primò pro resolutione; nomine *fomitis* intelligi nostram concupiscentiam naturalem, seu inclinationem appetitûs sensitivi ad objecta delectabilia, quæ inclinatio oritur in membris nostris defectu frœni Justitiæ Originalis, quam Adam nobis perdidit.

Nota secundò: hujusmodi inclinationem fomitis fuisse etiam in hominibus, existentibus in puris naturalibus; non tamen in pœnam, sicut modò est in nobis. Fuisset etiam in statu Innocentiæ; reprimeretur tamen per frœnum Justitiæ Originalis; ita ut caro svaviter obediret rationi; quæ modò in statu naturæ lapsæ contra imperium, & ductum rationis velut fera impetu suo naturali fertur in objecta delectabilia. Hic fomes quandoque vocatur sensualitas; quandoque vulnus naturæ, ac infirmitas; ab Apostolo autẽ *ad Rom:* dicitur, Lex membrorum, *video aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ.*

Nota tertiò: hunc fomitem remanere etiam in baptizatis, & justis secundùm quod definit Tridentinum dicens, quòd maneat usque ad agonem, & luctam.

Nota quartò: quòd ablatio fomitis fiat per infusionem habitûs cujusdam supernaturalis, qui est oppositus fomiti, & quò impeditur dicta inclinatio appetitûs sensitivi, ne prorumpat in actum inordinatum: his notatis.

19. *Author sustinet B: V: nunquam habuisse fomitem peccati.*

Respondet ad quæsitum D. Thomas, S. Bonaventura, & alij dicentes, quòd Beata Virgo habuerit in principio fomitem; qui tamen deinde in sanctificatione ejus fuit ligatus, ac tandem in Verbi Incarnatione totaliter sublatus. Ego cum Scoto teneo contrarium; propter honorem Matris, in cujus laude malo excedere, quàm deficere, si praeter alterutrum oporteat me incidere in errorem. Ratio mea est; quia non videtur potior ratio, cur Beata Virgo sit præservata ab ipsa Originali labe; & quare non etiam à fomite, qui ex Originali peccato nascitur pessimus fructus: Ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De Scientia; & Merito Beatæ Virginis Mariæ.

1. *B: V: videt per scientiã beatam omnia quæ ab alijs Sanctis videntur.*


IrcaScientiam beatam Beatæ Virginis, Nota primò: extra controversiam esse, quòd Beata Virgo videat ea omnia per scientiam beatam, quæ videntur ab alijs beatis, cujusmodi sunt communia Mysteria Fidei, rerum quarundam naturalium genera, species, & individua, quæ statui eorum congruunt. Ratio est; quia ipsa non est deterioris conditionis, quàm alij Beati.

2. *Et quidem cum majori perfectione intensiva, & claritate.*

Nota secundò: quòd hæc omnia etiam videat cum majori perfectione intensiva, & claritate, quàm ullus Angelorum, & hominum. Ratio est; quia talis scientia oritur ex perfectiori beatitudine; sed Beata Virgo habet de facto perfectiorem beatitudinem, quàm omnes Angeli, & homines, uti colligitur ex illo Ecclesiæ; *exaltata est Sancta DEI genitrix super choros Angelorum*, &c. Quæritur ergo specialiter hic de perfectione extensiva Scientiæ beatæ Beatæ Virginis in ordine ad res creatas, in Verbo visas.

3. *DEIpara scientiâ beatâ videt omnia genera, species, & individua rerum, quæ videt Christus, paucis exceptis.*

DICO primò: Piè sentiendum est, quòd Beata Virgo per scientiam beatam videat habitualiter omnia genera, species, & individua rerum in Verbo, tam futura, quàm possibilia, quæ videt Christus, his solùm exceptis, quæ singulariter ad Christum, & interiores animæ ejus cogitationes pertinent.

Probatur primò authoritate SS: PP: signanter S. Augustini *lib: 4. de Symbolo ad Cath: cap: 1.* dicentis, *jure Sole perhibetur amicta, quæ profundissimum Divina Sapientia, ultra quam dici potest, penetravit abyssum, ut quantùm creatura conditio*

ditio pariter, luci illi inacceſſibili videatur unita. Deinde S. Germani *ſerm: de Aſſumpt:* ſcribentis, *Spiritu tuo ô Maria, velut in æternum omnia obſervas, omnia intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit:*

Probatur ſecundò ratione; quia decet animam B. V. Mariæ hujuſmodi ſcientia beata univerſalis; & ei aliunde non repugnat: Ergo piè ſentiendum eſt, quòd Beata Virgo talem ſcientiam habeat.

4. *B: V: adhuc Viatrix aliquoties fuit elevata ad Viſionem DEI.*

Dico ſecundò: Piè quoque ſimiliter credendum eſt, Beatam Virginem in hac vita exiſtentem, interdum elevatam fuiſſe ad videndum clarè Divinam Eſſentiam brevi tempore. Hæc eſt ſententia graviſſimorum DD: S. Antonini *4 part: tit: 15. cap: 17. §. 2.* Dionyſij Richelij, *ſuper S. Dionyſium de cœleſti Hierarchia act: 18.* Gerſonis *alphabeto 15. tit: 8.* Ubertini de Caſali *lib: 1. arboris vitæ Crucifixi JESU, cap: 9.* D. Thomæ, &c.

Probatur illô irrefragabili Scoti argumento: Talis viſio decet animam Beatæ Virginis, eique non repugnat; cùm probabiliter fuerit conceſſa S. Paulo; Ergo à fortiori concedi debuit Matri DEI.

Quando autem hujuſmodi viſiones habuerit; dicunt DD: communiter, quòd in die Incarnationis, & Nativitatis Chriſti, propter ſingularem dignitatem Matris, ad quam tunc evecta eſt; item in die Reſurrectionis, propter incredibilem dolorem, quàm in Filij Paſſione ſuſtinuit.

5. *B: V. ab inſtanti Conceptionis obtinuit ſcientiam per ſe infuſam plurimorum Myſteriorum, & rerum.*

Dico tertiò: Beata Virgo ab inſtanti Conceptionis habuit ſpecialem ſcientiam per ſe infuſam Divinorum Myſteriorum; ſicut & rerum naturalium.

Probatur primò: quia ita ſentit communis Theologorum, & SS: PP: unde S. Bernardinus *tract: de Beata Virgine ſerm: 4. art: 1 cap: 4.* dicit, *in prima ſanctificatione quantùm ad rationem, & intellectum tanta ei Sapientiæ claritas à DEO ſuperinfuſa eſt, quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & ſpiritus, & omnia bona amplectenda & mala fugienda.* Et Albertus Magnus *lib: de Beata Virgine cap: 96.* ait, *ſimul cum habitu Fidei habuit habitum, quô perfectiùs, quàm Adam in ſopore, quàm Joannes ſuper pectus Domini recumbens, & quàm Paulus in raptu cognovit myſteria ſupernaturalia:* Ergo &c.

Probatur ſecundò ratione: Talis ſcientia decebat quoque animam Beatæ Virginis; & ei non repugnabat: Ergo, &c.

Hâc ſcientâ infuſâ cognovit omnia Myſteria Fidei, omnes veritates ſeu concluſiones, quæ in eis continentur, & quidem diſtinctiùs, quàm per ipſum habitum Fidei; uti docet S. Bonaventura *lib: de laudibus Virginis:* & communis Theologorum. 6. *Signanter circa Myſteria Fidei Meſſiam, vetus Teſtamentum, &c.*

Cum hoc tamen ſtat, quòd etiam cognoverit explicitiſſimè Myſteria Fidei per habitum ipſum Fidei, uti docet S. Auguſtinus *ſerm: de Aſſumpt:* & S. Bernardinus *ſerm: 55.* Ratio eſt primò; quia Beata Virgo in hac vita fuit Viatrix, non obſtante cognitione illâ infuſâ, ſicut ſunt alij homines, in quibus quatenus Viatoribus eſt habitus Fidei. *Secundò; quia ſinè Fide impoſſibile eſt placere DEO;* Beata Virgo autem placuit DEO: Ergo &c. *Tertiò*, quia *Luc: 1. verſ: 45.* prædicatur beata, quia credidit: Ergo &c.

Nota autem; quòd quamvis Beata Virgo dictam ſcientiam infuſam ſemper habuerit; non tamen ſemper cum eadem perfectione; nam Luc: 2. dicitur de Maria, & Joseph, quòd ipſi non intellexerint omnia verba Filij; unde dicendum, quòd in ſingulis ætatibus per ſcientiam infuſam intellexerit omnia, quæ illo tempore erant opportuna, & pro ratione ſtatûs decebant. Exiſtimo ergo Beatam Virginem in particulari. *Primò* habuiſſe perfectam ſcientiam Theologicam infuſam rerum earum, quæ ad cognitionem DEItatis, & Trinitatis ſpectant. *Secundò* perfectam ſcientiam de promiſſione Meſſiæ, & conſequenter de Myſterio Incarnationis quoad ſubſtantiam. Ratio poteſt eſſe; quia aliqualis horum Myſteriorum cognitio fuit neceſſaria per ſe in ſtatu naturæ lapſæ, pertinetque ad ſtatum viatoris. *Tertiò*, habuit ſcientiam ad intelligendum vetus Teſtamentum. *Quartò*, tempore Incarnationis accepit ſpeciale augmentum hujus ſcientiæ infuſæ, circa ea, quæ ad Chriſtum ipſum, & ad Myſteria Redemptionis humanæ pertinebant. *Quintò*, die Pentecoſtes accepit ampliorem ſcientiam de rebus omnibus, quæ ad ſtatum Eccleſiæ Chriſti pertinent; de Sacramentis omnibus; de vocatione Gentium; de reprobatione Judæorum, de ceſſatione legalium, & alijs omnibus Myſterijs Fidei. *Sextò*, habuit ſcientiam rerum omnium naturalium, & moralium; rerum omnium agendarum in ſtatu ſuo. Talis namque decebat Matrem DEI.

Dico quartò: Habuit etiam Scientiam

7. *Insuper habuit scientiam acquisitam circa Divina Mysteria.* tiam acquisitam circa Mysteria Divina, & res naturales. Ita communi TT:

Probatur prima pars: Beata Virgo erat assidua in lectione, & meditatione sacrarum Scripturarum, & Divinorum Mysteriorum comtemplatione; uti docet S. Augustinus *serm: 6. de Nativ:* ubi alloquitur Virginem dicens; *recole Maria Prophetarum lectionem; neque enim te scientia potest Divinorum praterire librorum, qua ipsam plenitudinem paritura & Prophetarum.* Et Origines *hom: 6. in Lucam* dicit; *habebat legis Scientiam, & Prophetarum vaticinia quotidianâ meditatione cognoverat:* Ergo &c.

8. *Et naturales.* Probatur secunda pars: secundùm S. Bernardum *hom: 4. in Missus est, datum est nôsse* (scientiâ scilicet acquisitâ) *cui datum est experiri:* sed Beata Virgo experta est se non concepisse opere humano; item experta est, se peperisse cum Virginitatis honore; item experta est organizationem momentaneam corporis Christi, & ejus animationem, partum sinè dolore, &c. Ergo, &c. Deinde Beata Virgo habuit intellectum nobis similem, ingenium elevatius, & animum pacatissimum, ut facillimè posset veritates rerum naturalium indagare; Ergo &c.

Quod attinet præcellentiam Meriti Beatæ Virginis Mariæ, vide quæ dixi suprà *dist: 4. q: 4. & dist: hac q: 3. quæsito 1.*

QUÆSTIO V.

De Virginitate; & Maternitate DEIparæ.

1. *Quid sit Virginitas & DEIpara, qui ejus Impugnatores.*



Ota primò de triplici Virginitate DEIparæ hic inquiri, nempe ante, in & post partum. *Est autem Virginitas perfecta ab omni vacua libidine, carnis, animi, & corporis integritas.* Virginitatem DEIparæ varij Hæretici impugnârunt; nam Carpocrates, Cerinthus; & Ebionitæ docuerunt Christum ex virili opere seu copula maritali Josephi conceptum, atque ita Beatam Virginem in eo concipiendo non mansisse Virginem. Jovinianus, & Calvinistæ, signanter Petrus Martyr, Beza, & alij dixerunt Beatam Virginem in partu fuisse corruptam, totamquè Virginitatem amisisse. Tandem Evnomius, Helvidius, Bonoxus, & Antidicomariani fabulati fuerunt, quibus videtur quoque adhæsisse Tertullianus, uti patet ex *lib: de Monogamia cap:* 8. DEIparam post partum Christi, usam fuisse copulâ carnali cum Josepho, genuisseque plures proles illas, quæ *Domini Fratres* in Evangelio nominantur. Sed

Dico primò: Sacratissima DEIpara ante, & in conceptu Christi fuit, mansitquè purissima Virgo corpore, & mente. Ita communis SS: PP; & TT;

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam de ista Virginitate ante & in Conceptu Christi intelligitur illud vaticinium Isa *cap: 7. Ecce Virgo concipiet.* Unde idem allegat Matthæus *cap: 1. hoc autem totum factum est, ut impleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in utero habebit,* &c. Patet etiam ex eo, quod narrat idem Evangelista *citatus, quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Et iterùm, *& non cognoscebat eam Joseph, donec peperit:* quibus verbis clarè insinuatur Virginitas DEIparæ ante, & in conceptu Christi. 2. *DEIpara Maria fuit ante & in conceptu Christi perfectissima Virgo.*

Probatur secundò authoritate Conciliorum, & traditione Ecclesiæ: quia ita determinatum est in Concilio V. Constantinopolitano *conf: 8. con:* 6. Et in Lateranensi sub Martino I. *consult: 5. can:* 3. Et in VII. Synodo *act: 3. in epist: Tharasij.* Tradidit hoc idem Ecclesia in precibus, ubi DEIpara pronunciatur *semper Virgo;* & consequenter etiam in conceptu. Idem facit in Symbolo Apostolorum: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP; Virginitatem ante, & in conceptu, communi calculo attribuentium DEIparæ; ùt videre est apud Nyssenum *Orat: de Nativit: Christi.* Et Augustinum *lib: de S. Virginit: cap: 4.* Et Bernardum *hom: 4. super Missus est.* Et Anselmum *lib: de excellent: Beata Virginis cap: 4.* Bedam, &c, Ergo &c.

Dico secundò: Similiter in ipso partu DEIpara permansit Virgo, illæsòque claustrô virgineô Christum enixa est. Ita quoq; communis SS: PP: & TT: 3. *Similiter in ipso partu Christi.*

Probatur primò authoritate Scripturæ, allegatæ suprà ex Isaia, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium;* quem locum ponderat Ambrosius *epist: 7.* inquiens, *non enim concepturam tantummodò Virginem; sed & parituram Virginem dixit:* Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Conciliorum

ciliorum citatorum; quibus adde Chalcedonense *allocut: ad Martian: Imperat:* dicens, *quomodo si DEI Genitrix propter eum, qui Virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut DEO dignum erat, uterum obsignavit:* Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; unde D. Augustinus *serm: 23. videte miraculum Matris Dominicæ, Virgo concepit, Virgo parturit,* &c. Et D. Fulgentius *serm: 2. de Nativ: Domini, qui enim disrupta corporis membra in alijs potuit integrare tangendo; quantò magis in sua Matre quod invenit integrum, potuit non violare nascendo?* Eandem doctrinam de Virginitate DEIparæ conservata in partu affert S. Leo *serm: 1. de Nativ: cap: 2.* Et Nyssenus *Orat: de occursu.* Et Hieronymus *in cap: 44. Ezechiel:* Bernardus, Chrysologus, Petrus Damianus, Damascenus, &c: Ergo &c.

4. *Ac post partum ejusdē perpetuo castitas permansit.*

Dico tertiò: Tandē etiam post partum Beata Maria perpetuò mansit Virgo. Ita similiter communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; nam Ezechiel: 44. extat vaticinium de Virginitate perpetua, & consequenter etiam post partum DEIparæ designata, per portam orientalem semper clausam; & tamen Domino DEO Israëli perviam; quod PP: exponunt de Beata Virgine Maria semper Virgine, etsi partoriente DEUM Christum: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Conciliorum suprà pro prima conclusione relatorum, quæ Beatam Virginem Mariam semper fuisse Virginem pronuntiant; unde Lateran: *cit:* ait: *si quis secundùm SS: PP: non confitetur propriè, & secundùm veritatem DEI Genitricem S. semperquè Virginem, & Immaculatam Mariam, utpote ipsum DEUM Verbum specialiter, & veraciter, qui à DEO Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu S. & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente & post partum ejusdem Virginitate condemnatus sit:* Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: qui dicunt S. Josephum Sponsum DEIparæ perpetuò mansisse Virginem, & consequenter post partum Christi Mariam nunquam cognovisse in ordine ad procreandas proles; ita sentit Petrus Damianus *epist: 11. ad Nicolaum Papam.* Et D. Hieronymus *opusc: contra Helvid: num. 9.* Et scribens in illud Matth: 12. *Ecce Mater tua, & Fratres tui.* Et S. Augustinus *serm: 14. de Nativ: Dom:* ubi ait, *habe Joseph cum Maria Conjuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de Virgineis membris virtus nascitur Angelorum.* Idem docent omnes SS: PP: Latini in hoc è diametro oppositi Græcis Chrysostomo, Theophylacto, Nicephoro, Origeni & alijs, putantibus Josephum habuisse duas uxores, & ex priori procreâsse proles; quæ idcirco in Evangelio *Fratres, & Sorores Domini appellantur:* Ergo Beata Virgo Maria etiam post partum perpetuò mansit Virgo.

Probatur quartò ratione congruentiali: quia indignum est cogitare, quòd illud Sacrarium Spiritûs S: & thalamus Verbi DEI, Sanctissima DEIpara permisisset se posteà pollui concupiscentiâ consuetudinis conjugalis: Ergo tenendum est, quòd etiam post partum B. V. Maria permanserit Virgo.

5. *Hæretici impugnant ex varijs capitibus Virginitatem DEIparæ.*

Objiciunt hæretici *primò:* ex Scriptura colligitur Josephum cognovisse Mariam post partum Christi; nam apud Matt: 1. *cap:* dicitur, *antequam convenirent. Secundò* ibidem habetur, *non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum:* ex quibus inferebat Helvidius Hæreticus Joseph, & Mariam aliquando convenisse ad consummandum opus carnale; & Mariam deinde fuisse cognitam, atque alios peperisse Filios, respectu quorum Christus dicebatur primogenitus. *Tertiò* Matth: 12. dicitur Christum habuisse Fratres, *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant:* Ergo Beata Virgo post partum non mansit Virgo.

6. *Sed repelluntur audacter.*

Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: cum illationibus Helvidij, textum primum Matthæi commentat D. Hieronymus sic, *quòd dicitur antequam convenirent non sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.* Itaque illa particula *antequam* non operatur semper futurum effectum; nam rectè dicitur Helvidius morte præventus fuisse antequam resipisceret à sua hæresi; & tamen hic illa particula *antequam* non operatur ejus futuram conversionem. *Ad secundum passum,* dico illud adverbium *donec* exprimere id, quòd dubium esse potuisset, relinquendo id quod certum est velut à fortiori inferendum. Dicit itaque Evangelista, quòd Joseph non cognoverit Mariam ante partum de quo maximè dubitari potuisset, insinuans multò minùs postea, cùm esset vir justus, voluisse tangere ae

re ac contaminare templum Spiritûs S. DEI, ac Domini sui Matrem. Similis modus loquendi habetur Gen: 8. ubi dicitur de corvo ex arca emisso, *non revertebatur donec siccarentur aquæ*; & tamen non rectè infertur, corvum hunc reversum fuisse post siccationem aquarum. *Ad Tertium* glosso Scripturam allegatam, & dico per *Fratres Domini* intelligi consanguineos seu cognatos; mos enim est Scripturæ etiam cognatos alicujus appellare fratres; sic Abraham & Loth Gen: 13. dicuntur *Fratres*, eò quòd essent ex una cognatione; similiter Jacob, & Laban: Gen: 29. Itaque *Fratres Domini* puta Jacobus & Josephi, Simon, & Judas erant Filij Mariæ Cleophæ, quæ erat Filia Sororis S. Annæ Matris B. V. Mariæ; & consequenter Consobrina B. V. Mariæ, uti testatur S. Hipolytus Martyr apud Nicephorum *lib: 2. cap: 3.* & eruditè ostendit P. Frassen hic *disp: 3. art: 3. sect: 3. q: 4.*

Circa Maternitatem Beatæ Virginis Mariæ revoco me ad ea, quæ dixi suprà *Dist: 5. q: 4.*

QUÆSTIO VI.

De Ortu, Genealogia; & Matrimonio DEIparæ.

1. *B. V. Maria orta est ex tribu Juda.*  DICO primò: Beata Virgo Maria orta est ex tribu Juda, & familia David secundùm lineam tam Maternam, quàm Paternam; ex Matrimonio Annæ, & Joachim. Ita plures SS: PP: & TT:

Probatur prima pars *de tribu Juda*: nam ita docet Apostolus *ad hebr: 7.* inquiens, *manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster*: Ergo &c.

2. *Et familia David.* Probatur secunda pars *de familia David*: tum quia Christus Filius Mariæ Matth: 1. Luc: 1. & 2. vocatur Filius David: tum quia ad Rom: 1. dicitur *factus ex semine David*: tum quia Isa 11. prædicitur oriturus de Jesse, & consequenter ex David, *egredietur Virga* (puta Beata Virgo Maria) *de radice Jesse, & Flos* (id est Christus Filius Virgæ) *de radice ejus ascendet*: Ergo si Filius Virginis Mariæ fuit de familia David, ipsa quoque Mater Maria de eadem debuit fuisse.

3. *Tam secundùm lineam* Probatur tertia pars, quòd secundùm lineam maternam sit ex familia David; quia ita sentit D. Damascenus *Orat: 2. de Nativ: B. V.* alloquens S. Annam Matrem DEIparæ his verbis, *quàm beata Domus David, de qua prodijsti*; Ergo B. Virgo secundùm lineam maternam orta est de familia David. *Maternam.*

4. *Quàm Paternam.* Probatur quarta pars de linea paterna: tum quia si filia Joachim B. V. Maria fuit de familia David, ut paulò antè ostensum est; ipse quoque Pater Joachim de eadem familia debuit ortum ducere. Tum quia ita tenet constans SS: PP: sensus, cum D. Augustino *lib: 2. de consens: Evangelist: cap: 2.* Ergo Beata Virgo Maria orta est de familia David secundùm lineam Paternam.

5. *Habuit cognationem cum tribu Levi.* Nota tamen primò: Beatam Virginem Mariam nihilominus habuisse cognationem cum tribu Levi, seu Sacerdotali; quia Elisabeth cognata DEIparæ narratur fuisse de filijs Aäron: quod contingere poterat, eò quòd aliquis ex progenitoribus D. Elisabeth fuerit de tribu Sacerdotali; vel certè aliqua ex progenitricibus DEIparæ.

6. *Ejus Parentes fuêre Joachim & Anna.* Probatur quinta pars; tum ex perpetua traditione Ecclesiæ: tum ex PP: tum ex communi sensu Theologorum: Ergo B. V. Maria orta est ex matrimonio Joachim, & Annæ.

7. *Sententia Galatini, Suar. & Jansenij de Genealogia DEIparæ.* Nota secundò: Galatinum, Suar: & Jansen: Genealogiam DEIparæ, & consequenter etiam Christi, ex familia seu domo David texere per Nathan Filium David ex Bethsabee. Sed

8. *Genealogia DEIparæ texenda per Salomonem.* Dico secundò: Genealogia DEIparæ texenda est per Salomonem. Ita tenet communis SS: PP: & Scholasticorum.

Probatur; tum ex Scriptura *psal: 131.* ubi promissiones factæ David de Christo nascituro, adimpletæ sunt per Salomonem. Tum ex torrente SS: PP: & TT: qui eam texunt per Salomonem. Tum quia aliàs incongruè S. Evangelista Matthæus exarâsset generationem Christi, & Mariæ per genealogiam Josephi, utpote distantis plus, quàm 20. generationibus à genealogia Mariæ: Ergo &c. Circa Matrimonium B. V. Mariæ.

9. *Inter B: V: & D. Joseph fuit verum Matrimonium ratum.* Dico tertiò: Verum Matrimonium ratum contractum est inter B. V. Mariam, & D. Joseph. Ita S. Bonaventura, D. Thomas, & communis Theologorum.

Probatur primò authoritate Scripturæ: nam Matth: 1. dicitur Josepho ab Angelo, *noli timere accipere Mariam Conjugem*

Conjugem tuam. Et rursus, *Joseph autem vir ejus, cùm esset justus*: si vir: Ergo inter eum, & Mariam jam fuit verum Matrimonium ratum. Et propterea Luc: 2. Joseph dicitur *Pater Christi.*

Probatur secundò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; unde Augustinus *lib: 1. de nupt: cap: 11. propter fidele, conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt.* Idem habet S. Chrysostomus, qui putat jam ante Incarnationem DEIparam fuisse solemniter traductam in domum Sponsi sui Joseph, eique cohabitâsse tanquam vera Uxor; quod & videtur indicare ille passus Scripturæ apud S. Matth: *1. cap: voluit occultè dimittere eam*, utique jam ad se, & domum suam assumptam: Ergo verum Matrimonium ratum contractum est inter Beatam Virginem Mariam, & D. Joseph.

Probatur tertiò rationibus congruentialibus: quia ex multis capitibus congruebat inter Beatam Virginem, & S. Joseph iniri hujusmodi Matrimonium; ut scilicet consuleretur famæ DEIparæ, ne gignendo Christum censeretur ex adulterio, vel fornicatione concepisse. Item ut in viro suo Joseph justo, & timorato haberet custodem, atque testem suæ puritatis, solatium in afflictionibus, & adjutorium in necessitatibus. Et tandem partus Divinus celaretur Diabolo.

QUÆSTIO VII.

De Assumptione corporea Beatæ Virginis in cœlum; ejusdemque gloria; & cultu.

1. *Beata Virgo cum anima & corpore assumpta est in cœlum.*



DICO primò: Beata Virgo Maria cum corpore, & anima assumpta est in cœlum ad perfectam beatitudinẽ corporis, & animæ. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Ecclesiæ; quæ in honorem Mysterij Assumptionis DEIparæ jam olim ordinavit publicum Festum, Officium Missæ, & Breviarij; uti constat tum ex antiquo Lectionario D. Hieronymi, ubi sic habetur, *in Assumptione Mariæ. Lectio libri Sapientiæ. In omnibus requiem quæsivi. Sequentia S. Evangelij secundùm Lucam, Intravit JESUS in quoddam castellum.* Et ex Martyrologio Eusebij, nomine S. Hieronymi evulgato. Ex Nicephoro vetusto Scriptore. Et statutis Synodalibus Ecclesiæ Rhemensis, confectis circa ann: Domini 633. Et ex Missalibus antiquis, atque Breviarijs Romanis, Festi, Officij Missæ, & Breviarij de Assumptione ritum continentibus: Ergo &c.

Prabatur secundò traditione veteris Ecclesiæ, Assumptionem Beatæ Virginis Mariæ in cœlum secundùm corpus, & animam asseverante, quam refert S. Damascenus *orat: 2. de dormit: B. Virginis*, ex D. Dionysio, & Juvenali Hierosolymitano Præsule. Eandem traditionem commemorat Gregorius Turonensis, qui sextô sæculô vixit, *lib: 1. de miraculis.* Et S. Andreas Cretensis Archi-Episcopus, qui vixit quintô sæculô, *orat: 1. & 2. de Assumpt:* ut refert Genebrardus, & Gualterius *in Chron:* Et Timotheus Presbyter Hierosolymitanus, qui quartô sæculô vixisse recensetur *in Biblioth: PP: Græcor:* Ergo Beata Virgo Maria cum corpore, & anima assumpta est in cœlum.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: eandem Assumptionem DEIparæ attestantium; unde Petrus Damianus *serm: de Assumpt:* dicit *Assumpta est Maria in Cælum, sed gratia sublevantis indiciô, comitantibus, & auxiliantibus Angelis.* Et D. Bernardus *serm: de Assumpt:* ait, *tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incorrupti Verbi Mater in cælum; nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis sola natura supra immortales Spiritus exaltatur in Virgine.* Lege etiam Damascenum *Orat 2. de dormit B. Virg:* Et Hugonem Victor: *lib: 3. de erudit: Theolog: cap: 125.* Et Fulbertum Carnotens: *serm: de Nativit: B. V.* Et S. Bonaventuram *in speculo B. Mariæ.* Et S. Bernardinum *serm: 12. de Assumpt: B: Virg:* Ergo Beata Virgo Maria cum corpore, & anima assumpta est in cœlum. 2. *Quod authoritatibus SS: PP: ostenditur.*

Probatur quartò rationibus congruentialibus S. Bernardini *primò*: Non videtur consonum rationi, ut illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & in quo personam Divinam naturæ humanæ univit, ut Verbum caro fieret, ipsis vermibus fieret esca, & post vermes pulvis abjectus efficeretur: sed potius ut animæ, rursus post mortem uniretur, & cum eadem æternæ felicitati insereretur: Ergo &c. 3. *Et saris congruentijs suadetur.*

Secundò

Secundò, ſicut caro Chriſti prolis Beatæ Virginis corrupta non fuit, juxta illud Pſalmiſtæ, *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ſed cœlo invecta; ita nec decebat carnem Matris utpote ejuſdem ſubſtantiæ corpulentæ cum caroe Filij corrumpi; ſed aſſumi in cœlum.

4. *Quidam ſermo dubitans de Aſſumptione DEIparæ falsò adſcribitur D. Hieronymo.* Objicit S. Hieronymus in quodam ſermone, qui incipit, *cogis me o Paula & Euſtochium*, poſtquam dixiſſet Beatæ Virginis mauſoleum in valle Joſaphat medio vacuum oſtendi, ſubdit, *quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transportatum utrumnè ſurrexerit, neſcitur*; quibus verbis iſte Pater dubitat de Aſſumptione Beatæ Virginis Mariæ ſecundùm corpus. Reſpondeo allegatum ſermonem falsò adſcribi D. Hieronymo, quod ſequentibus comprobo motivis. *Primò*; quia larvatus Scriptor citati ſermonis eum ſcripſit circa ann: 14?. & Divus Hieronymus teſte S. Proſpero *in Chronico* jam obierat ann: 420. *Secundò* in illo ſermone variæ næniæ, & viſiones Paulæ recenſetur ab illo Pſeudo-Hieronymo, quæ reverà ludicræ ſunt, ac meræ fabulæ, tamquè gravi Doctore prorſus indignæ. *Tertiò* tempore conſcriptionis hujus ſermonis jam Paula ante 44. annos fuerat mortua, ac proinde falsò imponitur D. Hieronymo, quaſi is precibus ejus compulſus citatum ſermonem ſcripſiſſet. *Quartò* in illo ſermone fit adhortatio Paulæ, ut ipſa caveat ab errore Neſtorij, & Eutychij; qui tamen primò exorta eſt poſt mortem Paulæ, ut proinde D. Hieronymus abſque fundamento præfatam faceret exhortationem; quod non videtur affirmandum de tanto Doctore.

5. *Quædam replica enucleatur.* Dices: allegatum ſermonem omnino eſſe genuinum partũ D. Hieronymi; Ratio eſt; quia aliqua pars ejus ab Eccleſia antiqua uſurpata eſt pro lectionibus Breviarij Romani. Reſpondeo Neg: Ant: ad ejus rationem dico præfatum ſermonem aliquamdiu ab Eccleſia putatum fuiſſe tanquam verum partum D. Hieronymi; eò quòd haberet plures ſui laudatores; ac idcirco etiam uſurpatum fuiſſe pro lectionibus Breviarij Romani: poſtea tamen detectò ſuppoſititiò authore ejuſdem rejectus fuit, & Breviarium ipſum ab iſto, & multis alijs nævis, quibus ſcatebat teſte Pio V. in præfatione Breviarij correcti, purgatum.

Circa gloriam, quam B. V. Maria conſecuta eſt poſt ſui Aſſumptionem cum corpore in cœlum.

Dico ſecundò: B: V: Maria Aſſumpta in cœlum ſtatim conſecuta eſt gloriam eſſentialem, & accidentalem tam animæ, quàm corporis; & quidem majorem, quàm omnes Angeli, & homines.

Probatur *primò* authoritate Eccleſiæ; quæ canit in Feſto Aſſumpt: Mariæ, *exaltata eſt S. DEI Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Secundò* authoritate SS: PP: unde Bernardus *ſerm: 1. & 2. de Aſſumpt: B: V: quantùm gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantùm obtinuit in cœlo gloriæ ſingularis.* Et S. Ephrem: *orat: de laudibus Virginis* ait, *eſt Sanctior Cherubim, Sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperius exercitibus glorioſior.* Et Petrus Damianus *ſerm: de Aſſumpt:* dicit, *B. V. inter animas Sanctorum, & Angelorum choros ſupereminens, & cuncta merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit.* Lege etiam Ildephonſum *ſerm: 2. de Aſſumpt:* Et Anſelmum *de excellentia Virginis cap: 4.* Et D. Bonaventuram *lib: de laud: Virg:* &c.

Probatur tertiò ratione: decet Matrem DEI Aſſumptam accipere beatitudinem eſſentialem, & accidentalem cum majori perfectione intenſionis, & extenſionis, quàm habeant, & habituri ſint omnes Sancti & Angeli, tum ratione privilegij Maternitatis, tum ratione majoris gratiæ, tum perfectiorum operum, quæ operata eſt in terris: Ergo &c. Ex his ſit.

Corollarium primum: B. V. Maria Aſſumpta in cœlum vidit ſtatim, & viſura eſt per omnem æternitatem DEUM cum omnibus perfectionibus eſſentialibus, attributalibus, modalibus, & perſonalitatibus Divinis; itemquè in verbo omnia myſteria fidei, & rerum naturalium genera, ſpecies, & individua, & quidem majori claritate, quàm ea videot, & viſuri ſunt Sancti: item totius Eccleſiæ ſtatum, cujus ipſa eſt advocata, unde S. Bernardos *ſerm: de Aſſumpt:* ait, *Spiritus tuus O Maria vivit in æternum, omnia obſervas, omnia intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit.*

Corollarium ſecundum: B. V. Maria quoque ſtatim poſt ſui Aſſumptionem habuit fruitionem perfectiſſimam Divinæ Eſſentiæ, gaudium ſummum, & delectationem; item glorificationem ſui corporis à quatuor ſolitis dotibus glorioſorum

gloriosorum corporum; & quidem in majori perfectione, & gradu elevatiori; item habuit majores delectationes in quinque sensibus corporis sui; quàm omnes Sancti sint habituri; unde rectè Ildephonsus *serm: 2. de Assumpt:* ait; *sicut est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit; ita & incomprehensibile præmium* (utique etiam quod est in fruitione, & glorificatione, usquè corporis) *gloria, quod meruit.*

Corollarium tertium: B. V. Maria etiam fuit statim laureata Aureolâ specialissimâ, Virginitati correspondente; cum ante, in, & post partum purissima Virgo permanserit mente, & corpore. Item laureolâ Doctorali correspondente; ipsa enim fuit magistra Apostolorum, doctrix Ecclesiæ; unde Idiota *lib: de contemplat: Virg:* eam appellat *Doctricem sapientiæ DEI.* Et Eusebius *in Evang: de Festo Assumpt:* dicit, *ab ipsa Apostoli plura audierunt, & ipsâ dictante scripserunt, nobisquè legenda mandaverunt.* Et tandem etiam Aureolâ Martyrio debitâ; ut patet ex illo Luc: 2. *tuam ipsius animam pertransivit gladius*; non quidem corporalis, sed spiritualis afflictio ingens, ex Passione Filij causata; de qua Anselmus *lib: de excell: Virg: cap: 5. dolor ille fuit major omnibus doloribus; quid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ Passionis.* Circa cultum B. V.

6. *B: V: singulariori cultu quàm cæteri Sancti est colenda.* Nota primò: singularem cultum præ alijs Sanctis Beatæ Virgini Mariæ esse impendendum, eò quòd advocatio, & impetratio ejus multò sit efficacior apud DEUM, quàm aliorum Sanctorum varias ob causas, signanter *primò*; quia Beata Virgo Maria est Mater DEI; ac consequenter ejus advocatio coram DEO efficacior, ut bene advertit D. Bonaventura *in speculo Mariæ cap. 8. Secundò*; quia B. Virgo excellit Sanctitate omnes Sanctos; unde S. Petrus Damianus *serm: de Annunt:* ait; *attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus est Virgine, solumquè Opificem opus istud transgredi.* Quæritur ergo quali cultu DEIpara sit colenda.

8. *Cultus hyperduliæ rectè potest, & debet impendi DEIparæ.* Dico tertiò: Beata Virgo potest, & debet coli cultu hyperduliæ; potestquè invocari. Ita communis SS: PP: & TT: Contra Hæreticos complures.

Probatur: Beata Virgo est prædita peculiari præcellentiâ sanctitatis & dignitatis præ alijs Sanctis, & creaturis, infra tamen Divinam: Ergo potest, & debet coli cultu hyperduliæ, ac revera invocari. Probatur Ant: tum quia ita sentiunt SS: PP: signanter D. Anselmus *de laud: Mar: cap:* 9. inquiens, *pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditi orbis benignissimè fieret.* Tum quia B. V. Maria est Mater DEI; quæ præcellentia Maternitatis est sublimior omni aliâ ratione motrice ad cultum, ob quam Sancti alij cultu Duliæ possunt coli. Tum tandem quia ut ratiocinatur D. Bonaventura *in speculo B. Mariæ.* DEIpara omnes continet perfectiones supernaturales in gradu excellentiori; *nam quis* (inquit citatus Doctor Seraphicus) *immensitatem Mariæ potest mensurare? Ecce quod dicitur in Ecclesiast: altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Cælum est Maria, tum quia cælesti puritate, cælesti claritate, cælestibus alijs virtutibus abundavit. Tum quia Sedes DEI altissima fuit teste Propheta qui dicit, Dominus in cælo paravit. Sedem suam; Terra quoque Maria fuit, qua fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait, terra dedit fructus suos. Abyssus etiam est Maria in bonitate, & in misericordia profundissima.* Ergo B. V. Maria potest, & debet coli cultu hyperduliæ à Christi fidelibus. Cui cultui inhærendo Ego, etsi infimus Marianus cultor supplex tibi fio ô Sacratissima DEIpara, cumquè D. Fulgentio; seu ut alij malunt Augustino *serm: 18. de Annunt:* te enixè hâc invoco interpellatione, *admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus; quia tu es Spes unica peccatorum; per te speramus veniam delictorum, & in te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.*

Et hæc Censuræ submitto Ecclesiæ

FINIS.


TRA-

TRACTATUS II.

DE

Plasmatione Mundi corporalis.

PROEMIUM.



NAtales Mundi Divinò afflatus Spiritu Moyses enarrat in sua Chronologia Geneseos 1. & 2. *cap:* cui Sacræ Doctrinæ, ac eminentiorum SS: PP: atque interpretum arbitrijs probatioribus desuper confectis inhærendo Tractatum hunc de mirabili totius globi mundialis structura concinnabo; tum *ut invisibilia ipsius DEI à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur; sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas*: Tum ut instituto meo Scholastico promissoquè de tangendis, & evolvendis singulis Tractatibus, ac quæstionibus Theologicis satisfaciam, Quare sit.



DISTINCTIO I.

QUÆSTIO I.

De tempore plasmationis totius Sphæræ visibilis Mundi.



ARistoteles, & nonnulli alij veteres Philosophi sectarij doctrinæ Aristotelicæ senserunt, Mundum hunc visibilem fuisse ab æterno. Contra quos.

1. *Totus Mundus est creatus in tempore secundùm Scripturam.* DICO primò: Tota sphæra corporalis Mundi plasmata est à DEO in tempore. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ: nam in Chronologia Moysis Gen: *1. & 2. cap:* (quæ tum ob sui inconcussam vetustatem, tum ob Authoris excellentiam majorem meretur fidem, quàm Aristotelis falsa opinio) distinctè exprimitur temporanea totius Mundi constructio. dum dicitur, *in principio creavit DEUS Cælum & terram*, &c. Idem colligitur ex illo Oraculo sapientissimi Salomonis, registrato Pro: 8. *Dominus possedit me in initio viarū suarum, antequam quidquam faceret à principio* Et rursus ex alio Magni Doctoris Gentium *ad Ephes: 1. elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.* Et tandem ex ipsis verbis Christi (qui utique majoris authoritatis, & veritatis censendus est quàm Aristoteles) Joann: 17. *clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quàm Mundus fieret*: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Concilij Lateranensis, *cap: firmiter*, dogmatizantis; *Creator omnium invisibilium, & visibilium, spiritualium, & corporalium suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem, & corporalem;* *Angelicam* videlicet & mundanam: Ergo tota 2. *Concilium Lateran.*

go tota sphæra corporalis Mundi plasmata fuit à DEO in tempore.

3. *Et SS. Patres; ac rationem.*

Probatur tertiò: tum authoritate SS: PP: signanter D. Basilij *hom: in hexameron*, & aliorum, conceptis terminis conditionem Mundi in tempore asserentium. Tum ratione; quia nullum vestigium æternitatis in Mundo corporali apparet, nec ex ullo codice, aut gesto, Chronologiâ Moysis vetustiori similis colligitur: Ergo &c.

4. *Creatio Mundi incidit in tempus vernum.*

Dico secundò: Plasmatio Mundi probabiliùs contigit tempore verno. Ita communior TT: ac Interpretum; contra nostrum P. Lyranum, Abulensem, &c.

Probatur: Tum quia ita sentit torrens SS: PP: signanter V. Beda *lib: de tem: ratio: cap: 65* Et *opusc: de sex ætat: Mundi*; ubi & refert S. Theophylum Archi Episcopum in Conc: Provinciali Cæsaræensi authoritate Victoris Sumi Pontificis celebrato, unà cum alijs Patribus ibidem congregatis declarâsse, creationem Mundi tempore verno contigisse, & Protoplasten Adam fuisse creatum 23. Martij; atque ita molitioni totius Universitatis à DEO initium datum fuisse 18. ejusdem Mensis. Tum quia idcirco etiam videtur recreatio, seu reparatio Mundi lapsi per Passionem, & Resurrectionem secundi Adam Christi in tempus vernum incidisse: Ergo &c.

5. *Patri Lyrano respondetur.*

Objicies pro P. Lyrano: Tempore creationis Mundi omnes arbores fructiferæ erant onustæ fructibus; sicut patet ex fructu vetito jam maturo: Ergo probabiliùs illud tempus erat autumnale aptum natum proferre fructus maturos. Conseq: tenet; quia aliàs magnus disordo in fructificando fuisset causatus in arboribus. Respondeo illos fructus ex speciali providentia Authoris naturæ tunc simul fuisse concreatos cum arboribus, ut videlicet Adam, & Eva inde necessaria haberent alimenta: qui fructus ab Authore naturæ vel conservabantur usque ad tempus autumnale, aliàs ordinatum pro fructificando: vel adveniente tempore fructificandi decidebant, ut arbores alios protrudere possent: vel simul habuerunt junctos flores, aut fructus alios immaturos, qui tractu temporis maturuerunt pro sustentatione Protoparentum.

6. *Plasmatio Mundi non fuit peracta in instanti, uti patet ex Scriptura.*

Dico tertiò: Plasmatio totius corporalis sphæræ mundi non fuit peracta in instanti, aut modico aliquo tempore; sed spatio sex dierum realium. Ita communis SS: PP: & TT: contra Philonem Judæum *lib: 1. allegor: in princ: Prolog:* & Cajetanum, &c.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, nam S. Genesis, sex dies reales refert pro creatione, seu factura totius Mundi corporalis, eosquè appellat veros dies, illis verbis; *factum est vespere, & manè dies unus; dies secundus*, &c. qui dies litteraliter sunt intelligendi; cùm nil cogat eorum intellectum detorquere ad sensum mysticum. Similiter Exod: 20. dicitur, *sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt*: Ergo &c.

7. *Ex SS: PP:*

Probatur secundò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; signanter S. Ambrosij *lib: 1. in hexam: cap: 7.* ubi etiam addit quasdam rationes congruentiales; maximè illas, ne si omnia simul facta fuissent, crederentur esse increata: & ut nos discamus in operibus nostris ab imperfecto ad perfectum tendere: Ergo &c.

8. *Et ex ratione.*

Probatur tertiò: S. Genesis varia commemorat, quæ non videntur potuisse peragi in unico instanti creationis, uti putavit Philo; nam dicitur, tenebras quasdam in principio creationis cœli & terræ occupâsse faciem abyssi, *& tenebræ erant super faciem abyssi*, inquit sacer textus; adeoquè tunc necdum erat creata lux; & post hoc primò addit, *& vidit DEUS lucem, quòd esset bona; & divisit lucem à tenebris, appellavitquè lucem diem, & tenebras noctem*, Gen: 1. Sic similiter narratur, quòd aquæ in principio creationis cœli, & terræ fuerint confusæ, & postea primò divisæ, unde Scriptura, *dixitquè DEUS fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas*, Gen: 1. Sic quoque eodem tempore, *terra erat inanis, & vacua*, Gen: 1. de qua postea dicit Creator, *germinet terra herbam virentem, & facientem fructum juxta genus suum*: Ergo plasmatio totius corporalis sphæræ Mundi non fuit peracta in instanti, aut modico aliquo tempore: sed spatiô sex dierum realium, uti continetur in Scriptura.

9. *Quædam objectiones afferuntur.*

Objicies *primò*: S. Augustinus adversatur conclusioni; nam *in lib: super Genes: ad litt:* dicit, per illos sex dies, de quibus fit mentio in Genesi, non intelligi aliquos dies reales; sed distinctas cognitiones Angelorum, quibus diversa rerum genera creatarum istis sex diebus cognoverunt; quæ cognitiones dicuntur partim vespere, quatenus tendebant

debant ad res creatas in seipsis cognoscendas; partim verò manè, quatenùs distinctâ cognitione in Verbo (quæ matutina dicitur) attingebantur: Ergo &c. *Secundò*; Conc: Lateran: *cap: firmiter*, docet, *DEUM simul ab initio temporis utramque creaturam, Angelicam scilicet, & mundanam condidisse*; quam doctrinam sumpsit ex illo Eccles: 18. *qui vivit in æternum creavit omnia simul*: Ergo non intervallô sex dierum realium.

10. *Quibus sufficienter respondetur.* Respondeo *ad Primum*; D. Augustinum *loc: cit*: posuisse quidem illam explicationem tanquam probabilem; non tamen assertivè in ea stetisse; quemadmodum se explicat *in 4. de Gen: ad litt: cap: 27. & 28.* Unde 2. *retract: cap: 24.* loquens de libris scriptis in Genesim ait; *in quo opere plura quæsita, quàm inventa sunt, pauciora firmata; cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.* *Ad Secundum* glosso Concilium, & textum Scripturæ, dicoquè ly *simul* non importare aliquam simultatem temporis, quasi unicô instanti temporis DEUS omnes res simul condidisset; sed significat DEUM *pariter* omnia creâsse, seu nullô ente exceptô; eô modô quô dicitur *Psal: 13. omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, id est omnes pariter inutiles facti sunt. Itaque ly *simul* non afficit ly *creavit*; sed ly *omnia*.

QUÆSTIO II.

De opere, primô Mundi die plasmato.

1. *Textus geneseos de opere primæ diei.*



Ota primò S. Genesim *cap: 1.* de rebus primò die factis ponere sequentè textum; *In principio creavit DEUS cælum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant super faciam abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitquè DEUS fiat lux, & facta est lux. Et vidit DEUS lucem quòd esset bona; & divisit lucem à tenebris; appellavitquè lucem diem, & tenebras noctem; factumquè est vespere, & manè dies unus.*

2. *Variæ opinionis quid intelligatur nomine cæli & terra.* Nota secundò circa ly *cælum*, & *terram* varias esse opiniones DD: nam S. Augustinus putat nomine *celi*, vel intelligi naturam Angelicam, & nomine *terra* naturam corpoream; ita habet *lib. 12. Confess: cap: 7.* vel materiam primam informem, ex qua secundò die formati fuerunt omnes orbes cœlestes, & elementares, uti docet *lib: 1. de Gen: contra Manich*: Estius autumat per *cælum* intelligi totum illud, quod supra nos est, & consequenter totam Sphæram cœlestem ex varijs orbibus collectam; imò aërem, ac ignem æthereum; per *terram* verò totum globum terraqueum quantùm ad materiam, & formam; et, si hæc omnia alijs quinque subsequentibus diebus, quoad motum, lucem, influentias & ornatum sint perfecta. Sed

Dico primò: Nomine *cæli* primò die plasmati rectiùs intelligitur solum cœlum Empyreum; nomine verò *terra* ipsum elementum terræ, & aquæ quo ad materiam, & formam. Ita communior TT: & Interpretum insigniorum. 3. *Authoris sententia de Cælo, & Terra.*

Probatur; Tum authoritate plurium SS: PP: ita interpretantium ly *cælum*, & *terram*; ùt videre est apud Cornelium; signanter B. Clementis, qui *lib: 1. recognit*: dicit se hanc sententiam ex ore D. Petri accepisse. Tum ratione, quia ita interpretando ly *cælum*, planiùs cohærent sibi, quæ de firmamenti aliorumq; orbium, & astrorum creatione, & situatione subnectuntur, quæ secundò die non tantùm ornati; sed re ipsâ facti referuntur *vers. 6.* Ergo &c. De figura, situ & natura cœli Empyrei; nec non de magnitudine, distinctione, partitione, figura, reliquisquè Cosmographicis qualitatibus terræ totius *Scholam meam Philosophicam Scotisticam, Tract: de cælo, & Mundo* consule.

Nota tertiò circa ly *terra autem erat inanis, & vacua*; per hoc indigitari statum primævum terræ, quæ nimirum carebat omni ornatu, decore hominibus, animantibus, & plantis: non erat discriminata in colles, montes, valles, & campos. sed undequaque aquis coöperta; ut proinde rectè in lib: Sapientiæ *cap: 11.* appelletur materia invisibilis, & informis. 4. *Quid sibi velit illud, terra autem erat inanis & vacua.*

Nota quartò: per *tenebrâs quæ erant super faciem abyssi intelligi*, quandam obscuritatem, & caliginem, causatam ab ingenti illa aquarum copia, quæ quasi quædam abyssus (id est profunditas impenetrabilis, ùt glossat D. Augustinus *super Psalm: 41.*) terram tegebat, replebatq; teste Bedâ totam intercapedinem inter cœlum Empyreum, & terram. Ex quò apparet aquam hôc eôdem die simul cum cœlo, & terra esse creatam, uti apertè asserit S. Basilius *hom: 2.* 5. *Quid intelligatur per tenebras abyssi.*

hom: 2. quæ tunc erat materia quædam humida, & veluti nebulosa, non æqualiter densa vel rara; sed quæ densiùs coacta in elementarem aquam verti posset; & magis tenuata in aërem rarescerét; ex qua etiam mirabili ratione concreta deinde cœlestes orbes à DEO conficerentur; ex qua tandem veluti matre fœcunda novæ generationes rerum alijs diebus fierent.

6. *Quid per Spiritum Domini super aquas.* Nota quintò: *per Spiritum Domini qui ferebatur super aquas* comuni SS: PP: sensu intelligi Spiritum Sanctum, cujus virtus aquis incumbebat, *quia eas fovebat & vivificabat* (inquit S. Basilius) *praparans eas ad mox futuram fœcunditatem.* Tostatus sic interpretatur Spiritum Domini super aquas, ut is sit, *voluntas, & mens DEI Opificis, qua ferebatur super aquas, quasi mente pertractans, & designans quæcunque statuerat ex aquis facere, ad similitudinem hominis opificis, spectantis, & considerantis materiam sibi subjectam, quemadmodum ex ea fingere possit opus ad similitudinem ejus formæ, quam animo suò conceptam, & informatam habet.*

7. *Lux primordialis Mundi quæ?* Nota sextò: D. Augustinum exponere *lib: 11. de Civitate DEI, cap: 9.* lucem illam de qua dicitur in textu Gen: 1. *fiat lux, & facta est lux*, quòd sit consummatio Angelorum in gratia; sed alij SS: PP: & Interpretes rectiùs per eam intelligunt lucem quandam corporalem, quam quidam volunt fuisse quoddam corpus igneum: alij verò cum S. Bonaventura ipsum accidens lucis propriè dictæ, ab Opifice DEO creatum in corpore capaci luminis, puta in nube tenui, aut alio, quod spatiô viginti quatuor horarum de hemisphærio in hemisphærium successivè movebatur à DEO, vel Angelis circa abyssum aquarum, atq; ita distinguebat noctē, & diem instar Solis, quartô demum die producti, cujus interim ista lux erat vicaria.

8. *Glossatur ly dixit DEus, & appellavit DEUS.* Nota septimò: per ly *dixit DEUS* positum in textu, Genesis intelligi efficacem DEI volitionem productivam pro tali instanti, pro quo dictio DEI allegatur. Per ly verò *appellavit DEus* intelligi præceptum DEI quô jubet, ut res tali instanti creata sic appelletur in posterū.

9. *Prima dies Mundi correspondet Dominicæ.* Nota octavò: primum diem quô DEUS exorsus est molitionem istius admirabilis operis mundi condendo cœlum, & terram, correspondere modernæ diei Dominicæ; uti tenet communis SS: PP & TT: Estquè ratio; quia ita docet Ecclesia in hymno Dominicali Breviarij illis verbis, *primò die, quô Trinitas beata Mundum condidit: vel quô resurgens Conditor* (qui utique surrexit die Dominicā) *nos vitā morte liberat.*

10. *Prima dies naturalis incepit à nocte.* Nota nonò: secundùm S. Basilium, Augustinum, Ambrosium, aliosquè PP: diem primum naturalem conditionis Mundi initium sumpsisse à die, habito respectu ad hemisphærium Palæstinæ, ab Adam & Eva primitus in habitatæ: unde secundùm hos ly *factum est vespere*, idem est quod completis duodecim horis artificialibus diurnis; & ly *manè* idem quod evolutis alijs duodecim horis nocturnis; quæ simul sumptæ faciunt diem unum naturalem. Sed quia ante lucem discriminatricem diei, & noctis S. Genesis refert jam fuisse tenebras super universam faciem abyssi; idcirco fundatior est opinio Abulensis, Estij, Pererij, & aliorum RR: Interpretum, desumpta ex Hilario *lib: de Synodis*, asserens primum diem naturalem exordium habuisse à nocte seu tenebris & terminatum fuisse in die artificiali 12. horarum, subsequente noctem seu tenebras. Huic sententiæ favet vetustus ritus Hebræorum, qui Sabbatum suum, præceptum Exod: 20. ad imitationem quietis primi Sabbati incipiunt à prima vespera seu nocte; quod est indicium grave septimum diem Mundi exordium habuisse à nocte; & consequenter etiam præcedentes usque ad primum inclusivè. Favet quoque stylus Hebræorum, quô noctem pro prima diei parte statuunt. Favet tandem Triduum Mortis, & mansionis Christi in sepulchro, quod tale adstrui nō posset, nisi nox, quā surrexir, censeatur exordium diei sequentis.

11. *Chaos Mundi quid?* Nota decimò: ante creatam à DEO lucem discriminatricem noctis, & diei, terram & illam abyssum aquarum, de qua loquitur Genesis *1. cap:* formâsse quoddam chaos inanè, indigestum, indistinctum, ac omni ex parte confusum, quod sic eleganter metrô explicat Hilarius in carmine ad Leonem.

Omnia cum tegeret nigrum chaos, altaque moles,
Desuper urgeret, informis corpora mundi.
Atque caliganti remearet serotina nocte,
Nec species nec forma foret; DEUS intus agebat,
Corporibus tectis mixtus, secreta potestas.



QUÆ-

Quæstio III.

De Opere, secundô die Mundi creato.

1. *Textus Biblicus de secundo die.*



Ota primò: In historiali Genesi *cap: 1.* opus secundæ diei referri in hunc modum, *dixit DEUS, fiat firmamentum in medio aquarũ, & dividat aquas ab aquis. Et fecit DEUS firmamentum, divisitquè aquas quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum; & factum est ita. Vocavitquè DEUS firmamentum cælum; & factum est vespere, & manè dies secundus.*

2. *Theodoreti opinio de firmamento.* Nota secundò: circa ly *firmamentum* opinionem esse Theodoreti, Bedæ, & aliorum per hoc intelligi solum cœlum stellatum, seu octavam sphæram cœlestem, ex aquis instar crystallini lapidis compactam ab Authore naturæ, & fortissimè concretam, ac instar muri positam inter aquas, quæ collocatæ sunt super eam, & eas, quæ infra eam sunt situatæ. Sed

3. *Auctoris sententia de firmamenti intellectu.* Dico primò: nomine firmamenti secundô die ab Architecto totius Mundi formati intelligitur non solùm cœlum stellatum; sed etiam septem orbes Planetarum, ipsaquè sphæra ignis, ac omnes tres aëris regiones usque ad terram protensæ. Ita celebriores RR. Interpretes Scripturæ, Estius, Sylvius, &c.

Probatur primò authoritate SS: PP: signanter Ruperti *lib: de Trinit: cap: 22.* Et S. Augustini *lib: 22. de Gen: ad litt: cap: 4. Et lib: imperfecto, cap: 12.* dicentis, *cum dicitur firmamentum cœlum, intelligendum est omnem istam æthereæm machinam diei, quæ omnia substantia continet, sub qua puri & tranquilli aëris serenitas viget, sub qua idem iste aer turbulentus, & procellosius agitatur.* Eandem sententiam tuetur D. Hieronymus *epist: 83. ad Oceanum*, & alij PP: Ergo nomine firmamenti secundô die formati non solùm cœlũ sydereũ; sed & alij orbes Planetarũ, sphæræ ignis, & regiones aëris intelliguntur.

4. *Auctor affert rationem pro sua sententia de firmamento.* Probatur secundò ratione ex Sancta scriptura deducta; quæ nomine firmamenti appellat quoque regiones aëris; ut dum dicit volucres volare super firmamentũ; nam ubi Latina versio habet, *producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento,* Hebraicus textus habet, *& volatile volet in superficie*, vel *super faciem firmamenti:* Ergo &c. De destinctione omniũ orbium firmamenti, motu, pluralitate &c. vide *Scholam meam Philosophicam, Tract: de cœlo, & Mundo.* Circa aquas quas S. Genesis commemorat esse super firmamentum.

5. *Super firmamentum dari veras aquas docet Scriptura.* Dico secundò: Dantur reales, & veræ aquæ super sphæram firmamenti, seu cœli sydetei. Ita communior SS: PP: & TT: contra P. Frassen, & quosdam alios RR: TT: docentes per aquas super firmamentum sitas intelligi aquas illas, quæ in media regione aëris generantur.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; quæ litteraliter procedens asserit super firmamentum extare quasdam aquas veras; ùt patet tum ex illo Cantici trium puerorum *Dan: 3. benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino.* Ubi istæ aquæ distinctæ referuntur ab aquis elementaribus; quia immediatè commemorantur post Angelos & deinde primò suô ordine referuntur aliæ creaturæ, puta Sol, luna, stellæ, imber, ros, nubes, seu aquæ mediæ regionis aëris. Tum ex illo psal: 148. *Laudate eum cœli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt*, ubi per *cæli cælorum* juxta phrasim Hebraicam intelliguntur cœli syderei, seu firmamentum: Ergo revera dantur aquæ veræ, & reales super firmamentum.

6. *Ecclesia.* Probatur secundò authoritate Ecclesiæ; quæ in hymno Vesperali Feriæ secundæ, harum aquarum meminit canendo:

Immense cæli Conditor
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens
Cælum dedisti limitem: Ergo &c.

7. *Et SS: PP:* Probatur tertiò authoritate SS: PP: easdem aquas asserentium; ùt videre est apud V. Bedam; & D. Augustinum *lib: 2. Gen: ad litt: cap: 5.* dicentem, *quoquomodo, & qualescunque aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus; major est quippe Scripturæ hujus authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas*: Ergo &c.

8. *Objectiones P. Frassen contra aquas super firmamentales.* Objicit *primò* P. Frassen: DEUS, & natura nihil frustra moliuntur; sed frustraneæ prorsus viderentur illæ aquæ constitutæ supra cœlum sidereum: Ergo &c. *Secundò*: S. Scriptura aquas super firmamentum positas appellat varijs in locis aquas ipsas in secunda aëris regione, quæ quoque pars firmamenti,

& cœlum

& cœlum rectè dicitur, detentas, puta pluvias; ut 3. *Reg: cap: 18.* Et psal: 103. & alibi: Ergo &c.

9. *Quæ solvuntur; & ostenduntur cau a dictarum aquarum.* Respondeo *ad Primum* Neg: Min: nam etsi à nobis ignorenter determinati præcisi fines, atque causæ, ùt habet D. Augustinus 2. *Retract:* 6. ob quas DEUS constituerit aliquas supra firmamentum; certùm tamen est eas à parte rei dari; ut docet S. Augustinus *lib: 2. de Gen: ad litt: cap: 5.* Deinde Interpretes Scripturæ allegant quasdam etiam rationes illarum aquarum, ut non videantur esse frustraneæ; dicit namque Oleaster commentans *cap: 1. Gen: aquas ibi primitus à DEO fuisse constitutas, ut per cali cataractarum reserationem terram in diluvio Noë obruerent.* S. Justinus putat *q: 99.* eas ideo esse positas super firmamentum, ut illud suô pondere deprimant, ne sursum feratur, sed veluti suspensum & libratum consistat. Theodoretus vult eas idcirco ibi esse, ut Solis, lunæ, & astrorum ardorem temperent, ne cælos dissolvant. Vel ut vult V. Beda. *ad remittendum calorem ex vi, & motu siderum excitatum.* Alij tandem existimant eas eò esse ab Authore naturæ, & gratiæ situatas ad voluptatem Sanctorum, in cœlo vicino Empyreo commorantium, ut oculi eorum aliquando aspectu hujus Chrystallinæ limpidissimæquè creaturæ recreentur; quo videtur alludere illúd *Apoc: 7. deducet eos ad vita fontes aquarum.* Et illud *cap: 22. ostendit mihi fluvium aqua vita, splendidum tanquam chrystallum. Ad secundum* concedo in allegatis locis, & quibusdam alijs Scripturæm aquas pluviales etiam appellare aquas firmamenti; cum quo tamen stat, quòd aliæ quoque ab his distinctæ reperiantur super octavam sphæram collocatæ; de quibus alij passus Scripturæ *probat: 1.* allati loquuntur; & ille *Gen: 1. divisitquè aquas quæ erant sub firmamento, ab his qua erant supra firmamentum.*

QUÆSTIO IV.

De Opere, tertiô die Mundi facto.

1. *Textus super opus tertia diei.* OTA primò: Opus tertiæ diei Mundi à DEO architectatum per Moysen referri sub sequentibus verbis; *dixit verò DEUS, congregentur aqua, quæ sub cælo sunt in locum unum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit DEUS aridam terram; congregationesquè aquarum maria. Et vidit DEUS quod esset bonum, & ait, germinet terra herbam virentem & facientem fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram; & factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam. Et vidit DEUS, quòd esset bonum, & factum est vespere, & manè dies tertius.*

2. *Congregationes aquarum factæ sunt in cavernis terræ, &c.* Nota secundò circa congregationes aquarum secundùm Scripturam factas in ordine ad formandam aridam, esse opinionem D. Basilij, Ambrosij & aliorum; quæ sustinet aquas istas Divinâ virtute fuisse collectas in tumorem instar montis; & effecisse maria, ut arida posset apparere; & consequenter tenet de facto mare esse longè altiùs terrâ, & naturaliter posse inundare super universam faciem terræ, nisi à DEO contineretur continuô miraculô. Alij PP: asserunt aridam hâc ratione factam fuisse, ut nimirum aquæ cum magna raritate primô die creatæ, hôc tertiô notabiliter condensatæ fuerint, sicque minorem locum occupaverint, & aridam effecerint. Sed probabilior est opinio D. Augustini, & aliorum, docens, DEUM varijs in locis hôc die excavâsse globum terræ, præparando vastas voragines, meatus & cavernas, in quas notabilior pars aquarum Divinâ virtute detruderetur, & maria efficeret; aliæ à terra spongiosa absorberetur; alia tandem in canales terræ promoveretur, ut flumina inde formarentur; atque ita arida appareret.

3. *Author solvat, quod mare non sit altiùs terrâ.* In hac doctrina salvatur, quòd mare non sit altiùs terrâ, uti patet ex illo Scripturæ *psal: 23. ipse super maria fundavit eum.* Et docent complures SS: PP: Damasus, Hieronymus, & Chrysostomus *hom: 9. ad pop: Antioch:* Constatquè ratione; tum quia aliàs navis è portu solvens quò longiùs progrederetur, eò meliùs conspiceretur â stantibus in littore, utpote in eminentiori loco constituta; cujus contrarium videmus. Tum quia aliàs naves accedentes portum velociori motu appellerent, quàm recedentes; cum illæ ex alto ad declivia tenderent; cujus rursus contrarium observamus. Tum tandem; quia oporteret adstruere perpetuum miraculum, quô

quô constringerentur aquæ, ne defluerent; quod tamen non est adstruendum, ubi rem per causas naturales salvare possumus.

4. *Omnia maria continuantur inter se vel visibiliter, vel invisibiliter.*

Nota tertiò circa ly *congregentur in locum unum*; Herodotum, Ptolomæum, Aristotelem, Tornicellum & alios Scriptores sentire, aquas hâc die non ita confluxisse in unum locum, ut quandam continuationem physicam inter se haberent maria omnia hodie extantia; & signanter ab hac continuatione eximunt mare Caspium. Verùm probabiliùs asserunt, Plinius, Dionysius, Basilius, & Ambrosius *lib: 2. cap: 3.* omnes aquas hâc die tertiâ ab Authore naturæ ita fuisse redactas in alveos, & cavitates suas, atque effecisse maria varia, ut quandam inter se retinerent colligantiam, & communicationem, vel visibilem, vel occultam: de visibili colligantia patet ex Mappis Cosmographicis, ubi visitur Oceanus colligatus versus Septentrionem cum mari Germanico, & Baltico; versus Occidentem cum mari Pacifico; versus meridiem cum mari Æthyopico; versus Orientem cum mari Mediterraneo, Adriatico, Indico, &c. Cum Caspio quoque teste Basilio continuatur per meatus subterraneos; quod inde patet; quia tametsi ingentia flumina se in illud mare Caspium exonerent, nunquam tamen exundat; eò quòd tantùm aquæ rejiciat per subterraneos canales, & fistulationes in Oceanum, quantùm recipit ab illis fluminibus. Idem dicendum de alijs Maribus, & lacubus, ab Oceano sequestratis, & continente terrâ undique visibiliter septis. Unde in hac doctrina optimè salvatur, quomodo aliquando ingentia flumina de novo erumpant ex montibus; alia verò perenniter fluant ex unico fonte, utique fomento aquarum, accepto ex fistulis terræ, colligantibus maria. De Marium varietate vide *Scholam meam Philosophicam, Tract: de Cœlo, & Mundo.*

5. *Qualiter facta sit arida.*

Nota quartò circa ly *appareat arida*; terram post recessum aquarum in alveos, & meatus Divinâ virtute fuisse desiccatam, & redditam habilem ad habitationem hominum, generationem fructuum, ac herbarum; à qua desiccatione, & habilitate dicitur *arida*.

6. *Variæ propositiones Biblicæ ex-*

Nota quintò, circa alias propositiones textûs Biblici suprà relatas; per ly *germinet terra* significari ad germinationem herbæ virentis post desiccationem, terram concurrisse subministrando materiam. Per ly *herbam virentem* insinuatur herbas cum sua maturitate hôc die ab Opifice DEO fuisse productas. Per ly *cujus semen in semetipso sit juxta genus suum* datur intelligi, in terra latere omnis generis virtutes seminales, à DEO hôc die ingestas, ex quibus nascuntur terræ nascentia plantarum, omniumquè herbarum. Per ly *lignumq; faciens fructum* ostenditur terram quoque hôc die concurrisse ad productionem arborum fructiferarum diversarum, habentium fructus maturos. Per ly *& habens unum quodque sementem suum juxta genus suum* monstratur, DEUM pariter terram fœcundâsse hôc die semine arboreô omnis generis, inserviente ad pullulationem arborum quarumcunq; unde tunc etiam spinarum, & tribulorum sementem DEUS indidit terræ; imo secundùm S. Augustinũ, & D. Bonaventuram ipsas spinas actuales, & tribulos protulit terra; habent enim & hæ arbusculæ suas utilitates; cum ùt refert D. Augustinus *lib: 3. de Gen: ad litt: cap: 18.* quædam animalia ijs vescantur suaviter. Unde quando asseritur *cap: 3. Gen:* jam post completam productionem totius mundi, germinatio spinarum, & tribulorum, id intelligendum est sub ratione pœnæ; ita ut spinæ, & tribuli in pœnam commissi peccati originalis imposterum nascantur ex terra seminibus apta, quæ ante sinè hac consideratione utiquè nata erant in quibusdam locis.

ponuntur, circa fœcunditatem terræ.

7. *DEUS etiam produxit à principio herbas venenosas.*

Nota sextò: In opere hujus diei tertio quoque comprehendi plasmationem herbarum venenosarum cum sua maturitate productarum; ùt habet S. Basilius; S. Hieronymus, & alij PP: Estquè ratio; quia & herbæ venenosæ suas habent utilitates, Universo inservientes; utì patet ex medicinalibus digestionibus, distillationibus, &c. Ut idcirco etiam in eas quadret approbatio Conditoris, quòd *sint valdè bona.* Nec obstat, quòd suò modô noceant; nam & ignis, aqua, serpens, & plura animalia nocent quandoque; & tamen propterea non excluduntur à sui creatione hôc die.

QUÆSTIO V.

De Opere à DEO quartô die Mundi molito.

NOTA

1. *Textus Scripturæ de opere 4. diei.*



NOTA primò: Quartæ diei Mundialis Opus ita texi in Scriptura Gen 1. *Dixit autem DEUS fiant luminaria in firmamento cœli; & dividant diem; ac noctem; & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitquè DEUS duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset nocti, & stellas; & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei, ac nocti, & dividerent lucem à tenebris. Et vidit DEUS, quod esset bonum, & factum est vespere, & manè dies quartus.*

2. *Quid sint duo luminaria cœli.* Nota secundò: *per duo luminaria magna* hôc quartô die condita intelligi Planetam Solis, & Planetam Lunæ; quæ non idcirco dicuntur *magna luminaria*, quasi magnitudine molis ambo superarent alios Planetas,& stellas; cùm Luna juxta communem calculum Mathematicum sit notabiliter minor Jove, Saturno, Venere, Marte, Stellisquè præsertim primæ magnitudinis: sed propterea vocantur *Magna*, quia majorem illuminationem, & lucis exuberantiam, nec non efficaciores, crebrioresquè influentias exercent in mundum sublunarem, seu hæc inferiora, ùt disertè docet S. Ambrosius *lib: 4. cap: 6.*

3. *Stellæ simul cum luce fuerunt creatæ.* Nota tertiò: Solem, Lunam, & Stellas omnes die quartô simpliciter à Creatore factas esse tam secundùm figuram, magnitudinem, & densitatem; quàm secundùm lucem; uti docent TT: RR: Estquè ratio; quia S. Genesis dicit, quòd DEUS *fecerit* hôc die duo luminaria majus, & minus, atque stellas, ubi dictio ista *fecit* facturam simpliciter Solis, Lunæ, & Stellarum indicat; sicùt alibi facturam simpliciter aliorum entium, puta firmamenti, bestiarum, &c.

4. *Stellæ sunt ex materia cœlorum creatæ.* Nota quartò circa materiam, ex qua formata sunt Sol, Luna, & Stellæ, sensisse quosdam DD: ea à DEO Plasmante, extra sphæras firmamenti, & orbes astriferos fuisse creata; & postmodum illis inserta, & affixa veluti radiantes gemmas. Theodoretus, Maximus, & Basilius arbitrantur ea formata fuisse ex luce illa primigenia, primô die Mundi facta, quæ per tres primos dies movebatur circa abyssum, & aridam. Sed fundatior est sententia RR: docens ea esse ex materia cœlorum creata, ita nimirum, ut Opifex Mundi quartô die certas partes raras cœli stellati, & Planetalium orblum condensaverit in debita quantitate, & figura; expulsâquè formâ cœlesti novam formam Solis, Lunæ, & Stellarum cum luce cæterisquè qualitatibus induxerit. Ratio est; quia ita magis propriè salvatur sensus litteralis illius textûs Biblici, *fiant luminaria in firmamento cœli.*

Nota quintò circa ly *& dividant diem, & noctem*: Solem Planetarum, & Astrorum Principem positum esse in distincta sphæra, seu orbe firmamenti, ut discriminet diè à nocte; quod officium priùs præstiterat lux primordialis; & ut luceret copiosiori lumine, facem præferendo omnibus operibus diurnis; unde Psalmista *psal: 135. qui fecit Solem in potestatem diei.* Luna verò, & reliqua astra ordinata sunt pro discrimine noctis; & ut ministerijs nocturnis aliquam saltem lucem afferant; de quo *cit:* Psaltes, *Lunam, & Stellas in potestatem noctis.* 5. *Officium Solis, & Lunæ.*

Nota sextò circa ly *& sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: per hoc dare intelligi, quòd Solis, & Lunæ ortu, motuquè quatuor anni tempora, dies quoque naturales, & artificiales, hebdomadæ, menses, & anni solares, ac lunares sint metienda; rerum plantationes, seminationes frugum, messes, vindemiæ, aliæquè œconomicæ operationes instituendæ secundùm eorundem aspectus, cursum & influentias; serenitates quoque, & tempestates, pluviæ, venti, aliæquè meteorologicæ alterationes, & impressiones naturales, ac eventus futuri investigandi, atque prognosticandi, quæ investigatio ac prognosticatio omnino licita est, quamdiu sistit in puris naturalibus eventibus futuris à Sole, Luna, aut alijs Stellis, ceu causis physicis propinquis pendentibus; hanc enim non improbat Christus Matth: 16. eandemquè approbant SS: PP: Chrysostomus, Basilius, & Augustinus *lib. 2. de Gen: ad litt: cap: 14.* 6. *Quo sensu Sol, & Luna sint in signa.*

Nota tamen septimò: Ex aspectu, conjunctione, motu, vel operatione Solis, Lunæ, aut Stellarum veluti signorum certorum non licere investigare, vel prognosticare eventus liberos futuros; hujusmodi namque investigatio & prognosticatio censetur Astrologia Judiciaria, quæ tanquam impia damnata est in Jure Canonico, varijs Concilijs, in motu proprio Sixti V. qui incipit, *Cœli, & terra*, &c. ac in Jure Civili *de maleficijs, & Mathematicis*, uti 7. *Astrologia judiciaria reprobatur.*

ubi statuuntur gravissimæ pœnæ contra exercentes eandem. Eadem ars reprobatur à S. Scriptura Jerem: *10. juxta vias gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Et à SS; PP: unanimi calculô proscribitur, ùt videre est apud Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Originem, &c. Imo & à sapientioribus Ethnicis, àc Cicerone *lib: 2. de Divinat:* Et ab Aulo Gellio *lib: 14. noctium atticar: cap: 1.* & alijs. Plura de Solis, Lunæ, & Astrorum influentijs, distinctione, numero, motu, quantitate, vide *in Schola mea Philosophica Scotistica, Tract: de Cælo, & Mundo.*

QUÆSTIO VI.

De Opere, quintô die Mundi perfecto.

1. *Textus Bibliorum de quinta diei opere.*



NOTA primò: Super opus Mundiale quintæ diei sic discurrere Scripturam; *dixit etiam DEUS, producant aqua reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creavitquè DEUS Cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne votalile secundùm genus suum. Et vidit DEUS quòd esset bonum, benedixitquè eis dicens, crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris; avesquè multiplicentur super terram: & factum est vespere & manè dies quintus.*

Nota secundò: Primum opus hôc die plasmatum fuisse pisces secundùm singulas suas species, quæ idcirco vocantur *reptilia*, quia pleræque eorum species carent pedibus, & solis pinnulis se promovent per aquas, sicquè repere censentur, sicut serpentes, quæ vi costarum, & ventris repunt super terram. Et tametsi reperiantur quædam animalia, quæ inter species piscium recensentur, quia in aquis morantur, habentia pedes, ut lutres, crocodili, fibri, equi maritimi; ijs tamen non gradiuntur; sed ad natandum utuntur pro remigio; ùt declarat S. Ambrosius *lib: 5. in hexam: cap: 1.*

2. *De magnitudine Balænarii.* Nota tertiò: Inter species piscium hôc die creatas tanquam insigniorem recenseri *Cete grandia*; quæ sunt quædam belluæ, seu dracones marini; uti patet ex psalmo *73. contribulâsti capita draconum in aquis.* Et Ezchiel: *32 Draconi, qui est in mari, assimilatus es.* Hi tractu temporis ad monstruosam adolescunt magnitudinē molis; ita ut instar Insularum in maribus emineant teste D. Basilio, & Ambrosio: unde de his refert Plin: *lib: 9. cap: 30.* Cete, seu balænas Maris Indici pervenire ad magnitudinem quaternorum jugerum, id est 960. pedum geometricorum. Et Juba Rex Mauritaniæ scribit in voluminibus ad Cajum Cæsarem, Cete 600. pedum longitudinis, 360. latitudinis in Arabicum flumen intrare.

Nota quartò: Alterum plasma hôc die conditum à Creatore fuisse aves secundùm species suas; quæ appellantur *volatilia* à motu volationis, quem impetu excitant, & se promovent per aëra, à quo & volucres vocitantur. 3. *Aves quintô die sunt creata.*

Nota quintò: Tam piscium, quàm avium communem eandemquè fuisse materiam creationis, nempe aquam; uti liquet tum ex *cit: textu* Geneseos. Tum ex oraculo Ecclesiæ, in hymno Vesperarum feriæ quintæ canentis. 4. *Materia avium & piscium fuit aqua.*

Magne DEUS potentiæ
Qui fertili natos aquâ
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra,

Tum ex consensu SS: PP: signanter D. Basilij *hom: 8.* & D. Ambrosij *lib: 5. in hexam: cap: 14.* Ubi hujus communis materiæ rationes assignat cognationes varias piscium cum avibus, inquiens, *prima enim cognatio videtur avibus esse cum piscibus, quoniam natandi communia quadam videntur utrique generi esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus avibus, & piscibus est, eò quòd volandi usus species sit natandi; sicut enim aquam piscis natando incidit, ita avis aërem volatu celeri secat. Tertiò utrique generi similiter cauda suppetit, alarumquè remigium, ut pisces ad priora se alijs subrigant, atque ad ulteriora procedant; cauda quoque gubernaculô vel quò velint facilè se convertant, vel impetu quôdam è regione iter suum dirigant. Quartò aves quoque aëri volatibus suis velut aquis innatant, & quasi quædam extendunt brachia; caudâ quoque se vel ad superiora subrigunt, vel ad inferiora demergunt. Unde quoniam in nonnullis idem usus, & species, ideo de aquis utriusque generis nativitas Divinâ processione processit.*

5. *Et quidem evaporata mixta.* Nota sextò: aquam ex qua conditæ sunt volucres quintô die non fuisse aquam maritimam, stagnantem, vel fluvialem currentem; sed aquam è mari, vel flumine evaporatam, & instar nebulæ jam in regionem aëris evectam, atque attenuatam, aliquô terreô vapore mixtam; nam hujusmodi aqua evaporata, & mixta aptior est materia ad generationem avium, quia aërea; & nomine aquæ propriè dictæ quoque venit, uti habet D. Augustinus *lib: 3. de Gen: ad litt: cap: 3.* ubi postquam dixisset, *utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur* concludit, *quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum, & fluidum est, sive vaporabiliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum; utrumque tamen humidæ naturæ deputatur.*

QUÆSTIO VII.

De Opere, sextô die Mundi consummato.

1. *Textus de opere sexta diei.* NOTA primò: DEUM architecturæ totius Mundi hôc die supremam imposuisse manū producēdo animalia viventia terrestria secundum suas species, & hominem, quod exprimit S. Scriptura sequenti textu Gen: . *Dixit quoque DEUS; producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumquè est ita. Et fecit DEUS bestias terræ juxta species suas, & jumenta, omne reptile terræ in genere suo. Et vidit DEUS. quod esset bonum, & ait; faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, universæque terræ, omniquè reptili, quod movetur in aqua. Et creavit DEUS hominem ad Imaginem DEI creavit illum, masculum, & fæminam creavit eos. Benedixitquè illis DEUS & ait, crescite & multiplicamini, & replete terram,* &c.

2. *Omnes species animalium perfectorum die sextô sunt creata.* Nota secundò circa creationem animalium: hôc die ultimô molitionis Mundi omnes species puras & perfectas animalium terrestrium, etiam venenosorum fuisse productas, uti habet S. Augustinus *lib: 1. de Gen: contra Manich: cap: 16.* cum & venenosæ bestiæ suas habeant utilitates, saltèm medicinales; solemus enim ex vipera venenosa conficere theriacam.

Nota tertiò: Species mixtas animalium terrestrium die sextô non fuisse creatas, puta hybrides, seu animalia ex commixtione diversarum specierum genita, cujusmodi est mulus ex equa & asino natus, Leopardus ex Leone & Pardo, Lynx ex lupo & cerva, &c. Ratio est; tum quia mixtio, quæ in ejusmodi specibus reperitur, est adulterina, & contra naturam; ideoquè vetita Judæis Levit 19. unde non congruebat cum ea species aliquas animalium creare. Tum quia sufficienter hæc animalia censentur producta hôc die potentialiter, productis scilicet heterogeneis animalium speciebus, ex quibus hybrides nascuntur. 3. *Non verò mixtorum, seu hybridum.*

Nota quartò: Species animalium imperfectorum, quæ ex materia excrementitia, putri, aut cadaveribus, aut alia de facili nascuntur, cujusmodi sunt culices, pulices, bruchi, pediculi, erucæ, &c. hôc die quoque non esse factas à DEO; uti habet D. Augustinus *lib: 3. de Gen: ad litt: cap: 14.* Aliæ verò species, quæ aliquam industriam exigunt, ut apes; vel quarum materia proximè disposita jam latitabat in terra creata, aut alia creatura. cujusmodi sunt varij serpentes, mures, insectorumquè genera diversa, creatæ sunt hôc die, ùt habet communis TT: RR: Et S. Augustinus *loc: cit:* Et D. Basilius. 4. *Quid sentiendum de animalibus imperfectis.*

Nota quintò: Postremum plasma, & omnium nobilissimum facturam hujus diei fuisse hominem (in cujus gratiam, & utilitatem reliqua omnia condita sunt durante totâ molitione Mundi) quem conditum introduxit in Mundum, omnigenâ varietate ornatum, quasi Principem in palatium sibi convenienter extructum, & instructum, ùt discurrit D. Ambrosius *Ep: 28. ad Horontian:* & juxta Psalten *psal: 8. omnia subjecit sub pedibus ejus, oves, & boves, & universa pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, & qui perambulant semitas maris.* De hoc admirando, ac præcellentissimo opere DEI instituetur sequens particularis Tractatus. Interea pro complemento hujus. 5. *Homo fuit ultimum plasma Creatoris Mundi.*

Nota sextò: Dum dicitur DEUS die septimô completâ jam architecturâ totius Mundi *quievisse ab universo opere, quod patrârat*, hoc ita intelligendum, secundùm D. Augustinum *lib 4. de Gen: ad litt:* 6. *Quo sensu dicatur DEUS quievisse ab universo opere.*

ad litt: cap. 12. quòd DEUS ceſſaverit à condendis generibus, & ſpeciebus novis creaturarum; quia revera ab eo tempore nulla ſimilia ampliùs creat; non quievit autem, nec quieſcit defacto totaliter circa creaturas; quia ut ait: Pater, *uſque nunc, & ultra operatur eorundem generum adminiſtrationem, quæ nunc inſtituta ſunt; quia abàs continuò dilaberentur, & in nihilum reciderent. Creatoris namque potentia*, proſequitur*cit:* Doctor, *& Omnipotentis atque Omnitenentis virtus cauſa ſubſtinendi eſt omni creaturæ; qua virtus ab eis, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omnisquè natura concideret. Neque enim ſicut ſtructuram ædium, cùm fabricaverit quis, abſcedit, atque illò ceſſante, atque abſcedente ſtat opus ejus; ita Mundus, vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei DEUS regimen ſubtraxerit. Proinde & quòd Dominus ait, Pater meus uſque nunc operatur, continuationem quandam operis ejus, quâ univerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtendit.* De compoſitione, coordinatione, diſtinctione, quantitate totius Sphæræ mundialis tam cœleſtis, quàm terreſtris, ſextô die ab Authore naturæ completæ, vide plura *in Schola mea Philoſophica Scotiſtica, Tractatu de Cælo, & Mundo.*

In omnibus hiſce dictis judicari, & emendari cupio à Sancta Matre Eccleſia.

F I N I S.



TRACTATUS III.

DE

Plasmatione Primi Hominis; ejusqué præcellentijs; & vario Statu.

PROLOQUIUM.



Uoniam teste D. Chrysostomo *hom:* 8. *in Gen: homo inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia* cumquè juxta Platonem 1. *de legib: Homo ut miraculum quoddam Divinum in animantium genere habeatur;* imo juxta Aristotelem, *omnium quæ mirari possunt homines, maximè præ cæteris mirandus sit ipse homo.* Idcirco peculiaris de eodem, & signanter, de Primo Homine tractatus meritò instituendus est, in ordine ad ejus creationem, præcellentias, & varias sortes, ac status examinandos. Quare sit.

DISTINCTIO I.

De Plasmatione Primi Hominis; ejusquè præcellentijs.

QUÆSTIO I.

De Existentia; materia; qualitate, & loco creationis Adæ Primi Hominis; uti & Evæ.

1. *Adam fuit primus omnium hominum.*



Ico primò: Primus omnium omnino hominum à DEO creatorum fuit Adam. Ita Fides, & communis SS.PP: ac TT: contra quendam Gallum Litteristam, qui hôc sæculò sparsit novam hæresim de Præadamitis, seu hominibus compluribus ante Adæ creationem existentibus.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam in Chronologia Mundi à Moyse Divinâ inspiratione composita, quæ *Genesis* vocatur, Adam statuitur Protoplastes, seu Primus Homo, & Protoparens omnium mortalium: unde de eo dicitur Act: *17. fecitquè ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ. Et 1.* ad Cor: *15 factus est primus homo Adam in animam viventem.* Et Sap: 20. *hac* (scilicet Sapientia) *illum, qui primus formatus est à DEO Pater orbis terrarum* &c. *custodivit, & eduxit illum à delicto suo:* Ergo &c.

Probatur secundò: Tum authoritate Sacrorum Conciliorum; tum SS: Patrum; tum perpetuâ Ecclesiæ traditione, & omnium Christianorum consensu,

sensu, Adam Protoparentem, Caput, & Genitorem totius generis humani acclamantium: Ergo &c.

2. *Unde derivetur ly Adam.*

Nota autem primò circa etymoo *Adæ*; hoc vocabulum esse Hebraicum, derivatum ab Adamah, id est terra, seu argilla rubra; eò quòd materia, ex qua formatum fuit corpus Protoplastis, fuerit terra ruffa, ut tenent communiter expositores. Unde

3. *Adam fuit creatus de limo terræ.*

Dico secundò: Materia ex qua fuit Primus Homo Adam creatus, fuit limus terræ. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam Gen: 2. dicitur, *formavit igitur Dominus DEUS Hominem de limo terræ* Et 1. ad Cor: 15. *Primus Homo de terra terrenus.* Et Isajas communem materiam formati corporis nostri, & Adam exprimens ait *cap: 64. nos lutum, & factor noster tu*: Ergo materia, ex qua fuit Primus Homo Adam creatus, fuit limus terræ.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eandem materiam pro creatione hominis commuoi calculò asserentium; unde Rupertus *in cap: 20. lib: 2. de Trinit:* ait, *duo à Moyse dicta sunt, quæ diligenter advertere operæ pretium est; quia videlicet formavit DEUS Hominem; & non undecunque, sed de limo terræ formavit*: Ergo &c.

4. *Adam fuit creatus in perfectione physica statura, & pulchritudinu.*

Dico tertiò: Adam plasmatus fuit cum conditiooe viri physicè perfecti tam quò ad staturam temperatam; quàm quò ad pulchritudinem decentem. Ita communior TT: & Interpretum; cootra quosdam Scriptores, fabulaotes absque fuodamento Adam fuisse creatum cum mole gigantæa.

Probatur primò: quia decebat DEUM, ut Adam tanquam nobilissimum opus totius molitioois Mundi cum conditiooe viri physicè perfecti quò ad staturam, & pulchritudinem efformaret; sicut eū, & Evam quò ad spiritualia intellectûs creavit perfectum teste Scripturâ Ecclesiast: *17. creavit illis scientam spiritûs, sensu implevit cor eorum*: Ergo &c. *Secundò*: DEUS creavit alia animalia cum debita physica perfectione staturæ, & proportionis simetricæ: Ergo à fortiori Hominem, dominum uoiversorum animalium. *Tertiò*: DEUS Adam & Evæ productis benedixit dicens, *crescite, & multiplicamini*: Ergo signum est eos jam fuisse aptos ad multiplicationem, seu generationem; & consequenter habuisse corpora in statura perfecta.

5. *Adam creatus fuit extra Paradisum.*

Dico quartò: Primus Homo Adam plasmatus fuit extra Paradisum terrestrem. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; quæ dicit Gen: *2. tulit ergo Dominus DEUS Hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis*: Ergo si tulit, & posuit Adam, utique eum collocavit in loco, in quo antea nuoquam fuerat; hoc enim ex proprietate hujus locutionis Scripturisticæ sequitur.

Probatur secundò ratione congruentiali; quia ex formatione Adæ extra Paradisum, & gratuita translatione, ac positiooe ejusdem in Paradisum, Adæ à DEO iogerebatur illam sedem voluptatis terrestris sibi non esse debitam naturaliter; sed ex mero beneficio DEI Creatoris coocedi pro incolatu, ùt bene discurrit Pererius *in cap: 2 Genes:*

6. *Opinio Tertul. & Josephi de Eva.*

Nota secundò: Circa locum creationis Evæ sensisse Tertulianum, *lib: 2. adversùs Marcian:* & cum eo Josephum *lib: 1. antiquit cap: 1.* eam quoque fuisse creatam extra Paradisum, & cum Adam eò translatam. Sed

7. *Eva fuit producta in Paradiso.*

Dico quartò: Eva probabiliùs fuit producta in ipso Paradiso. Ita communis TT: & Interpretum.

Probatur authoritate D. Ambrosij *lib: de Paradiso cap: 4.* dicentis; *adverte; quia extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum; ut scias quòd non loci non generis nobilitate; sed virtute unusquisque sibi gratiam comparet. Denique extra Paradisum factus, hoc est in inferiori loco vir melior invenitur; & illa quæ in meliori loco, hoc est in Paradiso facta est, inferior reperitur: mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit*: Ergo &c.

8. *Et quidem ex vera costa Adæ.*

Dico sextò: Eva Uxor Adæ creata fuit ex vera, & reali costa Adæ. Ita commuois SS: PP. contra Cajetanum.

Probatur ex illo *Gen. 2. Immisit ergo Dominus DEUS soporem in Adam, cumquè obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea; & ædificavit Dominus DEUS costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam*: Ergo &c. Hujus porro ædificationis reddit causas S. Thomas *1. par q: 92. primò*: quia hâc ratione salvatur dignitas peculiaris Protoparentis Adæ, quòd ipse sit primum principium totius generis humani. *Secundò*: ut vir majori affectu mulierem prosequeretur, sciens eam esse formatam de aliqua parte physica sui

Dd 2 corporis

corporis. *Tertiò*; siquidem ut discurrit Magister Sententiarum *2. dist: 18. in hoc opere Sacramentū Christi, & Ecclesiæ figuratum est; quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est; ita Ecclesia ex Sacramentis, quæ de latere Christi in Cruce dormientis profluxerunt.*

9. *Locò costæ intrusa fuit caro Adæ.*

Nota tertiò: hominem secundùm Medicos constare 24. costis. Quando itaque DEUS avulsit unam de ejusmodi costis Adæ, non propterea censendum est in latere ejus remansisse aperturam aliquam; vel aliam costam à DEO esse substitutam ibidem; ut vult Pererius; sed quemadmodum testatur sacer textus *Gen: 2. replevit carnem pro ea*, utique carnem solidam, ut latus suis functionibus aptè dispositum relinqueretur.

Quæstio II.

De quibusdam Perfectionibus, seu Præcellentijs corporis, & animæ Adæ.

1. *Figuratio corporis Adæ fuit valde perfecta ex Ambrosio.*



DICO primò: Inter peculiares præcellentias corporis humani Adæ hæc insignis est, quòd ejus fabrica & figuratio, & consequenter etiam hominum perfectorum defacto, cum longè majori perfectione constructa sit ab Opifice DEO; quàm quæcunque alia res corporalis. Ita communis SS: PP:

Probatur primò authoritate D. Ambrosij *in psal: 118. octonar: 10.* scribente, *fabricam ipsam humani corporis, si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius judicare; est enim homo statu celsius, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alvum cæterorum animalium more curvatus; sed ipsò naturæ jure sublimis, qui in cælum liberò spectet obtutu; nullà captivæ servitute cervicis depressus in terram; sed tanquam propriæ conscius libertatis, & locuples sui testis Authoris. Et lib: 6. hexamer: cap: 9.* mirâ elegantiâ, & eruditissimô discursu totam hominis, & consequenter Adæ fabricam, ac figurationem discurrendo per singula ejus membra capitis, oculorum, vultûs, gutturis, brachiorum, manuum, pectoris, interiorum, ossium, pedum. &c. anatomizat, laudat, cæterisquè quibusvis creaturis corporeis præfert: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate aliorum SS: PP: qui eandem hominis, & consequenter Adæ fabricam singulariter à perfectione rectitudinis, proceritatis, versus cœlum erectionis præ cæteris commendant; signanter Cassiani *lib: de anima, cap: 16.* dicentis, *procerum animal homo, & in effigiem pulcherrimæ speculationis erectum, ad res supernas, & rationabiles instituendas.* Et S. Bernardi *super Cantica serm: 24.* Et S. Basilij *in hexam: cap: 9.* Ac S. Augustini *lib: 83. qq:* 2. *Et alij PP:*

3. *Corpus Adæ fuit perfectum ob unionem animæ rationalis.*

Dico secundò: Specialis quoque præ reliquis creaturis perfectio, ac præcellentia humani corporis Adæ, cæterorumquè hominum elucet ex ejus unione cum anima rationali. Ita SS: PP: & TT:!

Probatur: Tum quia corpus Adæ aliorumquè hominum ratione animæ rationalis sibi unitæ essentialiter differt à brutis. Tum quia ratione animæ rationalis meritoriè operantis corpus redditur capax assequendæ alicujus beatitudinis æternæ, dicente Tertuliano, *non possunt separari in mercede, quas opera conjungit.* Tum tandem, quia ratione animæ rationalis corpus ad nobiliora concurrit, quàm aliæ creaturæ: Ergo specialis præ reliquis creaturis perfectio ac præcellentia humani corporis Adæ, cæterorumquè hominum elucet ex ejus unione cum anima rationali.

4. *Corpori Adæ statim fuit infusa anima.*

Dico tertiò: Corpore Adæ debitê organizato, ac disposito illico infudit DEUS animam rationalem, eximijs perfectionibus, ac præcellentijs dotatam. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur prima pars: Tum authoritate S. Scripturæ; nam de hujusmodi infusione intelligitur illud *Gen: 2. & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, ubi anima appellatur spiraculum; quia eâ respiravit, & vixit Adam. Tum quia ita sentiunt omnes SS: PP: & Interpretes in allegatum passum Geneseos. Tum quia corporibus aliorum hominum ultimô instanti organizationis infunditur anima rationalis, quæ secundùm Concil: Viennense sub Clemente V. est forma corporis, *si quis* (inquit *cit:* Synodus) *deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, animam rationalem, seu intellectivam non esse formam corporis humani per se, & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus:* Ergo revera corpori Adæ debitè organizato DEUS illico infudit animam rationalē.

5. *Varijs præcellentijs or-*

Probatur secunda pars; *quòd anima Adæ fuerit eximijs perfectionibus, ac*

præcellentijs

nata. *præcellentijs dotata* ; quia anima rationalis aliorum hominum prædita est singularissimis perfectionibus ; est enim secundùm Platonem, referente Tertulliano *lib: de anima, cap: 24.* & veritatem ipsam *immortalis, incorruptibilis, incorporalis, invisibilis, ineffigiabilis, uniformis, principalis, rationalis, & intellectualis* : Ergo etiam anima Adæ.

6. *Anima Adæ est immortalis ex Scriptura.* Dico quartò : Inter celebriores præcellentias animæ rationalis Adæ est ejus immortalitas, & incorruptibilitas. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur authoritate S. Scripturæ ; quæ docet animas aliorum hominum esse immortales, & incorruptibiles ; unde Sap: 3. dicitur, *Justorum anima in manu DEI sunt ; - - - - - & non tanget illos tormentum mortis.* Et Matth: 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus ; animam autem non possunt occidere* : Ergo & anima rationalis Adæ fuit prædita immortalitate, ac incorruptibilitate.

7. *Et Patribus.* Probatur secundò authoritate SS: PP: eandem præcellentiam animæ aliorum hominum, & consequènter etiam Adæ asserentium ; unde S. Clemens *lib: 6. constit: Apostolic: cap: 11.* ait, *nos animam incorpoream, & immortalem affirmamus, nec interire eam sicut corpora, sed perpetuò manere, ùt rationis participem, & libertate præditam* : Ergo &c.

8. *Ac ratione Theologicâ.* Probatur tertiò ratione: Tum quia anima Adæ caret omni materiâ, quæ est principium mortalitatis, ac corruptionis. Tum quia datur DEI providentia, quæ præmiat actiones bonas, & meritorias pœnâ æternâ damnationis : Ergo anima Adæ similes actiones ponens debet esse immortalis, ut aut præmium immortale, aut pœnam æternam subeat.

9. *Anima Adæ fuit spiritualis secundùm Script:* Dico quintò : Anima rationalis Adæ habuit quoque perfectionem puræ spiritualitatis. Ita communis TT: & Fides.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ, quæ animam rationalem passim appellat *Spiritum* ; ùt Eccles: 12. *revertatur pulvis in terram suam, & Spiritus ad DEUM.* Et 1. adCor: 2. *quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est* : Ergo anima Adæ quoque habuit perfectionem puræ spiritualitatis.

10. *Conc: Lateran: & SS: PP.* Probatur secundò authoritate Conc: Lateran: quod sub Innocentio III. definivit de Fide credendum esse, *animam ex qua homo constituitur, esse spiritualem* : Ergo & anima Adæ fuit purè spiritualis. *Tertiò* eandem doctrinam afferunt SS: PP: signanter Cassiodorus *lib: de anima cap: 4.* Et D. Augustinus *epist: 27. ad S. Hieronymum. Et lib: 12. de Gen: ad litt: cap: 27. Et lib: de Civit: DEI, cap: 9. Et Tract: in psal: 145* ubi ait, *natura animæ præstantior est, quàm natura corporis ; excellit multùm, res spiritualis est, res incorporea est* : Ergo anima quoque Adæ purè spiritualis, omnisquè materiæ expers est. 11. *Ac ratione Scoti.*

Probatur Conclusio ratione Scoti *4. dist: 43. q. 2.* intellectus Adæ intellexit res abstractissimas à materia, singularia, universalia, negativa, positiva, possibilia, impossibilia, & spiritualia, non minùs, quàm intellectus noster ea attingit : Ergo habuit facultatem purè spiritualem intellectivam ea sic intelligendi (per corpoream enim hæc non attinguntur) & consequenter etiam ipsa anima, subjectum talis facultatis, fuit purè spiritualis.

Dico sextò : Anima rationalis Adæ similiter habuit hanc prærogativam, quòd fuerit creata creatione propriè dictâ, id est de nihilo subjecti creata à DEO. Ita communis TT: 12. *Anima Adæ fuit creata propriè.*

Probatur: Animæ aliorum hominum non fiunt ex præsubjecta aliqua materia, vel ex traduce, seu anima Parentis, ùt erroneè olim docuit Tertullianus ; sed creantur creatione propriè dictâ : Ergo & anima rationalis Adæ tali modò creata fuit. Conseq: tenet ; quia anima Adæ est ejusdem speciei cum animabus aliorum hominum.

Dico septimò: Anima rationalis Adæ etiam prædita fuit perfectione Imaginis, & similitudinis DEI. Ita communis SS: PP: & TT: 13. *Anima Adæ fuit Imago DEI.*

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ, hanc perfectionem Adæ attribuentis ; dicit enim DEUS Gen: 1. de creatione Adæ, *& creavit DEUS hominem ad Imaginem, & similitudinem suam:* sed hæc Imago, & similitudo DEI convenit Adæ secundùm animam rationalem tantùm, ùt mox ostendam : Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eandem perfectionem animæ omnium hominum, & consequenter etiam Adæ concedentium ; ùt videre est apud Clementem Alexandrinum *6. stromat:* Et D. Bernardum *tract: de lib: arbit:* Et S. Augustinum *lib: 9. de Trin: cap: 4* Et D. Gregorium Nyssenum *quæst: de Imagine DEI*, & alios : Ergo &c.

Dico

14. *In quibus consistat ratio Imaginis.* Dico octavò: Ratio Divinæ Imaginis, quæ asseritur esse in anima rationali Adæ, potissimum consistit in tribus facultatibus animæ, puta intellectu, voluntate, & memoria. Ita communior SS: PP: & TT: contra D. Chrysostomum, qui hanc rationem statuit in dominatu, quem habuit in bestias omnes, & universum orbem; & contra Faustum Regiens: qui eam statuit in immortalitate animæ Adæ; & contra Tertulianum, qui eam ponit in libero arbitrio; & contra Clementem Alexandrinum, qui ipsam collocavit præcisè in vi intelligendi.

Probatur primò authoritate illustrium SS; PP: rationem Imaginis in anima cujusvis hominis, & consequenter etiam Adæ statuentium in intellectu, voluntate, ac memoria; quæ quà trinæ facultates exprimunt Divinarum Personarum Trinitatem, & quà potentiæ unius naturæ seu substantiæ spiritualis, & intellectualis, ac immortalis &c. Unitatem Essentiæ Divinæ spiritualis, immortalis, intellectualis, &c. Ita discurrit S. Augustinus *lib: 9. cap: 4.* Et S. Ambrosius *lib: de dignit: cond: hum: cap: 11.* inquiens, *sicut DEUS unus semper ibique totus est, omnia vivificans, movens, & gubernans; sic anima in suo corpore ubique tota viget vivificans, movens illud, & gubernans - - - - - Et licet unius illa natura; tres tamen in se dignitates habet, intellectum, voluntatem & memoriam - - - - Et sicut DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus S. est; non tamen tres Dij; sed unus DEUS, tres habens Personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore; sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus Imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo*: Ergo revera ratio Divinæ Imaginis potissimè consistit in tribus facultatibus animæ cujuslibet hominis; & consequenter etiam Adæ, puta in intellectu, voluntate, & memoria. Alias perfectiones, ac peculiares præcellentias Adæ *vide sequenti dist:*

15. *Anima Adæ Innocentis nō dependebat à phantasmatibus.* Dico nonò: Intellectus animæ Adæ adhuc Innocentis sortitus etiam fuit perfectionem independentiæ à phantasmate. Ita communior Scotistarum; Scotus de hoc videtur problematicus.

Probatur *primò*: dependentia intellectûs à phantasmate est quædam imperfectio dedecens statum illum felicissimum Innocentiæ: Ergo ea neganda est ex parte intellectûs animæ Innocentis, dicendumquè eum nobiliori modò intellexisse res, puta intelligendo ipsas immediatè, aut per species purè spirituales, ab eis abstractas. *Secundò*; quia SS: PP: signanter Augustinus docent, illam dependentiam Adamo lapso, & toti ejus posteritati esse inflictam in pœnam peccati originalis: Ergo ante commissum peccatum pollebat ejus intellectus perfectione independentiæ à phantasmate.

DISTINCTIO II.

De Statu Innocentiæ Primi Hominis.

QUÆSTIO I.

Quid sit status Innocentiæ Primi Hominis; & quæ ejus felicitas.

1. *Quid fuerit status Innocentiæ.* DICO primò: Status Innocentiæ Protoparentis nostri fuit illa beatissima sors vivendi, in qua ante lapsum originalem constitutus fuerat à DEO, cum omni felicitate corporis, & animæ. Ita SS: PP: & Interpretes.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; quæ commemorat Adam post sui creationem fuisse positum in quemdam statum felicissimum Paradisi, unde postquam Gen: 2. descripsisset conditionem, & delicias ejus ait, *tulit ergo Dominus DEUS hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis*: ubi etsi de sola felicitate corporis illius statûs sit sermo; anima tamen suam quoque habuit felicitatem;

citatem; ut infrà ostendam: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS: PP: hujusmodi felicem sortem Protoparenti ante lapsum attribuentium; unde S. Bernardus *serm: 35. in Cantica* expendens hanc sortem, & statum primi Hominis adhuc innocentis ait, *habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloriâ & honore coronatus, & constitutus super opera manuum Plasmatoris; magis autem ob insigne Divinæ similitudinis præcellebat; & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus:* Ergo &c.

2. *Felicitas status Innocentiæ non erat naturaliter debita naturæ.* Dico secundò: Felicitas tamen illa status Innocentiæ non erat naturæ Adæ naturaliter debita; sed gratuito Creatoris beneficio eidem collata. Ita communis TT:

Probatur: quia nec ex Scriptura; nec ex Concilijs, vel PP: nec ex ratione Theologica constat, illum eximiæ felicitatis statum naturæ Adæ deberi. Et aliunde magis commendatur DEI liberalitas, dicendo, quod tantum beneficium gratuitò Protoparenti sit collatum: Ergo &c.

3. *Immortalitas corporis fuit prærogativa status Innoc:* Dico tertiò: Inter cæteras felicitatis prærogativas fuit etiam immortalitas, quam quò ad corpus habuisset Adam stante statu Innocentiæ. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; quæ docet mortalitatem in Adamo, ejusque posteritate provenire ex peccato, quod supponitur abesse perseverante statu Innocentiæ; unde dicitur Gen: 3. *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et Sap: 2. *quoniam DEUS creavit hominem inexterminabilem*; ubi habet Græcus, *DEUS creavit hominem ad incorruptibilitatem.* Et Apostolus, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors:* Ergo stante statu Innocentiæ Adam fuisset immortalis.

4. *Milevitanū de immortalitate Adæ.* Probatur secundò authoritate Concilij Milevitani II. *can:* 1. dicentis, *quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati meritò, sed necessitate naturæ, anathema sit*: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: immortalitatem Adæ stante statu Innocentiæ apertè asserentium; unde D. Augustinus *lib: 6. de Gen ad litt: ac per hoc mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur; ideoque immortale haberet & corpus*: Ergo &c.

5. *Absolutè potuisset Adam mori.* Dico quartò: Hæc tamen immortalitas Adæ non fuit simpliciter talis, ita ut mori nullatenus potuisset; sed fuit ejusmodi, ut quidem nunquam mortuus fuisset stante illo statu; absolutè tamen mori potuisset. Ita communis TT: & Interpretum.

Probatur primò authoritate S. Augustini *lib: 6. de Gen: cap: 5.* dicentis, *corpus Adæ ante peccatum, & mortale secundùm aliam, & immortale secundùm aliam causam dici poterat; id est mortale; quia poterat mori: immortale quia poterat non mori; aliud enim est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales DEUS creavit; aliud est autem posse non mori, secundùm quem modum primus creatus est homo immortalis:* Ergo &c.

6. *Ratio ad idem.* Probatur secundò ratione: Radix immortalitatis corporis Adæ duplex ordinariè à SS: PP: & TT: assertur: *prima* fuisset exacta custodia extrinseca tam DEI, & Angelorum, quàm ipsiusmet hominis, suâ eximiâ sagacitate, & scientiâ caventis sibi à noxijs, & contrarijs impugnativis, ac resolutivis corporis Adæ; *secunda* fuisset fructus saluberrimus ligni vitæ, quò deficiens humidum radicale, & vigor naturæ Adæ rursus restaurari potuisset ad diutissimè vivendum, quoad usque Adam à DEO transferreretur vivus ad statum æternæ beatitudinis: sed neutra ista radix affert Adæ immortalitatem simpliciter, seu talem, ut nullatenus mori non potuisset: Ergo &c.

7. *Virtus ligni vitæ fuit supernaturalis.* Si quæratur; num virtus illius fructûs vitæ prorogativa ad longissimos annos fuerit simpliciter physica, & naturalis; an verò supernaturalis? Respondeo cum D. Augustino, & S. Bonaventura eam fuisse supernaturalem; unde Augustinus *lib. 13. de Civit: cap: 20.* ait, *cætera ligna erant homini alimento, illud autem vitæ Sacramento.* Et S. Bonaventura *2. dist. 17. sicut Sacramenta nostra non creant gratiam; sed Divina virtus ipsis assistens in eorum legitima perceptione, gratiam infundit; sic fructus hujus arboris non dabat immortalitatem, sed Divina virtus, cùm fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur*, id est diuturnitatem vitæ.

8. *Corpus Adæ in statu Innocentiæ* Dico quintò: Ad felicitatem quoque status Innocentiæ pertinebat prærogativa

impassibilis fuit. rogativa impassibilitatis, ratione cujus corpus stante illo statu non percepisset aliquam afflitivam corporalem qualitatem. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur: Tum authoritate Sancti Augustini ita sentientis Tum quia talis impassibilitas decebat illum felicissimum statum. Tum quia corpus Adæ tunc fuisset exactè præservatum ab omni afflictiva qualitate, partim à DEO, & SS: Angelis; partim à circumspecta providentia ipsiusmet Adæ; partim ab optimo temperamento corporis, & aëris, ac à nutrimento perfectissimo assumpto: Ergo &c.

QUÆSTIO II.

De Paradiso terrestri, Primi Hominis Innocentis domicilio.

1. *Quid sit Paradisus.* NOTA primò: Inter prærogativas felicitatis statûs Innocentiæ numerari quoque amœnissimum domicilium Adæ, ejusquè conjugis Evæ, Paradisus à Scriptura dictus, quod importat pomarium, aut viridarium quoddam fontibus irriguum, & arboribus voluptuosis amœnissimè consitum; de quo sic scribit Sanctus Theophilus Antiochenus Episcopus *lib: 2. ad Autol: condito homine DEUS elegit regionem in locis Orientalibus, amœnitate eximiam, lumine coruscantem, & splendidò aëre illustrem, plantis varijs fœcundam, & in hac collocavit hominem.*

2. *Situs Paradisi est ultra depressam planitiem terræ.* Dico primò: Situs Paradisi terrestris est eminens, ac ita sublimis, ut non sit in depressa planitie, communiter accessibili; nec in ita prælalto sublimiquè loco, ut secundam aëris regionem excedat.

Probatur prima pars authoritate SS: PP: signanter D. Damasceni *lib: 2. de Fide, cap: 11.* Et Ruperti *lib: 1. de Trin: cap: cap: 37.* Et S. Basilij *hom: de Paradiso*, dicentis, *Paradisus erat locus delicijs affluens, omnem creatura sensibilis exuperans pulchritudinem, sublimitatem loci in quo erat, nulla sui parte tenebras admittens, sed exorientium siderum splendore semper illustratus; in quo nulla erat vel modica ventorum vis, nulla tempestatum procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta & noxia autumni siccitas; sed temperata, & pacifica omnium temporum in se consonantia*: Ergo situs Paradisi terrestris debet esse eminens, & usque ad secundam aëris regionem ita sublimatus, ut immunis sit ab omni injura temporum, & vaporum.

3. *Non tamen ultra secundam aëris regionem.* Probatur secunda pars: Tertia aëris regio, ut bene observant Pererius *lib: 3. in Gen: q: 2.* Et Malvenda *cap: 13.* non est accommodata habitationi hominum, ob nimiam siccitatem, ardorem continuum, & agitationem, causatam ex vicina ignis sphæra, raptu cœlorum, & copia ignitorum corporum, puta cometarū; obventi suaviter flantis & refrigerantis absentiam; defectum scaturiginū roris, herbarum virentium, & fructuum; & tandem ob nimiam aëris subtilitatem, respirationem humanam, & cordis refrigerationem intercipientem: Ergo similis locus sublimis non valet pro Paradiso terrestri, constructo pro domicilio Primi Hominis.

4. *Paradisus est situs ad Orientem.* Dico secundò: Paradisi terrestris situs est Orientalis; & probabiliter super confinia Mesopotamiæ, non procul à Chaldæa, & Syria Damascena: Ita Sixtus Senensis *lib: 2. Bibboth: annot: 34.* Genebrardus, Pererius, Maldonatus, Cornelius, & alij RR. Interpretes; contra quosdam DD: opinantes eum in aliqua delitiosa Insula Orientali esse situm.

Probatur prima pars primò authoritate SS: PP: Orientalem situm Paradisi asserentium; ùt videre est apud Hieronymum, Eusebium, Lactantium, Tertulianum, & Athanasium, *quæst: 37. ad Antioch:* dicentem, *discant quòd SS: Apostoli Christianorum Ecclesias ideo jusserant ad Orientem versùs suas fundere preces, ut ad Paradisum unde excideramus respicientes, suppliciter à DEO petamus, & à nostro Domino, ut in antiquam nos Patriam, & locum unde excidimus nos, restituere velit*: Ergo &c.

5. *Ad confinia Mesopotamiæ.* Probatur secundò ratione S. Thomæ; Oriens est dextera cœli, sicut habet Aristoteles *2. de cœlo*; dextera autem est nobilior quàm sinistra; adeoque conveniens fuit, ut in Oriente situaretur Paradisus terrestris.

Probatur secunda pars primò authoritate S. Scripturæ; quæ refert Paradisum situm esse in terra Edem; unde ubi habet nostra vulgata Editio, *plantaverat autem DEUS Paradisum voluptatis,*

Hebraica

Hebraica ponit, *plantaverat DEUS Paradisum in Edem*: sed Edem est sita super confinia Mesopotamiæ, seu Syriæ, uti habet S. Hieronymus, & Eusebius; & colligitur ex illo 4. Reg: 19. *Et filios Eden, qui erant in Thelassar*, id est regione Syriæ, seu Mesopotamiæ: Ergo situs Paradisi terrestris est super confinia Mesopotamiæ.

Probatur secundò ratione: Tum quia regio Mesopotamica inter Orientales regiones respectu situs Palestinæ, testimonio Cosmographorum, & Strabone, Curtio, atque alijs, est omnium uberrima, & deliciosissima: Ergo signum est in ea situm esse Paradisum voluptatis, à quo in viciniam quoque Mesopotamiæ redundarunt ejus ubertas, & delitiæ. Tum quia credendum est Adam post peccatum ejectum è Paradiso non procul migrâsse; sed in ejus vicinia domicilium fixisse; sed fixit sedem in Palestina, aut certè in Chaldæa, quæ sunt vicinæ regiones Mesopotamiæ: Ergo probabiliter in Mesopotamiæ finibus erat fixus Paradisus terrestris.

6. *Fluvius Paradisi qualiter dividatur, & fluat.*

Nota secundò: Delitias, & fertilitatem Paradisi plurimùm auxisse illum uberem, & lympidissimum fluvium, de quo dicit Moyses Gen: *cap: 2. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita; nomen uni Phison, ipse est, qui circuit universam terram Hevilath, ubi nascitur aurum - - - & nomen fluvij secundi Gehon, ipse est, qui circuit omnem terram Æthyopiæ; nomen verò fluminis tertij Tigris; ipse vadit contra Assyrios; fluvius autem quartus ipse est Euphrates.* Circa hæc flumina.

7. *Salvatur quòd Gehon, Phison, Tigris, & Euphrates è Paradiso nascantur.*

Nota tertiò: Prima duo flumina à Cosmographis profanis hisce nominibus nusquam nominari; quare sub nomine *Gehon*, intelligitur Nilus, & sub nomine *Phison* Ganges, ùt docet Epiphanius, Augustinus, Ambrosius, Damascenus, Hieronymus, &c. Ad salvandam porro veritatem Scripturæ, quòd hæc quatuor flumina in Paradiso vel immediatè propè Paradisum ex unico fluvio resultent, & dividantur (cùm tamen ex alijs locis disparatis deprehendantur scaturire, v. g. Tigris, & Euphrates ex diversis Armeniæ montibus, ùt notat Quintus Curtius *lib: 5.*) notanda est doctrina S. Augustini *lib: 8. de Gen: ad litt: cap: 7.* dicentis, *quoniam locus ipse Paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi credendum est, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi ipsa sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis alijs erupisse, ubi tanquam in suis fontibus noti esse perhibentur; nam hoc solere facere aquas quis ignorat?*

8. *Utilitas fontis Paradisiaci.*

Nota quoque quartò singularem, & probabilem doctrinam, quam affert Rupertus *lib: 2. de Trinit: cap: 24. 29.* in commendationem fontis Paradisiaci, & circa quatuor memoratorum fluminũ, aliorum fluviorum, ac fontium perennium origines; *aquarum natura per se salsa est, nec idonea potui, sicut in seipso ostendit mare; ascendens autem de abysso, quæ est matrix omnium aquarum, in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est Paradisi fontem quodammodo lacteam assumit dulcedinem, & irrigat universæ terræ faciem, ut juxta Psalmistam potent omnes bestiæ silvæ, & expectent onagri in siti sua; imo ut dulcesceret omnis terra ad nutriendam herbam orientem, lignumquè pomiferum, quod jussa erat terra producere - - - omnes igitur aquæ potabiles, & salubres ubicunque fluant, & undecunque appareant, de fonte Paradisi per occultos meatus originem trahunt, & ex ejus dulcedine hoc habent, ut potabiles, & salubres sint. Et quemadmodum jecur in corpore animalis fons est sanguinis, ut docent Physici, cunctis per corpus sparsis venis sanguinem dispensans, atque hoc ministeriò vitam animalis conservans; sic illè fons universam terram per occultas venas irrigans vegetat, & in multos redundat fontes ac flumina, sed eorum omnium ista quatuor sunt capita, id est principalia.*

9. *Cur arbor vitæ, & scientiæ sic vocentur.*

Nota quintò: Amœnitatem, & nobilitatem Paradisi multùm quoque æstimari ob præcipuarum arborum species, in eo consitas; signanter ob plantationem arboris scientiæ boni, ac mali; & ligni vitæ. Prima non fuit dicta talis, quasi vim haberet acuminis, & ingenij conferendi; sed vocata fuit ita per anticipationem ex præviso eventu futuro; quia licet Adam speculativè ante sciret bonum & malum; attamen comedens ex vetito fructu, practicè ac experimentaliter cognovit, quantum bonum peccando amiserit, & in quæ mala fuerit exinde prolapsus: ita discurrit D. Augustinus *lib: 8. de Gen: ad litt: cap: 6.* Secunda verò appellata fuit *lignum vitæ*, quia ejus fructus assumptus in edulium habuit miram vim vivificam, seu

ad vitam hominis conservandam, & prorogandam. Circo hanc.

10. *Arbor scientia boni & mali fuit Malus aliqua.* Nota ulteriùs sexto: Varias esse DD: opiniones de arbore scientiæ boni, & mali, cujusnam speciei fuerit. Quidam putant fuisse vitem; & idcirco Christum sanguinem suum, Sacramentaliter porrexisse in vino, pro expiando primo peccato Protoparentum. S. Athanasius, & Theodoretus autumant fuisse ficum; eò quòd DEUS folijs hujus ficûs Adam, & Evam post commissum peccatum vestierit, tanquam pudibundos ipsô factô remanentes sub eadem arbore, ex qua peccârant. Alij aliter. Sed ego probabiliùs judico arborem illam fuisse malum, seu pomiferam pretiosissimæ speciei, puta vel mali punici, vel alterius suavioris. Ratio mea est, quia hoc videtur indigitare illud *Cant: 8. sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua*, gravissimô nimirum inobedientiæ peccatô. Et hoc ipsum videtur innuere antiquissimus usus picturarum Catholicarum; & communior antiquorum, recentiorumquè Interpretum sensus.

11. *Paradisus adhuc extat.* Dico tertiò: Probabile est, Paradisum terrestrem adhuc extare cum sua amœnitate. Ita complures Interpretes.

Probatur primò authoritate SS: PP: existentiam Paradisi asserentium; signanter S. Irenæi *lib: 5. adversus hæreses, cap: 5. quapropter dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt* (scilicet Henoch, & Elias) *illuc* (subintellige Paradisum) *translatos esse* (*justis enim hominibus & spiritum habentibus præparatus est Paradisus, in quem & Apostolus Paulus asportatus audivit sermones inenarrabiles quantùm ad nos in præsenti*) *& ibi manere eos, qui translati sunt, usque ad consumationem, quò auspicantur incorruptelam*. Vide etiam S. Augustinum *lib: 2 de peccato orig: cap: 23.* Et Tertulianum *lib: de anima, cap: 55.* Et Victorinum Martyr; S. Athanasium, Hieronymum, &c.

12. *Rationes pro existentia Paradisi.* Probatur secundò ratione: Tum quia Scriptura Sacra commemorat Ecclesiast: 44. revera *Henoch translatum esse in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*: Ergo Paradisus adhuc existit tanquam domicilium hujus Sancti viri. Tum quia non apparet ratio, cur locus tam insignis, & singularis debuisset à DEO ex postfacto peccati Adæ fuisse destructus. Tum quia non videtur, quod-nam efficiens creatum eum destruxisset; non enim diluvium universale; quia hoc solùm inundavit in ea loca, quæ ab habitatoribus peccatoribus actualibus criminibus fuêre contaminata post mortem Adæ; ùt patet Gen: 6. cap: de quorum numero non erat Paradisus, utpore custoditus ab Angelo, ne Adamô ejectô ampliùs contaminaretur ab homine.

QUÆSTIO III.

De Scientia; & virtutibus naturalibus Primi Hominis in statu Innocentiæ.



DICO primò: Primo homini in statu Innocentiæ communicata fuit à DEO ampla scientia rerum naturalium, & moralium. Ita SS: PP: & TT: 1. *Adam fuit dotatus ampla scientiâ naturalium, & moralium.*

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam Ecclesiast: 17. de Adam ejusquè uxore dicitur, *disciplinâ intellectûs replevit illos; creavit illis scientiâ spiritus, sensu implevit cor illorû, & bona ac mala ostendit illis*; quibus verbis insinuatur secundùm SS: PP: omne genus scientiæ naturalis per accidens Protoparentibus fuisse communicatum; puta ly *disciplinâ intellectûs* Logicales omnes notitias, quibus intellectus informatur ad aptè ratiocinandum: ly *scientiâ spiritûs*, scientias Metaphysicales, quæ circa res abstractissimas à materia, & nobilissimas merè spirituales, puta DEum, Angelos, &c. versatur: *ly sensu implevit cor illorum*, doctrinas physicales, quæ continent scientiam de entibus corporeis adminiculô sensuum acquisibilem: per ly *& bona, ac mala*, indigitatur ijsdem communicatam fuisse scientiam perfectam moralem, versantem circa bonum & malum morale: Ergo Primo Homini in statu Innocentiæ communicata fuit ampla scientia rerum naturalium, & moralium.

Probatur secundò ratione: Tum quia decebat primum caput physicum totius generis humani tamquam opus tam insigne primævum, & in tam felici statu Innocentiæ conditum exornare amplissimâ scientiâ rerum naturalium, & moralium: Ergo &c. Tum quia sicut Author naturæ plasmavit Protoparen- 2. *Ratio ad idem.*

tem

tem quoad corpus valde perfectum secundùm staturam, pulchritudinem, temperamentum, ùt suprà *quæst. 1. conclus. 3.* ostensum est; ita congruebat eundem secundùm mentem creare perfectissimum; & consequenter eum dotare communicatione amplâ scientiæ rerum naturalium, & moralium: Ergo &c.

3\. *Scientia Adæ non fuit statim supremè perfecta.*

Dico secundò: Scientia tamen Primi Hominis non fuit supremè perfecta secundùm omnem considerationem, sed potuit crescere studiô, & industriâ.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex illo Scripturæ Eccles: 17. *consilium - - - - & cor dedit illis excogitandi:* Sed per excogitationem novam crescit scientia excogitantis: Ergo &c. Tum quia saltem scientiâ experimentali potuit Adam proficere, & crescere, quâ & profecit Christus, non obstante perfectissimæ scientiæ infusæ infusione: Ergo scientia Primi Hominis non fuit supremè perfecta secundùm omnem considerationem.

4\. *Adam quoque habuit scientiam rerum supernaturalium.*

Dico tertiò: Animæ Adæ quoque infusa fuit scientia plurium rerum naturalium.

Probatur: Hujusmodi scientia saltem de principalioribus Mysterijs supernaturalibus decebat conditionem, ac statum Primi Hominis; & eidem erat potiori ex parte necessaria ad assequendum finem naturalem, ad quem creatus fuit: Ergo &c.

5\. *Et quidem de pluribus mysterys.*

Nota itaque: Mysteria supernaturalia quæ per scientiam cognovit Adam probabiliter fuisse sequentia. *Primò* cognovit existentiam DEI quà Remuneratoris in ordine gloriæ æternæ; quia *accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & inquirentibus se Remunerator est. Secundò* finem supernaturalem, ad quem erat conditus; ac consequenter novit etiam media necessaria ad attingendum illum finem, puta virtutes Theologicas, gratiam sanctificantem, ùt à DEO obtinenda. *Tertiò* Mysterium SS. Trinitatis, ùt docet S. Epiphanius *lib: adversùs hæreses. Quartò* cognovit futuram Verbi Divini Incarnationem, ùt habet Scotus. *Quintò* lapsum quorundam Angelorum, & eorum damnationem; ut nimirum eorum exemplô deterreretur à peccato, & moveretur ad pœnitentiam suppositô peccatô.

6\. *Adamo fuerunt infusæ virtutes naturales.*

Dico quartò: Voluntati similiter Adæ per accidens infusæ fuêre virtutes naturales. Ita communis DD:

Probatur: Tum quia ita colligitur ex illo Eccles: 17. *DEUS creavit de terra hominem - - - vestivit eum virtute.* Tum quia & hæ virtutes decebant conditionem tam perfectam Protoplastis; & ejus felicissimum statum. Tum quia ut jam ostensum est, intellectus Adæ fuit illustratus perfectionibus varijs naturalibus scientiarum: Ergo ejus quoque voluntas perfectionibus sibi proportionatis, quæ sunt virtutes naturales, debebat dotari: Ergo &c.

Quæstio IV.

De Propagatione generis humani stante statu Innocentiæ.

DICO primò: Stante statu Innocentiæ genus humanum fuisset propagatum per veram copulam conjugalem, seu generationem carnalem. Ita communior TT: & plurimorum SS: PP: contra S. Gregorium Nyssenum, Damascenum, & Chrysostomum arbitrantes, homines in statu Innocentiæ fuisse multiplicatos vel per creationem, vel aliô modô nobis ignotô. 1. *In statu Innocentiæ fuisset generatio hominum.*

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam Gen: 2. dixit DEUS hominibus, utì cæteris animalibus, *crescite & multiplicamini;* cætera autem animantia propagantur per veram copulam, seu generationem carnalem: Ergo & homines sic fuissent propagati. Deinde ideo Adam ante lapsum divinitùs inspiratus dixit, *erunt duo in carne una*, utique ratione copulæ conjugalis. Tandem propterea Adæ dictum fuit, quòd Eva futura sit *adjutorium simile sibi;* scilicet ad generationem prolis tantùm; in alijs enim operibus meliùs juvaret vir: Ergo &c

2\. *Authoritas SS: PP: pro eodem asserto.*

Probatur secundò authoritate plurimorum SS: PP: conclusionem asserentium; signanter eam tenet D. Augustinus *lib: de peccat: orig: 35. & 36.* retractatâ opinione contrariâ, cui aliquando adhæserat, *essent*, inquit, *proculdubiò nuptiæ, etiam non præcedente peccatô; quia neque ob aliam causam viro adjutorium non alius vir, sed fœmina facta est. Et illa DEI verba, crescite & multiplicamini, non est damnandorum prædictio peccatorum; sed fœcundarum prædictio nuptiarum*, &c. Et

lib: 4:

lib: 4. contra Julian: cap: 4. dicit, *neque enim etiamsi natura humana primorum Parentum peccatô vitiata non esset, possent filij nisi de corporum commixtione generari:* Ergo &c.

3. *Ratio pro eodem.* Probatur tertiò ratione: Tum quia adhuc stante statu Innocentiæ in prima conditione & creatione Protoparentum statim sexuum diversitas fuit; utique non ad alium finum, quàm ut per copulam conjugalem commiscerentur, & propagarent per veram generationem suns posteros etiam stante statu Innocentiæ. Tum quia, ùt bene arguit hic S. Bonaventura, potentia generativa est perfectio naturæ, spectans ad ejus completionem; & usus hujus potentiæ sen generatio actualis carnalis mediante copulâ conjugali spectat ad complementum Civitatis supernæ Jerusalem, per homines nascituros faciendum: Ergo dicendum est, Protoparentes habuisse veram potentiam generativam, ejusquè usum in ordine ad propagandum genus humanum.

4. *Quidam SS: PP: objiciunt contra propagationem carnalem in statu Innocentiæ.* Objicies cum PP; oppositæ sententiæ *primò*: Copula conjugalis involvit quamdam turpitudinem, indecentem illum statum Innocentiæ; quia fit cùm æstu libidinis: Ergo non fuisset practicata in illo statu. *Secundò*; propagatio generis humani mediante copulâ fieri debet per decisionem feminis; sed tale non fuisset in statu Innocentiæ; cum semen sit superfluum alimenti; superfluitas autem est vitiosa, & consequenter repugnans illi statui: Ergo &c. *Tertiò*; propagatio generis humani per veram generationem carnalem nequit fieri absque violatione virginitatis, seu claustri virginalis: sed talis violatio non fuisset in statu Innocentiæ: Ergo neque propagatio generis humani per veram generationem carnalem.

5. *Quibus respondetur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: cum sua Ratione; quia in statu Innocentiæ absuisset à copula conjugali omnis immoderatus æstus libidinis, hic enim nunc in statu naturæ lapsæ adest ex rebellione partis sensitivæ, quam Innocentes non fuissent passi, utpote habentes perfectum dominium in illam partem, sicut manûs, pedis, vel alterius membri. Itaque copula conjugalis durante illô statu, fieret quidem, sed absque omni motu deordinante libidinis. *ad Secundum* Neg: Min: ad ejus Rationem dico, etsi semen comparatione factâ ad alimentum, & potentiam nutritivam dicatur superfluum; non tamen comparatione factâ ad speciem humanam propagandam, & potentiam generativam est censendum superfluum, imo necessarium, atque adeò ex hoc capite superfluitatis non est rejicienda copula conjugalis & propagatio generis humani in statu Innocentiæ per seminis decisionem. *Ad Tertium* dicit D. Augustinus *lib: 14 de Civit: DEI cap: 26.* mulieres in statu Innocentiæ non fuisse violatas quo ad claustrum virginale, etsi copulam veram seminifecam admisissent; imo etsi genuissent; eò quòd tempore copulæ semen virile fuisset in uterum earum immissum, salvâ integritate claustri, puta eâ viâ, quâ nunc fluxûs menstrui materia ejicitur; tempore verò partûs viscera Matris fuissent relaxata mirâ aliquâ facilitate; quâ modò aperitur, & clauditur os, aliudve membrum, & sic enixa fuisset proles absque corruptione sensibili integritatis virgineæ. Respondeo ego cùm communiori Conc: Maj: & Neg: Min: dicoquè hujusmodi violationem claustri virginis non dedecere statum Innocentiæ. Tum quia hujusmodi violatio si absit inordinata libido, & adsit finis bonus, puta generatio hominis, non involvit aliquam indecentiam. Tum quia connubium, in quo regulariter corrumpitur virginale claustrum, teste S. Thomâ in illo statu fuisset melius, quam continentia; sive quia probabiliter fuisset præceptum; sive quia in eo viguisset castissimus amor conjugum, fides intemerata, perpetuumque fœcunditatis bonum, puta generatio prolium Innocentium, quæ essent futuræ filij DEI; quibus omnibus effectibus bonis caruisset tunc continentia.

Dico secundò: Stante statu Innocentiæ ex quavis copula conjugali fuisset probabiliter secuta proles; & quidem masculus, vel fœmella pro libitu generantium. Ita S. Bonaventura *dist: 20. art: 1. q: 5. in corp:* & alij TT: 6. *Ex quavis copula nata fuisset proles in statu Innocentiæ.*

Probatur prima pars ratione ejusdem Doctoris: quia Parentes in illo statu habuissent potentias generativas perfectè dispositas; hoc enim exigebat ille status; & aliunde nunquam exercuissent copulam nisi cum debito temperamento; sufficientiâ & proportione materiæ decisæ, ac dispositione recipientis ad conceptionem prolis: Ergo ex quavis copula tunc secuta fuisset proles.

Probatur

7. *Et quidem sexus pro libitu.* Probatur secunda pars: Tum ex eadē causa præmissa. Tum quia coëuntes optimè novissent causas, & dispositiones procreandæ prolis vel masculinæ, vel fœmineæ; quare easdem proculdubiò pro libitu applicuissent, atque ita prolem vel hujus, vel illius sexûs genuissent.

8. *Proles natæ fuissent parvæ in illo statu.* Dico tertiò: Probabiliter quoquę omnes proles in statu Innocentiæ fuissent ortæ cum solita parvitate corporis; aliquâ tamen membrorum soliditate, ita ut vim progressivam subitò execere potuissent. Prima pars est communis TT: alteram tenet P. de Ales, & alij contra Magistrum Sententiar:

Probatur prima pars: Nativitas prolis cum solita pravitate corporis est connaturalis; eam enim exigit angustia materni uteri: & aliunde non suppetit ulla ratio, vel authoritas afferendi, homines in statu Innocentiæ debere prodire cum statura perfectè magna: Ergo &c.

9. *Cum membris tamen solidis progressivis.* Probatur secunda pars: Tum quia ita sentire videtur S. Augustinus *lib: 1. de peccat: merit: & remiss: cap: 37. & 38.* Tum quia conditio statûs Innocentiæ videtur postulare, ut id quod conceditur alijs animantibus in ortu suo illico gradientibus, & ad ubera materna motu proprio progressivo accedentibus, hoc Innocenti nato non denegetur: Ergo probabile est proles in statu Innocentiæ natas fuisse cum ea membrorum soliditate, ut vim progressivam exercere potuissent.

10. *Imo & usu rationis.* Dico quartò: Probabiliter etiam eædem proles natæ fuissent cum aliquali usu rationis proportionato illi teneræ ætati. Est contra S. Bonaventuram &c.

Probatur: Tum quia DEUS illis dedisset probabiliter solidiora membra in ordine ad exercendam potentiam progressivam, ùt suprà ostensum est: Ergo etiam perfectiorem complexionem, in qua anima posset exercere usum aliqualem rationis, cum ætate tamen accrescente perficiendum. Tum quia aliqualis usus rationis prolium recenter natorum congruebat illi statui per omnia felicissimo. Tum quia intellectus hominum Innocentium, ùt suprà *dist: 1. q: 2. concl: ult:* ostendi, non dependisset à phantasmatibus; unde cerebri infantilis fluida, & imperfecta compositio illum minimè impedire potuisset ab exercitio usûs ratiocinandi: Ergo probabiliter proles in statu Innocentiæ natæ statim aliquē usum rationis habuissent.

Dico quintò: Perseverante statu Innocentiæ soli nunc Electi propagati fuissent per generationem humanam; nec ullus defacto reprobus, natus fuisset. Ita cum Scoto *2. dist: 20 q: 2.* Bassolius, & communis Scotistarum; contra Arriagam, Suarez &c. 11. *Soli Electi fuissent nati in statu Innocentiæ.*

Probatur primò authoritate S. Gregorij *4. Moral. cap: 36. in fine* dicentis, *si Parentem Primum nulla peccati putredo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed soli Electi ab illo nascerentur:* Ergo, &c.

Probatur secundò ratione Theologicâ: Tum quia status Innocentiæ perseverans quà talis affert immortalitatem hominibus in eo collocatis, ùt suprà *quæst: 1. concl: 3.* conclusum est: Ergo omnes in eo nati caruissent peccatò, quod tollit immortalitatem; & consequenter fuissent omnes Electi. Tum quia stante statu Innocentiæ post primam superatam tentationem omnes fuissent in gratia sanctificante finaliter confirmati; & consequenter dicendi Electi.

QUÆSTIO V.

De Justitia Originali; Gratia sanctificante, alijsquè donis supernaturalibus, & Dominio Primi Parentis in statu Innocentiæ.



1. *Varietas opinionum de Justitia originali.* NOTA primò circa quidditatem Justitiæ originalis varia esse sentimina DD: S. Bonaventura, & Alensis arbitrantur Justitiam originalem esse quoddam donum, sed unicum cujusdam charitatis supernaturalis, à charitate, quæ est gratia aliàs sanctificans, distinctum. Thomistæ plurimi putant esse ipsam charitatem, ut est gratia sanctificans. Henricus de Gandavo dicit illam esse quamdam rectitudinem naturalem, humanæ voluntati insitam, per quam poterat voluntas sensitivo appetitui dominari, illumquè ad nutum, quò vellet, flectere.

Nota secundò, donum illud Justitiæ originalis, qualecunque demum sit, ideo dici *Justitiam*, quia erat quædam

2. *Cur donum justitiæ orig: fuerit sic dictum.* dam perfectio, omnes hominis Innocentis potentias ita coördinans, ut totus homo rectus & perfectus evaderet, atque ita facilis esset pro omni occasione ad bene operandum, quâque voluntas, & ratio proptissimè DEO, appetitus verò sensitivus rationi rectæ, & voluntati probæ subjiceretur quò ad motus inordinatos, sicquè totum hominem justum efficeret. *Originalis* dicebatur, quia eam acceperunt à DEO Protoparentes ab origine conditionis suæ, transfundendam in totam suam posteritatem, peccatò non coinquinatam.

3. *Protoparentes habuerunt Justitiam originalem.* Dico primò: Primus Homo Adam, ejusquè Conjux in statu Innocentiæ habuerunt Justitiam originalem; quæ erat aliquid supernaturale. Prima pars est communis TT: Secunda Scoti *2. dist:29.* contra Henricum de Gandavo.

Probatur prima pars: Tum authoritate Conc: Trid: *sess:5. in decreto de peccato origin:* ubi dicitur anathema illi, *qui non confitetur Primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & Justitiam. in qua constitutus fuerat, amisisse.* In quo canone signanda est illa propositio, *in qua constitutus fuerat*, quæ clarè docet Adam (& est par ratio de ejus Conjuge in eodem Paradiso existente, & eòdem præcepto divinò ligata) habuisse prius Justitiam originalem. Tum authoritate SS: PP: communi sensu conclusionem asserentium; signanter Augustini *lib:14. de Civit: DEI cap:17.* & aliorum: Ergo Primus Homo Adam, ejusquè Conjux in statu Innocentiæ habuerunt Justitiam originalem.

4. *Justitia originalis fuit donum supernaturale.* Probatur secunda pars: Gratia sanctificans, & donum gratiæ actualis, item virtutes Theologicæ Adæ concessæ in statu Innocentiæ fuerunt dona supernaturalia; sicut eadem in nobis sunt qualitates ordinis supernaturalis animæ infusæ juxta communem TT: & Tridentinum *sess:6. cap. 7.* Ergo similiter perfectio, & donum Justitiæ originalis.

5. *Justitia originalis est destincta à charitate.* Dico secundò: Justitia originalis Adæ, & Evæ non coincidebat formaliter cum dono charitatis supernaturalis ipsis infuso, quæ est gratia sanctificans. Ita Scotus *2. dist: 29.* & tota ejus Schola; contra Thomistas.

Probatur: Justitia originalis, & charitas, quæ est gratia sanctificans habent diversos fines in Adam, & Eva; nam charitas seu gratia sanctificans perficiebat eos in ordine ad finem supernaturalem; Justitia verò originalis perficiebat eos in ordine ad finem naturalem, & integritatem naturalem: Ergo Justitia originalis non coincidebat formaliter cum charitate, seu gratia sanctificante.

Dico tertiò: Nec Justitia originalis Adæ, & Evæ consistebat in aliquo unico simplici habitu, etiam à charitate; seu gratia sanctificante distincto. Ita Scotus *2. dist: 29.* cum suis; contra S. Bonaventuram, & Alensem nostrum. 6. *Non est unus simplex habitus.*

Probatur: In Adam, & Eva includebantur plures diversæ facultates spirituales, & corporeæ, puta intellectus, voluntas, appetitus sensitivus &c. à Justitia originali perficiendæ: sed has omnes specie, imo genere differentes unicus simplex habitus perficere, & moderari nequibat; in qua enim facultate quæso resideret ille habitus? Ergo Justitia originalis Adæ, & Evæ non consistebat in aliquo unico simplici habitu, etiam à charitate distincto. Unde

Dico quartò: Justitia originalis Primorum Parentum importabat quoddam complexum plurium donorum supernaturalium, rectificantium, & perficientium omnes potentias animasticas eorundem ad rectè perfecteque vivendum. Ita deducitur ex Scoto *2. dist: 29. num: 4.* 7. *Sed quoddam complexum donorum plurium.*

Probatur: Adam & Eva continebant plures facultates, ut mox dixi, rectificabiles per Justitiæ originalis dona: Ergo ipsa quoque Justitia originalis fuit multiplex, & complexum quoddam donorum plurium. Itaque pro perficienda potentia voluntatis Protoparentum DEUS statuerat in ea habitum tum Religionis quô DEUM prosequeretur debitô cultu ac veneratione interiori exterioriquè: Tum Justitiæ, quô poteris suis jus suum tribuerent. Pro perficiendo intellectu circa speculativa, DEUS infunderat eidem facultati omnis generis scientias circa res naturales de quibus suprà *quæst: 3.* Circa practica verò sublimè prudentiam, variasquè artes. Pro perficiendo appetitu sensitivo tam irascibili, quàm concupiscibili omnigenas virtutes morales, temperantiæ, fortitudinis, &c. contulit. Optimum item temperamentum humorum; varia denique dona supernaturalia.

Dico quintò: Protoparens ante lapsum præditus fuit gratiâ sanctificante, eam tamen non in ipsa creatione, sed postea 8. *Adam accepit gratiam sanctificantem.*

postea acquisivit. Prima pars est communis SS: : PP & TT. Secundum tenet Scotus *2. dist: 29. num:* 7. Alensis S. Bonaventura. Hugo, Victor &c. contra D. Thomam ejusquè sequaces, & P. Herincz.

Probatur prima pars primò authoritate Concilij *Trid: sess: 5. de peccato orig: can: 1.* dicentis, *si quis non confitetur Primum Hominem, cum mandatum DEI in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem* (id est gratiam sanctificantem) *& justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*, &c. *anathema sit*: Ergo Protoparens præditus fuit ante lapsum sanctitate, quam deinde amiserat.

Probatur secundò authoritate SS: PP: communi calculò gratiam sanctificantem Adæ ante lapsum adscribentium; ùt videre est apud Magistrum Sent: *2. dist: 29.* ubi plura testimonia ad hoc probandum inducit; ego addo unicam authoritatem D. Bernardi dicentis, *cum videret Patrem nostrum Hominem æmulus, charitate circumdatum*, &c. id est gratiâ sanctificante, quæ coincidit cum charitate supernaturali habituali, ùt ostenditur *in Tract: 4. bujus Tomi de gratia sanctificante: dist: 1. q: 1. conc: 3.* Ergo &c.

9.
Sed non in ipsa creatione.

Probatur secunda pars ratione S. Bonaventuræ *cit: primò*: gratia sanctificans est insigne, & maximè gratuitum donum: Ergo convenientiùs datum fuit Adæ post sui creationem. Conseq: tenet; quia magis habet rationem gratuiti quod superadditur naturalibus quàm quod est inditum naturaliter. *Secundò*, magis elucet ordo Divinæ sapientiæ, si dicatur gratiam sanctificantem Adæ collatam post plasmationem ejusdem; sicut ornatus physicus propter ordinationem sapientiæ fuit mundo primò post plasmationem ejusdem collocatus, uti patet in S. Genesi *cap: 1*: Ergo &c.

10.
P. Herincx objiciens contentatur.

Objicit P. Herincx Ecclesiast: *7. cap:* dicitur, quòd *fecit DEUS hominem rectum*, quæ rectitudo maximè attenditur penes gratiam sanctificantem: Ergo &c. *Secundò*; favet oppositæ sententiæ Tridentinum *cit: can:* illis verbis, *constitutus in sanctitate, & Justitia.* Et Arausicanum II. *can: 19.* docens naturam hominis *fuisse conditam in integritate*, ad quam integritatem etiam spectat gratia sanctificans: Ergo Adam acquisivit in ipsa creatione gratiam sanctificantem. Respondeo ex allegatis, & similibus testimonijs Scripturæ, & Conciliorum solùm haberi, Adamo revera fuisse communicatam rectitudinem, integritatem, & sanctitatem; non autem in ipsa creatione; sed tempore subsequenti, ut videlicet priùs perficeretur in naturalibus, & deinde gradatim vestiretur gratuitis supernaturalibus.

11.
Fuit Adæ infusa fides, spes, & alia dona super.

Dico sextò: Adamo unà cum gratia sanctificante infusa fuit Fides, & Spes, aliaquè dona gratuita supernaturalia, quæ habuit. Ita communis TT.

Probatur: Tum quia ita colligunt SS: PP: ex illo Ecclesiast: *17. DEUS de terra creavit hominem - - - & secundùm se vestivit illum virtute*, id est omni specie virtutis, & consequenter virtutibus Theologicis Fidei, Spei, ac reliquis donis gratuitis, quæ nomine virtutis rectè veniunt; quia perficiunt hominem in esse morali. Tum quia DEUS Adamo gratuitò dedit donum Justitiæ originalis, & gratiæ sanctificantis: Ergo idem dicendum de donis Fidei, Spei, alijsquè in Adamo repertis. Tum quia ita sentiunt SS: PP: signanter D. Augustinus *lib: 14. de Civit: cap: 16.*

12.
Similiter obtinuit dominatum in omnes creaturas.

Dico septimò: Protoparens in statu Innocentiæ adeptus est à DEO dominium imperiumquè in omnia animantia terræ, & rèptilia maris; quod quidem etiam retinuit in statu naturæ lapsæ, minori tamen authoritate. Est communis TT: & SS: PP.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ: nam Gen: *1.* dicit Dominus Adæ statim post creationem, *dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram* Et Eccles: *17. dedit illi* (scilicet Adam) *potestatem eorum super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium*, &c. Ergo Protoparens in statu Innocentiæ adeptus est à DEO dominium, imperiumquè in omnia animantia terræ, & reptilia maris.

13.
Eundem retinuit lapsus.

Probatur secunda pars authoritate Stripturæ; quia posteris Protoparentis Noë, & filijs ejus in statu naturæ lapsæ constitutis dicit DEUS Gen: *9. terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis, quæ moventur super terram, omnes pisces maris manibus vestris traditi sunt*: quæ verba dominium imperiumquè Noë, & filiorum ejus super omnia animantia terræ, & reptilia maris indicant: Ergo hoc idem fuit in Protoparente jam lapso.

14. *Sed cum minori perfectione.* Probatur tertia pars, quòd scilicet *Protoparens lapsus cum minori authoritate dominium in animantia habuerit*: Adam in statu naturæ, lapsæ non potuit tam facilè exequi illud dominium circa animantia, utpote reddita potiori ex parte totaliter fera, & inobedientia, quæ priùs durante statu Innocentiæ erant domestica planè, & obedientissima ita ut ad nutum Protoparenti obedirent; eô ferme modô, quô legimus quibusdam hominibus Sanctis, & quasi primævo Innocentiæ beneficio à DEO ob merita sua illustria insignitis, puta S. Antonio de Padua, & S. Francisco, qui pisces maris, & aves cœli pro libitu ad se vocabant ad audiendum Verbum DEI, uti legitur in Chronicis Fratrum Minorum. Et Elizæo Prophetæ, cui *4. Reg: 2. cap*: paruerunt ursi in ultionem puerorum S. virum contumeliosè nomine Calvi acclamantium. Et S. Danieli, qui cum Leonibus familiariter cohabitavit diebus pluribus *Dan: 6.*

15. *Si Adam non peccâsset, ipse & posteri fuissent in gratia confirmati.* Dico octavò: Si Adam non fuisset lapsus originaliter, tota ejus posteritas fuisset in gratia sanctificante confirmata, non quidem à die nativitatis suæ; sed post superatam primam tentationem: Ita Scotus *2. dist: 20. q 1:*

Probatur prima pars authoritate S. Anselmi *lib: 1. cur DEUS homo, cap: 18.* dicentis, *in illa Justitia, in qua erant Primi Homines constituti, videtur quòd si vicissent, ut non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagatione sua, ut peccare ultra non possent.* Et est ratio; quia in statu naturæ lapsæ DEUS plures SS: confirmavit in gratia, ùt Apostolos, & quosdam alios: Ergo idem concedendum foret statui Innocentiæ.

16. *Non tamen statim.* Probatur secunda pars: Adam non fuit statim à sua creatione confirmatus in gratia; unde peccavit postea: Ergo neque posteritas ejus fuisset statim sic confirmata.

Probatur tertia pars: Protoparens si superâsset primam tentationem confirmatus fuisset in gratia, ùt habet S: Anselmus *cit:* Ergo & posteritas ejus.

QUÆSTIO IV.

De Peccabilitate quoad venialia Primorum Parentum in statu Innocentiæ, ejusquè amissibilitate, & duratione.



DICO primò: Primi Parentes in statu Innocentiæ, & consequenter omnes eorum posteri supposità perseverantià ejusdem statûs, poterant priùs peccare venialiter, quàm mortaliter tam ex levitate materiæ, quàm imperfecta deliberatione & subreptione. Ita Scotus *2. dist: 21. q: unic:* Bassol: Lichet: Rada, Tartar: & alij Scotistæ; contra Medin: Cajetan: Alvarez, Zumel, aliosquè Thomistas. 1. *Adam, & posteri in statu Innocentiæ poterant priùs peccare venialiter, quàm mortaliter.*

Probatur primò ratione Scoti *cit:* donū justitiæ originalis non conjungebat magis Primos Parentes (idem dic de omnibus eorum posteris supposità perseverantià statûs Innocentiæ) ultimo fini, quàm gratia justificans nunc conjungit viatorem: sed stante gratià justificante potest viator etiam perfectissimus nunc peccare venialiter; unde dicit S. Joannes in sua *canonica epist: si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, &c. Ergo Primi Parentes in statu Innocentiæ poterant priùs peccare venialiter, quàm mortaliter.

Probatur secundò alià ratione ejusdem Doctoris: Non potest assignari ratio, cur Primi Parentes in statu Innocentiæ habuerint libertatem expeditam ad peccandum priùs mortaliter in esu ligni vetiti: sed ad priùs peccandum mortaliter habuerunt libertatem expeditam; uti patet ex Scriptura Gen: 3. ubi legitur eos sic peccâsse: Ergo eandem habuerunt in eodem statu ad priùs peccandum venialiter.

Probatur tertiò: Sat probabile est, Primos Parentes defacto actu priùs peccâsse venialiter, quàm mortaliter; Eva quidem loquendo cum Serpente, quô se exposuit periculo deceptionis, & gravioris lapsûs; item illis verbis *ne forte moriamur*, quibus in dubium revocavit id, quòd assertivè DEUS dixerat: Adam verò non reprehendendo Uxorem colloquentem cum Serpente, eidem credentem, & edentem de vetito fructu: sed ab actu ad potentiam valet Consequentia: Ergo poterant Primi Parentes in statu Innocentiæ priùs venialiter peccare, quâm mortaliter.

2. *Thomistarum argumenta.* Objiciunt Thomistæ primò: Primi Parentes erant in excellentiori gradu Sanctitatis, habebant perfectiores virtutes, plenamquè cognitionem, & deliberationem: Ergo non poterant eligere malè in materia veniali. *Secundò*: Imaginatio, & appetitus sensitivus in illo

illo statu erat perfectè subjecta rationi Primorum Parentum, ita ut nullos paterentur inordinatos motus: Ergo nequaquam poterant peccare venialiter saltem ex subreptione. *Tertiò*: DEUS exercuisset singularem protectionem conservativam circa Primos Parentes, ita ut venialiter non caderent: quòd patet ex S. Augustino *lib: 14. de Civit: cap: 10, & lib: de corrept: & gratia cap: 11.* dicente, *illum statum fuisse DEI beneficiò ab omni malo, & incommodo immunem*; utique etiam à malo peccati venialis: Ergo &c.

3. *Eliduntur.* Respondeo *primò* generaliter: Ex his & alijs rationibus solùm haberi, Primos Parentes non tam facilè lapsos fuisse in peccata venialia, sicut modò labuntur viatores defectu tam excellentis sanctitatis, tam perfectarum virtutum, ob imperfectiores cognitiones, deliberationes, rebellionem partis sensitivæ &c. non tamen habetur, quod absolutè non potuissent labi in venialia. Respondeo *secundò* specialiter *ad Primum* Neg: Conseq: nam non obstante illô excellentiori gradu sanctitatis, virtutibus perfectioribus, plenâque cognitione, & deliberatione Primi Parentes elegerunt malè in materia mortali: Ergo & in veniali potuissent eligere malè. *Ad Secundum* dico; licèt ex illo Antecedenti concederetur Primos Parentes non tam facilè peccaturos venialiter ex subreptione, oriente secundùm portionem inferiorem ex parte sensitiva; adhuc tamen poterant peccare ex subreptione prodeunte secundùm portionem superiorem ex parte intellectiva, v. g. admittendo levem motum dubij de aliquo Fidei articulo. *Ad Tertium* Neg: Ant: & ad authoritatem D. Augustini dico, eum *locis citatis* loqui de malis duntaxat corporis, à quibus haud dubiè ille status Innocentiæ fuisset immunis, puta ab ægritudinibus corporeis, excessu frigoris, & æstûs, & hanc esse genuinam mentem D. Augustini inde patet, quòd in illo statu fuerit actu malum morale ad peccatum mortale, cui Adam succubuit: Ergo à fortiori fuisset malum tentationis ad peccatum veniale.

4. *Adam in esu vetito perdidit Justitiam originalem toti posteritati.* Dico secundò: Adam esu fructûs vetiti, de arbore scientiæ boni, & mali assumpti amisit irrecuperabiliter sibi, & toti suæ posteritati totam Justitiam originalem, statui Innocentiæ annexam; Eva verò sibi soli. Ita communis TT.

Probatur prima pars authoritate Tridentini; quod ad propositum sequentem canonem *sess: 5. in decreto de peccat: orig:* statuit; *si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse; & acceptam à DEO sanctitatem, & Justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eam perdidisse* &c. *anathema sit.* Consonat Arausicanum II *can: 1.* Ergo Adam esu fructûs vetiti irrecuperabiliter sibi, & toti suæ posteritati totam Justitiam originalem, statui Innocentiæ annexam amisit.

Probatur secundò; Tum authoritate SS: PP: eandem doctrinam passim asserentium; ùt videre est apud Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Basilium, &c. Tum quia Adam erat Caput totius generis humani: unde quemadmodum ex ejus primæva prævaricatione peccatum originale in omnes posteros transfusum est; ùt habet Tridentinum *loc: cit: can: 3.* ita & carentia totius Justitiæ originalis, quæ est effectus illius primævæ prævaricationis.

Probatur secunda pars: Eva non fuit propriè loquendo Caput saltem quoad moralem considerationem totius generis humani: Ergo sibi soli moraliter nocuit perdendo totam Justitiam originalem; & consequenter si Adam non adjecisset suam prævaricationem personalem, tota Justitia originalis penes eundem, totamquè posteritatem permansisset. 5. *Eva sibi soli.*

Nota primò valdè controverti inter DD. num Primi Parentes, vel aliquis posterorum in statu Innocentiæ existentium, si commisissent aliud aliquod peccatum mortale, à peccato inobedientiæ, seu esûs fructûs vetiti distinctum, præter gratiam sanctificantem, etiam amisissent saltem recuperabiliter immortalitatem, totamquè Justitiam originalem; an verò eandem aliqua ex parte retinuissent. Ego in hac quæstione, quæ meris conjecturis innititur, probabiliter puto non fuisse totam illam Justitiam amissam, saltem irrecuperabiliter. Moveor ad hoc, quia videtur consentaneum Divinæ misericordiæ, ut delinquentibus in statu Innocentiæ circa alias leges, non tam ardua pœna infligeretur, sicut delinquentibus circa præceptum vetiti fructûs, quod DEUS tulit Primis Parentibus in signum sui summi dominij super creaturam rationalem humanam, & debitæ subjectionis ejusdem. 6. *Per aliud peccatum quam esus vetiti non fuisset tota Justitia originalis amissa.*

 Dico

7. *Quamdiu duraverit status Innocentiæ.* Dico tertiò: Status Innocentiæ primævæ Protoparentum non adeò longô tempore duravit. Ita communior TT.

Probatur: quia ita colligitur ex invidia Diaboli, quâ creditur statim machinatum fuisse lapsum Protoparentum, & consequenter exterminium status Innocentiæ; de qua invidia dicit Scriptura Sap: 2. *invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Itaque quidam DD: arbitrantur felicissimum illum statum ejusquè incolatum in Protoparentibus ultra sex horas non fuisse protractum. Alij ejus durationem extendunt ad unum diem naturalem. Alij, & signanter quidam SS. PP: eum protrahunt paulò ampliùs, fundantes se in S. Genesi, narrante varia, quæ spatiô unius diei naturalis vix credibile est peracta fuisse; quare quidam eorum volunt illum statum durâsse saltem tribus diebus; quidam octô; quidam planè triginta: Ego in re planè incerta puto, eum nec valde notabili tempore v. g. triginta dierum perstitisse; cùm hujus nullum extet fundamentum; & quia aliàs à copula conjugali non abstinuissent primæ Incolæ ejus, à qua tamen abstinuerunt secundùm communem DD: sensum: nec etiam tam citò terminatum fuisse spatiô paucarum horarum, vel dierum, cum & hujus terminationis nulla apparens ratio possit asferi: fors duravit dies sex naturales; ùt videlicet Adam feriâ sextâ creatus justus, vertente iterum feriâ sextâ lapsus sit, spoliatusquè omni Justitiâ, ac proinde eâdem feriâ quoquè exturbatus ab illo felicissimo statu, & Paradiso.



DISTINCTIO III.

De Statu lapsûs Primorum Hominum.

QUÆSTIO I.

De tentatione Evæ; ejusquè lapsu.

1. *Eva fuit verè tentata à Diabolo.* DICO primò: Eva præviè ad lapsum esûs de fructu vetito tentata fuit à Diabolo sub specie Serpentis. Ita communis SS: PP: TT: & Interpretum.

Probatur authoritate S. Scripturæ: Nam Gen: 3: Evæ tentatio exprimitur illis verbis, *sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus DEUS; qui dixit ad Mulierem, cur præcepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno Paradisi,* &c. *dixit autem Serpens ad Mulierem, nequaquam morte moriemini; scit enim DEUS, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, scientes bonum & malum.* In eandem doctrinam conspirant unanimiter SS: PP: Ergo &c.

2. *Serpens tentationis Evæ fuit verum animal.* Dico secundò: Serpens, sub cujus specie Diabolus Evam tentavit, fuit verus realis, & physicus Serpens; de specie nostrorum colubrorum probabiliter. Prima pars est communis SS: PP: & TT: contra Origenem, & Cajetanum asserentes, in illa Evæ tentatione nullum prorsus realem Serpentem intervenisse; & serpentis nomine metaphoricè ibi intelligi ipsum Diabolum; & contra Cyrillum, arbitrantem illum Serpentem fuisse solùm apparentem similitudinem alicujus veri serpentis. Secunda est contra aliquos, qui autumant eum fuisse de specie Basiliscorum; & alios, qui putant eum fuisse de sorte Draconum.

Probatur prima pars: Realitatem alicujus veri, & physici Serpentis probant circumstantiæ variæ in S. Scriptura expressæ, dum nimirum appellatur *callidior cunctis animantibus terræ,* ad quorum numerum tanquam pars comparata spectabat: dum maledicitur à DEO, *ut gradiatur seu repat super pectus suum,* utique physicum: ut *comedat terram,* utique ore physico, eam rodendo, lambendo, & deglutiendo: ut *insidietur calcaneo Mulieris:* quæ & similia, animantibus realibus, veris, & physicis propriè convenire dicuntur: Ergo Serpens, sub cujus specie Diabolus Evam tentavit fuit verus, realis, & physicus Serpens.

Probatur

3. *De genere Colubrorũ.* Probatur ſecunda pars: Tum quia proprietates colubri maximè ſunt ſymbolæ, & quadrant Diabolo, puta calliditas ſingularis, fœditas, tortuoſitas, & ſqualor totius corporis. Tum quia coluber eſt magis vulgaris, & ordinarius ſerpens, magiſquè propriè nomen ſerpentis in Scriptura poſiti illi convenit. Tum quia coluber ſuæ pellis mirâ variegatione, & notularum in tergo diſtinctione magis alliciebat fœminam curioſam ad ſui aſpectum, & colloquium: Ergo ſub ejus ſpecie probabiliter Diabolus tentavit Evam.

4. *Cur Serpens dicatur callidior cunctis animantibus.* Nota autem primò: Serpentem hunc, ſeu colubrum â Scriptura *cit:* dici *callidiorem* (alij legunt, *ſapientiorem*) *cunctis animantibus terra*; quia nimirum, ùt diſcurrit S. Auguſtinus *lib: 11. de Gen: ad litt: cap: 2.* callidô alienô Spiritu, id eſt Diaboli, qui callidiſſimus, & ſapientiſſimus eſt, agebatur, ùt mox dicam; *quantumlibet enim*, inquit *cit:* Pater, *prævaricatores Angeli ſupernis ſedibus ſua perverſitatis, & ſuperbia meritò dejecti ſint; naturâ tamen excellentiores ſunt omnibus beſtiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum ſi ſuô inſtinctu Diabolus jam implens Serpentem, eiquè Spiritum ſuum miſcens, eô more, quô Vates Dæmonium implere ſolet, ſapientiſſimum eum reddiderat omnium beſtiarum ſecundùm animam vivam?*

5. *Diabolus realiter ſe infudit Serpenti.* Dico tertiô: Diabolus ſecundùm ſuam realem præſentiam corpori Serpentis ſeſe infudit, oſquè, & linguam ejus in ordine ad edendas voces quaſi humanas tẽtationi inſervientes, movit.

Probatur *primò* authoritate D. Auguſtini; *lib: 11. de Gen. ad litt: cap: 27.* dicentis, *Diabolus in Serpente ipſe locutus eſt, utens eô velut organo, movenſquè ejus naturam eô modô, quô verè ille movere illa potuit ad exprimendos verborum ſonos, & ſigna corporalia, per quæ Mulier ſuadentis intelligeret voluntatem. Secundò*; quia Diabolus taliter ſe infundendo poterat aptiùs ſuos actus, ſollicitationem, motus blanditiarum, geſticulationum & girationum affabilium, totamquè demum tentationem perficere: Ergo Diabolus ſecundùm ſuam realem præſentiam corpori Serpentis ſeſe infudit, oſquè, & linguam ejus (ſicut olim Angelus Aſinæ Balaam) movit.

6. *Congruentia, cur Diabolus tentaverit* Nota autem ſecundò congruentias varias morales, ob quas Diabolus aſſumpſerit pro ſuæ tentationis circa Evam peragendæ inſtrumento Serpentis ſpeciem & naturam: *Primò, ratione operis*, inquit S. Bonaventura *2. diſt: 20. art: 1. q: 2. quia enim tentatio fiebat, & ſuggeſtionis ingreſſus, quæ intrat ad cor ad motum Serpentis, & ibi virus peccati diffundit, ex quo homo habet ſpiritualiter mori; ideo ut exterior effigies operi reſponderet interiori, congruum fuit Hominem à Diabolo tentari in effigie Serpentis, cujus eſt ſerpere, & venenum diffundere, & diffundendo hominem interimere. Secundò, reſpectu finis intenti congruum erat; quia enim intendebat Diabolus faciem Hominis, & caput, & ſuperiorem mentem convertere deorſum, & totum proſternere, & ſic proſternendo ad malum finem deducere, proponendo ſibi præmium aliquod delectabile; ideo permiſſus eſt tentare in Serpente, qui ſecundùm totum corpus ſuum habet terræ in ſuo inceſſu adhærere.* Principalis autem ratio, cur Diabolus formam potius Serpentis, quàm alterius animalis aſſumpſerit, fuit tum propria voluntas Diaboli reſolventis ſe ad ejuſmodi aſſumptionem, eò quòd arbitraretur ſe ſub ea plùs profecturum in tentatione: Tum Divina permiſſio. *Evam ſub ſpecie Serpentis.*

Nota tertiò: Duo maximè fuiſſe motiva, quibus ferebatur Diabolus ad tentandum Evam, & eâ mediante deinde Adamum: videlicet Superbiam, & Invidiam ingentem; nam Dæmon propriam ſuam excellentiam inordinatiſſimô amore proſequebatur, ut idcirco etiam exciderit à ſupernis ſedibus, ùt habet D. Auguſtinus *lib: 11: de Gen: ad lit: cap: 14.* exquè tali amore ſuperbiâ intumuit regnandi ſuper omnem creaturam, atque ſic Primos Parentes ſub ſuam poteſtatem redigendi. Ex qua Superbia illico naſcebatur Invidia, quâ varia beneficia Adæ à DEO conceſſa invidebat eidem; puta quia illum conſtituerat Monarcham & Rectorem totius Mundi, ùt habet Athanaſius Synaita *cap. 4.* Item quia natura humana ex ejus propagine deſcendens aliquando aſſumenda eſſet à Verbo Divino, ùt habet S. Auguſtinus, & complures alij PP: Item quia cognovit hominem aliquando occupaturum illam ſedem beatitudinis cœleſtis, de qua ipſe fuerat deturbatus, unde Ambroſius *lib: de Parad: c. 12.* in illum paſſum *Sap: 2. invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum*, ſcribit, *invidia autem cauſa beatitudo Hominis in Paradiſo poſiti; & ideo quoniam ipſe Diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit Homini, eò quòd figuratus è limo, ut incola Paradiſi eſſet, electus eſt.* 7. *Motiva Diaboli de tentandis Protoparentibus.*

Nota

8. *Diabolus locutus est Hebraicè in tentatione Evæ.* Nota quartò: Diabolum sub forma Serpentis tentantem, & alloquentem usum fuisse linguâ Hebraicâ. Ratio est; quia hæc probabiliter fuit primæva lingua omnium hominum; uti sentiunt communiter Interpretes; & colligitur inde; quia Moyses texens S. Genesim seu Chronologiam Mundi in lingua Hebraica dicit Gen: 2. *omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Et hoc ipsum ostendit Etymologia Hebraica nominum, Primis Parentibus, eorumquè filijs inditorum.

9. *Quo loco, & tempore contigerit colloquium Evæ cum Serpente.* Nota quintò: Colloquium Evæ cum Serpente seu potiùs cum Diabolo infuso in speciem Serpentis contigisse in ipso Paradiso; uti communis SS: PP: & TT: docet contra Rupertum *lib: 3. de opere Trinit: cap: 2.* Et probabiliter Adamo absente, & in aliqua alia Paradisi parte occupato in consideratione cœlestium orbium, totius naturæ, aut in contemplatione ipsiusmet Creatoris omnium, ùt discurrit hic P. Frassen. Hôc enim modò Diabolus commodam nactus est occasionem fœminam velut vas fragile, solitarium, & minùs solidum ad resistendum ad casum proclivius, ignobilius ex constitutione corporis, & animæ, citiùs dejiciendi, & decipiendi; & hâc mediante deinde Adamum, quem utpote in donis naturalibus perfectiorem, firmioremquè sibi non fidebat aggredi, nisi per Mulierem, quam ei dederat Dominus adjutorium simile, quamquè Adam tenero amore uxorio prosequebatur.

10. *Eva comedit de ligno vetito.* Dico quartò: Eva tandem consensit suggestioni, & tentationi Serpentis, prævaricataquè est legem Divinæ Obedientiæ edendo de fructu vetito scientiæ boni, & mali; quod tamen peccatum non fuit primum Evæ. Prima pars est communis SS: PP: & TT.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ: nam de hujusmodi prævaricatione dicitur Gen: 3. *vidit igitur Mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit:* Ergo &c.

11. *Hæc tamen comestio non fuit primum peccatum.* Probatur secunda pars authoritate S. Augustini *lib: 11. de Gen: ad litt: cap: 30.* dicentis, *neque enim verbis Serpentis crederet Mulier, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio*: ex quibus verbis colligitur, Evam ante actualem esum fructûs vetiti jam habuisse inordinatum peccaminosum amorem, seu complacentiam sui ipsius, quam DD: Sholæ nostræ Scotisticæ post Doctorem Subtilem appellant philautiam; ex qua illico sequebatur superbia, quâ intumuit Mulier, affectans excellentiam Divinitatis, sive simpliciter quoad omniscientiam, eò quòd dixerat Serpens Gen: 3 *eritis sicut Dy scientes bonum & malum*; sive secundùm quandam similitudinem, & participationem etsi inferiorem scientiâ Divinâ: Ergo esus de fructu vetito arboris scientiæ boni, & mali non fuit primum Evæ peccatum.

QUÆSTIO II.

De Lege primordiali Protoparentibus data; & lapsu Adæ.



1. *Lex primordialis Dei.* DICO primò: DEUS præfixerat Protoparentibus recenter creatis Legem primariam quamdam sub mortali obligantem, de non comedendo fructum arboris scientiæ boni, & mali. Ita communis SS: PP: TT.

Probatur: Tum authoritate Sanctæ Scripturæ; nam Gen: 2. dicitur Adamo, & in eo etiam Evæ Conjugi Adami, *ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Tum authoritate SS: PP: eandem legem dogmatizantium; unde Tertulianus *lib: adversus Judæos cap: 1. primordialis lex est enim data Adæ, & Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum DEI; si enim DEUM suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: si proximum diligerent, id est semetipsos, persuasioni Serpentis nòn credidissent, atque ita in semetipso homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra DEI præceptum*, &c. Circa ejusmodi Legem.

2. *Causa legis primordialis.* Nota primò: DEUM varijs de causis Legem istam primordialé statuisse. *Primò*, ut DEUS ostenderet se habere supremam potestatem, ac dominium Protoparentum; imo & se esse Dominum, ac Monarcham totius generis humani, omnigenâ potestate, & maximè legislativâ prædictum, ut disertè docet

docet S. Chrysostomus *hom: 16. in Gen:* inquiens, *parvò illò præceptò suum in ipsum* (scilicet hominem) *dominatum ei voluit ostendere. Secundò*, ut Protoparentes cognoscerent sibi non ex naturali conditione; sed singulari DEI beneficiô Paradisi incolatum fecilissimum, aliaquè beneficia corporalia, & spiritualia ab aliqua causa superiori, DEO scilicet, qui præcipere potest omni creaturæ à se dependente, [illegible] esse elargita; unde Basilius Seleuc: *orat: de Adamo, cùm prohibentem intelligis, largitorem unà noveris. Tertiò*, ut DEUS Protoparentum obedientiam, quam DEO ut Authori naturæ, & primo principio præstare tenebantur probaret, atque deinde præmiaret confirmatione gratiæ sanctificantis, & Justitiæ originalis; unde D. Augustinus *lib: 1. contra adver: leg: & Proph: cap: 14. præceptum illud leve ad observandum, tam breve ad memoriam retinendum datum est Primis Parentibus, ut obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus, & ut sic dixerim omnium origo, materquè virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris.*

3. *Mors denunciata est transgressoribus legis primæ.* Dico secundò: Trangressoribus primordialis legis Divinæ à DEO denunciata fuit mors, & quidem tam animæ, quàm corporis. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; quia Gen: 2. *in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris;* quæ locutio etsi principaliter ad solum Adam directa sit; ipsam tamen etiam Evam affecit, uti sentiunt communiter SS: PP: unde S. Gregorius *lib: 6. Epist: 31.* hunc textum in plurali citat sic, *in quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini:* Ergo &c. Huc etiam facit ille passus Apostoli ad Rom: *per unum Hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.*

4. *Tum animæ.* Probatur secunda pars authoritate SS: PP: mortem illam denunciatam extendentium ad mortem spiritualem animæ; unde Gregorius qui *lib: 6. 31.* ait, *si enim Ada, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est, in quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini?* Eandem doctrinam habet Origenes *hom: 15. in Gen:* Et Rupertus *lib: 2. de vict: Verbi DEI cap: 2.* Ergo transgressoribus Legis primordialis Divinæ à DEO denunciata, fuit mors animæ. Consistit autem hæc mors animæ, tum in desertione ejusdem à DEO tum in amissione gratiæ, Justitiæ originalis, & gloriæ æternæ.

Probatur tertia pars: Tum authoritate S. Scripturæ textum illum comminatorium de morte corporis explicantem *cap: 3.* illis verbis, *donec revertaris in terram, de qua sumptus es, & in pulverem reverteris.* Tum authoritate SS: PP: unanimiter, & principaliter illam mortem à DEO comminatam transgressoribus legis primordialis intelligentium de morte corporis; idcirco ait D. Augustinus *lib: 9. de Gen: ad litt: cap: 10. mox ubi præceptum transgressi sunt, eorum membris velut aliqua ægritudo lethalis mors ipsa concepta est.* Idem docet S. Chrysostomus *hom: 17. in Genesim.* 5. *Tum corporis.*

Dico tertiò: Adam proh dolor, revera actu transgressus est Legem primordialem DEI, atque ita mortaliter lapsus. Ita communis SS: PP; & TT: 6. *Adam fregit Legem primordialem.*

Probatur: Tum authoritate Sanctæ Scripturæ hujusmodi transgressum, & lapsum asserentis Gen: 3. *cap: vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit; deditquè Viro suo, qui comedit.* Tum authoritate Tridentini *sess: 5. de peccat: orig: can: 1.* dicentis, *si quis non confitetur, Primum Hominem Adam, cùm mandatum DEI in Paradiso fuisset transgressus*, &c. Ergo &c.

Dico quartò: Esus fructûs vetiti à Muliere accepti non fuit primum Adæ peccatum; sed inordinatus amor uxorius. Ita Scotus *2 dist: 21. q: 2.* & Scotistæ, cum S. Bonaventura, Arriaga &c. 7. *Esus pomi non fuit primum Adæ peccatum.*

Probatur authoritate S. Augustini dicentis *lib: 11. de Gen: ad litt: cap: 47.* Adam peccâsse parendo Evæ in esu fructûs vetiti ex benevolentia, & amore conjugali; *noluit Adam*, inquit, *Evam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere; sed ab ejus alienaretur animo, & omninò illâ interire discordiâ; non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum in membris suis senserat; sed amicabili quâdam benevolentiâ, quâ plerumquè fit, ut offendatur DEUS, ne homo ex amico fiat inimicus; quod enim facere non debuisse Divinæ sententia justus exitus indicavit.* Lege eundem *lib: 14. de Civ: cap: 11.* sed istud peccatum amoris inordinati, ex quo Adam paruit Uxori, fuit priùs ipso actuali esu fructûs vetiti: Ergo inordinatus amor Adæ erga Uxorem fuit primum Adæ peccatum.

Dico

8. *Peccatum esus Adæ fuit gravissimum ob damna.*

Dico quintò: Peccatum prævaricationis Adæ circa fructum vetitum fuit gravissimum ratione damni per illud illati. Ita S. Bonaventura, & alij TT:

Probatur: Peccatum prævaricationis Adæ circa fructum vetitum fuit causa, ut tota ejus posteritas careret Justitia originali, incideret in mortem tum corporis tum animæ, juxta Apostolum ad Rom: 5. dicentem, *per unum Hominem peccatum intravit in hunc Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt; in quo omnes peccaverunt.* Et Tridentinum *sess: 5. de peccat: origin: can: 2.* Occasione insuper hujus prævaricationis eidem posteritati accidunt complura alia mala, ærumnæ, & calamitates ægritudinum, ignorantiarum, famis, sitis, aliarumquè passionum: Ergo peccatum prævaricationis Adæ circa fructum vetitum fuit gravissimum ratione damni per illud illati.

9. *Peccatum Evæ sub aliqua considerat. fuit gravius, quam Adæ.*

Dico sextò: Si spectetur natura intrinseca prævaricationis Evæ, hujus peccatum fuit longè gravius peccatô Adæ, si verò attendantur quædam peculiares circumstantiæ prævaricationis Adæ, ejus peccatum fuit gravius peccatô Evæ, Prima pars est Scoti *2. dist: 21. q: 1. S.* Bonaventuræ, S. Thomæ, & communis TT: contra Cajet: & Bellarm: Secunda communis TT:

Probatur prima pars: Tum authoritate S. Chrysostimi ita sentientis. Tum ratione Scoti *cit*: quia Eva prævaricata est appetendo, & ambiendo aliquam cum DEO æqualitatem saltem in omniscientia boni, & mali; ut dixi *priori quæst:* quod secundùm naturam suam intrinsecam, & speciem est gravissimum peccatum, utpotè tangens immediatè excellentiam soli DEO debitam. Adæ autem peccatum, puta amor uxoris non erat ejusmodi: Ergo si spectetur natura intrinseca prævaricationis Evæ, hujus peccatum fuit longè gravius peccatô Adæ.

10. *Sub alia verò gravius fuit Peccatum Adæ.*

Probatur secunda pars: Malitiam prævaricationis Adæ auxit peculiaris circumstantia personæ illam comittentis, quæ singularem habebat eminentiam, excellentiam, & dignitatem, atque idcirco magis obligabatur ad præcavendum peccatum. Item circumstantia perfectæ & distinctæ notitiæ præcepti sibi dati; & fortitudinis atque possibilitatis resistendi tentationi, quâ præditus erat Adam. Item circumstantia ingratitudinis exercitæ erga DEUM, à quo [illegible] gratia[illegible] capite totius generis humani, Justitiam originalem, immortalitatem, aliáque complura beneficia tum animæ, tum corporis acceperat. Item circumstantia læsionis, eo quòd ut *priori concl:* ostendi, toti posteritati nocuerit in bonis corporalibus, & spiritualibus: Ergo si attendantur quædam peculiares circumstantiæ prævaricationis Adæ, ejus peccatum fuit gravius peccatô Evæ.

11. *Quo sensu aperti sint oculi Protoparentum post peccatum.*

Nota secundò: S. Genesim *cap: 3.* referre, quòd post perpetrationem peccati utrinque *aperti sint oculi amborum*: per quod non datur intelligi Protoparentes ante esum fructûs vetiti fuisse cæcos, & deinde consumatô esu primò visum accepisse: sed insinuatur eos accepisse tunc notitiam novam de ingenti malo, in quod inciderant ratione talis esûs, dum scilicet adverterent illicò in se rebellionem partis sensitivæ, quam ante esum, etsi nudi essent, secumquè morarentur, non advertebant; unde nec de tali nuditate erubescebant, sicut statim post rubore suffundebantur, exortâ subitâ libidine membrorum; unde Augustinus *14. de Civ: cap: 17. nudi erant, & non confundebantur, non quòd eis sua nuditas esset incognita; sed turpis nuditas nondum erat; quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat - - - patebant ergo oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti ut cognoscerent, quid eis indumentô gratia præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant*, &c.

QUÆSTIO III.

De Pœnis lapsum subsecutis in Protoparentibus, Posteris, & Serpente.

1. *Pœna à DEO inflicta Evæ.*

DICO primò: Matri omnium viventium Evæ priùs peccanti, totiquè ejus posteritati fœmineæ, priùs quoque à DEO interminatæ sunt pœnæ sequentes, nimirum multiplicatio ærumnarum in multitudine conceptuum, dolor in partu; & subjectio sub potestate viri. Ita communis SS: PP: & TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ pœnas Evæ inflictas referentis; unde dicitut

unde dicitur Gen: 3. *Mulieri quoque dixit* (subintellige DEUS) *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quas tres pœnas expendens Rupertus *lib: 3. de Trin: cap. 22.* dicit eos correspondere tribus peccatis commissis ab Eva, inquiens, *nam quia Serpenti credidit dicenti, eritis sicut Dij justè ipsa* (scilicet Eva) *contra hoc quòd DEUS vivorum est, & non mortuorum, non vivorum, sed mortuorum Mater esse meruit dicente DEO, multiplicabo conceptus tuos; omnes enim conceptus ejus animâ, & corpore in peccato moriuntur - - - Item quia visâ illius arboris pulchritudine intemperanter fructum ejus expetijt; pro illo visûs delectamento contrarius redditur uteri dolor, in dolore, inquit, paries. Tertiò quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit, idcirco sub viri potestate, inquit, eris, & ipse dominabitur tui: ita pro seductione conceptuum multiplicitas; pro gulæ oblectamento uteri dolor; pro temerario imperio & scandalo, quod viro exhibuit, servitus viri pœna reddita est.*

2. *Pœnæ Adamo inflicta sunt variæ.*

Dico secundò: Deinde totius generis humani Patri Adæ lapso, ejusquè toti posteritati virili, sequentes à DEO Vindice pœnæ injunctæ sunt, videlicet maledictio terræ in ipsius laboribus; spinarum, & tribulorum germinatio in ea, & victûs parcitas, labor atque sudor. Ita SS: PP: & communis TT.

Probatur authoritate S. Geneseos *cap: 3.* dicentis, *Adæ verò dixit* (scilicet DEUS) *quia audisti vocem Uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in sudore vultûs tui vesceris pane:* Ergo &c.

Dico tertiò: Alijs quoque pœnis communibus uterque Protoparens ac tota posteritas mulctata fuit, puta privatione gratiæ sanctificantis, recuperabilis tamen; subtractione Justitiæ originalis irrecuperabilis, debitò mortis corporalis & spiritualis, expulsione, & perpetua exclusione à Paradiso, obligatione ad captivitatem seu pœnam æternam, ni pœnitentia sequatur; omnis generis pœnalitatibus, ab alimentis alijsquè creaturis subeundis, cujusmodi sunt æstus, frigus &c. Variæ passiones corporis v. g. fames, sitis, similesquè dolores; & mentis, v. g. ignorantia, dependentia à phantasmatibus, timor, mœror &c. Item in posteris peccato originali, cum suis effectibus annexis, &c. Et tandem ruina totius hominis in pejus, Ita communis TT.

3. *Item privatio Gratiæ Habitualis, & Justitiæ originalis.*

Probatur *de privatione gratiæ sanctificantis, & Justitiæ originalis*; quia ita dogmatizat Tridentinum *sess: 5. in Decreto de pecc: orig: can: 1. si quis non confitetur Primum Hominem, cùm mandatum DEI in Paradiso fuisset transgressus statim Sanctitatem, & Justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, &c. anathema sit.* De debito mortis corporalis, & spiritualis patet abunde ex dictis suprà *quæst: 2. concl: 2.*

4. *Item perpetua exclusio à Paradiso.*

Probatur *de perpetua exclusione à Paradiso* ex illo Gen: 3. *& misit eum Dominus DEUS de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua assumptus est, ejecitquè Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, stabiliter scilicet, & in perpetuum, uti patet ex postfacto; cùm nullibi legatur Adamum in illum ampliùs admissum fuisse.

5. *Obligatio ad pœnam æternam.*

Probatur *de obligatione ad captivitatem seu pœnam æternam*; quia ita sentit Tridentinum *cit: si quis non confitetur Primum Hominem - - - incurrisse per offensam prævaricationis hujusmodi iram, & indignationem DEI, atque ideo mortem, quam ante illi comminatus fuerat DEUS, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, &c. anathema sit.*

6. *Variæ aliæ pœnalitates corporis.*

Probatur *de varijs pœnalitatibus æstûs, frigoris, famis, sitis, mœroris, ignorantiæ*, &c. Has, & similes afflictiones in Adam post lapsum, & posteris ejus repertas originem habere ex peccato originali, esseque pœnas ob ejus comissionem justè inflictas à DEO, testantur passim SS: PP: Augustinus, Tertulianus, Basilius, Gregorius, nec eas fuisse ullô modô in Adam si perseverâsset in Innocentia, & Paradiso stetisset; unde Sanctus Bernardus *serm: 35. in Cantica; habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat*, &c.

7. *Tradux originalis peccati in posteros.*

Probatur *de peccato originali posterorum*; quia ita deciditur in Tridentino *cit: can: 3. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inestquè unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius Mediatoris DEI nostri JESU Christi*, &c. *anathema sit.* Quæ

peccati originalis in poſteros propagatio inſinuatur quoque illis verbis Apoſtoli ad Rom: *5. per peccatum mors, & ita in omnes homines mors* (utique etiam animæ) *pertranſijt.*

8. *Et ruina totius hominis in pejus.* Probatur tandem *de ruina totius hominis*; ex illo Tridentini *cit: can: 1. Si quis non confitetur - - - totum Adam per illam prævaricationis offenſam, ſecundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit*: Ergo omnibus pœnis in Couclusione memoratis mulctatus eſt uterq; Protoparens, & tota ejus poſteritas. Circa ultimum articulum quæſtionis.

9. *Pœna Serpentis.* Nota primò: Serpenti tentatori Protoparentum ſequentes â DEO pœnas fuiſſe inflictas Gen: 3. *quia feciſti hoc maledictus es inter omnia animantia, ſuper pectus tuum gradieris; & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ: inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum*, &c. Has pœnas putant plures SS. PP: non naturali Serpenti, qui fuit organum tentationis, ſed myſtico, puta Diabolo formaliter tentanti inflictas fuiſſe, ita ut totus iſte textus non litteraliter, ſed allegoricè ſit accipiendus. Ita D. Auguſtinus *in lib: de Gen: ad litt:* Et D. Gregorius. Sed rectiùs tenetur, ejuſmodi pœnas utrique Serpenti â DEO fuiſſe denunciaras: ſic enim in hoc ſalvatur etiam ſenſûs litteralis Geneſeos, ſicut in alijs propoſitionibus *eod: cap:* repertis.

10. *Pœnæ Serpentis allegoricè exponuntur.* Nota itaque ſecundò: Etſi Serpenti naturali jam ab initio ſuæ productionis greſſus ſuper pectus, & comeſtio terræ fuiſſent indita, & connaturalia; poſtea tamen quia fuit inſtrumentum Diabolicæ tentationis, â DEO maledicente decreta fuerunt in pœnam, ut ſic ipſe Dœmon ad conſiderationem Serpentis ſuper pectus gradientis, & terram comedẽtis novô dolore affligeretur; eô fermè modò, quô peritꝰ impeditꝰ Muſicus, dũ videt aliquod ſuũ inſtrumentũ muſicale, quô priùs commodè uſus fuerat, affligitur. Applicari etiam poteſt allogoricè Serpenti myſtico, id eſt Diabolo illa maledictio; ita ut ipſe *ſit maledictus inter beſtias terræ*; quia quidquid in beſtijs cernitur obſcænum, turpe, fraudulentum, & truculentum; id totum in ſe ſpiritualiter habet Diabolus. *Ipſe ſuper pectus graditur*, ſeu ut alij legunt *ſuper ventrem* carens pedibus; vel quia homines incendit ad libidinem, quæ per pectus, ſeu ventrem deſignatur; vel quia nunquam ſe erigit ad virtuoſam aliquam operationem. *Comedit terram cunctis diebus vitæ ſuæ*; quia homines terrenos terrenis deſiderijs, & actibus implicans, eos quodammodo comedit veluti terram, ùt gloſſat hic S. Gregorius. *Sunt inimicitiæ* inter ipſum, & Eccleſiam, horumquè filios; quia Electi Eccleſiæ conterunt caput Dæmonis, Eccleſiam, & Sancta ejus membra variè impugnantis; & Dæmon inſidiatur Eccleſiæ calcaneo, dum machinatur Sanctorum intoxicationem & ruinam per ſuggeſtiones peccaminoſas. Hoc ultimum dictum Geneſeos SS: PP: & TT: etiam in ſenſu myſtico exponunt de Beata Virgine Maria conterente per Filium ſuum caput Serpentis infernalis, quando redemptum eſt genus humanum.

QUÆSTIO IV.

De Incolatu Protaparentum tempore exilij, eorumquè pœnitentia; & Salvatione.

DICO primò: Probabiliùs Protoparentes in exilium acti poſthac ſtabiliter incoluerunt plagam Judææ ſeu Palæſtinæ. Ita plerique Interpretes. 1. *Protoparentes exules inhabitarunt Paleſtinam.*

Probatur authoritate SS: PP: Concluſionem aſſerentium; ſignanter S. Baſilij *in cap: 5. Ezechiel:* ſcribentis, *obtinuit fama quadam in Eccleſia memoriam conſervans non ſcriptò proditam, quæ eſt talis, quòd prima utique Judæa Hominem habebat Incolam, nimirum Adam, ſimulatque excidis delitijs Paradiſi, in hac terra collocatum, ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus.* Unde S. Hieronymus, & cum eo Toſtatus, Rupertus, & alij DD: tradunt quoque Adam in eadem plaga mortuum, extarequè adhuc ſepulchrum eùis, puta in monte Calvariæ, â Calvaria Adæ in monte illo inventa ſic dicto, ùt habet Tertulianus *in carmine contra Marcion:* Et Hieronymus *epiſt: 17. ad S. Marcellam:* Et S. Cyprianus *ſerm: de Reſurrect: Chriſti.* Et Origines *tract. 35. in Matth:* Et Chryſoſtomus *hom: 24 in cap: 19. Joannis.* Et Auguſtinus *ſerm: 71. de tempore* dicentis, *etiam hoc antiquorum relatione refertur,*

quòd

quòd & Adam primus Homo in ipso loco, ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Calvaria locum dictum esse.

2. *Adam pœnituit, & salvatus est.* Dico secundò: Protoplastes Adam prævaricationem suam esûs de ligno vetito, aliaquè connexa jugi pœnitentiâ ita expiavit, ut tandem consecutus sit à DEO veniam, & salutem æternam. Ita communis SS: PP: & TT:

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam Sap: 10. dicitur, *hac illum, qui primus formatus est à DEO Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo*, scilicet esûs de ligno vetito, & à fortiori ab alijs connexis minoris considerationis: Ergo &c.

Probatur secundò traditione totius Ecclesiæ; & authoritate SS: PP: doctrinam Conclusionis veluti inconcussam Traditionem tenentium; ùt videre est apud Irenæum, Epiphanium, & Augustinum *epist: 99.* scribentem, *de illo quidem Primo Homine, Patre generis humani, quòd Christus, cùm descendit ad inferos, inde eum liberaverit, Ecclesia ferè tota consentit, quòd eum non inaniter credisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas: quanquam illud. quod in libro Sap: cap: 10. scriptum est, hac (nempe Sapientia Divina) illum, qui primus factus est à DEO, Patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, hoc in quam quod scriptum est, magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio intellectu facere videtur:* Ergo Protoplastes Adam prævaricationem suam esûs de ligno vetito aliáque peccata expiavit usque ad consecutionem veniæ, & salutis æternæ.

Dico tertiò: De Evæ quoque pœnitentia, & finali salute non est dubitandum. Ita communior Interpretum, ac TT: 3. *Eva quoque est salvata.*

Probatur: Tum quia ita sentiunt plures SS. PP Augustinus, Anselmus D Tertulianus, causam *lib: 3. adversus Marcion:* reddens; *quia videlicet ideo nec maledixit ipsum Adam, & Evam, ut restitutionis* (scilicet ad gratiam, & consequenter ad gloriam) *candidatos.* Tum quia ita constat ex stabili Ecclesiæ Traditione, quam perpetuam facit Estius *dist: 33. § 10.* Tum quia præsumendum est de Divina misericordia, quòd utrumque Protoparentem totius generis humani seminarium primum, & perfectissimas creaturas intellectuales sublunares, amicos olim, & selectos incolas terræ felicitatis Paradisiacæ, præstitâ sufficienti pœnitentiâ tandem salvaverit; & cœlestis Paradisi felicitati insetuerit.

DISTINCTIO IV.

De Statu puræ naturæ Hominis.

QUÆSTIO I.

De Possibilitate Statûs naturæ puræ.

1. *Quid sit status pura natura.* NOTA primò: In præsentiarum per *statum puræ naturæ* TT: intelligere quendam statum medium inter statum Innocentiæ, seu Justitiæ originalis, quem possedit Adam, & inter statum naturæ lapsæ, in quem incidit Adam cum tota sua posteritate post esum fructûs vetiti; de ejus ratione proinde esset, ut natura humana in eo posita possideret omnimodam suam perfectionem naturalem, puta substantiam undequaque completam, potentias operatrices expeditas, paratum concursum auxiliarem DEI ad operandum; careret tamen omni donô supernaturali ad finem supernaturalē conducente; peccatô quoque originali, ac pœnis ejusmodi peccato debitis; à qua carentia vocatur hic status puræ naturæ, id est, dicens negationem eorum omnium, quæ ad naturalem hominis constitutionem, & ordinem non spectat.

2. *Nec fuit, nec erit status* Nota secundò: Ejusmodi statum pro nullo hominum defactò condito-rum

puræ naturæ

rum à DEO fuisse præparatum; neque probabiliter præparatum iri. Ratio primi est; quia defacto in rerum natura teste S. Scripturâ CC: & SS: PP: non fuit nisi status Justitiæ originalis, in quo ad modicum tempus steterunt Protoparentes; & status naturæ lapsæ, in quo residuum vitæ iidem homines, & ejus omnes posteri transegere. Ratio secundi; quia juxta Scripturam & Trident: *sess:5. de peccat: orig:* omnes homines aliquando nascituri, nascentur filij iræ, infecti videlicet peccato originali, adeoque omnes extorres statûs puræ naturæ.

3. *Possibilis tamen est secundum definit. Ecclesiæ.*

Dico primò: Respiciendo tamen potentiam DEI absolutam possibilis est status puræ naturæ, in quo primus homo creari potuisset in puris naturalibus. Ita Scotus *2 dist:28. quæst: unic: num: 7.* Et D. Thomas *q: 4. de malo, art: 1. ad 14.* communis TT: *contra Lutherum in cap: 3. Gen.* Et Calvinum *lib. 1. Instit: cap: 15.* Item contra Michaëlem Bajum ejusquè sequaces.

Probatur primò definitione Summorum Pontificum Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. damnantium inter cæteras propositiones Michaëlis Baij, etiam illam 79. *falsa est Doctorum sententia, Primum Hominem potuisse à DEO creari, & institui sinè Justitia originali;* quâ propositione Bajus negat possibilitatem statûs puræ naturæ, seu sinè Justitia originali primi Hominis: Ergo Summi Pontifices eam damnantes sentiunt illum esse possibilem.

4. *S. Augustinum.*

Probatur secundò authoritate S. Augustini, quem Sectatij quidam Recentiores Baij tantò studiò in sententiam pellicere conantur, docentes cum eo gratiam, & Justitiam, aliaquè dona primo Homini collata fuisse debita integritati primævæ conditionis illius, ac proinde naturalia, non verò supernaturalia dicenda, consequenterquè Adam sinè ipsis non potuisse creari, in aliquo statu puræ naturæ: Probatur inquam, ex Augustino; nam 15. *lib: 6. de Gen: ad litt: cap:* 27. docet donum immortalitatis Adamo in statu Innocentiæ præstandum fuisse *de ligno vitæ; non de constitutione naturæ;* quibus verbis insinuat immortalitatem fuisse ex beneficio gratuito DEI collatam; non verò ex conditione naturæ, seu naturaliter debitam: Ergo sinè illa (idem dicendum de alijs donis, puta Justitia originali &c.) poterat creari Adam, & consequenter in statu puræ naturæ. 5.

Et ratione.

Probatur tertiò ratione: Ex nullo capite videtur esse impossibilis status puræ naturæ, in quo conderetur primus Homo: Ergo &c. Probatur Ant: non enim est impossibilis ex parte DEI eum producentis, nec ex sua constitutione: Ergo &c. Prob: Ant: pro prima parte, sicut in producendis alijs rebus ex ratione sua intrinseca implicantiam non involventibus non est limitanda DEI omnipotentia; ita nec in producendo ejusmodi statu: Ergo ex parte DEI eum producentis non est impossibilis. Prob: etiam Ant: pro secunda parte; status puræ naturæ constituitur partim ex conditione hominis cum omnimoda perfectione essentiali, & facultatibus expeditis ad operandum; cum tali autem conditione DEUS potest producere hominem, sicut defacto produxit alias naturas, suis numeris omnibus absolutas; de quibus proinde dicitur in Gen: *vidit DEUS cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Partim constituitur ex carentia donorum supernaturalium, & peccati originalis; quorum utrumque præstare potest DEUS; cùm talium donorum collatio sit DEO purè libera, & arbitraria, proficiscens ex mera liberalitate ejus; & defacto Protoparentes sinè peccato originali sint creati: Ergo status puræ naturæ ex sua constitutione non est impossibilis. 6.

Baistis respondetur.

Objiciunt Baistæ primò: Plures SS: PP: docent dona integritatis, & gratiæ sanctificantis Adæ collata fuisse naturalia, ita Cœlestinus *epist: ad Episc: Gall: cap: 4.* Et Augustinus *lib: 11. de Gen: ad litt:* Ergo sinè illis donis Adam non potuit creari; & consequenter in nullo statu puræ naturæ. Respondeo glossando allatos PP: & dico, eos per ly *naturale* non solùm intelligere id, quod naturæ est debitum; sed etiam id, quod naturæ datum est in prima sui conditione; quô sensu etiam dona supernaturalia aliàs indebita, naturalia hominis dicuntur; & hanc glossam sumo ex ipsomet Augustino, qui *1. Retract: cap: 15:* dicit, *propriè natura dicitur, in qua sinè vitio creati sumus.* 7.

Aliud terti argumentum dissolvitur.

Objiciunt secundò: Eô ipsô, quòd Adam crearetur, crearetur ad beatitudinem assequendam; quia secundùm Augustinum *lib: 13. de Trinit: cap: 8. omnes beatos esse veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus, & immutabiliter beatus*

ter beatus Creator hoc indidit: Sed in ſtatû puræ naturæ non poſſet beatitudinem conſequi defectu donorum ſupernaturalium, ad ejuſmodi aſſecutionem neceſſariorum: Ergo non poſſet creari Adam in tali ſtatu. Reſpondeo Diſting: Min: in ſtatu puræ naturæ non poſſet aſſequi beatitudinem ſupernaturalem Conc: Min: naturalem Neg: Min: & Conſeq: Itaque ſi Adam crearetur in ſtatu puræ naturæ poſſet aſſequi beatitudinem ſibi proportionatam, puta naturalem, ſufficienter ſe ſatiativam pro tali ſtatu; quæ conſiſteret in perfecta, & ſuavi DEI contemplatione ùt Authoris naturæ: quæ quidem non pertingeret ad viſionem DEI intuitivam; eſſet tamen abſtractiva ejuſdem, incendens ad amorem naturalem DEI & aliarum virtutum naturalium, quibus naturalem ſatietatem animæ, & corporis aſſequi valeret, atque explere innatum deſiderium beatitudinis.

Quæstio II.

De Qualitate ſtatûs puræ naturæ.

1. *In ſtatu puræ naturæ forent defectus communes naturæ.*



DICO primò: Statui puræ naturæ, ſi in eo crearetur Adam, annexi forent defectus communes, naturam defectibilem, ac corruptibilem regulariter conſequentes, cujuſmodi ſunt mors, morbi, aliæquè calamitates & miſeriæ corporales: Ita deducitur ex Scoto *2. diſt: 19. q: unic:* ubi docet hominem in ſtatu Innocentiæ conſtitutum habuiſſe naturam ſicut modò quoad ſubſtantiam, & qualitates naturales, ſolòque DEI beneficiô peculiari aſſecutum fuiſſe immortalitatem, & alias prærogativas: unde licet inferre, quòd ſicut ſtatui naturæ lapſæ Adæ defectus comunes naturæ erant annexi, ita quoque forent annexi ſtatui puræ naturæ.

Probatur primò authoritate Divi Auguſtini; qui *lib: 7. de Gen: ad litt. cap: 25.* docet, quòd in Inocentiæ ſtatu *Adam mortalis conditione corporis animalis; immortalis autem beneficiô Creatoris fit:* Ergo à fortiori in ſtatu puræ naturæ foret mortalis; & idem dicendum à pari de alijs defectibus, & miſerijs communibus corporalibus, quòd eas in eodem ſtatu ſubire debuiſſet.

Probatur ſecundò ratione: Adam in ſtatu puræ naturæ habuiſſet corpus mixtum, vivens, & ſentiens; ſed ejuſmodi corpus ſpectatâ conſtitutione naturali, & ſeclusô beneficiô peculiari DEI eſt corruptibile, & mortale; quia expoſitum pugnæ contrariarum qualitatum, actioni, reactioni, ac repaſſioni: ex quibus tandem mors, dolor, aliæ miſeriæ, & finalis corruptio inducitur: Ergo &c.

2. *Mors in ſtatu puræ naturæ non eſſet pœna.*

Objicies: DEUS videretur eſſe injuſtus, ſi in ſtatu puræ naturæ inferret Adæ mortem, aliaſquè miſerias, ſolitas infligi pro ſolo peccato: Ergo illi ſtatui non eſſet annexa mors, & aliæ miſeriæ. Reſpondeo DEUM in ſtatu puræ naturæ non inflicturum mortem, aut alias miſerias tanquam punitivas alicujus peccati; ſed tantùm permiſſurum (uti tenetur tanquam author, & moderator naturæ) actiones cauſarum ſecundarum naturalium; ut ijs mediantibus res corporeæ, & ex ſe defectibiles patiantur, ac tandem etiam deſtruantur: unde Auguſtinus, *DEUS res quas condidit, ſic adminiſtrat, ut eas ſuos motus agere ſinat.*

3. *Adam poſitus in ſtatu puræ naturæ ignoraſſet multa.*

Dico ſecundò: Adam in ſtatu puræ naturæ conſtitutus potuiſſet habere multarum rerum ignorantiam invincibilem.

Probatur primò authoritate D. Auguſtini; qui *lib: 3. de liber: arbitr:* apertè docet, poſſe creari naturam humanam cum ignorantia naturali; ſinè prævia hypotheſi commiſſi peccati, & in ejuſmodi creatione adhuc DEUM eſſe laudandum, *Creator verò ejus,* inquit, *ubiq; laudatur; vel quòd eam ab ipſis exordijs ad ſummi boni capacitatem inchoaverit; vel quòd ejus profectum adjuvet - - - non enim propterea malam creavit, quia nondum tanta eſt, quanta ut proficiendo eſſe poſſet accepit:* Ergo in ſtatu puræ naturæ utique hujuſmodi creatura laborans ignorantiâ invincibili, & conſequenter etiam Adam illâ ignorantiâ affectus creari poſſet.

Probatur ſecundò ratione: Adam in ſtatu puræ naturæ conditus paſſus fuiſſet communes defectus corporis, utì *priori Concl:* oſtenſum eſt: Ergo à pari pati quoque potuiſſet communes defectus noſtros animæ; de quorum numero eſt ignorantia invincibilis multarum rerum.

Objicies

4. *Quædam objectiones evacuantur.*

Objicies *primò*: Error, & insipientia, qui sunt fructus ignorantiæ, sunt appendices peccati, & pœnæ ex eo ortæ: Ergo & ignorantia. Subsumo, sed in statu puræ naturæ non fuisset peccatum ullum; Ergo nec error, & insipientia, & consequenter nec ignorantia. *Secundò*, dedeceret statum puræ naturæ illa ignorantia: Ergo non est asserenda. Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: nam etsi desacto error, & insipientia, & consequenter ipsa ignorantia sint pœnales appendices peccati, nempe tanquam passiones illi statui connaturales, cui omnimoda scientia naturaliter non debebatur; in illo tamẽ statu adesset sub alia ratione: *Ad secundum* Neg: quoque Ant: quia illi statui puræ naturæ non debebatur ullô jure tanta perfectio ex parte animæ Adæ in eo constituti, qualem habuit in statu Innocentiæ, ubi exulabat ignorantia, & regnabat omnigena scientia rerum Adæ Innocenti proportionata, & necessaria.

5. *Potuisset Adam agitari concupiscentia in statu puræ naturæ:*

Dico tertiò: Potuisset quoque Adam in statu puræ naturæ existens, naturalibus concupiscentiæ motibus stimulari.

Probatur: Quia ad ejusmodi stimulationem nullum sequeretur peccatum in illo statu, sed solus defectus naturæ consequens ex ejus principijs exprimeretur: adeoquè non esset ulla indecentia Adamum posse stimulari. Ant: patet ex S. Chrysostomo *hom: 19. ad popul. Antioch:* dicente, *concupiscere enim naturale est; at malè concupiscere jam est voluntatis.* Itaque concupiscentia Adæ in illo statu, sequeretur naturaliter ex intrinseca constitutione naturæ, collecta ex parte spirituali, & corporea, in quibus reperiri poterat quædam pugna lucta, & contrarietas appetituum.

Objicies *primò*: De motibus concupiscentiæ stimulantibus hominem erubescit homo: Ergo non insuisset Adæ in statu puræ naturæ. Conseq: tenet; quia de nullo opere tunc erubuisset Adam; eò quòd omnia spectarent ad opus naturæ â DEO factum, de quo non est erubescendum, dicente Augustino *lib: 2. de Nupt: & Concup: cap 9. quid enim pudeat hominem alicujus operis, quod DEUS fecit in Homine. Secundò*. concupiscentia est à peccato secundùm D: Augustinum: Ergo non insuisset Adæ in statu puræ naturæ, utpote experte omnis peccati. Respondeo *ad Primum* Neg: Conseq: cum ejus Probat: nam ad plura erubescit homo, quæ ipsi naturaliter conveniunt non tanquam opera DEI, sed tanquam defectus naturæ; talis est ventris exoneratio, de qua quivis ingenuus erubescit, & proinde sese abscondit in perficiendo eo opere: & similem erubescentiam habuisset Adam, dum motibus naturalibus concupiscentiæ agitaretur. *Ad Secundum* Dist: Ant. concupiscentia consistens in motibus inordinatis appetitûs sensitivi, non solùm rectæ rationis dictamini, sed & voluntati recta cupienti repugnantibus est à peccato Conc: Ant: talis autem non fuisset concupiscentia Adæ in statu puræ naturæ; concupiscentia consistens in motibus naturalibus appetentibus bona sensibilia naturæ convenientia, & rationi non repugnantibus est à peccato Neg: Ant: Et talis fuisset concupiscentia Adæ in statu puræ naturæ. 6. *Objecta nonnulla expediuntur.*

Cuncta in hoc Tractatu contenta more solito subjicio judicio & limæ S. Matris Ecclesiæ.

F I N I S.

TRA-

TRACTATUS IV.

DE

De Gratia Habituali, & Juſtificatione.

PROLOGUS.

INter cæteras ſpecies Gratiæ ùt ſic, de quibus omnibus in ſequenti Tractatu; velut nobiliſſima numeratur Gratia Habitualis, non generatim accepta prout eſt communis omni habitui gratioſo v. g. Fidei, Spei &c. Sed accepta pro Gratia Habituali particulari juſtificante; quæ teſte Gregoriô Nazianzenô *Orat: in S. lavacr: irradiat animam, ac DEO ſimilem reddit.* Quæ eſt ſecundùm Auguſtinum *lib: de ſpir: & litt: cap.* 30. *inſignis interioris hominis pulchritudo, & humanæ mentis candor.* Quæ juxta Chryſoſtomum *hom:* 40. *rubiginem peccatorum tollit, animum ſplendentem atque ignitum reddit, Soliſquè radijs pulchriorem facit, ex deformi formoſum, & ex infirmo ſanum.* De hujus itaque vivifici ac Divini doni natura, præcellentijs, effectibus, alijſquè hoc Tractatu diſſeram, SS: PP: reſolutionibus, & potiſſimè S. Tridentinæ Synodi Canonibus *ſeſſ:* 6. *de Iuſtificatione* editis inhærendo. Unde ſit.



DISTINCTIO I.

De Natura; Diſtinctione; Qualitate; Augmento; Cauſis; & Cauſatione Gratiæ Habitualis.

Quæ-

QUÆSTIO I.

De Descriptione; Existentia; & Distinctione Gratiæ habitualis.

1. *Gratia Habitualis variè appellatur.*



NOTA primò: Apud TT: esse Synonyma, Gratia Habitualis, Gratia sanctificans, Gratia gratum faciens formaliter, & Gratia Justificans; & hæc nomina uni eidemquè rei esse imposita ob diversas solùm connotationes, & effectus; eadem enim qualitas gratiæ dicitur *Habitualis*; quia inhæret animæ per modum habitûs Dicitur *sanctificans*; quia affert animæ, cui inhæret, formalem sanctitatem. Dicitur *Gratum faciens formaliter*, quia reddit formaliter animam gratam, & acceptam DEO. Dicitur *Justificans*; quia transfert hominem de statu injustitiæ, ad statum Justitiæ, & adoptionis filij DEI.

2. *Descriptio Gratiæ Habitualis.* Dico primò: Rectè describitur Gratia Habitualis, quod *sit forma quædam supernaturalis, intrinsecè animæ inhærens, eandemquè justam, DEOquè gratam faciens, & cum illa operante concurrens ad opera meritoria*, Elicitur ex Trid: sess: 6.

Probatur: Hâc descriptione ritè explanatur tota natura Gratiæ habitualis, ùt contradistinctæ à Gratia actuali, & alijs beneficijs Divinis, quæ à DEO creaturæ rationali communicantur: Ergo &c. Probatur Ant: singulas partes hujus descriptionis evolvendo; dicitur *forma quædam*; quod est genus, in quo Gratia Habitualis convenit cum alijs formis. Additur *supernaturalis*, quæ est una differentia hujus formæ Gratiæ Habitualis à formis naturalibus; & insinuatur Gratiam pertinere ad ordinem Divinum, ac à DEO produci. Per reliquas particulas differentiatur Gratia Habitualis ab alijs formis, & donis supernaturalibus. Signanter per ly *intrinsecè animæ inhærens*, ostenditur Gratiam Habitualem non esse de genere actuum sed habituum, quorum est propriè inhærere permanenter, ùt dicetur infrà: per ly *eandemquè justam, DEOquè charam faciens* indigitantur effectus Gratiæ Habitualis; hæc enim forma supernaturalis, dum infunditur animæ, eandem justificat, & amicam DEO reddit. Tandem ly *& cum illa operante concurrens ad opera meritoria* significatur Gratiam Habitualem esse comprincipium in adultis operantibus actuum meritoriorum, quæ à justis eliciuntur.

Dico secundò: In hominibus justis omnino admittenda est Gratia Habitualis, distincta à Justitia Christi. Secunda pars est comunis contra Calvinum, aliosquè Sectarios nostri temporis, asserentes, nos reddi gratiosos, & justos, non ab aliqua forma nobis realiter inhærente; sed ab imputatione extrinseca Justitiæ Christi, ob quam peccata nobis ampliùs non imputantur. 3. *Extat Gratia Habitualis.*

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; nam de hujusmodi beneficio intelligitur illud 2. *Petri 1. maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur Divinæ consortes naturæ*; quod fit mediante Gratiâ Habituali justificante, & ad consortium Divinæ naturæ justos evehente. Item illud Joan: 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & Gratiam pro gratia.* Et illud ad Rom: 1. *per quem accepimus gratiam*: Ergo admittenda est in justis hominibus Gratia Habitualis.

Probatur secundò: Tum authoritate Tridentini *sess: 6. can: 11.* eandem Gratiam asserentis; textum infrà afferam. Tum authoritate SS: PP: idem Divinum beneficium agnoscentium, ùt videre est apud Basilium *lib: de Spir: S. c: 26.* Et Chrysostomum *hom: 1. in Epist: ad Ephes.* Et Ambrosium *lib: 6. hexamert cap: 8.* dicentem, *pictus es ergo O homo, & pictus à Domino DEO tuo; bonum habet artificem atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fucô, sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed Gratiâ*: Ergo &c.

Probatur secunda pars primò authoritate S. Scripturæ; quæ docet justos in justificatione interius renovari, quod utique fieri debet per mutationem intrinsecam, & consequenter per adventum alicujus novæ formæ intrinsecæ, & realis taliter immutantis; sic dicitur ad Titum 3. *cap: salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nobis abundè.* Et ad Ephes: 4. *renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in Justitia, & sanctitate*: Ergo Gratia renovans justos, non est Justitia Christi. Huc etiam faciunt illa loca Scripturæ, quæ docent in justis diffundi illam formam, per quam justificantur, & Filij DEI fiunt, ac nominantur; quod Justitiæ Christi propriè 4. *Quæ est distincta à Christi, secundùm Scripturam.*

non

non convenit, utpote quæ in solo Christo diffusa est; sic dicitur ad Rom: 5 *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Et 1. Joan: 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis DEUS, ut Filij DEI nominemur, & simus*: Ergo Gratia Habitualis, quæ est charitas habitualis infusa, est distincta à Justitia Christi, & ejus imputatione extrinseca.

5. *Tridentini definitionem, SS:PP: & rationem.* Probatur secundò authoritate Tridentini, quod *sess: 6. can: 11.* dicit; *si quis dixerit homines justificari; vel solâ imputatione Justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ Gratiâ, & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur*, &c. *anathema sit*: Ergo Gratia Habitualis in justis est forma distincta à Justitia Christi.

Probatur tertiò authoritate SS:PP: asserentium Justitiam nostram, & charitatem à Justitia, & charitate DEI ac Christi distingui; unde Augustinus *lib: de Spiritu & litt: cap: 32.* expendens illud Apostoli *ad Rom: 5. charitas DEI diffusa est in cordibus vestris*, dicit, *non quâ nos ipse diligit; sed quâ nos facit dilectores suos - - - hæc est Justitia DEI, quam non solùm docet per legis præceptum; verùm etiam dat per Spiritus donum*: Ergo revera Justitia justorum, seu Gratia Habitualis est quid distinctum à Justitia DEI, & Christi.

Probatur quartò ratione Theologicâ: Tum quia Gratia Habitualis justorum potest intendi, juxta illud 2. Pet: 3. *crescite in gratia.* Et Apoc: *ult: qui justus est, justificetur adhuc*: Sed Justitia Christi nequit intendi: Ergo Gratia Habitualis non est ipsa Justitia Christi. Tum quia à Gratia Habituali justi dicuntur homines formaliter gratiosi, & justi: Ergo ab aliqua forma intrinsecè ipsis inhærente, distincta à Justitia Christi. Tum quia justi in justificatione sua recuperant id, quod in Adam amiserunt, Gratiam Habitualem, seu Justitiam intrinsecè Adæ inhærentem, quâ formaliter justus fuit: Ergo hanc recuperant in justificatione. Subsumo, sed Justitia Adæ fuit Gratia Habitualis distincta à Justitia Christi: Ergo & Gratia Habitualis justorum. Tum tandem Angeli sunt justi per Gratiam à Justitia Christi distinctam: Ergo & justi homines.

6. *Gratia Habitualis, & Charitas sunt entitativè una res.* Dico tertiò: Gratia Habitualis, & Charitas habitualis sunt realiter idem numerô habitus. Ita Scotus *2. dist. 27. q: unic: num 3.* cum tota sua Schola, & Durando, Gabriel: Occamo, Beccan: Major: alijsque pluribus veteribus TT: contra D.Thomam, S. Bonaventuram; & Thomistas; & ex Neut: contra Suar: Amic: Tanner: Ovied: &c.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; quæ effectus, & excellentias proprias Gratiæ Habitualis seu justificantis attribuit Charitati Habituali, quod Signum evidens est, esse unum eundemque entitativè & realiter habitum utriusque; effectus namque præcipui Gratiæ Habitualis seu justificantis sunt hi, facere Filium adoptivum DEI; reddere hominem gratum DEO, & dilectum; sanctificare; delere peccata; Spiritum S per eam acquirere; conferre vitam spiritualem; esse fontem & originem omnium virtutum; conjungere intimè DEO; esse semen vitæ æternæ: Sed hos omnes Scriptura attribuit Charitati Habituali: Ergo &c. Prob. Min: primus ei attribuitur per illud 1. Joan: 3. *videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut Filij DEI nominemur, & simus.* Secundus Joan: 15. *si quis diligit, diligetur à Patre meo.* Tertius ad Ephes: 1. *elegit nos in ipso, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in Charitate.* Quartus 1. Pet: 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Quintus ad Rom: 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Sextus 1. Joan: 3. *nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres.* Septimus 1. ad Cor: 13. *Charitas patiens est, benigna est*, &c. Octavus 1. Joan: 4. *qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Nonus Jacob: 1. *coronam vitæ repromisit DEUS diligentibus se*: Ergo præcipui effectus Gratiæ Habitualis attribuuntur Charitati Habituali.

Probatur secundò authoritate Tridentini; quod sess: 6. *cap: 7. in decreto de Justificatione* pro causa formali (quæ aliàs est Gratia Habitualis, seu Justificans) justificationis nostræ assignat Charitatem Habitualem dicens, *id tamen in hac impij justificatione fit, dum ejusdem* (scilicet Domini nostri JESU Christi) *sanctissimæ Passionis meritò per Spiritum S. Charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur*: Ergo idem est habitus Gratiæ Habitualis & Charitatis. 7. *Tridentinum pro identitate Gratiæ & Charitatis.*

Probatur tertiò authoritate SS.PP: rationem quoque formalem justificationis (quæ aliàs Gratiæ Habituali convenit) adscribentium Charitati Habituali; ùt videre est apud D. Augustinum *lib: de nat: & grat: cap: 62.* dicen- 8. *SS: PP: ad idem.*

ipsum diligens censeatur esse amicus Regis.

13. *Gratia, & Charitas formaliter identificantur.* Dico quartò: Etiam formaliter est idem habitus Gratiæ Habitualis, & Charitatis Habitualis. Colligitur ex Scoto *loc: cit:* & sequuntur communiter Scotistæ.

Probatur: Tum quia nulla est necessitas multiplicandi, & distinguendi etiam formaliter tantùm Gratiam à Charitate: Ergo &c. Tum quia nullum apparet fundamentum distinctionis formalis inter gratiam Habitualem, & Charitatem Habitualem; quidquid enim præstat Gratia, præstare potest Chatitas; ùt patet discurrenti per singula munera unius, & alterius: Ergo formaliter quoque est idem habitus utriusque. Itaque penes solas denominationes diversas, & connotationes à diversis effectibus sumptas, ab utrisque tamen producibiles, est distinctio quædam nominum; non autem rerum.

QUÆSTIO II.

De Qualitate Gratiæ Habitualis.

1. *Gratia Habitualis est creatum quid.*



DICO primò: Gratia Habitualis dicit entitatem creatam. Ita Scotus *1. Dist: 17. quæst: 3.* Et communis Theologorum.

Probatur: Tum ex dictis *priori q: Concl. 3.* ubi ostendi Gratiam Habitualem, à DEO transfusam in cordibus nostris; quæ utique est entitas quædam creata à DEO, & infusa homini justo, uti docet Tridentinum *sess. 6. cap: 7.* dicens, *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum - - - hæc omnia simul infusa accipit homo, per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Tum quia Gratia actualis, Fides, Spes, & alia dona supernaturalia dicunt entitatem creatam: Ergo & Gratia Habitualis. Tum quia ita sentiunt Concilia, & PP: Gratiam Habitualem intra lineam entium creatorum reponentes, ùt videre est apud Tridentinum *cit:* varijs capitibus, & canonibus: & apud D. Augustinum *lib: de Spirit: & litt: cap: 23.* Ergo &c.

2. *DEUS dicitur Charitas tantùm effectivè.* Objicies 1. ad Cor: 4. DEUS dicitur Charitas, & consequenter Gratia Habitualis, *DEUS Charitas est*: sed DEUS dicit entitatem increatam: Ergo &c. Respondeo glossando Scripturam; DEUS dicitur Charitas effectivè Conc: Maj. formaliter Neg: Maj: Itaquè DEUS solùm dicitur Charitas quatenus in nobis producit seu efficit Charitatem Habitualem. Vel dicitur Charitas sua infinita, sicut dicitur sua Sapientia, comparando Charitatem ad ipsam essentiam Divinam, cum qua identificatur; non verò comparando ad nos, quam nobis infundit DEUS, tanquam habitum creatum justificantem.

3. *Gratia Habitualis est supernaturalis quoad substantiam.* Dico secundò: Gratia Habitualis est forma propriè supernaturalis in substantia. Ita communis TT.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ: quæ docet eam à DEO immediatè diffundi in cordibus justorum per Spiritum S: quod arguit eam à solo DEO posse creari, & consequenter esse ordinis supernaturalis; unde dicitur ad Rom: 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* Et ad Rom: 1. *per quem accepimus Gratiam.* Et 1. Joan: 3. *videte qualem Charitatem dedit nobis DEUS*: Ergo Gratia Habitualis est forma supernaturalis in substantia.

Probatur secundò authoritate Concilij Tridentini *sess: 6. cap: 7.* dogmatizantis, *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem*: Sed Fides & Spes sunt formæ supernaturales in substantia. Similiter *can: 1* docet, *si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiunt, absque Divina per JESUM Christum gratia posse justificari coram DEO, anathema sit*: Ex quibus sic arguo; homo non potest per vires naturæ justificari: Ergo neque per easdem ullatenus potest in se producere Gratiam Habitualem, formaliter sanctificantem: Ergo ipsa est supernaturalis in substantia. Plura de hoc infrà *quæst: 4.* ubi ostendetur Gratiam Habitualem à solo DEO efficienter produci, & consequenter esse supernaturalem in substantia.

4. *Gratia est forma inhærens.* Dico tertiò: Gratia Habitualis est forma propriè inhærens, & jugiter permanens in justo usque dum peccatum mortale commitat: Ita communis TT: contra Lutherum, ejusquè sequaces.

Probatur primò authoritate CC:

nam Viennense Gratiam Habitualem appellat gratiam informantem, quòd inhæsionem quandam indicat; dicit enim *in Clement: de SS: Trinit: & Fide Cath: nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, qua per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes tanquam probabiliorem*, &c. *duximus eligendam*. Et Tridentinum apertè docet eis gratiam inhærere *cap: 7.* inquiens, *id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis meritò per Spiritum S. Charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret*: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: jugem quandam inhæsionem, & perseverantiam Gratiæ Habituali, seu sanctificanti attribuentium; unde eam S. Irenæus *lib: 5. adversùs hæres: cap*: appellat, *Spiritum DEI perseverantem*. Et S. Cyprianus *ep: 2. ad donat*: eandem vocat *secundam è cœlis infusam animam*, quæ jugiter inhæret homini. Et S. Basilius *lib: de Spir: S. cap: 26.* ait, *quòd gratia Spiritûs Sancti est in eo, qui illam recipit; semper quidem præsens, etsi non perpetuò operans*: Ergo &c.

5. *Insuper est de genere habituum.*

Dico quartò: Gratia Habitualis seu sanctificans est forma de genere habituum propriè dictorum; non verò actuum. Ita communis TT: RR: contra priscos quosdam TT: qui tempore Concilij Viennensis docebant, Gratiam sanctificantem esse actum.

Probatur primò authoritate Concilij Tridentini, quod *sess: 6. cap: 7.* docet, *in justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipere per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem*: Sed Fides, & Spes, de qua loquitur Tridentinum sunt formæ de genere habituum propriè dictorum: Ergo & Charitas, seu Gratia Habitualis sanctificans.

6. *Catechismus Romanus tenet conclusionem.*

Probatur secundò authoritate Catechismi Romani jussu Pij V. editi conformiter ad decreta Tridentini; in quo *part: 2. cap: 2. de bapt. num: 50.* habetur, *est autem Gratia quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decrevit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed diversa qualitas in anima inhærens*: Ergo Gratia Habitualis est de genere habituum propriè dictorum, sub prædicamento qualitatis contentorum.

Probatur tertiò ratione: Tum quia Tridentinum eòdem modò loquitur de forma justificante parvulorum, & adultorum; sed forma justificans parvulos in baptismo est Gratia Habitualis de genere habituum propriè dictorum; quia parvuli sunt incapaces actuum: Ergo & forma justificans adultos est eadem Gratia, & forma. Tum quia Gratia Habitualis justificans jugiter, & permanenter inhæret animæ justi, ùt *priori Concl:* ostensum est: sed ejusmodi inhæsio propriè convenit formis de genere habituum propriè dictorum; non autem actibus; Ergo &c. Tum quia Gratia Habitualis, ùt infrà ostendam, & patet ex illo Apoc: *22. qui justus est, justificetur adhuc*, potest augeri in justo per nova opera meritoria; sed solis formis habitualibus convenit propriè augeri; non autem actibus: Ergo Gratia Habitualis est forma propriè Habitualis. Tum tandem, quia circa qualitatem Gratiæ Habitualis, est communis omnium TT: RR: qui post Tridentinum scripsêre, consensus, quòd sit donum quoddam propriè habituale; & ideo passim applicatur *Gratia Habitualis*, ad distinctionem *actualis*; imo plures eorum tenent post Tridentinum hoc esse de Fide: Ego saltèm puto oppositum sentire esse temerarium; eò quòd omnes DD: Catholici Tridentinum exprimens Gratiam sanctificantem intellexerint hactenus de Gratia propriè Habituali, cujus est propriè inhærere, & jugiter permanere; etsi ly *Habituale* nusquam habeatur expressò terminò. — 7. *Et ratio quoque eam suadet.*

QUÆSTIO III.

De Augmento; & corruptione Gratiæ Habitualis.

DICO primò: Gratia Habitualis justi potest in via accipere formaliter augmentum. Ita communis SS: PP: & TT: contra Jovinianum Hæreticum, docentem teste D. Hieronymo *lib: 2. adversùs Jovinian:* homines in accepta Gratia non posse crescere. — 1. *Gratia Habitualis potest augeri in via ex Scriptura.*

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ; nam de hujusmodi augmento Gratiæ Habitualis dicitur Proverb: 4. *justorum semita quasi lux splendescens*

stens procedit & crescit usque ad perfectum diem. Et illud Apostoli ad Philipp: 1. *hoc oro ut Charitas vestra magis, ac magis abundet.* Et illud Ecclesi: 18. *ne verearis usque ad mortem justificari*, id est in Justitia progressus facere intendendo Gratiam Habitualem. Et illud Apoc: 22. *qui justus est justificetur adhuc* : Ergo Gratia Habitualis, & Charitas justi potest in via accipere formale augmentum.

2. *Item ex Conc: Vien: & Trid:*

Probatur secundò authoritate Conciliorum ; idem augmentum in gratia Habituali definientium, ùt videre est in Concil: Viennen: *in Clement: ad nostram, de Hæret:* Et in Trid: quod *sess: 6. cap: 10.* dicit, *sic ergo justificati, & amici DEI, ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur, ùt Apostolus inquit de die in diem; hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma Justitiæ in sanctificationem per observantiam mandatorum DEI, & Ecclesiæ, in ipsa Justitia per Christi Gratiam accepta, coöperante Fide, bonis operibus crescant, atque magis justificentur - - - quod Justitiæ incrementum petit S. Ecclesia dum orat, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum* Et rursus *can: 24.* ait, *si quis dixerit Justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram DEO per bona opera*, &c. *anathema sit:* Ergo Gratia Habitualis justi revera potest accipere augmentum in via.

3. *Similiter juxta SS: PP: & rationem.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: Conclusionem unanimiter asserentium, ùt videre est apud S. Bernardum *serm: 9 in Psal: qui habitat.* Et S. Augustinum *epist: 57. ad Dardan:* Et S. Hieronymum *in cap: 4. ad Ephes:* Et S. Basilium *in Scholijs ad illud psalm: 83. ibunt de virtute in virtutem.* Et S. Prosp: *lib: epig:* canit.

Semper enim Sanctis superest quò crescere possint,
Et Perfectorum gloria principium est.
Virtutem Virtus pariat, de Lumine Lumen,
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.

Probatur quartò ratione : Gratia Habitualis est de genere qualitatis Habitualis propriè, ùt *priori quæst: concl: ult:* ostensum est ; sed qualitates Habituales possunt formaliter augeri per intensionem ; uti patet de habitibus scientialibus, & artificialibus : Ergo Gratia Habitualis potest in via augeri formaliter. Præterea non apparet ex quo capite in via impediretur formale augmentum Gratiæ Habitualis : Ergo dicendum est quòd possit augmentum accipere in via.

4. *Quævis actio meritoria potest augere Gratiam.*

Dico secundò : Augmentum Gratiæ Habitualis provenire potest à quavis actione verè meritoria. Ita communis TT: contra Kemnitium docentem, id à sola Fide, & DEI beneplacito oriri posse.

Probatur : Tum quia neque Scripturæ citatæ *pro priori concl:* aut aliæ ; neque Concilia *ibidem* relata ; neque SS: PP: allegati limitant augmentum Gratiæ Habitualis præcisè ad opera Fidei, aut alterius virtutis. Ergo dicendum est, quòd ab omni opere, & actione verè meritoria provenire possit. Tum quia omni actione verè meritoriâ potest justus sibi procurare augmentum retributionis Divinæ, & gloriæ, seu Justitiæ consummatæ juxta illud 1. ad Cor: 15. *abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino* : Ergo & Gratiæ Habitualis, quæ est Justitia inchoata. Tum tandem, quia non videtur potior ratio, cur per opera Fidei, & dilectionis possit augmentum formale Gratiæ Habitualis procurari ; & non per alias actiones meritorias : Ergo revera per omnes id potest procurari.

5. *Et quidem sinè determinato termino.*

Dico tertiò : Præfatum augmentum Gratiæ Habitualis nullum habet necessariò terminum, quamdiu durat status viæ ; sed semper potest provehi per totam vitam: Ita communis PP: & TT: contra Begardos, & Beguinas asserentes, hominem posse in hac vita pertingere ad talem Sanctitatis, & Justitiæ gradum, ut ulterius non possit progredi.

Probatur primò authoritate Sanctæ Scripturæ indefinitè & sinè ulla restrictione ad tempus, vel gradum loquentis de intensione justificationis, ùt videre est ex illo Apoc: 22. *qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.* Et Ecclesiastici 18. *ne verearis usque ad mortem justificari.* Unde meritò Psalmista dicit *psalm: 83.* quòd justi *ibunt de virtute in virtutem*, intendendo scilicet semper per opera nova virtutem suam Justitiam, & Gratiam Habitualem : Ergo augmentum Gratiæ Habitualis nullum habet necessariò terminum, quamdiu durat status viæ.

6. *Authoritas SS. PP: pro asserto.*

Probatur secundò: Tum authoritate CC: allegatorum suprà *pro concl: 1:* Tum SS: PP: similiter sinè ulla limitatione dogmatizantium incrementum Gratiæ Habitualis fieri posse à justis ; quibus

quibus adde authoritatem S. Prosperi *in collat: sentent: S. Augustini, sententiâ 102.* dicentis, *in hac vita, quæ tota tentatio est, in sublimissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non superest ascensio*, Ergo &c.

7. *Accedit quoque ratio.*

Probatur tertiò ratione: Nullus Viator pertingit ad perfectionem Gratiæ Habitualis, aliorumque donorum supernaturalium, quam habuit Christus: Ergo semper potest novum, & novum gradum adjicere; atque ita augmentum suæ Gratiæ Habitualis non habet terminum. Deinde quamdiu justus existit in via potest mereri; quia quà talis habet omnes conditiones merendi, puta gratiam sanctificantem, liberum arbitrium, acceptionem DEI paratam, exercitium operum moraliter bonorum in finem bonum relatorum, statum viatoris &c. Ergo potest quoque suis meritis sibi procurare augmentum Gratiæ Habitualis. Tandem non videtur ex quo capite limitaretur intensio, & augmentum Habitualis Gratiæ ad certum terminum durante viâ: Ergo dicendum est, quòd tale augmentum non habeat aliquem terminum in via.

8. *Augmentum Gratiæ potest fieri per actus remissos.*

Dico quartò: Augmentum Gratiæ Habitualis etiam fieri potest per actus remissos. Ita Scotus *4. dist: 2. q: 1.* Et communis Scotist: & aliorum.

Probatur primò authoritate Scripturæ, nam ita colligitur ex illo 2: ad Cor: 9 *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui administrat semen seminanti, multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum Justitiæ vestræ*; quibus verbis promittitur augmentum Justitiæ eleemosynis, sive intensò, sive remissò actu fiant, id est, sive parcè, sive intensè seminetur, ùt exponit Basilius, & Augustinus: Ergo &c.

9. *Ratio pro eadem doctrina.*

Probatur secundò ratione: Tum quia etiam actus remissi; & minùs intensi sunt formaliter meritorij: Ergo ijs secundùm aliquem gradum similiter intendi potest Gratia Habitualis. Tum quia Sacra Scriptura, CC: & PP: loquentes de augmento Gratiæ Habitualis, & justificationis non excipiunt actus remissos: quod signum est, eos quoque esse utiles & fructuosos ad procurandum augmentum Gratiæ Habitualis, & justificationis. Tum quia opera mala etsi remissa puniuntur à DEO, nisi expientur aliquô modô: Ergo etiam opera bona remissa præmiantur à DEO; & consequenter conducunt ad intensionem Gratiæ Habitualis, maximè si ad eum finem referantur ab operante.

10. *Gratia augetur tantùm moraliter a meritis.*

Dico quintò: Augmentum Gratiæ Habitualis fit moraliter tantùm ab actionibus verè meritorijs justi. Ita communis Scotistarum.

Probatur: Solus DEus primô physicè creat, & infundit Gratiam Habitualem, uti est de Fide ex Tridentino *sess: 6. cap: 7.* Ergo à pari ipse solus quoque eandem physicè auget, & intendit; & consequenter actiones meritoriæ justi non nisi moraliter concurrunt ad ejusdem augmentum & intensionem, quatenus nimirum movent DEUM, ut is conferat illud augmentum.

11. *Gratia corrumpitur per quodlibet peccatum mortale.*

Dico sextò: Gratia Habitualis totalem subit corruptionem sui ad positionem cujusque peccati mortalis ab homine commissi; non verò per positionem venialis. Ita communis SS: PP: & TT: contra Calvinum, docentem semel acceptam justificationis gratiam nullò subsequenti peccatò unquam amitti.

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ, quæ docet per quodcunque peccatum mortale carnis (& est par ratio de alijs mortalibus) hominem excludi à possessione regni Cœlorum; sed talis exclusio supponit corruptionem totalem Gratiæ Habitualis: Ergo Gratia Habitualis subit totalem corruptionem sui ad positionem cujuscunque peccati mortalis à justo commissi. Major patet ex illo Apostoli ad Galat: 5. *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnumDEI non possidebunt*: Ergo &c. Huc faciunt etiam exempla quædam Scripturistica, de Angelis malis, primis Parentibus, David, Petro Apostolo, &c. qui per lapsum in diversa mortalia acceptam Gratiam Habitualem justificationis totaliter amiserunt.

12. *Secundùm etiam Trid:*

Probatur secundò authoritate Tridentini; quòd *sess. 6. cap: 17.* docet, *non modò infidelitatis, per quam & ipsa Fides amittitur; sed etiam quocunque aliò mortali peccatò, quamvis non amittatur Fides, acceptam justificationis Gratiam amitti*, quæ est ipsa Gratia Habitualis: ubi Concilium non dicit, Gratiam justificationis secundùm aliquam partem duntaxat amitti; sed simpliciter: Ergo Gratia Habitualis subit totalem corruptionem sui ad positionem cujuscunque peccati mortalis.

Pro-

13. *SS: quoque PP. & rationem.* Probatur tertiò authoritate SS: PP: Augustini *lib: de hæresibus, hæres: 82.* Et S. Hieronymi *lib: 2. adversus Jovinianum*, qui inter errores Joviniani etiam computant illum, quo asserit, *Gratiam sanctificantem in justis esse inamissibilem:* Ergo hi PP. censent eam amitti per quodvis peccatum mortale.

Probatur quartò ratione; Quodvis peccatum mortale facit peccatorem inimicum DEI: Ergo quodvis expellit ab eodem totaliter Gratiam Habitualem peccato oppositam, per quam quis redditur, & dicitur amicus DEI. Conseq: tenet; quia si unicus gradus Gratiæ Habitualis remaneret in peccatore, peccator non posset dici simpliciter inimicus DEI, sed secundùm quid amicus; & consequenter secundùm quid haberet jus ad gloriam; quod est falsum: Ergo quodvis peccatum mortale in quacunque specie fiat, ab homine peccatore, expellit totaliter Gratiam Habitualem.

14. *Veniale non corrumpit Gratiam.* Probatur secunda pars authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 11.* docentis, per casum in levia seu venialia peccata non cessare Justitiam in justis ea committentibus; *& licèt*, inquit, *in hac mortali vita quantumvis Sancti, & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi; nam justorum illa vox est & humilis, & verax, dimitte nobis debita nostra:* Ergo ad positionem venialis peccati Gratia Habitualis non subit totalem corruptionem sui.

QUÆSTIO IV.

De Causis; Creatione; & subjecto Gratiæ Habitualis.

1. *Causa Gratiæ Habitualis.*



DICO primò: Principalis causa productiva Gratiæ Habitualis est DEUS; minus verò principalis, & meritoria Christus, instrumentalis Sacramenta; finalis gloria DEI, & vita æterna. Ita communis TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ, memoratas causas exprimentis; unde dicitur ad Tit: *3. cap: secundùm misericordiam suam salvos nos fecit* (subintellige DEUS) *per lavacrum regenerationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum, ut justificati Gratiâ ipsius hæredes simus secundùm Spem vitæ æternæ*; in quibus verbis per ly *salvos nos fecit*, insinuatur causa principalis DEUS producens in nobis salutem, mediante Gratiâ Habituali salvante & justificante: per ly *per lavacrū regenerationis Spiritûs S.* indigitatur causa instrumentalis scilicet Sacramentum Baptismi ad cujus applicationem, Spiritus S. id est Gratia Habitualis à Spiritu S. proveniens nobis infunditur in ordine ad justificationem; per ly *simus hæredes vitæ æternæ* ostenditur causa finalis Gratiæ Habitualis, quâ mediante attingimus vitam æternam, seu ultimum finem, ad quem conditi sumus: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Tridentini, quod *sess: 6. cap: 7.* præfatas causas ponit pro justificatione: quare cùm hæ sint effectus ipsius Gratiæ Habitualis, eædem statui debent pro causis ipsiusmet Gratiæ.

2. *Nulla creatura potest esse causa productiva principalis Gratiæ.* Dico secundò: Nullum efficiens creatum potest esse causa principalis productiva Gratiæ Habitualis. ita utraque Schola subtilis, & Angelica.

Probatur primò authoritate Scripturæ; quæ docet solum DEUM posse justificare, adeoque & producere Gratiam Habitualem, quæ est forma sanctificans; sic dicitur Job: 14. *cap: quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et ad Rom: *3. cap: quoniam unus est DEUS qui justificat.* Et rursus *cap: 8. DEUS est qui justificat:* Ergo nullum efficiens creatum potest esse causa principalis productiva Gratiæ Habitualis.

3. *Ex Tridentino.* Probatur secundò authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 7.* docentis, *hujus justificationis causa sunt - - - Efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto*: Ex quibus sic arguo; DEUS solus potest esse causa principalis Efficiens justificationis; ipse enim solus potest gratuitò abluere, sanctificare, signare, & ungere Spiritu S. promissionis: Ergo ipse quoque solus potest esse causa principalis Gratiæ Habitualis, quâ quis tanquam causâ formali gratuitò abluitur, sanctificatur, signatur, & ungitur tanquam donô eximiô Spiritûs Sancti.

4. *Ex ratione Theologicâ.* Probatur tertiò ratione: Si aliquod Efficiens creatum posset esse causa principalis

cipalis productiva Gratiæ Habitualis, maximè Christus ùt homo; sed Christus ùt homo nequit esse hujusmodi causa: Ergo &c. Prob: Min: Tum quia Christus quà homo nequit propriè, & principaliter creare, juxta illud Athanasij *serm: 3. contra Arian: creare solius DEI est*; Gratia autem Habitualis creatur propriè; ùt *sequenti conclusione* ostendam. Tum quia ideo Christus quà homo dixit Joan: 14. *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; indicans per hoc, se ùt hominem non posse authoritativè mittere Spiritum S. nec consequenter ejus dona, puta Gratiam Habitualem, &c. producere, & communicare; sed tantùm precibus eundem, unà cum dono Gratiæ Habitualis, & alijs velle impetrare à Patre tanquam causa principali talis dationis: Ergo &c.

5. *Quædam Scriptura Joan: 1. glossatur.*

Objicies: Joan: 1. attribuitur efficientia gratiæ ipsimet Christo homini principaliter, dum dicitur, *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per JESUM Christum facta est*: Ergo &c. Resp: Neg: Ant: ad authoritatem Scripturæ dico, ibi sermonem non esse de Christo ùt homo est, seu secundùm naturam humanam; sed in quantùm simul DEUS est, seu secundùm naturam Divinam. Vel certè loquitur de efficientia Christi meritoria, & minùs principali, quasi dicat Gratiam, & veritatem propter JESU Christi merita eximia data esse mundo.

6. *Gratia Habitualis creatur propriè.*

Dico tertiò: Gratia Habitualis creatur creatione propriè dictâ. Ita Scotus *1. dist: 17. q: 6.* & *2. dist: 7. q: unic:* & *in 4. dist: 1. q: 4. & 5.* quem sequitur sua Schola, & Alensis, & D. Bonaventura; contra Thomistas docentes Gratiam educi de potentia animæ.

Probatur primò authoritate Scripturæ; in qua Gratiæ Habitualis productio vocatur creatio; unde dicitur psalm: *50. cor mundum crea in me DEUS.* Et D. Paulus hominem prædictum Gratiâ Habituali Justificante vocat *creaturam novam* ad Galat: *6. cap:* Et ad Ephes: 2. justi dicuntur *creati in Christo JESU.* Et tandem 4. *cap.* monet eos, *induere hominem novum, qui secundùm DEUM creatus est in Justitia, & sanctitate veritatis*: quæ authoritates, ut debitam sortiantur significationem, de creatione propriè dicta sunt intelligendæ.

7. *Ratio pro creatione propria Gratiæ.*

Probatur secundò ratione: Tum quia Gratia Habitualis dum destruitur, est terminus annihilationis: Ergo dum producitur est terminus creationis. Conseq: tenet; quia id quod in nihil abit dum destruitur, etiam ex nihilo fit, dum producitur; Ergo Gratia Habitualis, quæ sic se habet est terminus creationis. Tum quia ùt suprà *quæst: 2. concl: 2.* docui, Gratia est forma supernaturalis quoad substantiam: Ergo à solo DEO efficitur. Tum quia Gratia est omnium donorum supernaturalium præstantissimum: Ergo petit per actionem præstantissimam produci, qualis est creatio DEI. Conseq: tenet; quia ideo anima creatur creatione propriè dictâ; quia est forma substantialis præstantissima inter creaturas naturales.

8. *Voluntas est immediatum subjectum Gratiæ Habitualis.*

Dico quartò: Subjectum immediatum Gratiæ Habitualis est voluntas recipientis; mediatum verò ipsa anima. Ita Scotus *2. dist: 26. quæst: unic:* & Scotistæ, ac S. Bonaventura; contra Thomistas.

Probatur primò authoritate S. Augustini *serm: 12. de verbis Apostoli cap: 12.* dicentis, quòd *Gratia se habeat ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum*: Ergo cùm subjectum liberi arbitrij immediatum sit voluntas; Gratiæ quoque erit.

Probatur secundò ratione: Tum quia Charitatis Habitualis, quæ non distinguitur realiter à Gratia Habituali, immediatum subjectum est ipsa voluntas: Ergo & Gratiæ. Tum quia dispositio ad formam, & ipsamet forma habent idem subjectum immediatum: sed Gratia Habitualis est dispositio ad Gloriam, & Gloria principaliter subjectatur in voluntate immediatè; quia eandem satiat, & mediante ejus actu vitali beatificè conjungitur anima objecto beatifico: Ergo voluntas est subjectum immediatum Gratiæ. Tum quia voluntas à Gratia perficitur in ordine ad meritoriè operandum: Ergo Gratia ipsi immediatè inhæret. Tum tandem, quia habitus Fidei immediatè subjectatur in intellectu, quem & perficit ad eliciendos actus supernaturales credulitatis circa objecta revelata: similiter & alij habitus Virtutum in potentijs animæ immediatè, non verò in ipsa substantia animæ subjectantur; ùt doceo *tom: 3 tractat: de Virtutibus, distinct: 1. quæst: 4.* Ergo habitus Gratiæ, qui perficit voluntatem ad opera dilectionis, & alia meritoria, debet subjectari immediatè in voluntate.

Quæ-

QUÆSTIO V.

De Causatione Gratiæ Habitualis.

1. *Recensentur effectus Gratiæ Habitualis.*



NOTA primò: Per effectus formales Gratiæ Habitualis, intelligi illos effectus, quos ipsa Gratia facit in homine justo; cujusmodi est tam prima justificatio hominis baptizati, quæ est ex Tridentino *sess: 6. cap: 4. translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Primi Adæ in statum Gratiæ, & adoptionis filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum Salvatorem nostrum;* quàm secunda justificatio hominis post baptismа lapsi, quæ est *emundatio ejus ab omni actuali peccato, & translatio ad statum adoptionis Filiorum DEI, & hæredum vitæ æternæ:* Ex quibus definitionibus patent etiam plures alij effectus Gratiæ Habitualis, qui sunt; hominem prædictum Gratiâ reddere amicum DEI, id est talem, ut DEUS velit specialem cum eo habere communicationem, & ipsi æternam beatitudinem communicare; facere filium DEI adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, id est talem, ut ipsi debeatur hæreditas vitæ æternæ; efficere Divinæ naturæ consortem, hoc est talem, ut discedens in gratia statim fruatur Divinâ naturâ. De his itaque effectibus inquiritur hîc, an physicè & suapte naturâ Gratia Habitualis eos in genere causæ formalis causet; an verò moraliter tantùm, & ex DEI ordinatione. Thomistæ & RR: communiter, ùt Amicus, Arriaga, Oviedo, Vasquez, Bellarminus &c. docent Gratiam præfatos effectus causare physicè, & ex natura sua. Sed ego

2. *Gratia moraliter tantùm causat suos effectus.* Dico primò: Gratia Habitualis non exercet ullam causalitatem physicam circa justificationem, aliosquè suos effectus formales; sed moralem duntaxat. Ita Scotus *1. dist: 17. q: 2.* & alibi, cum omnibus suis discipulis; & ex Nominalibus Occamo, Richardo, Gabriele, Marsilia, & Durando &c.

3. *Sensus conclusionis.* Nota autem pro intellectu hujus sententiæ Scotisticæ; sensum ejus esse, quòd Gratia secundùm suam nudam entitatem intrinsecam, & essentialem in esse qualitatis, præscindendo à quocunq; DEI decreto, non sit causa formalis justificationis, & aliorum effectuum suorum; sed pro ut substat Divinæ ordinationi, secundùm quam DEUs statuit hominem prædictum Gratiâ Habituali liberari à peccato, & fieri amicum, & Filium DEI &c.

ProbaturConclusio primò: Gratia Habitualis ex natura sua solùm habet, quòd sit principium diligendi DEUM supernaturaliter; eò quòd per modum ponderis in genere qualitatis, vel virtute in genere principij inclinet activè humanam voluntatem ad DEUM amandum: sed propterea non rectè dicitur Gratia Habitualis exercere causalitatem physicam in justificationem, & alios suos effectus formales: Ergo &c. Prob: Min: tametsi Plato habeat habitum seu principium intrinsecum amandi Socratem, actuquè ipsum amet, non propterea physicam aliquam causalitatem exercet in reamorem Socratis, ita ut is connaturaliter redamare debeat Platonem, eumquè assumere in Filium, & hæredem; hi enim effectus excedunt longè naturam physicam illius habitûs, & principij: Ergo propterea etiam Gratia Habitualis non dicitur rectè exercere causalitatem physicam in justificationem, & alios suos effectus, quia ex natura sua est principium diligendi DEUM supernaturaliter.

4. *Alia ratio pro causalitate morali Gratiæ.* Probatur secundò: Asserendo solam causalitatem moralem ex parte Gratiæ Habitualis, magis propriè salvatur modus loquendi, & veritas Sacræ Scripturæ, Conciliorum, atque Patrum, unâ constanti voce docentium remissionem peccatorum fieri gratis, & justificationem nostram esse opus DEI planè gratuitum; nam ista sententia dicit, & remissionem peccatorum. & justificationem fieri sinè ulla exigentia, & debito alicujus formæ inhærentis, qualis est Gratia Habitualis: sed ex mera misericordia, & beneplacito DEI ita ordinantis, & æternô Decreto se obligantis ad ejusmodi effectus stante infusione Gratiæ Habitualis; quæ misericordia, beneplacitum, ordinatio, & Decretum DEI solùm physicam exercet causalitatem circa effectum justificationis, & alios; ipsa verò Gratia moralem duntaxat: Ergo dicendum est quod Gratia Habitualis solam moralem causalitatem exerceat circa justificationem, aliosquè suos effectus.

5. *Rursus aliud fundamentum.* Probatur tertiò: Tum quia asserendo causalitatem moralem duntaxat nullum

nullum sit præjudicium Gratiæ Habitualis: cùm ipsa sit qualitas, & accidens, cujus entitativè non est formaliter sanctificare, amicum DEI reddere, & similes excellentes effectus causare. Tum quia sufficienter dignificatur Gratia Habitualis concedendo ei causalitatem moralem; sicut Sacramenta, quæ moralem tantùm causalitatem exercent in suos effectus spirituales. Tum tandem quia causalitas moralis est vera causalitas, & ab ea sufficienter Gratia Habitualis denominatur causans suos effectus formales: Ergo Gratia Habitualis exercet solam causalitatem moralem in justificationem, & alios suos effectus.

6. *Oppositiones adversariorum refelluntur.* Objiciunt Adversarij *Primò*: Ex sententia Scotistarum sequitur, Gratiam Habitualem non esse causam formalem perfectam, & unicam nostræ justificationis, uti docet Tridentinum *sess: 6. cap: 7.* Insuper justificaret tantùm per favorem extrinsecum DEI, puta ordinationem ejus; quod damnatur in eodem Tridentino *cit: can: 11.* dicente, *Gratiam, quâ justificamur, non esse tantùm favorem DEI extrinsecum*: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: nam tametsi Gratia sit causa tantùm moralis, adhuc tamen vera causa moralis formalis, & perfecta est dicenda; nam in quantùm substat ordinationi Divinæ liberat perfectè & verè hominem à peccato, & reddit eum amicum DEI: Et similiter quà talis rectè etiam dicitur causa unica nostræ justificationis; quia nulla alia qualitas creata præter eam datur, quæ ex ordinatione Divina defacto justificaret formaliter moraliter. *Ad secundum* Neg: Ant: quia non solus favor DEI extrinsecus, seu ordinatio Divina justificat formaliter peccatorem, uti docebant Sectarij quidam, contra quos allegatus Canon Tridentini agit; sed præterea etiam requiritur ipsa qualitas Gratiæ Habitualis realiter inhærentis animæ per modum formæ creatæ, à favore DEI extrinseco distinctæ, etsi moraliter tantùm causantis Justitiam in homine; unde utrumque ad formalem justificationem requiritur tam qualitas Gratiæ Habitualis inhærentis, quàm ordinatio DEI, secundùm quam statuit DEUS hominē habentem Gratiam liberari à peccato, & fieri Filium adoptivum DEI.

Objiciunt secundo: Gratia Habitualis est quædam participatio Divinæ naturæ; ut ait Sancta Scriptura: Ergo cùm natura Divina sit ex intrinseca sua ratione sancta, ita & Gratia, & consequenter ex intrinseca, & physica sua ratione etiam causat in homine sanctitatem ac alios effectus. Præterea ex sententia Scotistarum sequeretur Gratiam se habere tantùm per modum signi, sicut se haberet v. g. intellectio, ex cujus suppositione DEUS vellet conferre vitam æternam; sed hoc est contra Tridentinum *sess: 6.* Ergo Gratia physicè causat suos effectus. Respondeo *ad Primum* Dist: Ant: Gratia Habitualis est quædam participatio physica Divinæ naturæ Neg: Ant: est moralis participatio Conc: Ant: & Neg: Conseq: *Ad secundum* Neg: Ant: nam Gratia Habitualis non tantùm signat dignitatem vitæ æternæ; sed est ipsa dignitas, ob quam tanquam causam formalem inhærentem acceptat eâ decoratum hominem in amicum, Filium, & hæredem vitæ æternæ; hæc tamen dignitas ei non convenit ex natura rei & physicè; sed tantùm moraliter, & ex ordinatione Divina; sicut Rex v. g. non habet regiam dignitatem ex natura sua; sed ex suppositione, quod eligatur in Regem; qua de causa ea dignitas non est in eo physica, sed moralis. 7. *Alia Argumenta objecta enodantur.*



DI-



DISTINCTIO II.

De Diſpoſitionibus ad Gratiam Habitualem Juſtificationis adultorum prærequiſitis.

QUÆSTIO I.

An adultus præmittere debeat aliquas Diſpoſitiones liberi arbitrij ad Gratiam Juſtificationis?

1. *Pro juſtificatione adulti requiritur diſpoſitio.*



DICO primò: In omni adulto peccatore prærequiritur aliqua diſpoſitio liberi arbitrij in ordine ad obtinendam Gratiam Habitualem juſtificationis. Ita communis TT.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: nam *1. Reg: cap: 7.* dicitur, *præparate corda veſtra Domino.* Et Zachariæ *1. cap: convertimini ad me, & convertar ad vos.* Qui textus inſinuant ex parte adulti juſtificandi per Gratiam Habitualem debere præcedere diſpoſitionem præparationis, & converſionis, quæ ſunt liberi arbitrij motus: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate Tridentini *ſeſſ: 6. cap: 5.* dicentis, quod juſtificandi *gratiâ excitanti & adjuvanti liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Et *can: 4.* definit, *ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium à ſolo DEO motum, & excitatum nihil coöperari aſſentiendo DEO excitanti atque vocanti, quâ ad obtinendam juſtificationis Gratiam ſe diſponat ac preparet, neque poſſe diſſentiri ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit:* Ergo in adulto peccatore prærequiritur aliqua diſpoſitio liberi arbitrij in ordine ad obtinendam Gratiam Habitualem juſtificationis.

2. *Authoritas SS: PP: pro diſpoſitione adultorum.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: docentium pariter hominem adultum peccatorem debere cooperari DEO ad juſtificationem, quæ cooperatio utique provenit à libero arbitrio per modum diſpoſitionis; unde Auguſtinus *tract: 72. in Joannem* dicit, *ſalutem in impio, ſed non ſinè impio Chriſtus operatur.* Et *ſerm: 3. de verbis Apoſtoli cap: 11.* explanans illud Apoſtoli, *quotquot Spiritu DEI aguntur; ij ſunt Filij DEI,* ait *dicit mihi aliquis: ergo agimur, & non agimus; imò & agis & ageris:* ageris ſcilicet per prævenientem Spiritûs S. Gratiam; agis per cooperationem liberam tuæ voluntatis, tanquam per diſpoſitionem accipiendæ Gratiæ juſtificationis: Ergo &c.

3. *Ratio Theologica ad idem.*

Probatur quartò ratione: Liberum arbitrium ex nullo capite impeditur à ponendâ diſpoſitione ſui conſensûs prævij, & cooperationis ad Gratiam juſtificationis obtinendam: Ergo dicendũ eſt, quòd omnino ſe diſponere debeat ad eandem. Prob: Ant: non impeditur ex eo quod ſit vulneratum per peccatũ; quia per Gratiam ſanatur liberum arbitrium, & taliter ſanatũ efficitur liberius ad cooperandum juxta Auguſtinum *lib: de Spiritu & litt: cap: per Gratiã ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrij - - - - & infrà: Gratia ſanat voluntatem, ut Juſtitia liberè diligatur.* Nec etiam ex eo quòd liberum arbitrium per adventum Gratiæ ſopiatur quodammodo, & evacuetur quoad ſuas vires; quia ùt dicit idem S. Doctor *loc: cit: liberum arbitrium evacuamus per Gratiam? abſit; ſed magis liberum arbitriũ ſtatuimus:* Ergo ex nullo capite impeditur liberũ arbitrium à ponenda diſpoſitione ſui prævij conſensûs, & cooperationis ad Gratiam juſtificationis obtinendam.

4. *Quadam objectiones enervantur.*

Objicies primò: Concilium Arauſicanum II. dicit *cap: 4. ut à peccato purgemur, DEUS voluntatem noſtram non expectat:* Ergo: &c. *Secundò,* ex Concluſione ſequeretur, quòd peccator proprijs actibus naturæ attingat ſuam juſtifi-

juſtificationem contra Tridentinum *ſeſſ: 6. can: 1.* definiens, *ſi quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per natura, vel legis doctrinam fecerit,* &c. *poſſe juſtificari, anathema ſit:* Ergo adultus non poteſt præmittere aliquas diſpoſitiones liberi arbitrij ad juſtificationis Gratiam obtinendam. Reſpondeo *ad Primum* explicando Arauſicanum, & dico illud ſolùm velle, quòd DEUS non expectet noſtram voluntatem, quæ præveniret Gratiam excitantem, & adjuvantem Divinam; ſed eam infundit ante omnē motum voluntatis; cum quo ſtat quòd deinde expectet noſtram voluntatem, ùt jam imbuta illâ gratiâ excitante operetur, & ſe ſe diſponat ulteriùs ad juſtificationem per actus ſuos liberos, ùt apertè dogmatizat Tridentinū *ſeſſ: 6. cap: 5. Ad ſecundum* diſt: Ant: ſequeretur quòd proprijs actibus naturæ partialiter, & diſpoſitivè tantùm attingeret ſuam juſtificationem Conc: Ant: quòd attingeret totaliter & effectivè producendo ipſam juſtificationem Neg: Ant: Itaque Tridentinum *cit:* ſolùm vult, quòd juſtificatio effectivè, & principaliter fiat per DEUM; formaliter verò per ipſam Gratiam Habitualem. Unde

5. *Gratia actualis eſt neceſſaria pro diſpoſitionibus juſtificationis habendis.*

Dico ſecundò: Peccator tamen adultus nequit abſque præveniente Divina Gratia actuali ponere ullas diſpoſitiones debitas liberi arbitrij ad obtinendam Gratiam Habitualem juſtificationis. Ita communis SS: PP: & TT: contra Pelagianos.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ Divino auxilio ſub nomine tractionis, præventionis &c. adſcribit juſtificationem; unde Joan: 6. dicitur, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum,* immittendo ſcilicet voluntati donum Gratiæ actualis vocantis, vel excitantis, vel adjuvantis. Et Pſal. *20. prævenisti in benedictionibus dulcedinis.* Et Joan: *15. ſinè me nihil poteſtis facere:* unde meritò reprimit D. Paulus inflatum, & diſcernentem ſe ab alio quaſi per ſua dona 1. ad Corinth: *4. quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid glorianis, quaſi non acceperis?* volens per hoc indigitare S. Apoſtolus, omne donum eſſe deſurſum à Patre luminum, & conſequenter etiam initium converſionis noſtræ proveniens à Gratia actuali DEI, quâ tandem pertingimus ad juſtificationem: Ergo, &c.

6. *Concilia*

Probatur ſecundò authoritate SS, Conciliorum Concluſionem aſſerentium contra Pelagium, ùt videere eſt in Arauſicano *can: 4. & 7.* Et Tridentino *ſeſſ: 6. can: 3.* dicente, *ſi quis dixerit ſinè præveniente Spiritus S. illuminatione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis Gratia conferatur, anathema ſit.* Ergo peccator adultus nequit abſque præveniente Divina Gratia actuali ponere ullas debitas diſpoſitiones ad obtinendam Gratiam Habitualem juſtificationis. *pro Concluſione.*

7. *SS. PP: pro eadem Sententia.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: neceſſitatem Gratiæ prævenientis contra Pelagium adſtruentium tanquam præviam, & omnium primam diſpoſitionem ad juſtificationem obtinendam; ſic facit Auguſtinus *lib: 1. ad Bonif: cap: 24.* Et rursùs *lib: 2. ad eundem*, ubi docet hominis eſſe præparare animam cum adjutorio tangentis cor hominis per auxilium gratiæ; quia ex Proverb: *8. preparatur voluntas à Domino:* Ergo &c. Itaque ut verbis Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 5.* utar, *Juſtificationis exordium in adultis à DEI per JESUM Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſt, hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus. meritis vocantur, ut qui per peccata à DEO averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem Gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem Gratia liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.*

QUÆSTIO II.

Quot; & quænam Diſpoſitiones actuales ex parte voluntatis adultus præmittere debeat ad juſtificationis Gratiam introducendam?

NOTA primò: Tridentinum *ſeſſ: 6. cap: 6.* omnes diſpoſitiones actuales concurrentes, tam ex parte intellectûs, quàm ex parte voluntatis ad Gratiam juſtificationis adultorum introducendam eleganter exprimere ſequenti textu; *diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & pro-* 1. *Tridentinum exprimit diſpoſitiones neceſſarias ad juſtificationem.*

& promissa sunt; atque illud in primis, à DEO justificari impium per Gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU; & dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ Timore, quò utiliter concutiuntur ad considerandum DEI misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes DEUM sibi propter Christum propitium fore; illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod & detestationum, hoc est per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptisma, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata. Sunt ergo ex parte intellectûs dispositiones prævíæ Fides aliqua; ex parte verò voluntatis Timor Divinæ justitiæ, Spes veniæ, Dilectio DEI inchoata, Odium peccati, Propositum suscipiendi baptismum, si justificandus uondum sit baptizatus; aliàs si sit, Propositum confitendi peccata, & Propositum servandi mandata. Dispositiones ex parte voluntatis (qui sunt quidam actus ejus eliciti) hâc quæstione examinabo; Fidem, quæ ad intellectum spectat, sequenti.

2. *Timor Divinæ justitiæ est utilis ad justificationem.* Dico primò: Timor Divinæ justitiæ est salutaris, ac utilis ad introducendam Gratiam justificationis; non tamen tamquam absolutè necessarius ad eandem obtinendam statuitur à S: Tridentina Synodo. Ita communis TT: Prima pars est contra Lutherum, qui præfatum Timorem dicit esse peccatum, & facientem homines pejores.

Probatur prima pars authoritate S: Scripturæ: quæ hujusmodi Timorem hominibus inculcat; unde dixit Christus Luc: 12. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et alibi eundem commendat *Prov: 14. Timor Domini fons vita.* Et Psal: 100. *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Et Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum*: Ergo Timor Divinæ justitiæ est salutaris, & utilis ad introducendam Gratiam justificationis.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eundem Timorem approbantium ùt salutarem, & bonum; ùt videre est apud Isidorum *de summo bono cap:* 8. Et apud Prosperum *lib: de vocat: Gent: cap:* 27. Et Cyprianum *lib: ad Quirinum cap:* 2. ubi eum appellat Fundamentum Fidei, & Spei. Et D. Augustinum *lib: de Cathecb: rudium cap: 5.* dicentem, *de ipsa etiam severitate DEI, quâ corda mortalium saluberrimo Timore quatiuntur, Charitas ædificanda est*: Ergo &c.

3. *Non tamen absolutè necessarius.* Probatur secunda pars. Tum quia Tridentinum signanter dicit hominem peccatorem illo Timore utiliter quidem concuti; non autem necessariò. Tum quia potest quis absolutè sperare à DEO veniam, ipsum diligere, de peccatis quoque conteri sinè ulla reflexione ad pœnas à DEO vindice infligendas: atque ita finaliter justificari: Ergo Timor Divinæ justitiæ non statuitur tanquam absolutè necessarius ad obtinendam Gratiam justificationis Observat tamen D. Augustinus *loc: cit: rarissimè accidere, imò ferè nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DEI Timore perculsus*; qui potissimè oritur, ùt bene notat P: Herincx hic, ex imperfectione naturæ corruptæ, præsertim ad proprium commodum propensioris, quæ proinde faciliùs à malo avertitur timore pœnæ, quàm amore virtutis.

4. *Spes est dispositio ad justificationem.* Dico secundò: Spes actualis rectè statuirur pro dispositione necessaria ad obtinendum justificationis beneficium. Ita communis TT: & SS: PP:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ adscribit spei tanquam dispositioni salutem, & salvationem, quod idem est ac justificationis beneficium; unde Poverb. 28. dicitur, *qui sperat in Domino salvabitur.* Et Psal: 36. *eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.* Et ad Rom: 8. *Spe salvi facti sumus*: Ergo.

Probatur secundò authoritate SS: PP: Conclusionem asserentium; signanter hoc præstat D. Augustinus *serm: 20. de verb: Apost:* inquiens, *Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*: Et D. Ambrosius *lib: 1. de pœnit: cap: 1. nemo potest agere pænitentiam* (atque ita justificari) *nisi qui speraverit Indulgentiam*: Ergo Spes actualis est necessaria dispositio ad justificationis beneficium.

5. *Similiter dilectio actualis DEI.* Dico tertiò: Ad consequendam quoque Gratiam justificationis instar dispositionis necessariæ rectè collocatur à Tridentino dilectio actualis DEI saltèm inchoata. Ita communis TT: & PP:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ eidem tanquam prævíæ dispositioni, attribuit effectum remissionis peccati, & consequenter justificationis; dicitur namque Luc: 7. *Remittuntur ei peccata*

peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et 1. *Joan:* 4. *omnis qui diligit, ex DEO natus est, & cognoscit DEUM, qui non diligit, non novit DEUM,* Hoc idem etiam insinuant illi textus, qui conversionem peccatoris ex toto corde, quod dilectionis vehementiam & perfectionem indicat, pro justificatione requirunt, ùt Deut. 4. *dum quæsieris Dominum DEUM tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum.* Et Joël: 2 *convertimini ad me in toto corde vestro:* Ergo ad consequendam Gratiam justificationis instar dispositionis necessariæ rectè ponitur dilectio actualis.

Dico quartò: Similiter Pœnitentiæ actus per modum dispositionis necessariæ ad assequendam Gratiam justificationis aptè assignatur à Tridentino. Ita quoque communis TT:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ Pœnitentiam prævium prærequirit ad remissionem peccatorum, & consequenter ad justificationem; quare Act. 2. dicitur, *pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et Act: 2. *Pœnitentiam agite, & bapizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Luc: 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis:* Ergo Pœnitentiæ actus est necessarius dispositivè ad assequendam Justificationis Gratiam.

7. *Et odium peccati.* Dico quintò: Odium quoque & actualis detestatio peccatorum bene ponitur pro dispositione necessaria ad Justificationis Gratiam habendam. Ita communis TT:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ ejusmodi Odium, & detestationem postulat ad obtinendam justificationem; nam Ezech: 18. dicitur, *projicite à vobis* (utique per abominationem, & detestationem) *omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Et ibidem, *cum averterit se impius ab impietate sua; ipse animam suam vivificabit.* In quibus textibus per abjectionem, & aversionem ab impietate intelligitur Odium, & detestatio peccatorum: Ergo Odium & detestatio peccatorum bene ponitur pro dispositione necessaria ad justificationis Gratiam habendam.

8. *Item propositum suscipiendi baptisma.* Dico sextò: Propositum actuale suscipiendi Baptismum, (vel peragendi Confessionem, si justificandus sit adultus) pariter rectè numeratur à Tridentino inter dispositiones necessarias justificationis obtinendæ. Ita pariter communis TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ; nam Act: 2. ponitur Baptismus tanquam necessarius ad remissionem peccatorum, & consequenter ad justificationem, dum dicitur *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs S.* Et Matth: *ult: cap: Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* Ergo &c.

Dico septimò: Tandem etiam Propositum actuale servandi mandata ad eandem justificationem, ùt prævia dispositio concurrere debet. Ita etiam communis TT: 9. *Et servandi præcepta DEI.*

Probatur authoritate S. Scripturæ: quæ ejusmodi etiam propositum exposcit, unde Ezech: 18. habetur, si *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit* (scilicet in voto, & proposito) *omnia præcepta mea &c. Vita vivet.* Et Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* Ergo &c.

QUÆSTIO III.

Utrum, & qualis Fides sit necessaria ad Iustificationem?

DICO primò: aliqua Fides actualis per modum necessariæ dispositionis rectè asseritur à S. Tridentina Synodo ad obtinendam justificationis Gratiam. Ita communis SS: PP: & TT. 1. *Fides pariter est necessaria dispositio ad justificationem.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ necessitatem Fidei actualis asserentis pro obtinenda justificatione; sic dicitur Hebr: 11. *sinè Fide impossibile est placere DEO.* Et rursus, *accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & remuneratoribus se remunerator erit.* Et Mart. *ult: cap: qui non crediderit, condemnabitur.* Et Joan: 3. *qui non credidit, jam judicatus est:* Ergo revera aliqua Fides actualis, per modum necessariæ dispositionis ad obtinendam justificationis Gratiam rectè asseritur à S. Tridentina Synodo.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eandem necessitatem Fidei actua- 2. *Testimonii*

lis

Augustini ad idem. lis pro justificationis dono obtinendo agnoscentium; signanter D. Augustini *lib. de peccat: originali cap: 4.* Et *lib: de prad: SS: cap: 7.* dicentis, *ex Fide autem Apostolus ideo dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, de qua impetrantur catera, qua propriè opera nuncupantur, quibus justè vivitur*: Ergo &c.

3. *Sectary triplicem Fidem distinguunt.* Nota autem primò pro intellectu sequentis Conclusionis; Sectarios modernos Calvinianæ, & Lutheranæ hæresis triplicem distinguere Fidem, Historicam scilicet, Miraculorum, & Promissionum. *Fidem Historicam* dicunt illam, quâ credimus vera esse ea omnia quæ ùt à DEO revelata in Sacris Bilijs continentur; de qua loquitur Apostolus ad Hebr: 11. *Fide credimus aptata esse facula.* *Fides Miraculorum* est eadem Historica, quatenus annexam habet virtutem patrandi miracula, credendo videlicet, quòd nihil sit, quòd à DEO fieri non possit; de hac loquitur Apostolus 1. ad Cor: 13. *si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam.* *Fides tandem Promissionum est*, quâ credimus veras esse promissiones DEI de gratuita peccatorum remissione per Christi merita; hanc dicunt Lutherani esse quandam specialem fiduciam, quam habet homo in promissione & misericordia DEI, de qua loquitur Apostolus Marc: ult: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

4. *Fides Promissionum, & Fiducia non sunt dispositio ad Justificationem.* Dico secundò: Fides quæ est dispositio prævia ad justificationem non est Fides aliqua Promissionum, vel Fiducia specialis quâ credit peccator sibi peccata sua à DEO per Christum esse remissa; sed est Fides dogmatica, seu Historica. Ita communis TT: contra Calvinistas, & Lutheranos.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: quæ Fidem disponentem ad justificationem insinuat esse Fidem dogmaticam, seu actum intellectûs, & illam, quam Sectarij vocant Historicam; sic namque dicitur Joan: 6. *verba vita aterna, & nos credimus, & cognovimus; quia tu es Christus Filius DEI vivi, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et Rom: 10. *hoc est Verbum Fidei, quod pradicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Et Hebr: 10. postquam *Apostolus* dixisset, *justus autem meus ex Fide vivit*, statim *sequenti cap:* exprimit hanc Fidem pertinere ad intellectum, & esse Historicam per illa verba, *Fide credimus aptata esse sacula Verbô DEI*: Ergo Fides, quæ est dispositio prævia ad justificationem non est Fides Promissionum, seu aliqua Fiducia specialis; sed Fides dogmatica.

Probatur secundò authoritate Tridentini, quòd *sess: 6. can: 12.* damnat asserentes Fidem, quæ ad justificationem disponit, esse puram Fiduciam, *si quis dixerit Fidem justificantem nihil aliud esse, quàm Fiduciam Divina misericordia peccata remittentis propter Christum; vel eam Fiduciam solam esse, qua justificat, anathema sit*: Ergo &c.

5. *Tridentinum & PP. stant pro conclusione.* Probatur tertiò authoritate SS: PP: Conclusionem asserentium; unde S. Leo *serm: 4. de Epiph:* ait, *hoc est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro JESU Christo & vera DEItas, & vera credatur humanitas.* Idem profitetur S. Augustinus *lib: de pradest SS:* Et S. Cyrillus Jerosolymitanus *catech: 54.* ubi duplicem distinguit Fidem, unam *dogmaticam*, quæ coincidit cum Historica, & per hanc docet Latronem fuisse salvatum in Cruce, nosque pariter per eam salvari: alteram quæ est *Gratia gratis data*, per quam miracula patrantur: Ergo revera Fides dogmatica, ùt est actus intellectûs, est dispositio prævia ad justificationem; non verò ùt est actus Fidei promissionis DEI, quâ credimus esse veram de gratuita peccatorum remissione, eamque fidimus nobis applicari, & non imputari nobis peccata.

6. *Ratio Theologica pariter.* Probatur quartò ratione: contingit aliquem quandoque justificari per actum Fidei formatæ, absque omni Fide promissionis, seu Fiducia; sic Hemeroissa apud Luc: *cap: 8.* refertur habuisse actum Fidei formatæ, dum dixit, *si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*, & desuper statim vocatur à Christo *Filia*, quò indicatur eam jam esse vi illius actûs Fidei justificatam, juxta Hieronymum in illum passum scribentem; & postea primò hortatur eam Christus ad habendam Fiduciam *confide Filia*: Ergo Fides promissionis per Fiduciam acceptа non est necessaria dispositio ad justificationem; atque adeò Fides disponens ad eam debet esse Fides illa, quæ est actus intellectûs. Deinde nullibi extat aliqua specialis promissio DEI revelata, quòd Calvino, vel Luthero, vel altri peccatori in specie sint remissa peccata: Ergo circa hoc non possunt isti habere Fidem, quæ eos justificaret; at-

que ita talis Fides est conficta. Nec sufficit generalis promissio DEI in Scriptura revelata, quòd omnibus rectè conversis DEUS remittat peccata; quia saltèm nullus textus Scripturæ Luthero, vel Calvino, vel altri particulari personæ peccatrici dicit, se rectè esse conversos; quapropter circa hujusmodi conversionem istæ particulares personæ nullam Fidem justificantem possunt exercere; quæ semper innititur objecto revelato.

7. *Scriptura ab Hæreticis obtrusa.*

Objiciunt Hæretici *primò*: Apostolus ad Rom: 1. docet, justificationem sequi ex Fide promissionis, illis verbis, *ideo ex Fide, ut secundùm Gratiam firma sit promissio omni semini*, &c. Ergo &c. *Secundò* in Scriptura jubemur orare DEUM cum fiducia obtinendi ea, quæ rogamus; sic dicitur Jacob: 1. *si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à DEO, & dabitur ei, postulet autem in Fide nil hæsitans*: Ergo Fides accepta pro Fiducia est quoque dispositio ad justificationem; si eà indigeat homo.

8. *Elucidantur.*

Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: & ad textum Apostoli dico, ibi Fidem accipi pro Fide dogmatica, quam habuit Abraham de omnipotentia DEI, quâ effecturus erat aliquando DEUS, ut promissiones ejus adimplerentur sibi factæ de conversione Gentium ad Fidem, & adventum Messiæ ex semine suo, ut ita esset Pater futurus omnium credentiu non solùm Judæorum in circumcisione; sed & Gentium secundùm Fidem; unde de hac Fide dogmatica sequitur in *eod: cap: confortatus est* (scilicet Abraham) *Fide dans gloriam DEO, plenissimè sciens, quia quacunque promisit DEUS, potens est facere. Ad Secundum* Concedo, quòd nostras orationes debeat comitari aliqua Fiducia, puta ut non dubitemus DEUM posse præstare id, quod rogamus; item DEUM velle præstare id quod rogamus, si rogatio & oratio fiat ùt oportet; at non debet eas comitari Fiducia in sensu Hæreticorum, quâ confidimus, quod in particulari certó impetraturi simus id, quod postulamus; quia nullibi constat absque speciali revelatione, quòd orans omnes adhibuerit conditiones necessarias ad ritè orandum.

9. *Sola Fides dogmatica est dispositio ad justificationem.*

Dico tertiò: Fides dogmatica: quæ est prævia dispositio ad justificationem maximè primam adultorum non baptizatorum debet esse de istis articulis revelatis explicitè, ut nimirum adultus credat DEUM existere, & remuneratorem bonorum esse; item impium à DEO justificari per gratiam ejus, & redemptionem Christi JESU veri Mediatoris pro nobis passi, & mortui &c. sicut in Credo Apostolico habetur; item de Trinitate, & similibus capitalibus dogmatibus Christianorum. Ita Scotus 3. *dist; 25. q: 1:* S. Thomas, S. Bonaventura &c. contra RR: Arriag: Lugon: &c. asserentes, sufficere implicitam Fidem dictorum articulorum.

Probatur: Quia isti articuli passim in S. Scriptura & CC: afferuntur tanquam necessariò credendi ab ijs, qui volunt esse Christi, & justi; Articulus quidem existentiæ, & remunerationis ad Hebr: 11. *accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Articulus justificationis impij per Gratiam DEI & Redemptionem Christi ponitur à Trid: *sess: 6. cap: 6. credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à DEO justificari impium per Gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU.* Articuli de Mediatione, Passione, Morte, & alijs Mysterijs Christi ejus Divinitatem & Humanitatem concernentibus, registrantur in Symbolo Apostolico & in S. Evangelio; deque ijs jubet Ecclesia instrui Catechumenos ante susceptionem Baptismi; & de ijsdem procedit illud Joan: 7. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM; & quem misisti JESUM Christum*, utique secundum principalia Mysteria ejus. Articulus de Trinitate habetur Matth: *ult: euntes docete omnes Gentes* (utique id cujus nomine baptizandæ erant) *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Vide plura de hoc *Tom: 4. Tract: de Fide, Dist: 1. q: 18.*

10. *Sed cum operibus.*

Dico quartò: Fides dogmatica sinè operibus non sufficit ad Justificationem. Ita TT: omnes; contra quosdam priscos, & etiam Recentiores Hæreticos.

Probatur: Tum authoritate Sacræ Scripturæ; nam Jacob: 2. dicitur, *Fides sinè operibus mortua est.* Et ad Galat: 5. *in Christo enim JESU neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed Fides, quæ per charitatem operatur.* Tum authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 7.* præfatos textus quoque allegantis, & Fidem sinè operibus, nequaquam sufficere ad salutem. Tum authoritate SS: PP: idem dogmatizantium; quos vide citatos apud nostrum P. Bernardinum Wettvveis *in suis Controversijs*, & Bellarminum

num

num *lib: 1. de Justific: cap: 13.* Ergo Fides dogmatica sinè operibus non sufficit ad justificationem.

11. *Objectiones Hæreticorũ ex Script:* Objiciunt Hæretici *primò*: Act: 13. dicitur, *in hoc omnis qui credit justificatur*. *Secundò*: Luc: 7. dicitur de Magdalena peccatrice, *Fides tua te salvam fecit*. *Tertiò* Luc: 8. dicitur, *crede tantùm, & salva eris*; quibus omnibus textibus soli Fidei attribuitur justificatio, nullâ factâ mentione operum: Ergo Fides sinè operibus sufficit ad justificationem.

12. *Quibus obviatur.* Respondeo *ad Primum*; ex hoc textu tantùm haberi, quòd credulitas conducat unicuique ad justificationem; sed non dicitur, quòd sola sufficiat. Itaque omnis qui credit, & simul ponit opera patientiæ, dilectionis, observantiæ mandatorum DEI, & similia, quæ alij textus Scripturæ quoque postulant pro justificatione, is justificabitur. *Ad secundum* dico, Fidem Magdalenæ salvantem non fuisse nudam, sed formatam opere charitatis, ac dilectionis DEI; unde de eadem dicitur ibidem, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Ad Tertium* dico ibi sermonem esse de Fide Matris requisita ad patrationem miraculi, ut Filia sanaretur; non ergo ille textus est ad propositum de Fide prærequisita ad justicationem.



DISTINCTIO III.

De Justificatione secundùm se.

QUÆSTIO I.

De Quidditate; formali ratione ordinaria; & causis justificationis.

1. *Definitio vera justificationis.*



DICO primò: Rectè describitur Justificatio formalis, quòd sit *translatio hominis à statu quô quis nascitur Filius primi Adæ, vel in quo detinetur sub peccato personali, ad statum Gratiæ Habitualis, & adoptionis Filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum.* Ita paucis verbis exceptis Tridentinum *sess: 6. cap: 4.*

Probatur: Hâc descriptione aptè exprimitur natura justificationis; itaquè adsunt omnia desiderata ad rectam descriptionem; Ergo &c. Explicantur breviter singulæ particulæ: dicitur *translatio hominis*, quod ponitur locô generis, ad insinuandum in homine justificato fieri veram mutationem, quam Conc: Trid: *cit: cap: 7. renovationem interioris hominis* vocat. Dicitur *à statu in quo quis nascitur Filius primi Adæ*, ad designandum terminum à quo fit translatio hominis non baptizati justificandi, qui est status peccati originalis in Adam contracti. Additur, *vel in quo detinetur sub peccato personali* ad designandum terminum à quo fit translatio hominis jam baptizati, sed rursus lapsi. Apponitur *ad statum Gratiæ Habitualis*, ad exprimendum terminum ad quem mutationis, & translationis hominis peccatoris, qui est status Gratiæ Habitualis, quam mediante justificatione acquirit homo. Dicitur *& adoptionis Filiorum DEI*, ut ostendatur peculiaris finis justificationis, ad quem ordinatur justificatio hominis, quia nimirũ eâ mediante efficitur Filius adoptivus DEI, & hæres vitæ æternæ. Additur tandem *per secundum Adam JESUM Christum*, ut monstretur causa meritoria justificationis. quæ est Christus, ùt infrà ampliùs ostendam.

Dico secundò: Justificatio formalis hominis fit de facto formaliter per Gratiam Habitualem, seu Charitatem Habitualem intrinsecè inhærentem homini. Ita communis Catholicorum; contra Calvinistas, & alios, docentes justificationem vel fieri formaliter per Fidem seu Fiduciam in misericordia DEI, vel Justitiam Christi, vel per imputationem Justitiæ Christi, sinè ulla alia forma. 2. *Justificatio fit mediante Charitate inhærente.*

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ docet homines peccatores effici justificatos per aliquid in il- alos

los à Christo derivatum, ùt ad Ephes: *4. unicuique nostrûm data est Gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Et Joan: *1. de plenitudine ejus omnes nos accepimus Gratiam pro Gratia.* Idem docet Joan: 4. *peccatores in Justificatione renasci.* Et ad Tit: *4. renovari Spiritu mentis.* Et ad Gal: *3. vivificari in Christo.* Et 1. ad Cor: 6. *ablui.* Et 1. ad Cor: 3. *Spiritum S. habitare in eis*: Qui omnes loquendi modi insinuant justificationem hominis fieri formaliter per aliquam formam stabilem intrinsecè inhærentem animæ, à qua sola ejusmodi mutationes intrinsecæ derivationis, renascentiæ, renovationis, vivificationis, ablutionis, & similes effectus propriè provenire possunt; non autem Fide transitoriâ, vel imputatione extrinsecâ Justitiæ Christi: Ergo &c.

3. *Authoritas Tridentini, & SS: PP: pro conclusione.* Probatur secundò authoritate Tridentini *sess: 6. can: 1.* docentis, *si quis dixerit hominem - - - absque Gratia per JESUM Christum posse justificari, anathema sit.* Et *Can: 12.* excludit à ratione formali justificandi Fidem, seu Fiduciam; *si quis dixerit, Fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit.* Et *Can: 11.* excludit imputationem Justitiæ Christi ab eodem munere; *si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione Justitiæ Christi &c. anathema sit.* Et *can:* 10. excludit ipsam formalem Justitiam Christi; *si quis dixerit homines sinè Christi Justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit*: Ergo his modis Hæreticorum exclusis manet, quòd justificatio hominis peccatoris fiat defacto formaliter per Gratiam Habitualem inhærentem.

Probatur tertiò authoritate SS:PP: affirmantium, justificationem hominis fieri per Charitatem Habitualem inhærentem creato homini distinctam à justitia inexistente DEO, vel Christo; sic docet S. Augustinus *lib: de Spir: & litt: cap: 9.* ubi expendens illud Apostoli ad Rom: 3. *Justitia DEI manifestata est*, dicit, *non dicit Justitia hominis, vel Justitia propriè voluntatis; sed Justitia DEI. non quâ induit hominem, justificat impium*; Ergo &c.

4. *Ratio ad idem.* Probatur tertiò ratione: Justificatio fieri debet per aliquam formam, quæ est intensibilis; quia justificatio potest augeri, ùt suprà *quæst: 3. concl: 1.* ostendi sed sola Gratia Habitualis, seu Charitas, non autem Justitia DEI, vel Christi, vel Fides, quâ sibi peccator persuadet Justitiam DEI, vel Christi ad se pertinere propter ejus misericordiam, est intensibilis: Ergo illâ solâ nõ fit defacto formaliter justificatio hominis. Deinde ex sententia Hæreticorum sequeretur, quemlibet posse esse certum physicè de sua justificatione, & salute contra expressam Scripturam Eccl: *9. nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit*: Ergo &c. Prob: Ant: quivis est physicè certus, quia experitur, dum credit more Hæreticorum, se habere Fidem, seu Fiduciam in misericordiam Divinam: Item dum sibi persuadet, Justitiam Christi imputari sibi: Ergo quivis esset physicè certus de sua justificatione.

5. *Objecta Hæreticorum.* Objiciunt Hæretici primò 1. ad Cor: 1. dicitur *Christus factus nobis Sapientia à DEO, & Justitia, & justificatio*: Ergo nostra justificatio est Justitia Christi. *Secundò* ad Rom: 4. dicitur, *credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur ei Fides ad Justitiam*: id est imputatur ei Justitia DEI. *Tertiò* plures SS: PP: vocant Justitiam DEI, Justitiam suam; sic signanter Bernardus *serm: 61. in Cantic: Domine inquit memorabor Justitiæ tuæ solius; ipsa enim est mea*. Ergo &c.

6. *Resolvuntur.* Respondeo *ad Primum* glossando allegatum textum, & dico eum duntaxat velle, quod Christus meritoriè sit factus Justificatio nostra; quia de plenitudine ejus accepimus omnem gratiam, non autem formaliter. Hâc viâ solvuntur plures authoritates ab Hæreticis objectæ. *Ad Secundum* glosso quoque illum passum, & dico eum procedere in sensu dispositivo, acsi diceret, quòd Fides credentis in DEUM reputetur ei pro dispositione ad Justitiam obtinendam. *Ad Tertium* dico SS: PP: & signanter D. Bernardum esse intelligendos eôdem modô, quô Apostolus *citatus* ad Rom: intelligitur, scilicet in sensu meritorio; non autem formaliter. Circa ultimum articulum.

7. *Textus Tridentini de Causis justificationis.* Nota primò: Causas Justificationis cum suis Scripturæ testimonijs optimè referri à Tridentino *sess: 6. cap:* in hunc modum; *hujus Justificationis causæ sunt, Finalis quidem gloria DEI, & Christi, ac vita æterna. Efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & ungens Spiritu promissionis S. qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster JESUS Christus. Instrumentalis item Sacramentum Baptismi* (quando justificatio afficit primò justificandum, aliàs est Sacramentum Pœnitentiæ) &c. De-

&c. *Demum unica formalis causa est Justitia DEI, non quâ ipse justus est; sed quâ nos justos facit*, scilicet Gratia Habitualis, seu Charitas ùt postea *in eod: cap:* specificat.

QUÆSTIO II.

De Justificatione, nata fieri de potentia absoluta DEI.

1. *DEUS potest justificare sine forma inhærente Gratia.*



DICO primò: DEUS potest de potentia sua absoluta justificare peccatorem sinè infusione ullius Gratiæ Habitualis. Ita Scotus *4. dist: 16. q: 2.* cum suis & S. Bonaventura, Alensi, Occamo, Suarez, &c. contra Thomistas, & Vasq: Turrian: Amicum &c.

Probatur: Tum quia Gratia Habitualis defacto infusa in ordine ad justificationem est beneficium DEI gratuitum, liberè ab eo datum: Ergo ab ejus datione potest abstinere DEUS; sicut homo potest cessare à collatione beneficij, quod gratis largitur. Tum quia posset DEUS peccatori remittere peccata per solam extrinsecam gratuitam condonationem, non minùs quàm homo, qui inimico suo remittit offensam per simplicem condonationem: Ergo tunc censetur peccator justificatus sinè infusione ullius Gratiæ Habitualis. Tandem DEUS posset vim justificandi annectere actui contritionis; in hoc enim nulla apparet implicantia: Ergo tunc justificatio fieret sinè Gratia Habituali.

2. *Et sinè mutatione Physica.* Dico secundò: Similiter posset DEUS de potentia absoluta justificare peccatorem sinè mutatione physica in eodem. Ita Scotus *4. dist: 1. q: 6.* & communis Scotist; contra Thomist:

Probatur: Tum quia & in hoc nullà apparet implicantia; neque excedit vires DEI extraordinariè operantis: Ergo &c. Tum quia sufficeret pro justificatione vera peccatoris sola moralis mutatio; quòd nimirum DEUS condonaret ei offensam, eumquè reciperet in amicum, Filium adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, licèt ei nullum donum conferret, immutans physicè animam ejus.

3. *Unum peccatum sinè alio non re-* Dico tertiò: Etsi de potentia ordinaria in justificatione unum peccatū sinè alio non remittatur; de potentia tamen extraordinaria DEI id fieri potest. Ita communis TT: *mittitur de facto.*

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; quæ adscribit justificationi vivificationem ad Gal: 3. Et renascentiam Joan: 4. Et renovationem ad Tit: 4. Et ablutionē 1. ad Cor: 6: quæ omnia insinuant homini in justificatione remitti defacto omnia peccata, si enim aliquod remaneret, censeretur mortuus, & non vivificatus, neque de eo verè diceretur renovatio, ablutio &c. Ergo &c.

Probatur secundò: Tum authoritate Tridentini, quod *sess: 6. ap: 7.* Justificationem appellat *stolam primam, candidam, & immaculatam*; & consequenter carentem omni peccato remanente. Tum authoritate Innocentij IV. qui ùt refertur *in capite Majores, de Baptismo*, declarat originale peccatum non remitti sinè mortalibus actualibus, dum ait, *Dominus qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit*: Ergo de potentia ordinaria in justificatione unum peccatum sinè alio non remittitur.

4. *Posset tamē de potentia absoluta.* Probatur secunda pars: Justificatio est opus planè liberum DEI: Ergo eā DEUS potest purificare hominem ab uno peccato, & non ab altero. Deinde unum peccatum ponitur frequenter absque altero, habetquè maculam distinctam ab altero: Ergo de potentia extraordinaria posset quoque DEUS peccatorem mundare ab uno, & non ab altero. Tandem ex nullo capite apparet implicantia, cur DEUS non posset peccatorem justificare, maximè per extrinsecam condonationem ab uno, & non ab altero peccato; cùm homo possit homini remittere unam offensam vel injuriam, & non alteram.

5. *Quid sentiendum de dimidiatè justificato.* Nota autem; hominem sic dimidiatè justificatum non propterea acquirere jus ad vitam æternam; nec posse dici simpliciter justum, & amicum DEI. Ratio est; quia reliqua peccata remanentia sufficienter adhuc excludunt illum à jure illo, justitia completa, & amicitia perfecta DEI.

6. *De potentia absoluta posset fieri justificatio sinè retractatione peccati.* Dico quartò: Tandem etiam de potentia extraordinaria DEI posset justificari adultus peccator sinè omni actu retractationis peccati; aliàs regulariter requisito. Ita Scotus *4. dist: 14. q: 1.* cum suis; & Nominalibus; & ex Neotericis Lugone, Tannero, Arriag: Ovied: &c.

contra Soto, Conradum, Morand: & plures Thomistas.

Probatur *primò* ratione Scoti *cit:* Homo offensus potest remittere offensam sibi irrogatam absque eo, quod offendens retractet actum suum offensivum: Ergo à fortiori DEUS potest peccatori remittere offensam, atque ita eum justificare sinè omni actu retractationis offensæ seu peccati. *Secundò*: Retractatio peccati est tantùm dispositio ad justificationem adulti requisita: Sed DEUS potest absque dispositione tali induere immediatè formam Gratiæ justificantis; in hoc enim nulla est implicantia: Ergo absque omni retractatione actuali, potest justificari peccatòr adultus. *Tertiò*: potest peccator adultus justificari absque omni Gratia Habituali, ùt suprà *concl:* 1. ostensum est: Ergo etiam absque actu positivo retractationis peccati.

7. *Variæ objectiones contra conclusionem.*

Objicies contra primam Conclusionem *primò*: Tridentinum *sess: 6. cap:* 7. docet, hominem justificari per infusionem Gratiæ: Ergo &c. *Secundò*: peccatum est privatio Gratiæ: Ergo non potest auferri in justificatione, nisi per ipsam Gratiam; atque adeò justificatio fieri nequit sinè infusione Gratiæ. *Tertiò*: in justificatione efficitur homo amicus DEI formaliter: sed effici amicum DEI est effectus formalis à sola Gratia proveniens; sicut esse album ab albedine: Ergo justificatio nequit esse nisi per Gratiam.

8. *Expediuntur.*

Respondeo *ad Primum* explicando Tridentinum, & dico illud loqui de justificatione, prout contingit de potentia ordinaria, & defacto; non autem quæ fieri posset de potentia DEI extraordinaria. *Ad Secundum* Dist: Conseq: peccatum non potest auferri nisi per Gratiam Habitualem semper Neg: Conseq: nisi per Gratiam Actualem extrinsecæ condonationis Conc: Conseq: Itaque si DEO placeret, posset de potentia absoluta tollere à peccatore peccatum habituale per solam gratiam extrinsecæ condonationis; cùm peccatum non sit essentialiter privatio Gratiæ Habitualis; sed gratiæ cujuscunque, ac consequenter etiam gratiæ extrinsecæ condonationis, quâ privaret in casu conclusionis. *Ad Tertium* Dist: Min: est effectus formalis à sola Gratia Habituali proveniens Neg: Min: à gratia etiam actuali extrinsecæ condonationis proveniens Conc: Min: & Conseq: Itaque cùm esse amicum DEI sit effectus non physicus, sed moralis proveniens à Gratia Habituali ex ordinatione Divina, si DEUS non vellet attendere præsentem suam ordinationem, sed agere de potentia sua absoluta, aliter ille effectus moralis posset provenire ab alia forma, puta à Gratia extrinsecæ condonationis Divinæ.

9. *Sufficit mutatio moralis ad diligi à DEO.*

Objicies contra secundam Conclusionem: Homo peccator odio habetur à DEO, & dum justificatur diligitur à DEO: Ergo in justificatione transit cum mutatione physica de esse peccatorem ad non esse peccatorem. Respondeo Neg: Conc: sufficit enim ad ejusmodi transitum mutatio moralis, proveniens à Divina condonatione extrinseca, à qua homo peccator habet non ampliùs esse peccatorem coram DEO, sed amicum ejus.

10. *Quædam oppositiones resolvuntur.*

Objicies contra quartam Conclusionem *Primò*: Peccatum habituale includit liberam aversionem à DEO: Ergo tolli debet præviô actu liberô aversionis â creatura, & consequenter absque aliquo actu elicito retractationis nequit fieri peccatoris adulti justificatio: *Secundò*: DEUS nequit justificare hominē â peccato actuali nisi cesset ab actione peccaminosa: Ergo neque ab habituali nisi illud priùs retractet. Respondeo *ad Primum* Dist: Ant: peccatum habituale includit liberam aversionem â DEO causaliter, quatenus scilicet causata est â culpa actuali Conc: Ant: formaliter Neg: Ant: Itaque in peccato habituali non est formalis aversio à DEO, qualis est in peccato actuali; unde de potentia absoluta DEI ad eam tollendam sufficeret conversio habitualis, qualis fieret per Gratiam â DEO infusam tanquam oppositam peccato habituali absque prævio actu retractationis peccatoris. *Ad Secundum*: Neg: Conseq: disparitas est; quia peccator actualis ponit obicem actualem gratiæ justificantis; non sic peccator habitualis, qui saltèm tacitè se disponit ad justificationē per suum consensum recipiendi gratiam, etsi actu non retractet peccatum habituale.

QUÆSTIO III.

De Operatione Contritionis in Justificatione.

DICO

1. *Contritio non justificat formaliter.*

ICO primò: Defacto nunquam actus Contritionis etiam perfectissimæ justificat formaliter peccatorem; sed dispositivè tantùm. Ita Scotus *1. dist: 17. q: 1.* Et *4. dist: 14. q: 2.* cum sua Schola; contra Merat: Hurtad: Turrian: Vasq: &c.

Probatur omnibus illis rationibus, quas pono *Tom: 3. de Sacramentis dist: 2. q. 2. Concl: 1.* Deinde rursus omnibus illis authoritatibus Scripturæ, Tridentini, & PP: quibus suprà *quæst: 1. Concl. 2.* ostendi justificationem formalem hominis peccatoris defacto fieri formaliter per Gratiam Habitualem, seu Charitatem Habitualem. Quibus adde illam Tridentini *sess: 6. cap: 7.* quâ dicitur, hominem justificari per infusionem Gratiæ, Justitiæ inhærentis, ac permanentis: Ergo non per actum aliquem contritionis; quia actus propriè non dicitur infundi, cùm sit ab homine elicitus; & licèt inhæreat, non tamen propriè permanenter dicitur inhærere. Item illam *eod: cap:* quâ dilectionem, seu actum contritionis, de quo priùs differuerat *cap: 6.* appellat *dispositionem*: Ergo defacto nunquam actus contritionis justificat formaliter, sed dispositivè tantùm.

2. *Ratio Scoti eadem.*

Probatur secundò: Tum ratione Scoti *1. dist: 17. q: 2.* status sanctitatis, & Justitiæ est status firmus, & stabiliter permanens: Ergo nequit provenire ab actu contritionis seu dilectionis DEI, qui ex natura sua est transiens. Tum quia si actus contritionis perfectæ justificaret formaliter quoties adest, sequeretur Gratiam nullatenus justificare, contra expressum Tridentini canonem *sess: 6. can: 1. si quis dixerit hominem - - - - absque Divina per JESUM Christum Gratia posse justificari coram DEO, anathema sit*: Ergo &c. Prob: Ant: tota justificatio hominis consummaretur per actum contritionis priorem infusione Gratiæ: Ergo sequeretur Gratiam nullatenus justificare.

3. *Variè opponunt adversarij.*

Objiciunt Adversarij *primò*: plura Scripturæ, & SS: PP: testimonia attribuunt contritioni, seu dilectioni DEI varia encomia, arguentia vim justificativam formaliter; dicunt enim eam esse operturam peccatorum, remissionē eorundē, & conjunctionem cum DEO, & consequenter justificationem: Ergo &c. Prob: Ant: nam *1. Pet:* dicitur *charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et Augustinus *de morib: Eccles: cap: 12.* dicit, *qui separatur à DEO, dilectione redit in DEUM*: Ergo &c. *Secundò* ipsô factô quô peccator elicit actum contritionis seu dilectionis DEI non ampliùs est objectum odij ac displicentiæ; sed amoris; & consequenter amicitiæ veræ, quæ infert justificationem: Ergo &c. *Tertiò*: Contritio est actus perfectissimus, quem creatura cum auxilio DEI elicere potest: Ergo suaptè naturâ justificat. Conseq: tenet; quia non minùs perfectissimus actus justificat, quàm perfectissimus habitus: Ergo si Gratia Habitualis ùt perfectissimus habitus sanctificat; etiam contritio quæ est actus perfectissimus id quoq; præstabit.

4. *Sed respondetur eis sufficienter.*

Respondeo *ad Primum*; Scripturam, & SS: PP: non tantùm contritioni; sed etiam eleemosynæ, & Fidei attribuere similia encomia; nam eleemosyna dicitur extinguere peccatum; Fides salvum facere; & tamen nec eleemosyna, nec Fides justificat formaliter. Itaque glosso Scripturas, & SS: PP: dicoquè illa testimonia esse intelligenda de Charitate Habituali. *Ad Secundum* Concedo peccatorem elicientem contritionem fieri objectum amoris DEI; sed nego hoc sufficere ad veram amicitiam inferentem justificationem; quia ad hanc præterea defacto etiam requiritur fundamentum dignitatis, & bonitatis, quô redametur ab amico DEO, quod est Gratia Habitualis, quâ quis redditur dignus, ut à DEO ametur. *Ad Tertium*: Neg: Conseq: cum sua Prob: quia actus contritionis, etsi perfectissimus sit in genere perfectionis actualis, nunquam tamen pertingit ad gradum perfectionis Gratiæ Habitualis; quia hæc sola præstat dignitatem amicitiæ DEI; & ipsa sola est ratio acceptandi, tam naturam, quàm actum, ùt inquit Scotus *loco cit:*.

5. *De potentia absoluta posset Contritio justificare formaliter.*

Dico secundò: De potentia tamen absoluta actus contritionis perfectæ posset justificare formaliter. Ita communiter Scotistæ de mente Scoti; qui docet posse alicui remitti peccata absque infusione gratiæ per solam condonationem gratuitam DEI; ergo à fortiori sentit hoc fieri posse per contritionem. Conclusio est contra Bellarm: Granad: Amic: Ovied: Lugon: &c.

Probatur: Tum quia in hoc nulla apparet implicantia. Tum quia per solam condonationem gratuitam DEI, ùt suprà *q: 2. concl: 1.* dixi, sinè omni infu-

sione

justificationem contra Tridentinum *sess: 6. can: 1.* definiens, *si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per natura, vel legis doctrinam fecerit,* &c. *posse justificari, anathema sit:* Ergo adultus non potest præmittere aliquas dispositiones liberi arbitrij ad justificationis Gratiam obtinendam. Respondeo *ad Primum* explicando Arausicanum, & dico illud solùm velle, quòd DEUS non expectet nostram voluntatem, quæ præveniret Gratiam excitantem, & adjuvantem Divinam; sed eam infundit ante omnẽ motum voluntatis; cum quo stat quòd deinde expectet nostram voluntatem, ùt jam imbuta illâ gratiâ excitante operetur, & se se disponat ulteriùs ad justificationem per actus suns liberos, ùt apertè dogmatizat Tridentinũ *sess: 6. cap: 5. Ad secundum* dist: Ant: sequeretur quòd proprijs actibus naturæ partialiter, & dispositivè tantùm attingeret suam justificationem Conc: Ant: quòd attingeret totaliter & effectivè producendo ipsam justificationem Neg: Ant: Itaque Tridentinum *cit:* solùm vult, quòd justificatio effectivè, & principaliter fiat per DEUM; formaliter verò per ipsam Gratiam Habitualem. Unde

5. *Gratia actualis est necessaria pro dispositionibus justificationis habendis.*

Dico secundò: Peccator tamen adultus nequit absque præveniente Divina Gratia actuali ponere ullas dispositiones debitas liberi arbitrij ad obtinendam Gratiam Habitualem justificationis. Ita communis SS: PP: & TT: contra Pelagianos.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ Divino auxilio sub nomine tractionis, præventionis &c. adscribit justificationem; unde Joan: 6. dicitur, *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, immittendo scilicet voluntati donum Gratiæ actualis vocantis, vel excitantis, vel adjuvantis. Et Psal. *20. prævenisti in benedictionibus dulcedinis.* Et Joan: *15. sinè me nihil potestis facere:* unde meritò reprimit D. Paulus inflatum, & discernentem se ab alio quasi per sua dona 1. ad Corinth: *4. quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* volens per hoc indigitare S. Apostolus, omne donum esse desursum à Patre luminum, & consequenter etiam initium conversionis nostræ proveniens à Gratia actuali DEI, quâ tandem pertingimus ad justificationem: Ergo, &c.

6. *Concilia pro Conclusione.*

Probatur secundò authoritate SS, Conciliorum Conclusionem asserentium contra Pelagium, ùt videre est in Arausicano *can: 4. & 7.* Et Tridentino *sess: 6. can: 3.* dicente, *si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs S. illuminatione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis Gratia conferatur, anathema sit.* Ergo peccator adultus nequit absque præveniente Divinâ Gratia actuali ponere ullas debitas dispositiones ad obtinendam Gratiam Habitualem justificationis.

7. *SS. PP: pro eadem Sententia.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: necessitatem Gratiæ prævenientis contra Pelagium adstruentium tanquam præviam, & omnium primam dispositionem ad justificationem obtinendam; sic facit Augustinus *lib:* 1. *ad Bonif: cap: 24.* Et rursùs *lib: 2. ad eundem*, ubi docet hominis esse præparare animam cum adjutorio tangentis cor hominis per auxilium gratiæ; quia ex Proverb: *8. præparatur voluntas à Domino:* Ergo &c. Itaque ut verbis Tridentini *sess. 6. cap. 5.* utar, *Justificationis exordium in adultis à DEI per JESUM Christum præveniente gratia sumendum est, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus. meritis vocantur, ut qui per peccata à DEO aversi erant, per ejus excitantem & adjuvantem Gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem Gratiæ liberè assentiendo, & coöperando disponantur.*

QUÆSTIO II.

Quot; & quænam Dispositiones actuales ex parte voluntatis adultus præmittere debeat ad justificationis Gratiam introducendam?

1. *Tridentinum exprimit dispositiones necessarias ad justificationem.*

NOTA primò: Tridentinum *sess: 6. cap: 6.* omnes dispositiones actuales concurrentes, tam ex parte intellectûs, quàm ex parte voluntatis ad Gratiam justificationis adultorum introducendam eleganter exprimere sequenti textu; *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & pro-*

& promissa sunt; atque illud in primis, à DEO justificari impium per Gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU; & dum peccatores se esse intelligentes, à Divina justitiæ Timore, quô utiliter concutiuntur ad considerandum DEI misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes DEUM sibi propter Christum propitium fore; illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod & detestationum, hoc est per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata. Sunt ergò ex parte intellectûs dispositiones prævix Fides aliqua; ex parte verò voluntatis Timor Divinæ justitiæ, Spes veniæ, Dilectio DEI inchoata, Odium peccati, Propositum suscipiendi baptismum, si justificandus nondum sit baptizatus; aliàs si sit, Propositum confitendi peccata, & Propositum servandi mandata. Dispositiones ex parte voluntatis (qui sunt quidam actus ejus eliciti) hâc quæstione examinabo; Fidem, quæ ad intellectum spectat, sequenti.

2. *Timor Divinæ justitiæ est utilis ad justificationem.* Dico primò: Timor Divinæ justitiæ est salutaris, ac utilis ad introducendam Gratiam justificationis; non tamen tamquam absolutè necessarius ad eandem obtinendam statuitur à S: Tridentina Synodo. Ita communis TT: Prima pars est contra Lutherum, qui præfatum Timorem dicit esse peccatum, & facientem homines pejores.

Probatur prima pars authoritate S: Scripturæ: quæ hujusmodi Timorem hominibus inculcat; unde dixit Christus Luc: 12. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et alibi eundem commendat *Prov: 14. Timor Domini fons vita.* Et Psal: 100. *Initium Sapientia Timor Domini.* Et Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum:* Ergo Timor Divinæ justitiæ est salutaris, & utilis ad introducendam Gratiam justificationis.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eundem Timorem approbantium ùt salutarem, & bonum; ùt videre est apud Isidorum *de summo bono cap:* 8. Et apud Prosperum *lib: de vocat: Gent: cap:* 27. Et Cyprianum *lib: ad Quirinum cap:* 2. ubi eum appellat Fundamentum Fidei, & Spei. Et D. Augustinum *lib: de Catechi: rudium cap: 5.* dicentem, *de ipsa etiam severitate DEI, quâ corda mortalium saluberrimo Timore quatiuntur, Charitas ædificanda est:* Ergo &c.

3. *Non tamen absolutè necessarius.* Probatur secunda pars: Tum quia Tridentinum signanter dicit hominem peccatorem illo Timore utiliter quidem concuti; non autem necessariò. Tum quia potest quis absolutè sperare à DEO veniam, ipsum diligere, de peccatis quoque conteri sinè ulla reflexione ad pœnas à DEO vindice infligendas: atque ita finaliter justificari: Ergo Timor Divinæ justitiæ non statuitur tanquam absolutè necessarius ad obtinendam Gratiam justificationis Observat tamen D. Augustinus *loc: cit: rarissimè accidere, imò ferè nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DEI Timore perculsus;* qui potissimè oritur, ùt bene notat P: Herincx hic, ex imperfectione naturæ corruptæ, præsertim ad proprium commodum propensioris, quæ proinde faciliùs à malo avertitur timore pœnæ, quàm amore virtutis.

4. *Spes est dispositio ad justificationem.* Dico secundò: Spes actualis rectè statuitur pro dispositione necessaria. ad obtinendum justificationis beneficium. Ita communis TT: & SS: PP:

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ adscribit spei tanquam dispositioni salutem, & salvationem, quod idem est ac justificationis beneficium; unde Poverb. 28. dicitur, *qui sperat in Domino salvabitur.* Et Psal: 36. *eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.* Et ad Rom: 8. *Spe salvi facti sumus:* Ergo.

Probatur secundò authoritate SS: PP: Conclusionem asserentium; signanter hoc præstat D. Augustinus *serm: 20. de verb: Apost:* inquiens, *Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur:* Et D. Ambrosius *lib: 1. de pœnit: cap: 1. nemo potest agere pœnitentiam* (atque ita justificari) *nisi qui speraverit Indulgentiam:* Ergo Spes actualis est necessaria dispositio ad justificationis beneficium.

5. *Similiter dilectio actualis DEI.* Dico tertiò: Ad consequendam quoque Gratiam justificationis instar dispositionis necessariæ rectè collocatur à Tridentino dilectio actualis DEI saltèm inchoata. Ita communis TT: & PP:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ eidem tanquam præviæ dispositioni, attribuit effectum remissionis peccati, & consequenter justificationis; dicitur namque Luc: 7. *Remittuntur ei peccata*

peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et 1. *Joan: 4. omnis qui diligit, ex DEO natus est, & cognoscit DEUM, qui non diligit, non novit DEUM,* Hoc idem etiam insinuant illi textus, qui conversionem peccatoris ex toto corde, quod dilectionis vehementiam & perfectionem indicat, pro justificatione requirunt, ùt Deut. 4. *dum quæsieris Dominum DEUM tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum.* Et Joël: 2 *convertimini ad me in toto corde vestro:* Ergo ad consequendam Gratiam justificationis instar dispositionis necessariæ rectè ponitur dilectio actualis.

Dico quartô: Similiter Pœnitentiæ actus per modum dispositionis necessariæ ad assequendam Gratiam justificationis aptè assignatur à Tridentino. Ita quoque communis TT:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ Pœnitentiam prævium prærequirit ad remissionem peccatorum, & consequenter ad justificationem; quare Act. 2. dicitur, *pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et Act: 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Luc: 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis:* Ergo Pœnitentiæ actus est necessarius dispositivè ad assequendam Justificationis Gratiam.

7. *Et odium peccati.* Dico quintò: Odium quoque & actualis detestatio peccatorum bene ponitur pro dispositione necessaria ad Justificationis Gratiam habendam. Ita communis TT:

Probatur authoritate S. Scripturæ; quæ ejusmodi Odium, & detestationem postulat ad obtinendam justificationem; nam Ezech: 18. dicitur, *projicite à vobis* (utique per abominationem, & detestationem) *omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Et ibidem, *cum averterit se impius ab impietate sua; ipse animam suam vivificabit.* In quibus textibus per abjectionem, & aversionem ab impietate intelligitur Odium, & detestatio peccatorum: Ergo Odium & detestatio peccatorum bene ponitur pro dispositione necessaria ad justificationis Gratiam habendam.

8. *Item propositum suscipiendi baptismi.* Dico sextò: Propositum actuale suscipiendi Baptismum, (vel peragendi Confessionem, si justificandus sit adultus) pariter rectè numeratur à Tridentino inter dispositiones necessarias justificationis obtinendæ. Ita pariter communis TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ; nam Act: 2. ponitur Baptismus tanquam necessarius ad remissionem peccatorum, & consequenter ad justificationem, dum dicitur *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs S.* Et Matth: ult: cap: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* Ergo &c.

Dico septimò: Tandem etiam Propositum actuale servandi mandata ad candem justificationem, ùt prævia dispositio concurrere debet. Ita etiam communis TT: 9. *Et servandi præcepta DEI.*

Probatur authoritate S. Scripturæ: quæ ejusmodi etiam propositum exposcit, unde Ezech: 18. habetur, *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit* (scilicet in voto, & proposito) *omnia præcepta mea &c. Vita vivet.* Et Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* Ergo &c.

QUÆSTIO III.

Utrum, & qualis Fides sit necessaria ad Justificationem?

DICO primò: aliqua Fides actualis per modum necessariæ dispositionis rectè asseritur à S. Tridentina Synodo ad obtinendam justificationis Gratiam. Ita communis SS: PP: & TT. 1. *Fides pariter est necessaria dispositio ad justificationem.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ necessitatem Fidei actualis asserentis pro obtinenda justificatione: sic dicitur Hebr: 11. *sinè Fide impossibile est placere DEO.* Et rursus, *accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & requirentibus se remunerator erit.* Et Marc. ult: cap: *qui non crediderit, condemnabitur.* Et. Joan: 3. *qui non credidit, jam judicatus est:* Ergo revera aliqua Fides actualis, per modum necessariæ dispositionis ad obtinendam justificationis Gratiam rectè asseritur à S. Tridentina Synodo.

Probatur secundò authoritate SS: PP: eandem necessitatem Fidei actualis 2. *Testimonia*

Augustini ad idem. lis pro justificationis dono obtinendo agnoscentium; signanter D. Augustini *lib. de peccat: originali cap: 4.* Et *lib: de præd: SS: cap: 7.* dicentis, *ex Fide autem Apostolus ideo dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, de qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, quibus justè vivitur*: Ergo &c.

3. *Sectarij triplicem Fidem distinguunt.* Nota autem primò pro intellectu sequentis Conclusionis; Sectarios modernos Calvinianæ, & Lutheranæ hæresis triplicem distinguere Fidem, Historicam scilicet, Miraculorum, & Promissionum. *Fidem Historicam* dicunt illam, quâ credimus vera esse ea omnia quæ ùt à DEO revelata in Sacris Biblijs continentur; de qua loquitur Apostolus ad Hebr: 11. *Fide credimus aptata esse sæcula. Fides Miraculorum* est eadem Historica, quatenus annexam habet virtutem patrandi miracula, credendo videlicet, quòd nihil sit, quòd à DEO fieri non possit; de hac loquitur Apostolus 1. ad Cor: 13. *si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam. Fides tandem Promissionum est*, quâ credimus veras esse promissiones DEI de gratuita peccatorum remissione per Christi merita; hanc dicunt Lutherani esse quandam specialem fiduciam, quam habet homo in promissione & misericordia DEI, de qua loquitur Apostolus Marc: *ult: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

4. *Fides Promissionum, & Fiducia non sunt dispositio ad Justificationem.* Dico secundò: Fides quæ est dispositio prævia ad justificationem non est Fides aliqua Promissionum, vel Fiducia specialis quâ credit peccator sibi peccata sua à DEO per Christum esse remissa; sed est Fides dogmatica, seu Historica. Ita communis TT: contra Calvinistas, & Lutheranos.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: quæ Fidem disponentem ad justificationem insinuat esse Fidem dogmaticam, seu actum intellectûs, & illam, quam Sectarij vocant Historicam; sic namque dicitur Joan: 6. *verba vitæ æternæ, & nos credimus, & cognovimus; quia tu es Christus Filius DEI vivi, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et Rom: 10. *hoc est Verbum Fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Et Hebr: 10. postquam *Apostolus* dixisset, *justus autem meus ex Fide vivit*, statim *sequenti cap:* exprimit hanc Fidem pertinere ad intellectum, & esse Historicam per illa verba, *Fide credimus aptata esse sæcula Verbô DEI*: Ergo Fides, quæ est dispositio prævia ad justificationem non est Fides Promissionum, seu aliqua Fiducia specialis; sed Fides dogmatica.

Probatur secundò authoritate Tridentini, quòd *sess: 6. can: 12.* damnat asserentes Fidem, quæ ad justificationem disponit, esse puram Fiduciam, *si quis dixerit Fidem justificantem nihil aliud esse, quàm Fiduciam Divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam Fiduciam solam esse, qua justificat, anathema sit*: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: Conclusionem asserentium; unde S. Leo *serm: 4. de Epiph:* ait, *hoc est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemquè Domino nostro JESU Christo & vera DEItas, & vera credatur humanitas.* Idem profitetur S. Augustinus *lib: de prædest SS:* Et S. Cyrillus Jerosolymitanus *catech: 54.* ubi duplicem distinguit Fidem, unam *dogmaticam*, quæ coincidit cum Historica, & per hanc docet Latronem fuisse salvatum in Cruce, nosquè pariter per eam salvari: alteram quæ est *Gratia gratis data*, per quam miracula patrantur: Ergo revera Fides dogmatica, ùt est actus intellectûs, est dispositio prævia ad justificationem; non verò ùt est actus Fidei promissionis DEI, quâ credimus esse veram de gratuita peccatorum remissione, eamquè fidimus nobis applicari, & non imputari nobis peccata. 5. *Tridentinum & PP. stant pro conclusione.*

6. *Ratio Theologica pariter.* Probatur quartò ratione: contingit aliquem quandoque justificari per actum Fidei formatæ, absque omni Fide promissionis, seu Fiducia; sic Hemoroissa apud Luc: *cap: 8.* refertur habuisse actum Fidei formatæ, dum dixit, *si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*, & desuper statim vocatur à Christo *Filia*, quô indicatur eam jam esse vi illius actûs Fidei justificatam, juxta Hieronymum in illum passum scribentem; & postea primò hortatur eam Christus ad habendam Fiduciam *confide Filia*: Ergo Fides promissionis per Fiduciam accepta non est necessaria dispositio ad justificationem; atque adeò Fides disponens ad eam debet esse Fides illa, quæ est actus intellectûs. Deinde nullibi extat aliqua speciali promissio DEI revelata, quòd Calvino, vel Luthero, vel altri peccatori in specie sint remissa peccata: Ergo circa hoc non possunt isti habere Fidem, quæ eos justificaret; at-

que ita

que ita talis Fides est conficta. Nec sufficit generalis promissio DEI in Scriptura revelata, quòd omnibus rectè conversis DEUS remittat peccata; quia saltèm nullus textus Scripturæ Luthero, vel Calvino, vel alteri particulari personæ peccatrici dicit, se rectè esse conversos; quapropter circa hujusmodi conversionem istæ particulares personæ nullam Fidem justificantem possunt exercere; quæ semper innititur objecto revelato.

7. *Scriptura ab Hæreticis obtrusa.* Objiciunt Hæretici *primò*: Apostolus ad Rom: 1. docet, justificationem sequi ex Fide promissionis, illis verbis, *ideo ex Fide, ut secundùm Gratiam firma sit promissio omni semini*, &c. Ergo &c. *Secundò* in Scriptura jubemur orare DEUM cum fiducia obtinendi ea, quæ rogamus; sic dicitur Jacob: 1. *si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à DEO, & dabitur ei, postulet autem in Fide nil hæsitans*: Ergo Fides accepta pro Fiducia est quoque dispositio ad justificationem; si eâ indigeat homo.

8. *Elucidantur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: & ad textum Apostoli dico, ibi Fidem accipi pro Fide dogmatica, quam habuit Abraham de omnipotentia DEI, quâ effecturus erat aliquando DEUS, ut promissiones ejus adimplerentur sibi factæ de conversione Gentium ad Fidem, & adventum Messiæ ex semine suo, ut ita esset Pater futurus omnium credentiu non solùm Judæorum in circumcisione; sed & Gentium secundùm Fidem; unde de hac Fide dogmatica sequitur in *eod: cap: confortatus est* (scilicet Abraham) *Fide dans gloriam DEO, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit DEUS, potens est facere. Ad Secundum* Concedo, quòd nostras orationes debeat comitari aliqua Fiducia, puta ut non dubitemus DEUM posse præstare id, quod rogamus; item DEUM velle præstare id quod rogamus, si rogatio & oratio fiat ùt oportet; at non debet eas comitari Fiducia in sensu Hæreticorum, quâ confidimus, quod in particulari certò impetraturi simus id, quod postulamus; quia nullibi constat absque speciali revelatione, quòd orans omnes adhibuerit conditiones necessarias ad ritè orandum.

9. *Sola Fides dogmatica est dispositio ad justificationem.* Dico tertiò: Fides dogmatica: quæ est prævia dispositio ad justificationem maximè primam adultorum non baptizatorum debet esse de istis articulis revelatis explicitè, ut nimirum adultus credat DEUM existere, & remuneratorem bonorum esse; item impium à DEO justificari per gratiam ejus, & redemptionem Christi JESU veri Mediatoris pro nobis passi, & mortui &c. sicut in Credo Apostolico habetur; item de Trinitate, & similibus capitalibus dogmatibus Christianorum. Ita Scotus 3. *dist; 25. q: 1:* S. Thomas, S. Bonaventura &c. contra RR: Arriag: Lugon: &c. asserentes, sufficere implicitam Fidem dictorum articulorum.

Probatur: Quia isti articuli passim in S. Scriptura & CC: asseruntur tanquam necessariò credendi ab ijs, qui volunt esse Christi, & justi; Articulus quidem existentiæ, & remunerationis ad Hebr: 11. *accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Articulus justificationis impij per Gratiam DEI & Redemptionem Christi ponitur à Trid: *sess: 6. cap: 6. credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à DEO justificari impium per Gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU.* Articuli de Mediatione, Passione, Morte, & alijs Mysterijs Christi ejus Divinitatem & Humanitatem concernentibus, registrantur in Symbolo Apostolico & in S. Evangelio; deque ijs jubet Ecclesia instrui Catechumenos ante susceptionem Baptismi: & de ijsdem procedit illud Joan: 7. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM; & quem misisti JESUM Christum*, utique secundum principalia Mysteria ejus. Articulus de Trinitate habetur Matth: *ult: euntes docete omnes Gentes* (utique id cujus nomine baptizandæ erant) *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Vide plura de hoc *Tom: 4. Tract: de Fide, Disp: 2. q: 18.*

10. *Sed cum operibus.* Dico quartò: Fides dogmatica sine operibus non sufficit ad Justificationem. Ita TT: omnes; contra quosdam priscos, & etiam Recentiores Hæreticos.

Probatur: Tum authoritate Sacræ Scripturæ; nam Jacob: 2. dicitur, *Fides sine operibus mortua est.* Et ad Galat: 5. *in Christo enim JESU neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed Fides, quæ per charitatem operatur.* Tum authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 7.* præfatos textus quoque allegantis, & Fidem sine operibus, nequaquam sufficere ad salutem. Tum authoritate SS: PP: idem dogmatizantium; quos vide citatos apud nostrum P. Bernardinum Wettweis *in suis Controversijs*, & Bellarminum

num *lib: 1. de Justific: cap: 13.* Ergo Fides dogmatica finè operibus non sufficit ad justificationem.

11. *Objectiones Hæreticorũ ex Script:* Objiciunt Hæretici *primò:* Act: 13. dicitur, *in hoc omnis qui credit justificatur. Secundò:* Luc: 7. dicitur de Magdalena peccatrice, *Fides tua te salvam fecit. Tertiò* Luc: 8. dicitur, *crede tantùm, & salva eris;* quibus omnibus textibus soli Fidei attribuitur justificatio, nullâ factâ mentione operum: Ergo Fides finè operibus sufficit ad justificationem.

12. *Quibus obviatur.* Respondeo *ad Primum*; ex hoc textu tantùm haberi, quòd credulitas conducat unicuique ad justificationem; sed non dicitur, quòd sola sufficiat. Itaque omnis qui credit, & simul ponit opera patientiæ, dilectionis, observantiæ mandatorum DEI, & similia, quæ alij textus Scripturæ quoque postulant pro justificatione, is justificabitur. *Ad secundum* dico, Fidem Magdalenæ salvantem non fuisse nudam, sed formatam opere charitatis, ac dilectionis DEI; unde de eadem dicitur ibidem, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Ad Tertium* dico ibi sermonem esse de Fide Matris requisita ad patrationem miraculi, ut Filia sanaretur; non ergo ille textus est ad propositum de Fide prærequisita ad justificationem.



DISTINCTIO III.

De Justificatione secundùm se.

QUÆSTIO I.

De Quidditate; formali ratione ordinaria; & causis justificationis.

1. *Definitio vera justificationis.* ICO primò: Rectè describitur Justificatio formalis, quòd sit *translatio hominis à statu quô quis nascitur Filius primi Adæ, vel in quo detinetur sub peccato personali, ad statum Gratiæ Habitualis, & adoptionis Filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum.* Ita paucis verbis exceptis Tridentinum *sess: 6. cap: 4.*

Probatur: Hâc descriptione aptè exprimitur natura justificationis; itaquè adsunt omnia desiderata ad rectam descriptionem; Ergo &c. Explicantur breviter singulæ particulæ: dicitur *translatio hominis*, quod ponitur locô generis, ad insinuandum in homine justificato fieri veram mutationem, quam Conc: Trid: *cit: cap: 7. renovationem interioris hominis* vocat. Dicitur *à statu in quo quis nascitur Filius primi Adæ*, ad designandum terminum à quo fit translatio hominis non baptizati justificandi, qui est status peccati originalis in Adam contracti. Additur, *vel in quo detinetur sub peccato personali* ad designandum terminum à quo fit translatio hominis jam baptizati, sed rursus lapsi. Apponitur *ad statum Gratiæ Habitualis*, ad exprimendum terminum ad quem mutationis, & translationis hominis peccatoris, qui est status Gratiæ Habitualis, quam mediante justificatione acquirit homo. Dicitur *& adoptionis Filiorum DEI*, ut ostendatur peculiaris finis justificationis, ad quem ordinatur justificatio hominis, quia nimirũ eâ mediante efficitur Filius adoptivus DEI, & hæres vitæ æternæ. Additur tandem *per secundum Adam JESUM Christum*, ut monstretur causa meritoria justificationis, quæ est Christus, ùt infrà ampliùs ostendam.

Dico secundò: Justificatio formalis hominis fit defacto formaliter per Gratiam Habitualem, seu Charitatem Habitualem intrinsecè inhærentem homini. Ita communis Catholicorum; contra Calvinistas, & alios, docentes justificationem vel fieri formaliter per Fidem seu Fiduciam in misericordia DEI, vel Justitiam Christi, vel per imputationem Justitiæ Christi, finè ulla alia forma. 2. *Justificatio fit mediante Charitate inhærente.*

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ docet homines peccatores effici justificatos per aliquid in illos

los à Christo derivatum, ùt ad Ephes: *4. unicuique nostrûm data est Gratia secundùm mensuram donationis Christi*. Et Joan: *1. de plenitudine ejus omnes nos accepimus Gratiam pro Gratia*. Idem docet Joan: 4. *peccatores in Justificatione renasci*. Et ad Tit: *4 renovari Spiritu mentis*. Et ad Gal: *3. vivificari in Christo*. Et 1. ad Cor: 6. *ablui*. Et 1. ad Cor: 3. *Spiritum S. habitare in eis*: Qui omnes loquendi modi insinuant justificationem hominis fieri formaliter per aliquam formam stabilem intrinsecè inhærentem animæ, â qua sola ejusmodi mutationes intrinsecæ derivationis, renascentiæ, renovationis, vivificationis, ablutionis, & similes effectus propriè provenire possunt; non autem Fide transitoriâ, vel imputatione extrinsecâ Justitiæ Christi: Ergo &c.

3. *Authoritas Tridentini, & SS: PP: pro conclusione.* Probatur secundò authoritate Tridentini *sess: 6. can: 1.* docentis, *si quis dixerit hominem - - - absque Gratia per JESUM Christum posse justificari, anathema sit*. Et *Can: 12.* excludit à ratione formali justificandi Fidem, seu Fiduciam; *si quis dixerit, Fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit*. Et *Can: 11.* excludit imputationem Justitiæ Christi ab eodem munere; *si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione Justitiæ Christi &c. anathema sit*. Et *can*: 10. excludit ipsam formalem Justitiam Christi; *si quis dixerit homines sine Christi Justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit*: Ergo his modis Hæreticorum exclusis manet, quòd justificatio hominis peccatoris fiat defacto formaliter per Gratiam Habitualem inhærentem.

Probatur tertiò authoritate SS:PP: affirmantium, justificationem hominis fieri per Charitatem Habitualem inhærentem creato homini distinctam à justitia inexistente DEO, vel Christo; sic docet S. Augustinus *lib: de Spir: & liter: cap: 9.* ubi expendens illud Apostoli ad Rom: *3. Justitia DEI manifestata est*, dicit, *non dicit Justitia hominis, vel Justitia propriè voluntatis; sed Justitia DEI, non quâ induit hominem, justificat impium*; Ergo &c.

4. *Ratio ad idem.* Probatur tertiò ratione: Justificatio fieri debet per aliquam formam, quæ est intensibilis; quia justificatio potest augeri, ùt suprà *quæst: 3. concl: 1.* ostendi sed sola Gratia Habitualis, seu Charitas, non autem Justitia DEI, vel Christi, vel Fides, quâ sibi peccator persuadet Justitiam DEI, vel Christi ad se pertinere propter ejus misericordiam, est intensibilis: Ergo illâ solâ [?] fit defacto formaliter justificatio hominis. Deinde ex sententia Hæreticorum sequeretur, quemlibet posse esse certum physicè de sua justificatione, & salute contra expressam Scripturam Eccl: *9. nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit*: Ergo &c. Prob: Ant: quivis est physicè certus, quia experitur, dum credit more Hæreticorum, se habere Fidem, seu Fiduciam in misericordiam Divinam: Item dum sibi persuadet, Justitiam Christi imputari sibi: Ergo quivis esset physicè certus de sua justificatione.

Objiciunt Hæretici primò 1. ad 5. *Objecta Hæreticorum.* Cor: 1. dicitur *Christus factus nobis Sapientia â DEO, & Justitia, & justificatio*: Ergo nostra justificatio est Justitia Christi. *Secundò* ad Rom: 4. dicitur, *credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur ei Fides ad Justitiam*: id est imputatur ei Justitia DEI. *Tertiò* plures SS: PP: vocant Justitiam DEI, Justitiam suam; sic signanter Bernardus *serm: 61. in Cantic: Domine inquit memorabor Justitiæ tuæ solius; ipsa enim est mea*: Ergo &c.

Respondeo *ad Primum* glossando al- 6. *Refelluntur.* legatum textum, & dico eum duntaxat velle, quod Christus meritoriè sit factus Justificatio nostra; quia de plenitudine ejus accepimus omnem gratiam, non autem formaliter. Hâc viâ solvuntur plures authoritates ab Hæreticis objectæ. *Ad Secundum* glosso quoque illum passum, & dico eum procedere in sensu dispositivo, acsi diceret, quòd Fides credentis in DEUM reputetur ei pro dispositione ad Justitiam obtinendam. *Ad Tertium* dico SS: PP: & signanter D. Bernardum esse intelligendos eôdem modô, quô Apostolus *citatus* ad Rom: intelligitur, scilicet in sensu meritorio; non autem formaliter. Circa ultimum articulum.

Nota primò: Causas Justificatio- 7. *Textus Tridentini de Causis justificationis.* nis cum suis Scripturæ testimonijs optimè referri à Tridentino *sess: 6. cap:* in hunc modum; *hujus Justificationis causæ sunt, Finalis quidem gloria DEI, & Christi; ac vita æterna. Efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & ungens Spiritu promissionis S. qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster JESUS Christus. Instrumentalis item Sacramentum Baptismi* (quando justificatio afficit primò justificandum, aliàs est Sacramentum Pœnitentiæ) &c. *De-*

&c. *Demum unica formalis causa est Justitia DEI, non quâ ipse justus est; sed quâ nos justos facit*, scilicet Gratia Habitualis, seu Charitas ùt postea *in eod: cap:* specificat.

QUÆSTIO II.

De Justificatione, nata fieri de potentia absoluta DEI.

1. *DEUS potest justificare sine forma inhærente Gratia.*



DICO primò: DEUS potest de potentia sua absoluta justificare peccatorem sinè infusione ullius Gratiæ Habitualis. Ita Scotus *4. dist: 16. q: 2.* cum suis & S. Bonaventura, Alensi, Occamo, Suarez, &c. contra Thomistas, & Vasq: Turrian: Amicum &c.

Probatur: Tum quia Gratia Habitualis de facto infusa in ordine ad justificationem est beneficium DEI gratuitum, liberè ab eo datum: Ergo ab ejus datione potest abstinere DEUS; sicut homo potest cessare à collatione beneficij, quod gratis largitur. Tum quia posset DEUS peccatori remittere peccata per solam extrinsecam gratuitam condonationem, non minùs quàm homo, qui inimico suo remittit offensam per simplicem condonationem: Ergo tunc censetur peccator justificatus sinè infusione ullius Gratiæ Habitualis. Tandem DEUS posset vim justificandi annectere actui contritionis; in hoc enim nulla apparet implicantia: Ergo tunc justificatio fieret sinè Gratia Habituali.

2. *Et sine mutatione Physica.* Dico secundò: Similiter posset DEUS de potentia absoluta justificare peccatorem sinè mutatione physica in eodem. Ita Scotus *4. dist: 1. q: 6.* & communis Scotist: contra Thomist:

Probatur: Tum quia & in hoc nulla apparet implicantia; neque excedit vires DEI extraordinariè operantis: Ergo &c. Tum quia sufficeret pro justificatione vera peccatoris sola moralis mutatio; quòd nimirum DEUS condonaret ei offensam, eumquè reciperet in amicum, Filium adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, licèt ei nullum donum conferret, immutans physicè animam ejus.

3. *Unum peccatum sinè alio non remittitur de facto.* Dico tertiò: Etsi de potentia ordinaria in justificatione unum peccatū sinè alio non remittatur; de potentia tamen extraordinaria DEI id fieri potest. Ita communis TT:

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; quæ adscribit justificationi vivificationem ad Gal: 3. Et renascentiam Joan: 4. Et renovationem ad Tit: 4. Et ablutionē 1. ad Cor: 6: quæ omnia insinuant homini in justificatione remitti de facto omnia peccata, si enim aliquod remaneret, censeretur mortuus, & non vivificatus, neque de eo verè diceretur renovatio, ablutio &c. Ergo &c.

Probatur secundò: Tum authoritate Tridentini, quod *sess: 6. cap: 7.* Justificationem appellat *stolam primam, candidam, & immaculatam*; & consequenter carentem omni peccato remanente. Tum authoritate Innocentij IV. qui ùt refertur *in capite Majores, de Baptismo*, declarat originale peccatum non remitti sinè mortalibus actualibus, dum ait, *Dominus qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit*: Ergo de potentia ordinaria in justificatione unum peccatum sinè alio non remittitur.

4. *Posset tamē de potentia absoluta.* Probatur secunda pars: Justificatio est opus planè liberum DEI: Ergo ex eo DEUS potest purificare hominem ab uno peccato, & non ab altero. Deinde unum peccatum ponitur frequenter absque altero, habetquè maculam distinctam ab altero: Ergo de potentia extraordinaria posset quoque DEUS peccatorem mundare ab uno, & non ab altero. Tandem ex nullo capite apparet implicantia, cur DEUS non posset peccatorem justificare, maximè per extrinsecam condonationem ab uno, & non ab altero peccato; cùm homo possit homini remittere unam offensam, vel injuriam, & non alteram.

5. *Quid sentiendum de dimidiatè justificato.* Nota autem; hominem sic dimidiatè justificatum non propterea acquirere jus ad vitam æternam; nec posse dici simpliciter justum, & amicum DEI. Ratio est; quia reliqua peccata remanentia sufficienter adhuc excludunt illum à jure illo, justitia completa, & amicitia perfecta DEI.

6. *De potentia absoluta posset fieri justificatio sinè retractatione peccati.* Dico quartò: Tandem etiam de potentia extraordinaria DEI posset justificari adultus peccator sinè omni actu retractationis peccati; aliàs regulariter requisito. Ita Scotus *4. dist: 14. q: 1.* cum suis; & Nominalibus; & ex Neotericis Lugone, Tannero, Arriag: Ovied: &c.

contra Soto, Conradum, Morand: & plures Thomistas.

Probatur *primò* ratione Scoti *cit:* Homo offensus potest remittere offensam sibi irrogatam absque eo, quod offendens retractet actum suum offensivum: Ergo à fortiori DEUS potest peccatori remittere offensam, atque ita eum justificare sinè omni actu retractationis offensæ seu peccati. *Secundò*: Retractatio peccati est tantùm dispositio ad justificationem adulti requisita: Sed DEUS potest absque dispositione tali induere immediatè formam Gratiæ justificantis; in hoc enim nulla est implicantia: Ergo absque omni retractatione actuali, potest justificari peccatòr adultus. *Tertiò*: potest peccator adultus justificari absque omni Gratia Habituali, ùt suprà *concl:* 1. ostensum est: Ergo etiam absque actu positivo retractationis

7. *Variæ objectiones contra conclusionem.* peccati.

Objicies contra primam Conclusionem *primò*: Tridentinum *sess: 6. cap: 7.* docet, hominem justificari per infusionem Gratiæ: Ergo &c. *Secundò*: peccatum est privatio Gratiæ: Ergo non potest auferri in justificatione, nisi per ipsam Gratiam; atque adeò justificatio fieri nequit sinè infusione Gratiæ. *Tertiò*: in justificatione efficitur homo amicus DEI formaliter: sed effici amicum DEI est effectus formalis à sola Gratia provenlens; sicut esse album ab albedine: Ergo justificatio nequit esse nisi

8. *Expediuntur.* per Gratiam.

Respondeo *ad Primum* explicando Tridentinum, & dico illud loqui de justificatione, prout contingit de potentia ordinaria, & de facto; non autem quæ fieri posset de potentia DEI extraordinaria. *Ad Secundum* Dist: Conseq: peccatum non potest auferri nisi per Gratiam Habitualem semper Neg: Conseq: nisi per Gratiam Actualem extrinsecæ condonationis Conc: Conseq: Itaque si DEO placeret, posset de potentia absoluta tollere à peccatore peccatum habituale per solam gratiam extrinsecæ condonationis; cùm peccatum non sit essentialiter privatio Gratiæ Habitualis; sed gratiæ cujuscunque, ac consequenter etiam gratiæ extrinsecæ condonationis, quâ privaret in casu conclusionis. *Ad Tertium* Dist: Min: est effectus formalis à sola Gratia Habituali proveniens Neg: Min: à gratia etiam actuali extrinsecæ condonationis proveniens Conc: Min: & Conseq: Itaque cùm esse amicum DEI sit effectus non physicus, sed moralis proveniens à Gratia Habituali ex ordinatione Divina, si DEUS non vellet attendere præsentem suam ordinationem, sed agere de potentia sua absoluta, aliter ille effectus moralis posset provenire ab alia forma, putà à Gratia extrinsecæ condonationis Divinæ.

Objicies contra secundam Conclusionem: Homo peccator odio habetur à DEO, & dum justificatur diligitur à DEO: Ergo in justificatione transit cum mutatione physica de esse peccatorem ad non esse peccatorem. Respondeo Neg: Conc: sufficit enim ad ejusmodi transitum mutatio moralis, proveniens à Divina condonatione extrinseca, à qua homo peccator habet non ampliùs esse peccatorem coram DEO, sed amicum ejus. 9. *Sufficit mutatio moralis ad diligi à DEO.*

Objicies contra quartam Conclusionem *Primò*: Peccatum habituale includit liberam aversionem à DEO: Ergo tolli debet prævio actu liberò aversionis à creatura, & consequenter absque aliquo actu elicito retractationis nequit fieri peccatoris adulti justificatio: *Secundò*: DEUS nequit justificare hominẽ à peccato actuali nisi cesset ab actione peccaminosa: Ergo neque ab habituali nisi illud priùs retractet. Respondeo *ad Primum* Dist: Ant: peccatum habituale includit liberam aversionem à DEO causaliter, quatenus scilicet causata est à culpa actuali Conc: Ant: formaliter Neg: Ant: Itaque in peccato habituali non est formalis aversio à DEO, qualis est in peccato actuali; unde de potentia absoluta DEI ad eam tollendam sufficeret conversio habitualis, qualis fieret per Gratiam à DEO infusam tanquam oppositam peccato habituali absque prævio actu retractationis peccatoris. *Ad Secundum*: Neg: Conseq: disparitas est; quia peccator actualis ponit obicem actualem gratiæ justificantis; non sic peccator habitualis, qui saltèm tacitè se disponit ad justificationẽ per suum consensum recipiendi gratiam, etsi actu non retractet peccatum habituale. 10. *Quædam oppositiones resolvuntur.*

QUÆSTIO III.

De Operatione Contritionis in Justificatione.

DICO

1. *Contritio non justificat formaliter.*



DICO primò: Defactò nunquam actus Contritionis etiam perfectissimæ justificat formaliter peccatorem; sed dispositivè tantùm. Ita Scotus *1. dist: 17. q: 1.* Et *4. dist: 14. q: 2.* cum sua Schola; contra Merat: Hurtad: Turrian: Vasq: &c.

Probatur omnibus illis rationibus, quas pono *Tom: 3. de Sacramentis dist: 2. q. 2. Concl: 1.* Deinde rursus omnibus illis authoritatibus Scripturæ, Tridentini, & PP: quibus suprà *quæst: 1. Concl. 2.* ostendi justificationem formalem hominis peccatoris defacto fieri formaliter per Gratiam Habitualem, seu Charitatem Habitualem. Quibus adde illam Tridentini *sess: 6. cap: 7.* quâ dicitur, hominem justificari per infusionem Gratiæ, Justitiæ inhærentis, ac permanentis: Ergo non per actum aliquem contritionis; quia actus propriè non dicitur infundi, cùm sit ab homine elicitus; & licèt inhæreat, non tamen propriè permanenter dicitur inhærere. Item illam *eod: cap:* quâ dilectionem, seu actum contritionis, de quo priùs disseruerat *cap: 6.* appellat *dispositionem*: Ergo defacto nunquam actus contritionis justificat formaliter, sed dispositivè tantùm.

2. *Ratio Scoti ad idem.*

Probatur secundò: Tum ratione Scoti *1. dist: 17. q: 2.* status sanctitatis, & Justitiæ est status firmus, & stabiliter permanens: Ergo nequit provenire ab actu contritionis seu dilectionis DEI, qui ex natura sua est transiens. Tum quia si actus contritionis perfectæ justificaret formaliter quoties adest, sequeretur Gratiam nullatenus justificare, contra expressum Tridentini canonem *sess: 6. can: 1. si quis dixerit hominem - - - absque Divina per JESUM Christum Gratia posse justificari coram DEO, anathema sit*: Ergo &c. Prob: Ant: tota justificatio hominis consummaretur per actum contritionis priorem infusione Gratiæ: Ergo sequeretur Gratiam nullatenus justificare.

3. *Varie opponunt adversarij.*

Objiciunt Adversarij *primò*: plura Scripturæ, & SS: PP: testimonia attribuunt contritioni, seu dilectioni DEI varia encomia, arguentia vim justificativam formaliter; dicunt enim eam esse operturam peccatorum, remissionē eorundē, & conjunctionem cum DEO, & consequenter justificationem: Ergo &c. Prob: Ant: nam *1. Pet:* dicitur *charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Luc. *7. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et Augustinus *de morib: Eccles: cap: 12.* dicit, *qui separatur à DEO, dilectione redit in DEUM*: Ergo &c. *Secundò* ipsô factô quô peccator elicit actum contritionis seu dilectionis DEI non ampliùs est objectum odij ac displicentiæ; sed amoris; & consequenter amicitiæ veræ, quæ infert justificationem: Ergo &c. *Tertiò*: Contritio est actus perfectissimus, quem creatura cum auxilio DEI elicere potest: Ergo suapte naturâ justificat. Conseq: tenet; quia non minùs perfectissimus actus justificat, quàm perfectissimus habitus: Ergo si Gratia Habitualis ùt perfectissimus habitus sanctificat; etiam contritio quæ est actus perfectissimus id quoq; præstabit.

4. *Sed respondetur insufficienter.*

Respondeo *ad Primum*; Scripturam, & SS: PP: non tantùm contritioni; sed etiam eleemosynæ, & Fidei attribuere similia encomia; nam eleemosyna dicitur extinguere peccatum; Fides salvum facere; & tamen nec eleemosyna, nec Fides justificat formaliter. Itaque glosso Scripturas, & SS: PP: dicoque illa testimonia esse intelligenda de Charitate Habituali. *Ad Secundum* Concedo peccatorem elicientem contritionem fieri objectum amoris DEI; sed nego hoc sufficere ad veram amicitiam inferentem justificationem; quia ad hanc præterea defacto etiam requiritur fundamentum dignitatis, & bonitatis, quô redametur ab amico DEO, quod est Gratia Habitualis, quâ quis redditur dignus, ut à DEO ametur. *Ad Tertium*: Neg: Conseq: cum sua Prob: quia actus contritionis, etsi perfectissimus sit in genere perfectionis actualis, nunquam tamen pertingit ad gradum perfectionis Gratiæ Habitualis; quia hæc sola præstat dignitatem amicitiæ DEI; & ipsa sola est ratio acceptandi, tam naturam, quàm actum, ùt inquit Scotus *loco cit:*.

5. *De potentia absoluta posset Contritio justificare formaliter.*

Dico secundò: De potentia tamen absoluta actus contritionis perfectæ posset justificare formaliter. Ita communiter Scotistæ de mente Scoti; qui docet posse alicui remitti peccata absque infusione gratiæ per solam condonationem gratuitam DEI; ergo à fortiori sentit hoc fieri posse per contritionem. Conclusio est contra Bellarm: Granad: Amic: Ovied: Lugon: &c.

Probatur: Tum quia in hoc nulla apparet implicantia. Tum quia per solam condonationem gratuitam DEI, ùt suprà *q: 2. concl: 1.* dixi, sinè omni infusione

ſione Gratiæ Habitualis poteſt de potentia abſoluta juſtificare peccatorem: Ergo ſimiliter mediante actu contritionis perfectæ. Tum quia juſtificatio impij eſt purè gratuitum beneficium DEI: Ergo aliò modò quàm defacto per Gratiam Habitualem ei à DEO conferri poteſt; & conſequenter etiam per contritionem perfectam.

6. *Argumenta contraria ſententiæ.* Objiciunt Adverſarij *primò*: Actus contritionis eſt defacto diſpoſitio ad juſtificationē peccatoris: Ergo nec quidem de potentia abſoluta poteſt unquam eſſe ipſa forma juſtificationis formaliter ſanctificantis. Conſeq: tenet; quia etiam de potentia abſoluta diſpoſitio nequit eſſe forma illius effectûs, cujus eſt diſpoſitio, ſicut patet in calore ùt octo, qui quà diſpoſitio introductionis formæ ignis in ligno nequit eſſe ipſa forma ignis. *Secundò*: Actus contritionis non poteſt præſtare omnes illos effectus, qui ad juſtificationem requiruntur; puta *primò* ablutionem maculæ per peccatum relictæ, quæ cùm ſit Gratiæ Habitualis privatio, per ſolam formam oppoſitam, id eſt Gratiam, tolli debet. *Secundò* Habitualem averſionem à DEO, quæ non tollitur ſufficienter per actualem converſionem ad DEUM in contritione incluſam. *Tertiò* ſtabilem perſeverantiam in amicitia DEI, quàm actus contritionis utpote tranſiens operari nequit: Ergo actus contritionis non poteſt ullò modò juſtificare formaliter. *Tandem* effectus formalis unius cauſæ de nulla potentia poteſt provenire ab alia cauſa formali ſpecie diſtincta v. g. eſſe album à nigredine: Ergo nec juſtificatio, quæ eſt effectus formalis Gratiæ Habitualis ab actu contritionis.

7. *Reſolutio.* Reſpondeo *ad Primum* Neg: Conſeq: & ad Probat: ejus dico, in phyſicis quidem ita ſe habere diſpoſitionem phyſicam, ut nullatenus poſſit eſſe ipſa forma phyſica; ùt bene oſtendit exemplum allatum de calore ùt octo, & forma ignis: at in moralibus diſpoſitio moralis de potentia abſoluta fieri poteſt ipſa forma moralis; cùm ejus ratio formalis, cur talis ſit, præcisè ex ordinatione Divina pendeat, quæ aliter ſe habere poteſt; talis autem diſpoſitio moralis eſt contritio reſpectu juſtificationis. *Ad Secundum* Neg: Ant: & *ad primam* ejus *Rationem* dico in caſu concluſionis maculam peccati non fore carentiam Gratiæ Habitualis, ſed gratiæ alterius, quæ faceret hominem DEO gratum, quæ proinde tolli poſſet per extrinſecam condonationem DEI, quæ foret gratia quædam, & forma oppoſita privationi gratiæ. *Ad ſecundam Rationem* Antecedentis dico, in caſu concluſionis habitualem illam averſionem ſufficienter poſſe tolli per acceptationem Divinam, quâ actum contritionis acceptat tanquam ſatisfactionem condignam. *Ad tertiam Rationem* dico illam perſeverantiam amicitiæ DEI poſſe haberi per actum contritionis præteritum ſecundùm denominationem extrinſecam remanentem, & moraliter durantem, eô modò, quò peccator defacto cenſetur per denominationem actûs præteriti peccaminoſi manere peccator. *Ad Tertium* argumentum dico, illud procedere duntaxat in cauſis phyſicis formalibus; non autem moralibus, ubi DEO aliter ordinante effectus moralis formalis unius cauſæ poteſt fieri effectus moralis alterius cauſæ moralis, ſicut in propoſito concluſionis ſe haberet effectus juſtificationis.

QUÆSTIO IV.

De vera Ablatione peccatorum in juſtificatione; eorumquè oppoſitione cum gratia.



1. *In juſtificatione peccata verè auferuntur, Scriptura.* DICO primò: In juſtificatione impij peccata non teguntur, ſed verè auferuntur, & eradicantur. Ita *uti docet* communis Catholicorū; contra Calvinum *lib: 3 inſtit: cap: 11. num: 22.* docentem, peccata in juſtificatione non tolli verè, ſed tegi; non deleri, ſed operiri propter Juſtitiam Chriſti nobis imputatam; quam doctrinam etiam tuentur Lutherani, & alij.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: Nam Zachar. 3. dicitur, *ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Et Iſa: *ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et Mich: 7. *ſi quis DEUS ſimilis tui, qui aufers iniquitatem?* Et Ezech: *36. effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et 1. Joan: 1. *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*: qui & ſimiles loquendi modi innuentes ablationem, deletionem, munda-

mundationem, & remissionem iniquitatis, planè aliquam majorem significant efficaciam justificationis in sensu litterali, & genuino, quàm solam cooperturam, vel rasuram peccatorum: Ergo veram ablationem, & eradicationem eorundem.

2. *Tridentini, & SS: PP.* Probatur secundò authoritate Tridentini, quod *sess: 5. can: 5.* ponit sequentem definitionem ad propositum conclusionis, *si quis per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet; sed illud dici tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: docentium per pœnitentiam & justificationem ab homine evacuari, & deleri totaliter omne vestigium peccatorum; ita Chrysostomus *hom: 80. ad pop: Antioch:* ait, *si namque vel infinita quis habens vulnera pœnitentiam egerit, sic ea DEUS delet, ut neque cicatricem neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium.* Et Augustinus *lib: 1. ad Bonifat: cap: 13.* dicit contra Pelagianos, *dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum, resecanda peccata.* Et iterum in expositione super illud Psalm: 31 *quorum tecta sunt peccata*, ait, *nec sic intelligatis quod dixi, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant.* Conclusionem etiam habet S. Hieronymus *lib: 3. adversus Pelagianos.* Et S. Cyprianus *epist: 2. ad Donatum:* Ergo in justificatione impij peccata verè auferuntur & eradicantur.

3. *Et ostendit ratio Theologica.* Probatur quartò ratione Theologicâ: Tum quia si peccata in justificatione duntaxat detegerentur, & non eradicarentur, revera verum esset dicere de eis, quòd secundùm quid remanerent; & consequenter quòd justificatus secundùm quid esset odiosus, & damnationis obnoxius: sed hoc est contra Apostolum ad Rom: 8. dicentem, *nihil est damnationis ijs, qui sunt in Christo JESU:* Ergo non teguntur in justificatione. Tum quia per occultationem, & tectionem tantùm peccatorum fit injuria sanguini Redemptoris nostri, quò secundùm Scripturam 1. Joan: 1. dicitur nos verè lavisse, & verè mundâsse, *Sanguis JESU Christi Filij ejus emundat nos ab omni peccato:* Ergo &c.

Objiciunt Hæretici *primò*: plures textus S. Scripturæ docent secundùm litteram, peccata in justificatione tantummodo tegi, operiri, & non imputari; talis est ille psal: 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et ille, *Charitas operit multitudinem peccatorum 1.* Pet: 4. Et ille Ezech: 33. *Si egerit pœnitentiam à peccato suo, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei*, &c. Ergo non delentur, vel auferuntur radicitus. *Secundò;* Non obstante justificatione remanet in homine concupiscentia: sed hæc est peccatum: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* glossando Scripturam, & dico allatos, similesquè textus intelligendos esse de vera remissione, & ablatione peccatorum, uti eos semper intellexit Ecclesia, Concilia, & PP: accipiendo pro Synonymis, ly *tecta sunt peccata*, & *abolita*, seu *verè remissa sunt peccata*, ùt videre est apud Augustinum *in præfat: ad cit: psal:* dicentem, *cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt*: Et paulò post, *ne sic intelligatis, quod dixi, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant.* Et sic revera memoratos passus Scripturæ debere intelligi, ratio dictat; nam DEO ùt omniscio nil propriè censetur esse tectum, vel opertum; sed omnia nuda & aperta oculis ejus, ùt loquitur alia Scriptura. *Ad secundum* dico illam concupiscentiam, quæ remanet in homine justificato, non dici à Scriptura cum omni proprietate peccatum; sed tantùm ideo, quia vel est inclinatio naturalis ad peccandum, orta ex peccato originali; vel quia causat quandoque subitos aliquos motus inordinatos, qui facilè pelliciunt ad peccatum. Circa alterum articulum quæstionis.

4. *Hæreticis objicientibus respondetur.*

Nota primò; Ad propositum aliam posse concipi oppositionem physicam inter Gratiam Habitualem, & peccatum; aliam moralem. *Oppositio physica* est, quæ versaretur inter entitatem physicam Gratiæ, & entitatem physicam peccati, ùt repugnantes sibi invicem ex naturali sua constitutione, eò modò quò entitas caloris physicè repugnat entitati frigoris. *Oppositio moralis* est, quâ Gratia Habitualis se non compatitur ex ordinatione DEI cum peccato. 5. *Quid sit oppositio physica, & moralis.*

6. *Gratia opponitur peccato cuicumque.* Dico secundò: Inter Gratiam Habitualem justificationis, & quodvis peccatum

catum mortale est oppositio, ita ut viâ ordinariâ simul & semel in eadem anima stare nequeant. Ita Scotus *2. dist: 5. q: 1.* & communis TT: contra Lorcam.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, quæ docet habentes Gratiam justificationis manere in DEO, juxta illud 1. Joan: 4. *DEUS Charitas est, & qui manet in Charitate, in DEO manet*: Ergo ratione talis mansionis est oppositio inter Gratiam justificationis, & peccatum mortale. Conseq: patet; quia DEUS non manet simul cum peccato in eadem anima; cùm DEUS odio habeat peccatores, & peccatum eorum juxta illud Eccles: 12. *quoniam altissimus odio hâbet peccatores*: Ergo &c.

7. *Trid utinū pro eadem doctrina.*

Probatur secundò: Tum authoritate Tridentini *sess: 5. can: 5.* docentis, *neque potest quispiam esse membrum Christi vivum, & simul etiam mortuum per peccatum*, ratione scilicet oppositionis, quam dicunt inter se Gratia, quæ dat vitam, & peccatum, quod affert mortem. Tum authoritate SS. PP: docentium omne peccatum tolli per introductionem Gratiæ Habitualis; quod utique fit ratione alicujus oppositionis ioter hanc, & illud; unde Chrysostomus *hom: 40. Gratia rubiginem peccatorum tollit, animum splendentem atque ignitum reddit*, Solisquè radijs pulchriorem facit, ex defor̄ni formosum: Ergo inter Gratiam Habitualem, & quodvis mortale peccatum est oppositio, & incompatibilitas quædam io eodem subjecto.

8. *Oppositio inter Gratiam, & peccatum est tantùm moralis.*

Dico tertiò: Oppositio quæ intercedit inter Gratiam Habitualem justificationis, & peccatum quodvis mortale non est physica; sed moralis; unde solùm moraliter unum aliud expellit ab eodem subjecto. Ita Scotus *1. dist: 17.* Et *in dist: 28.* cum suis, & Nominalibus; contra Cajetan: Thomistam Vasq: Conin: Moran: &c. RR: complures.

Probatur: Si aliqua oppositio physica intercederet inter Gratiam Habitualem justificationis, & peccatum mortale, vel esset oppositio contraria, vel cootradictoria, vel privativa, vel relativa, hæ enim sunt communes species omninm oppositionum physicarum. Sed nulla harum intercedit inter Gratiam Habitualem justificationis, & peccatum mortale: Ergo &c. Prob: Min: non *contraria*, nec *relativa*; quia hæ interceduot solùm inter formas positivas incompatibiles in eodem subjecto respectu ejusdem v. g. inter calorem, & frigus; Pateroitatem, & filiationem: peccatum autem quodvis mortale non est positivum ùt in *tract: de Peccatis* doceo: Ergo &c. Nec etiam *contradictoria*; qnia hæc oppositio intercedit inter ens, & non ens universim acceptum: Gratia autem & peccatum non habent hanc generalem latitudinem entis: Ergo &c. Nec tandem *privativa*; quia ùt suô locô *de privativis* ostendo, peccatum non est formaliter privatio Gratiæ justificationis; sed rectitudinis, & conformitatis, quæ actui peccaminoso deberet inesse: Ergo nulla species oppositionum physicarum reperitur inter Gratiam Habitualem justificationis, & peccatum mortale. Manet itaquè, quòd sola moralis oppositio inter ea versetur, orta ex institutione Divina, ratione cujus Gratia expellit peccatum ab anima, cui infunditur, habetquè dignitatem eximiam propter merita Christi ex inimico faciendi amicum DEI, ac hæredem regni cælestis.

9. *De potentia absoluta potest cessare oppositio Gratiæ ad peccatum.*

Dico quartò: De potentia tamen extraordinaria DEI cessare potest oppositio præfata moralis, & Gratia Habitualis stare in eodem subjecto cum peccato tam Habituali, quàm actuali. Ita Scotus *4. dist: 16. q: 2.* cum sua Schola, & Occamo, Mair: Gabriel; & ex RR: Suar: Tann: Ovied: Arriag: &c. contra Thomist: & Vasq: Granad: Turrian: &c.

Probatur: Tum quia sicut DEUS liberè posuit suam præsentem ordinationem à qua oritur incompossibilitas moralis inter Gratiam Habitualem justificatioois, & peccatum mortale; ita liberè eandem potest tollere; in hoc enim nulla apparet implicantia: Ergo de potentia extraordinaria DEI potest cessare illa oppositio moralis inter Gratiam, & peccatum; & consequenter in eodem subjecto poterunt stare simul peccatum tam habituale, quàm actuale, & Gratia. Tum quia DEUS de potentia extraordinaria potest facere cessare oppositionem physicam contrariam ioter calorem, & frigus, ita ot supernaturaliter possint stare simul in eodem subjecto: Ergo pariter potest facere cessare oppositionem moralem repertam de facto intet Gratiam Habitualem, & peccatum mortale, atque ita componere utrumque simul in eodem subjecto.

10. *Fundamenta adversæ sententiæ destruuntur.*

Objiciunt Adversarij *primò*: Si posset Gratia Habitualis stare simul in eodem subjecto cum peccato mortali, sequeretur

sequeretur

quæretur eundem hominem ratione Gratiæ esse conversum à DEO, & aversum ab eo ratione peccati; item esse consortem Divinæ Naturæ ac Filium DEI, & privatum tali consortiô, ac inimicum DEI: Sed hæc implicant: Ergo &c. *Secundò:* Tridentinum appellat Gratiam Habitualem Justitiam DEI perfectam: Ergo debet expellere omnem iniquitatem ab anima hominis; atque adeò nullô modô est componibilis cum peccato mortali. Respondeo *ad Primum*, in casu conclusionis hominem tantùm fore aversum à DEO, privatum consortiô, & inimicum DEI; quia alij effectus recensiti ei tunc non convenirent, sed DEUS eos separaret, cùm tantùm sint morales & ab eius ordinatione pendentes. Itaque Gratia tunc tantùm faceret illum hominem inclinatum ad amorem DEI; hoc enim ipsi conveniret in ratione habitûs, & qualitatis consideratæ. *Secundò* potest dici nullam esse implicantiam, ut illi effectus uni eidemquè homini convenirent de potentia absoluta DEI; quia non nisi contrariè opponuntur; duo autem contraria de potentia absoluta possunt stare simul. *Ad secundum* dico, Tridentinum loqui de Gratia ùt substat præsenti ordinationi DEI, In qua est Justitia perfecta; hæc autem ordinatio de potentia absoluta DEI potest cessare.

QUÆSTIO V.

De Certitudine Iustificationis.

1. *Nemo justus est certus scientificè de sua justificatione.*



DICO primò: Nullus justificatus habet, nec habere potest certitudinem scientiæ de sua justificatione. Ita communis TT:

Probatur: Certitudo scientiæ de justificatione est illa cognitio, quâ justificatus infallibiliter vel à priori, vel à posteriori scit se esse in Gratia Habituali; sed talem nec habet, nec habere potest ullus justificatus: Ergo neque certitudinem scientiæ de sua justificatione. Prob: Min: non enim talem habet, aut habere potest à priori; quia nulla potest assignari causa, ex qua infallibiliter inferatur inexistentia Gratiæ Habitualis in justificato; cùm hæc pendeat à libera & gratuita DEI concessione: nec à posteriori; quia justificatus nullum effectum peculiarem Gratiæ Habitualis in se experitur, ex quo infallibiliter inexistentia ejus posset scire: Ergo nec cognitionem à priori, nec à posteriori habet, aut habere potest iustificatus, quâ infallibiliter sciat se esse in Gratia Habituali.

2. *Neque eam ex Fide haurire potest, sinè speciali revelatione.*

Dico secundò: Neque habet, aut habere potest justificatus certitudinem Fidei de sua justificatione, absque peculiari DEI revelatione. Ita communis TT: & omnium Catholicorum contra Lutherum, Melanthonem, Calvinum, & alios Sectarios docentes, quemlibet posse, imò debere firmiter credere se esse justificatum, atque ex ejusmodi Fide quemlibet accipere certitudinem de sua justificatione.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ passim docet, nos regulariter nullam habere securitatem, & scientiam veram de nostra Justitia; sed cum metu semper esse ambulandum, quod utique non faceret, si adesset certitudo Fidei de eadem; sic dicitur 1. ad Cor: 4. *nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum*, id est justificatum me credo, & judico, ùt glossat Chrysostomus, & Theophylactus. Item Eccles: 9. *sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen nescit homo, utrum amore, aut odiô dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*. Item Eccles: 5. *de propitiato peccato noli esse sinè metu*. Et ad Philipp: 2. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*: Ergo nullus justificatus habet neque habere potest certitudinem Fidei de justificatione absque speciali DEI revelatione.

3. *Testimonii Tridentini; & SS: PP. procedem.*

Probatur secundò: Tum authoritate Tridentini; quod *sess: 6. cap: 9.* dicit, *quòd nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se Gratiam DEI esse consecutum*. Tum authoritate Innocentij III. qui *cap: accepimus, de purgat: can:* locum illum Job: 9. *etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, explicat de incertitudine Justitiæ: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; ùt videre est apud Hieronymum scribentem *in cap: 9. Eccles:* Et Gregorium *9. Moral: cap: 18.* Et *lib: 6. epistol. epistolâ 22. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam* sciscitantem, an sibi essent remissa peccata, cui respondet, *rem mihi difficilem, & tibi inutilem*

utilem postulâsti; difficilem, quia indignus sum, cui revelatio immittatur à DEO; tibi inutilem; quia securitas neglientiam parit. Et apud Ambrosium *serm: in Psal: 118.* Et Augustinum *lib: 50. hom: 35.* dicentem, *quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis judicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus:* Ergo &c.

4. *Ratio etiam Theologica adminiculatur.* Probatur quartò ratione: Tum quia certitudo Fidei regulariter de justificatione haberi debet per expressam revelationem in Scriptura, vel definitionem Ecclesiæ: sed ex nulla Scriptura, vel Ecclesiæ definitione habetur hominem hunc in particulari v.g. Lutherum, vel Calvinum esse prædictum Gratiâ justificante: Ergo nemo potest habere certitudinem Fidei de sua justificatione. Prob Mi: nam Scriptura, & Ecclesiæ definitio loquentes de justificatione tantùm loquuntur generaliter: Sed ex ejusmodi generali locutione non habetur sufficienter hunc in particulari hominem esse prædictum Gratiâ sanctificante: Ergo &c. Tum quia nullus est, aut esse potest certus certitudine Fidei, quod posuerit omnes conditiones de facto necessariò requisitas ad justificationem; cujusmodi sunt præparatio debita per conversionem perfectam ad DEUM, id est ex motivo supernaturali procedentem, cum auxilio supernaturali gratiæ actualis; item actum dilectionis cum debita appretiatione, & detestatione uti oportet; Fidem, Spem, pœnitentiam requisitam &c. Ergo neque est, aut esse potest certus certitudine Fidei de accepta justificationis Gratia.

5. *Hæreticorum positiones contra conclusionem.* Objiciunt Hæretici *primò*: Plures Scripturæ docent, â justificatis excludi formidinem, & consequenter volunt eos habere certitudinem de sua justificatione; sed non aliam quàm Fidei: Ergo &c. Prob: Min: nam ad Rom: 8. dicit S. Paulus, *certus sum, quòd neque mors,* &c. *poterit nos separare à Charitate DEI.* Et rursus *cap: 15. certus sum Fratres, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione. Secundò*: *eodem cap:* dicitur, quod Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro (utique per testimonium Fidei) quò quivis potest, imò tenetur credere se esse justificatum. *Tertiò 4. Joan:* habetur, *scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres,* quæ scientia non est alia, quàm Fidei certitudo. *Quartò: nos Spiritu Christi accepimus, ut sciamus quæ à DEO data sunt nobis. Quintò*: quando suscipio baptisma, vel confiteor cum vero dolore, & aliis dispositionibus acquiro certò justificationem; sed possum experimentò scire me suscipere baptisma, vel confiteri cum omnibus dispositionibus: Ergo possum saltèm habere scientiam certam physicam de justificatione, quod negat prima conclusio.

6. *Quæ eliduntur, & solvuntur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Maj: ad authoritates Scripturæ dico; illos & similes textus Scripturæ non excludere omnem formidinem, saltem virtualem; sed solùm insinuare quosdam Sanctos eximios ob peculiaria beneficia à DEO accepta, & signa alia specialia; item propter continuationem suorum bonorum operum magnam concipere fiduciam de sua salute, ita ut positivè non sint anxii de sua justificatione, quæ est quædam certitudo tantùm negativa; non autem positiva, & propriè dicta: Potest etiam dici quòd ly *certus sum* nil aliud operetur quàm quandam persuasionem, ac si diceret Apostolus *persuasum mihi habeo quod neque mors* &c. *nos poterit separare à Charitate DEI*; cum ejusmodi tamen persuasione stat formido de opposito. *Ad Secundum* glosso Scripturam, & dico Apostolum loqui in persona Fidelium, & tantùm velle, quòd Spiritus S. testificetur, seu ùt Græca sonat littera, contestificetur Spiritui ipsorum, quòd sint Filii DEI, quatenus nimirum per experientiam percipiunt suavitatem quandam & tranquillitatem conscientiæ per pios motus ac effectus in DEUM, ita ut confidenter dicant *Abba Pater*: cùm tamen hæc omnia etiam in injustis reperiri possint, puta illis, qui laborant præsumptuosâ, & erroneâ conscientiâ, aut à Patre mendacii decipiuntur, causante ejusmodi signa, ut Sanctos in superbiam, aut inanem nimiam confidentiam inducat; idcirco nec hinc certitudo ulla justificationis haurienda est. *Ad Tertium* glosso Scripturam, & dico eam loqui de scientia morali; de qua infrà. *Ad Quartum* explico Apostolum, & dico eum loqui de mysteriis Christianæ Religionis, nec non beneficiis præparatis Electis, quæ Apostolus scivit per revelationem tum generalem, tum peculiarem DEI. *Ad Quintum* Neg: Min: quia universalis est illa sententia Ecclesiastici, quæ etiam cadit super dispositiones suscipientium baptisma.

7. baptisma, vel confessionem peragentium, quòd *nesciat homo, utrum amore, an odiò dignus sit.*

Potest haberi certitudo moralis de justificatione.

Dico tertiò: Potest tamen justificatus adultus habere certitudinem moralem, seu conjecturalem de sua justificatione. Ita communiter TT.

Probatur: Tum quia cum ejusmodi certitudine morali, seu conjecturali stat formido de opposito, quam passim asserit Scriptura esse, & debere esse in Fidelibus; item ignorantia de assecuta Gratia justificante, de dignitate amoris DEI, &c. teste eâdem Scripturâ. Tum quia certitudo moralis, seu conjecturalis est illa, quæ hauritur ex verisimilibus conjecturis ingerentibus præsentem justificationem; quales sunt, quæ desumuntur ab effectibus salutaribus, eô quòd videlicet justificatus in se experiatur desiderium vitandi peccata mortalia, diligentiam in cavendis venialibus, studium pietatis, ac bonorum operum, desiderium cœlestium, fastidium terrenorum, dolorem de peccatis præteritis, propositum de cætero placendi DEO, pias in DEUM affectiones, desiderium patiendi pro Christo, ipsamquè tolerantiam tribulationum, susceptionem sedulam, & bene circumstantionatam Sacramentorum, præsertim S. Pœnitentiæ, in summa promptam & seriam applicationem eorum omnium, quæ sunt de necessitate salutis, quæ quidem omnia non debent in quolibet adesse, ut pariant certitudinem moralem, seu conjecturalem: si autem adsint, uti revera fuerunt in quibusdam eximijs Sanctis, v. g. S. Francisco &c. magnam generant Fiduciam de Justificatione; unde huic innixus dixit S. Bernardus *sum: 69. prorsus habet Ecclesia DEI spirituales suos, qui non modò fideliter, sed & fiducialiter agant in eo cum DEO quasi cum amico loquentes, testimonium illis prabente conscientiâ gloriæ ejus.*

8. Nota tamen hìc insignem S. Tridentini Concilij doctrinam, quàm affert *sess: 6. cap: 13. nomo sibi certè aliquid absolutâ certitudine polliceatur, tametsi DEI auxiliò firmissimam spem collocare & reponere omnes debent; DEUS enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficit, operans velle, & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore operentur salutem suam, operentur in laboribus in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejunijs & castitate; formidare enim debent, scientes, quòd in spem gloria, & nondum in gloriam renati sunt de pugna, qua superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum gratia DEI.*

Specialis doctrina Tridentini super certitudinem justificationis.

QUÆSTIO VI.

Varia circa Iustificationem resolvuntur.



DICO primò: Donum justificationis non est æquale in omnibus Justis. Ita communis TT. 1.

Donum justificationis est inæquale.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ inæquilitatem in justificatis asserentis; unde dicit Joannem fuisse majorem inter omnes justificatos, Matth: 11. *non surrexit major Joanne Baptistâ.* Et 2. ad Cor: 3. *augebit incrementa frugum Justitiæ vestræ*; huc etiam faciunt omnes illi textus, quibus suprà *dist: 1. quæst: 3.* ostendi Gratiam Habitualem posse augeri: Ergo donum justificationis, quod fit mediante Gratiâ Habituali, non est æquale in omnibus justis.

Probatur secundò: Tum authoritate Trid: *sess: 6. cap: 10. suprà dist: 1. q: 3.* relati per extensum, quod docet justos posse perficere suam Justitiam eundo de virtute in virtutem; adeoque quod possit unus aliò habere majorem justificationis Gratiam, juxta majus exercitium virtutis. Tum authoritate SS:PP: eandem doctrinam asserentium; unde Augustinus *epist: ad Dard: q: 4.* dicit, *in Sanctis sunt alijs feliciores abundantiùs habentes habitatorem DEUM.* Tum ratione quia gloria dabitur justis inæqualis juxta illud Joan: 14. *in domo Patris mei mansiones multa sunt*: sed gloria succedit gratiæ, cùm gratia sit semen gloriæ: Ergo Gratia justificationis non est æqualis in omnibus justificatis. 2.

Dico secundò: Justificatio est majus beneficium, & perfectius DEI opus, quàm creatio; non tamen æquiparatur beneficio ac operi Incarnationis, & glorificationis.

Majus donum est justificatio, quàm creatio.

Probatur prima pars authoritate SS:PP: maximè S. Augustini, qui *tract:*

72. in Joan: dicit, *melius, & majus esse impium justificare; quàm creare cœlum & terram.* Et S. Nazianzani *orat: in S. Bapt:* scribentis, *quemadmodum eùm non esset, illam* (scilicet creaturam humanam) *creavit, ita & creatam reformavit reformatione Diviniori, & primâ longè excellentiori:* quæ formatio contingit in justificatione: Ergo justificatio est majus beneficium, & perfectius opus, quàm creatio.

Probatur secundò ratione: quia in justificatione peculiariter relucet DEI omnipotentia, dum pro nutu suo voluntatem creatam maximè rebellem peccatoris infallibiliter, & efficaciter ad Justitiam trahit; unde dicit Ecclesia *in collecta Dom: 10. post Pent: DEUS qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas &c.* Ergo &c.

3. *Non tamen est majus Incarnatione.*

Probatur secunda pars de Incarnatione; quia justificatio est solùm unio accidentalis inter DEUM, & hominem; Incarnatio verò substantialis, & personalis. Deinde Incarnatio includit etiam ipsam Gratiam Habitualem justificationis, & insuper addit unionem hypostaticam in persona Divina, quæ est fons omnis Gratiæ, de cujus plenitudine nos omnes accepimus: Ergo majus est beneficium, & perfectius opus Incarnatio.

4. *Aut Glorificatione.*

Probatur tertia pars de Glorificatione: Justificatio potest cessare, & sæpe cessat Glorificatio verò nunquam cessabit. Præterea Justificatio solùm est ad gratiam inchoatam; Glorificatio verò ad gratiam consummatam: Ergo hæc est majus beneficium, & perfectius opus illâ.

5. *In justificatione contingunt duæ mutationes.*

Dico tertiò: In Justificatione duæ intersunt mutationes distinctæ, infusio scilicet gratiæ, & remissio peccati. Ita Scotus *4. dist: 16. q: 2.* cum suis; & Suar: alijsque RR.

Probatur: Tum authoritate Tridentini: quod *sess: 6. cap: 7.* tanquam duo distincta enumerat remissionem peccati, & renovationem hominis, seu infusionem gratiæ, dicens, *Justificatio non est sola peccatorum remissio; sed & renovatio.* Tum authoritate S. Chrysostmi *hom: 20. in Gen:* dicentis, *per contritionem non solùm DEUS largitur vulnerum curam, & à peccatis mundos ostendit; sed & eum, qui innumeris peccatorum sarcinis gravatur, justum facit;* en quomodo aliud sit justum facere, seu infundere gratiam; & aliud vulnerum curam præstare, seu remittere peccata; sicut aliud est in calefactione producere calorem, & expellere frigus. Tum ratione; possunt ab invicem separari hæc duo, remissio peccati, & infusio gratiæ: Ergo sunt duæ mutationes distinctæ. Prob: Ant: potest quis de potentia absoluta justificari solò actu contritionis, vel solâ extrinsecâ condonatione DEI, sinè omni infusione gratiæ, ùt suprà *q: 3. concl: 2.* docui: Ergo &c.

6. *Merita priora in justificatione reviviscunt.*

Dico quartò: In Justificatione impij merita priora per peccatum mortale mortificata reviviscunt quo ad totũ Jus quod habuerat antè respectu prœmij essentialis Gloriæ. Ita Scotus *4 dist: 22. q. un:* cum suis; & Svar: Vasq: Amic: &c. contra Cajet: Valent: Herriq: &c.

Probatur: Tum authoritate Scripturæ Ezech: 33. *in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua, impietas impij non nocebit ei:* si non nocebit: Ergo per justificationem plenè restituitur in pristinum statum quoad totum jus respectu prœmij essentialis. Tum authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 16.* Et SS: PP: conclusionem asserentium: quos citatos vide apud Vasq: *3. part: quæst: 89.* Tum ratione; quia nulla apparet authoritas Scripturæ, PPi vel ratio, ostendens in justificatione non fieri plenam reviviscentiam omnium operum mortificatorum: Ergo dicendum est, quòd in justificatione impij merita priora mortificata reviviscant, quoad totum Jus respectu prœmij essentialis. Vide plura de hoc puncto *tom: 3. tract: de Sacramentis, dist: 8. quæst: . concl: 2.*

7. *Et redit Jus ad omnem gratiam.*

Dico quintò: In justificatione quoque recuperatur jus ad omnem gratiam præcedentibus meritis acquisitum, sive ea fuerit Sacramentalis, sive alia; & probabiliter statim tempore infusionis Gratiæ Habitualis. Deducitur ex Scoto *4. dist: 22.* & defendit Mastr: & Herincz, quibus adstipulatur Lugo, Svar: & alij RR: contra Aretin Hiqu: Fabr: Vulp: &c. Et ex RR: Vasq: Turrian: Casp: &c.

Probatur primò authoritate Scripturæ; quæ insinuat hominem justificatum restitui simpliciter in primum statum, sinè ulla limitatione quoad jus gloriæ tantùm, & non gratiæ prioris; sic dicitur Joël 2. *reddam vobis annos, quos comedit locusta;* quod explicant Hieronymus, & Glossa Interlinealis

linealis

linealis de pristinæ gratia. Et Luc: 15. jubet Pater Filio prodigo *stolam primam* dare, id est pristinam gratiam, quam (ùt ait Chrystomus *hom: 4. in Luc:*) ex seductione Diaboli nudatus amiserat: Ergo in justificatione statim recuperatur quoque jus ad omnem Gratiam præcedentibus meritis acquisitam.

Probatur secundò ratione: Tum quia hæc sententia est valde conformis Divinæ misericordiæ. Tum quia ex opposita sequeretur in noviter justificato esse aliquid damnationis ijs, qui sunt in Christo IESU, contra Scripturam ad Rom: 8. quandoquidêm justificatus in pœnam peccati privaretur magnis gratijs prius habitis, & consequenter etiam gloriâ illis gratijs correspondente cujus totalis privatio sicut facit damnationem totalem; ita privatio particularis particularem aliquam damnationem. Tum tandem; quia gratia quæcunque semel nobis à DEO collata fit nostra; adeoque in eam in justificatione denuo habemus jus.

8. *Scotus reconciliatur.* Quando objicitur Scotus, quòd is doceat contrarium saltèm de Gratia Sacramentali, eò quòd sit Donum DEI, & consequenter non nostrum, sicut sunt merita quæ reviviscunt; *Respondeo* hoc docere ut probabile; non tamen resolutoriè procedere: nam etsi Gratia Sacramentalis sit in se donum DEI; tamen revera semel nobis datum, fit nostrum; & eam non minùs, quàm cætera dona coronat DEUS.

Dico sexto: Nulla peccata in justificatione jam remissa redeunt per subsequentes actus recidivos peccaminosos. Ita communis TT: contra Hugon: Victor.

9. *Peccata semel dimissa non redeunt.* Probatur: Tum authoritate Sancti Gelasij Papæ *cap: fin: de pænit: dist:* 4. dicentis, *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulteriùs redire non patitur.* Tum quia forma ablutionis Sacramentalis est absoluta, & non conditionata. Tum quia S. Scriptura pœnitentibus veniam promittens, nunquam comminatur reditum priorum peccatorum, casu quo eos relabi contigerit. Tum quia doctrina conclusionis maximè recommendat Divinam misericordiam. Tum tandem; quia non rectè S. Scriptura diceret in justificatione remitti peccata, si aliquando iterum redirent: Ergo nequaquam redeunt per subsequentes actus peccaminosos: Ergo &c.

Dico septimò: In justificatione cum remissione culpæ, remittitur quoque pœna æterna; non tamen semper tota temporalis, in quam æterna fuit commutata. Ita communis TT:

10. *In Justificatione remittitur pœna æterna.* Probatur prima pars: Tum authoritate Sacræ Scripturæ, quæ conjungit remissioni peccati, seu justificationi fructum vitæ æternæ, & consequenter abolitionem pœnæ æternæ; sic dicitur ad Rom: 6. *nunc verò liberati à peccato, servi autem facti DEO, habentes fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam.* Et ad Rom: 8. dicitur de justificatis, *nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESU.* Tum authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 14.* docentis, *non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramentô, vel Sacramenti votô unà cum culpa remittitur.* Tum ratione; quia Gratia justificationis inter cæteros suos effectus etiam hunc præstat, quòd efficiat justificatum hæredem vitæ æternæ: Ergo ab eo tollit obligationem ad pœnam æternam.

11. *Non item tota temporalis.* Probatur secunda pars: Tum authoritate Scripturæ; in qua habentur exempla, quòd DEUS graves quosdam peccatores, etiam post justificationem, puniverit acribus pœnis temporalibus, in quas fuerat commutata æterna: sic legimus Num: 20. de Moyse, & Aaron, quòd debuerint gustare mortem ante ingressum in terram promissam, ob peccatum incredulitatis, à quo jam dudum erant justificati. Et de Davide adultero *2. Reg: cap: 11.* qui jam justificatus fuit punitus morte Filij, ablatione uxorum, & abusu publicò earum &c. Tum authoritase SS. PP: conclusionem asserentium; signanter Sancti Ambrosij *lib: ad Virg: lapsam cap: 8.* Et Sancti Augustini *in illud psalmi 50. dilexisti Justitiam*, dicentis, *id est, impunita peccata, eorum etiam, quibus ignoscis, non reliquisti.* Tum authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 14.* docentis, *sed pro pœna temporali, quæ, ùt Sacræ Litteræ docent, non tota semper, ùt in baptismo fit, dimittitur.* Tum ratione: quia reservatio pœnæ temporalis congruit DEO, ut ejus intuitu homines arceantur à peccatis novis; Et ut DE-

US ha-

US habeat quòd ostendat Justitiæ rigorem misericordiâ temperatum : Ergo &c. Hujusmodi reservationem pœnæ temporalis ostendunt quoque Indulgentiæ ad ejus deletionem ordinatæ : Purgatorium ad ejus expiationem constitutum : Item satisfactio Sacramentalis.

Sancta Mater Ecclesia in hoc quoque Tractatu me corrigat.

FINIS.



TRA-

TRACTATUS V.

DE

GRATIA ACTUALI.

PROOEMIUM.



Uoniam tortuosus ille Britannicus Coluber Pelagius Divinum Gratiæ supernaturalis beneficium (quod *non solùm sidera, & omnes cœlos, sed etiam omnes Angelos supergreditur*, teste Aug: lib: 2. *ad Bonif:*) tanquam non necessarium ad servanda DEI præcepta, & salutem consequendam, venenoso suo dogmate abolere intendit, asserendo ad ea sufficere solas innatas, & naturales liberi arbitrij vires; idcirco prisci SS. PP: omnibus nisibus hoc ipsum beneficium supernaturale Gratiæ ut necessarium ad prædictos, & alios effectus defenderunt; signanter D. Augustinus (qui testibus Gelasio, & Cœlestino summ. Pontifibus securiùs, & feliciùs dimicavit in hoc campo) *tom: 7. in varijs libris, & tractatibus contra Pelagianos.* Et *tom: 2. epist: 90. & seq:* Et D. Hieronymus *in dial: contra Pelagianos, & Luciferian.* Item *in tract: contra Pelag. ad Etesiphontem.* Et S. Prosper *libris 2. de vocatio. Gent.* Et *lib: respons: ad object: Gallorum, & alibi.* Et D. Fulgentius *lib: 1. ad Moncinum.* Et *lib: de Incarnat: & Grat. Christi.* Et S. Anselmus *lib. de concord: prædest. & grat. cum libero arbit.* Et S. Bernardus *lib: de grat: & lib. arb.* Eandem defensionem prosequitur Magister sent: 2. *dist:* 26, 27. 28. *&* 29. Et D. Thomas *prima secundæ q:* 3. Et Scotus 4. *dist:* 16. *& alibi:* cum quibus & ego hunc proponam Tractatum; protestando tamen, quòd nullatenus contraire intendam saluberrimis decretis S. Sedis Apostolicæ, aliàs emanatis de non edendis ampliùs tractatibus, & scriptis circa controversias inter Doctores Catholicos quæstiones, concernentes auxilia Gratiæ Divinæ, seu earum concordiam cum libero arbitrio. Proferam enim ea duntaxat, quæ scitu omnino necessaria sunt ad refutandas hæreses antiquas, novasque, & ad stabiliendam Catholicam veritatem, & quæ hactenus in Scholis, atque libris editis licitè tractata fuêre; abstrahendo à periculosis, & acribus controversijs, DD. Catholicorum,

eorum, quæ in varias offensas, & contradictiones inutiles, imò periculosas, & meritò prohibitas degeneràrant. Sit ergò.



DISTINCTIO I.

De quidditate; existentia; & divisionibus Gratiæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit; & an detur Gratia Divina.

1. *Gratia capitur pro affectu benevolentiæ,*



NOTA primò: Nomen Gratiæ tam à sacris, quàm profanis Scriptoribus variè usurpari.

Primò enim capitur pro affectu benevolentiæ, quò DEUS gratis prosequitur, & diligit aliquam creaturam; in hoc sensu procedit illud Scripturæ ad Rom: 4. *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur Fides ejus ad Justitiam, secundùm propositum Gratiæ DEI*, id est, gratiosi affectûs Divini.

2. *Et pro decore; ac gratiarum actione.* Secundò accipitur pro decore, & venustate hominis: hôc sensu procedit illud Prov: 31. *fallax gratia, & vana est pulchritudo.*

Tertiò usurpatur pro gratiarum actione ob recepta aliqua beneficia: in hoc sensu loquitur Scriptura Matth: 26. *& accipiens calicem gratias egit*. Et 1. ad Thessal: *1. gratias agimus DEO semper.*

3. *Pro dono quoque absque debito.* *Quartò* sumitur pro dono, seu beneficio sine debito collato, & ex mero affectu benevolentiæ DEI descendente, sive tale donum & beneficium sit naturale, sive supernaturale. Hôc sensu etiam donum naturale creationis dictur gratia à VI. Synodo generali *act. 11.* dum docet, Angelos, & animas immortales esse *non naturâ, sed Gratiâ*; & ab Augustino *tom: 2. epist: 93. quadam non improbandâ ratione dicuntur Gratia DEI, quâ creati sumus.*

4. *Et beneficio supernaturali.* *Quintò* accipitur Gratia rigorosiùs pro solo dono, & beneficio supernaturali, ordinem naturæ transcendente, & consequenter naturæ rationali indebito planequè gratuitè, & liberaliter collato, Gratiam in hoc sensu urget Divus Paulus ad Rom: 11. si *Gratia, jam non ex operibus, alioquin Gratia jam non esset Gratia.* quæ verba expendens D. Ambrosius ait, *manifestum est, quia Gratia donum DEI est, non debita merces operibus; sed gratuitâ ratione misericordiâ interveniente concessa.*

Nota 2. de ratione Gratiæ in hac acceptione usurpatæ esse, ut aliquo modo naturam rationalem elevet, adjuvet, & inserviat ad opus excedens vires naturales; maximè ad beatitudinem assequendam, vel propriam, uti elevat & juvat Gratia actualis auxilians, & habitualis; vel alienam, uti juvant gratiæ gratis datæ. Gratiam in ista usurpatione maximè ùt est elevans, & inserviens ad opus assequendæ beatitudinis constanter negavit Pelagius; contra quem. 5. *Gratia debet elevare, & adjuvare.*

Dico primò: Datur Gratia Divina supernaturalis, liberaliter homini collata à DEO, quæ elevat, & necessaria est ad assequendam beatitudinem. Ita Catholici omnes. 6. *Datur Gratia supernaturalis secundùm S. Scripturâ.*

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: nam 1. ad Cor: 15. Apostolus testatur in se dari Gratiam Divinam Supernaturalem, dum ait, *Gratiâ DEI sum id, quod sum; & Gratia ejus in me vacua non fuit.* Et ad Ephes: 2. hoc idem testatur de alijs dicens, *Gratiâ estis salvati per Fidem; & hoc non ex vobis; DEI enim donum est.* Et 2. Petri 1. dicitur, *per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit*, (subintellige Gratias) *ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Et ad Rom: 5: habetur, *si enim unius delictô multi mortui sunt, multò magis Gratiâ DEI & donum,*

& donum, in Gratia unius Hominis JESU Christi in plures abundavit: Ergo datur Gratia Divina, & quidem liberaliter à DEO collata (hoc enim indicat ly donum, & donatio in allegatis textibus) & quæ elevat; & necessaria est ad beatitudinem assequendam; hoc namque indicat ly *quod sum*, ly *estis salvati*, & ly *Divinæ consortes naturæ*.

7. *Conciliis*

Probatur secundò authoritate CC: quæ sæpius anathematizârût Pelagij dogma, negans existentiam, & necessitatem Gratiæ Divinæ Supernaturalis ùt necessariæ ad beatitudinem; sic in primis egit Conc: Milevitanum anno 416. cui interfuit D. Augustinus. Deinde Carthaginense anno 418. collectum ex 214. Episcopis, uti scribit Prosper in Chronico; cujus damnationi Zosimus Sum. Pontifex eodem anno novum Apostolicum robur adjecit. Rursus Generalis Synodus Ephesina unà cum Nestorianismo damnavit Pelagianismum. Et novissimè Tridentinum *sess. 6. cap. 5.* & sequentibus, necessitatem, existentiam, efficaciam, & concursum Gratiæ Divinæ supernaturalis gravissimis verbis, ex S. Scriptura depromptis asserit: Ergo &c.

8. *SS. Patrib. & ration.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: quorum insigniores retuli in Procemio paulò antè præmisso hujus Tractatûs, qui efficacissimis Scriptis Pelagianismum profligant. Si plures desideres, Lege S. Bonaventuram *lib. 2, Pharetra cap. 16.* ubi plurimos refert, Bellarminum, Suarez *Proleg: 5.* &c.

Probatur quartò ratione S. Bonaventuræ, & S. Thomæ: DEUS ex nihilo produxit creaturas rationales ad finem beatitudinis supernaturalis, & in ordine ad eandem præfixit ijsdem varia præcepta, & quidem quædam difficillima observatu; Ergo etiam destinavit ijsdem creaturis media inservientia ad debitè assequendum talem finem supernaturalem. Subsumo; sed nulla alia congruentiora sunt, quàm dona, & beneficia Divina gratuita Gratiarum supernaturalium: Ergo dantur Gratiæ Divinæ supernaturales elevantes, & necessariæ ad consequendam beatitudinem. Prob: conseq: DEUS cæteris creaturis à se conditis contulit motus, & qualitates convenientes atque necessarias ad suos fines naturales attingendos: Ergo à fortiori destinavit media inservientia ad consequendum finem supernaturalem beatitudinis. Præterea extant, & sunt necessaria specialia auxilia Gratiæ Divinæ supernaturalis in ordine ad cognoscenda mysteria supernaturalia fidei, ad servandam diu totam legem naturæ, ad ritè se disponendum pro justificatione, & similia complura opera de quibus infrà speciales proponam quæstiones: Ergo etiam datur Gratia Divina supernaturalis necessaria in ordine ad assequendam beatitudinem, ad quam conducit notitia mysteriorum Fidei, observantia Legis naturæ, justificatio &c. Tandem uberrimè probabitur hæc conclusio sequentibus doctrinis hujus Tractatûs, ubi Gratiæ Divinæ necessitas ad complura opera moralia, & physica, ritè ponenda, ostendetur.

QUÆSTIO II.

De Divisione Gratiæ in Actualem, & Habitualem; Increatam, & Creatam; Internam & Externam.

1. *Quid sit Gratia Habitualis.*



NOTA primò: Gratiam acceptam pro dono vel beneficio supernaturali à DEO liberaliter collato homini, de qua *priori quæst: conc: 1.* dividi in Gratiam Actualem, & Gratiam Habitualem. *Gratia Habitualis* est habitus charitatis Theologicæ, à DEO gratuitò infusus, justificans formaliter creaturam rationalem; de qua institui *Tractatum 4. hoc Tomo. Gratia Actualis* (de qua præsens procedit Tractatus) explicatur sequenti conclusione; Unde.

Dico primò: Rectè describitur Gratia Actualis, quòd sit *auxilium Divinum supernaturale transiens, quò homo vel prævenitur, vel adjuvatur in ordine ad eliciendas operationes morales salutares, & habendas quasdam cognitiones physicas, investigatu difficillimas.*

2. *Descriptio Gratiæ Actualis.*

Probatur: Hâc descriptione aptè exprimitur natura Gratiæ Actualis: Ergo &c. Probat: Ant: elucidando singulas partes ejusdem: dicitur quòd sit *auxilium Divinum*; ut ostendatur genus, in quo convenit Gratia Actualis cum Habituali, & alijs donis Divinis gratiosis; & simul insinuetur ejus causa efficiens, scilicet DEUS; ac tandem ut detur intelligi, munus Gratiæ Actualis esse com-

se concurrere, & opem ferre auxiliatricem homini operanti. Reliquæ partes ponuntur pro differentia. Additur ly *supernaturale* ad differentiam habituum, & auxiliorum naturalium adjuvantium hominem in suis operationibus naturalibus. Dicitur *transiens*, ut distinguatur Gratia Actualis ab Habituali, quæ est quid permanens in homine usque dum expellatur per peccatum. Dicitur, *quô vel prævenitur, vel adjuvatur homo*, ùt exprimatur modus varius, & connotatio, sub qua Gratia Actualis auxiliatur homini operanti, à quo variè dividitur, ùt infrà dicam. Dicitur *in ordine ad eliciendas operationes morales salutares*, per quod insinuatur concursus & necessitas Gratiæ Actualis in ponendis operibus salutaribus, ùt dicetur infrà. Apponitur tandem, *& habendas quasdam cognitiones physicas*, &c. ut ostendatur necessitas quoque Gratiæ Actualis in eliciendis quibusdam notitijs physicis circa verum abstrusum, & penetratu difficillimum, de quo plenius infrà.

3. *Auxilium Gratiæ Actualis consistit in pijs motibus intellectûs, & Voluntatis.*

Nota secundò: Auxilium Gratiæ Actualis explicatum consistere in quibusdam pijs, & salutaribus motibus, seu motionibus tum voluntatis à DEO immissis, puta amoris, Spei, dilectionis, Religionis, delectationis, immutationis, effectûs & corroborationis; tum in pijs quibusdam cognitionibus intellectûs, cujusmodi sunt bona vocatio inspiratio sancta, illuminatio &c. ùt discurrunt SS: PP: & CC: contra Pelagianos; & præclarè exprimit Tridentinum *sess. 6. cap: 5.* Tales porro motus liberaliter, & misericorditer immittit DEUS in intellectum, & voluntatem hominis ex speciali intentione suæ Divinæ supernaturalis Providentiæ, ut iisdem cooperemur per opera salutaria.

4. *Homo effectivè non concurrit ad Efficientiam Gratiæ.*

Nota tertiò contra Herincx, & Tannerum: hujusmodi motus seu Gratias Actuales fieri in nobis, ùt loquitur Arausicanum II. *cap: 9. & 11.* quod intelligendum est, non solùm sinè nobis plenè liberè consentientibus; sed etiam sinè nobis aliquid coëfficientibus, mereque passivè existentibus, nam *cit:* Conc: *can: 11.* expressè docet, *multa bona fiunt in homine, quæ non facit ipse homo.* Et propterea etiam dicit D. August: *lib: de grat: & lib: arbit: cap: 17. ut ergo velimus, DEUS in nobis sinè nobis operatur*, immittendo videlicet motus Gratiæ Actualis; Et explicans se magis prosequitur idem S. Doctor, *in nobis sinè nobis à DEO operante fieri absque aliquo nostro influxu sive concursu.*

Dices cum P. Herincx: Gratia Actualis est motus vitalis: Ergo ad dandam ejusmodi vitalitatem debet effectivè concurrere potentia vitalis intellectûs, & voluntatis. Adeoque debet etiam fieri à nobis. Respondeo Neg: Conseq: nam talis motus sufficienter dicitur vitalis; quatenus à DEO vitam habente est productus; sicut intellectio Angelica alteri Angelo impressa tempore loquelæ Angelicæ in plurium DD: etiam Scotistarum, & Scoti sententia, ùt docui *Tom: 1. de Angelis dist: 3. q: 6.* dicitur sufficienter vitalis, à vitalitate Angeli imprimentis, etsi merè passivè se habeat Angelus recipiens. 5. *Replica P. Herincx rejicitur.*

6. *Quid sit Gratia Increata, & Creata.*

Nota quartò: Gratiam sic prætereà dividi in Increatam & Creatam. *Increata* est ipse Author Gratiæ DEUS; sic enim eum appellat tam Ecclesia, quàm SS: PP: Ecclesia quidem, dum in Hymno Pente. Spir: S. vocat *Donum DEI altissimi*; ex PP: verò Augustinus *serm: 61. de verbis Dom: quæst: 2.* ait, *Donum autem maximum Spiritus S. est, & ideo Gratia dicitur.* Gratia verò *Creata* est donum & beneficium aliquod Divinum, à DEO perfectum liberaliter, tale est illud, de quo tum *hac quæst: not: 1. & conc: 1.* tum *priori conc: 1.* actum est.

7. *Quid Interna, & Externa.*

Nota quintò: Gratiam creatam ulteriùs partiri in Internam, & Externam. *Gratia Interna* est illud donum, quod immittitur à DEO vel in intellectum, vel in voluntatem, in ijsquè facultatibus recipitur immediatè, tale est Gratia Actualis consistens vel in pijs motibus intellectûs, vel voluntatis, de quibus *not: 2. hujus quæst:* *Gratia Externa* est beneficium DEI extra præfatas potentias consistens; tale est institutio Sacramentorum pro utilitate hominis, à DEO liberaliter, & misericorditer facta; Item Incarnatio Verbi Divini, Prædicatio S. Evangelij, objecta illa, circa quæ versantur pij motus interiores animi, ipsaquè Providentia DEI, & Decreta, à quibus oriuntur Gratiæ Actuales, & nobis conferuntur. Huc etiam revocantur Externa DEI protectio, & Gubernatio, quâ removentur obices impedientes salutares operationes, & occasiones malorum, unde Augustinus *lib: 50. homiliarum, hom: 23.* ponderans hanc Gratiam Externam ait; *Adulter non fuisti - - - - hoc tibi dicit DEUS tuus, regebam te mihi, servabam te mihi: ùt adul-*

ut adulterium non committeres, Suasor defuit; ut Suasor deesset, ego feci; locus & tempus deficit; & ut deesset, ego feci.

QUÆSTIO III.

De Divisione Gratiæ in Gratum facientem, & Gratis datam; in Operantem, cooperantem, Excitantem, prævenientem, Concomitantem, & subsequentem.

1. *Quid sit Gratia gratis data, & gratum faciens.*



NOTA primò: Gratiam Creatam ulteriùs dividi in Gratũ facientem & gratis datam. *Prima* est ipsa Gratia sanctificans, seu Charitas, quatenus est ratio formalis justificandi hominem & gratum faciendi. *Secunda* (quæ antonomasticè appellantur *gratis data*, etsi aliàs omnis Gratia creata quoque gratis seu liberaliter data dicatur) sunt quædam dona particularia à DEO liberaliter viatori ad utilitatem proximorum quidem principaliter concessa; ita tamen, ut hæc reducantur in DEUM, ùt explicat noster P. de Nyse *Tract: 5. p: 5. q: 4.* tales sunt illæ quas recenset D. Paulus 1. ad Corinth: 12. dicens, *divisiones Gratiarum sunt, idem autem Spiritus; alij quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ; alij autem sermo Scientiæ secundùm eundem Spiritum; alteri Fides in eodem Spiritu; alij gratia sanitatum in uno Spiritu; alij operatio virtutum; alij Prophetia; alij discretio Spirituum; alij gratia Linguarum; alij interpretatio sermonum:* quas omnes vide explicatas, *Tom: 4. Tract: de Virtut: Cardin: disp: 1. q: 7.* Circa alterum articulum quæstit

2. *Gratia Actualis varia sortitur nomina.* Nota secundò: Quòd Gratia Actualis nunc appelletur operans, nunc Præveniens, nunc Concomitans, nunc Subsequens; quæ denominationes sunt in S. Scriptura, CC: & PP: fundatæ, ac uni eidemquè entitati Gratiæ Actualis conveniunt, penes diversas tantùm connotationes, & munera, quæ præstat in homine eadem specie & numero Gratia Divina Actualis, ùt bene advertit noster P. Blasius à Beniumæa recens Scotista *Tract: de Gratia, disp: 1. q: 1. art: 1. n: 15.* & est ratio; quia nulla est necessitas multiplicandi entitates Gratiæ Actualis: unde hic nulla est divisio propriè dicta.

Nota tertiò: Connotationes, & officia, à quibus Gratia Actualis præfatas denominationes sumit, secundùm Scripturam S. Concilia, Augustinum, aliosquè PP: esse sequentes: nam *Operans* dicitur, eò quòd eam DEUS operetur in nobis sinè nobis, id est, sinè nostro consensu libero, & coëfficientia; de hac loquitur Augustinus *lib: de lib: arbit: cap: 17. DEUS, ut velimus, operatur ut incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod Apostolus; certus sum, quoniam qui operatur in nobis, opus bonum perficiet usque in diem JESU Christi.* De eadem procedit illud Scripturæ 2. ad Philipp: 13 *DEUS qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* De hac tandem etiam loquitur Milevitanum Conc: *can: 20.* inquiens, *multa in homine bona fiunt, quæ non facit ipse homo.* 3. *Cur dicatur Operans.*

Nota quartò, quòd eadem gratia dicatur *Cooperans*, quatenus hominem liberè determinatum ad operandum adjuvat, & cum eo coëfficit actionem salutarem; de hac ait Augustinus *locô citatô, coöperando in nobis perficit, quod operando incipit. Et rursus, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.* De Gratia sub eadem connotatione loquitur etiam Apostolus 1. ad Cor: 5. *Gratia DEI in me vacua non fuit; sed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem* (subintellige solus) *sed Gratia DEI mecum.* Eandem tandem Gratiam sub eodem connotato tangit Arausicanum *can: 9* dicens, *quoties bene operamur, DEUS in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* 4. *Cur Cooperans.*


Nota quintò: Eandem entitatem Gratiæ Actualis tunc dici *Excitantem*, quando fungitur munere veluti excitantis à Somno peccati, juxta illud Apocal: 3. *Ecce sto ad ostium & pulso.* Et illud Apostoli ad Ephes: 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Gratiæ sub hac applicatione facit mentionem Trident: *sess: 6. cap: 5.* dicens, *nos ad justificationem per DEI Excitantem; atque adjuvantem Gratiam, eidem assentiendo, & cooperando liberè disponi.* 5. *Cur Excitans.*

Nota sextò: Quòd Gratia Actualis denominationem *Adjuvantis* sumat ab eo, 6. *Cur Adjuvans.*

ab eo, quòd adjuvet hominem, ut vocationi Divinæ in facto correspondeat, & alias salutares operationes ponat. De hac loquitur Psalmista *psal: 93. nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitásset in inferno anima mea.* De eadem procedit illud ad Philipp: 2. *DEUS est enim, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Eandem tandem Gratiam sub ista denominatione inculcat Arausicanum *can: 10. adjutorium DEI etiam renatis, & Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

7. *Cur Præveniens.* Nota septimò: Quòd nomen *Prævenientis* (cum quo confunditur ly *Vocantis*) Gratia sortiatur ab eo, quòd quandoque præveniat, liberum voluntatis consensum anteverrat, & ad illum incitet. Gratiæ sub ista applicatione facit mentionem Scriptura *psal: 58. DEUS meus misericordia ejus præveniet me.* Et Tridentinum *sess: 6. cap: 5.* ubi dicitur, *Exordium justificationis sumi à Præveniente Gratia, id est ab ejus vocatione.* Et S. Augustinus *in Enchirid: cap: 32. Legitur in Sacris eloquijs, & misericordia subsequetur me: volentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.*

8. *Cur Concomitans & subsequens.* Nota octavò: Denominationem tandem *Concomitantis*, & *Subsequentis* sumit Gratia Divina inde, quòd consensum liberi arbitrij hominis concomitetur; & eundem consensum jam positum sequatur fovendo, & confirmando. De Gratia ùt Concomitanti (quæ coincidit cum cooperante) procedit illud 1. Cor: 15. *abundantiùs illis omnibus laboravi; non autem ego, sed Gratia DEI mecum.* De eadem ùt subsequenti loquitur Augustinus *lib: de lib: arbit: cap: 31. prævenit, ut sanemur; & subsequitur, ut etiam sanati vegetemur: prævenit, ut vocemur; subsequitur ut glorificemur; prævenit ut piè vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus; quia sine illo nihil possumus facere.* Et D. Gregorius *2. Moral: cap: 18. qui & præveniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant; & subsequendo dedit bonum esse, quod volunt.*



QUÆSTIO IV.

De Divisione Gratiæ in Efficacem, & Sufficientem.

1. *Pelagiani, & Calvinus negant divisionem Gratiæ in Efficacem, & Inefficacem.*



NOTA primò: Ab omnibus Catholicis DD: Si Paulò Benium Eugubinum excipias, admitti divisionem Gratiæ Actualis in Efficacem, & Sufficientem seu Inefficacem, quam olim repudiârunt Pelagiani; & novissimè iterum Calvinus *lib: 2. instit: cap: 3.* dogmatizans, omnem veram Gratiam Christi, seu medicinalem naturæ lapsæ esse Efficacem sic, ut sublatâ arbitrij creati indifferentiâ illud efficaciter, & necessariò rapiat ad consensum; ac proinde nullam dari Sufficientem.

2. *Descriptio Gratiæ Efficacis.* Nota autem secundò: Gratiam Efficacem rectè sic describi; *Est donum DEI supernaturale liberaliter collatum ad salutariter operandum, quod reipsa infallibiliter obtinet effectum, ita ut liberum arbitrium infallibiliter ei consentiat, & cooperetur.* Gratia verò Sufficiens seu Inefficax sic benè dicitur, *est donum DEI supernaturale liberaliter collatum, excitans quidem sufficienter hominem ad opus salutare ponendum; quod tamen de facto non ponitur.* Quæ descriptiones sunt claræ ex terminis ipsis. Est autem Gratia Sufficiens alia proximè sufficiens; & alia remotè sufficiens. *Proximè Sufficiens* censetur esse, quando ex parte Gratiæ nulla virtus deest ad opus ipsum exercendum. *Remotè* verò quando non potest quidem homo sine novis aut majoribus viribus opus facere; per illam tamen potest præstare aliquid, quô comparet vires ulteriores ad opus necessarias.

3. *DEUS dat quibusdam Gratiam Efficacem.* Dico primò: DEUS quibusdam dedit, & defacto dat Gratiam Efficacem; quibusdam verò tantùm sufficientem. Ita communis Catholicorum; contra Hæret: citatos. Partem secundam expressè docet Scotus 1. *dist: 46. quæst: uni:* ubi explicans voluntatem generalem DEI salvandi omnes expressè adstruit *adjutoria communia sufficientia ad salutem;* eandem tenent S. Bonavent: D: Thomas, Alensis, Richardus, & communis.

Probatur prima pars authoritate Scripturæ: nam de Gratia Efficaci procedit illud Ezech: 36. *auferam cor lapideû de carne*

de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini. Item illud ad Rom: *8. quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Conciliorum, SS: PP: & communi consensu fidelium (Pelagianis exceptis) qui in omnibus finaliter salvatis, & ad gloriam æternam prædestinatis admittunt Gratiam Efficacem, quâ obtinetur infallibiliter effectus salvationis, & gloriæ æternæ: Ergo DEUS quibusdam hominibus dedit, & dat de facto Gratiam Efficacem.

4. *Quibusdam verò tantùm Sufficientem.* Probatur secunda pars primò authoritate S. Scripturæ: De Gratia Sufficienti tantùm intelligitur ille passus Jerem: *7. vocavi vos, & non respondistis*, Et alius similis huic Proverb: *1. vocavi* (nota Gratiam vocantem, seu prævenientem) *& renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Et ille Osee *13 Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et ille Matth: *23. quoties volui congregare filios tuos* (utique per auxilium Gratiæ sufficientis) *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Et ille Apoc: *3. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum*: Ergo &c.

5. *Concilia pro Sufficienti Gratia.* Probatur secundò authoritate CC: eandem Gratiam asserentium; ùt videre est in Arausicano, ubi adstruit Gratiam sufficientem ad servanda præcepta salutis in Baptizatis dicens, *hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum Gratiâ omnes Baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*: & tamen non omnes Baptizati Christo auxiliante adimplent ea, quæ pertinent ad salutem: adeoque habent solam Gratiam sufficientem. Idem docet Tridentinum *sess: 6. cap: 11.* Ergo &c.

6. *Authoritas SS: PP: ad idem.* Probatur tertiò authoritate SS: PP: docentium, multos quidem accipere Gratiam Divinam; sed eam repellere, negligere &c. Sola autem Gratia sufficiens potest repelli, sic loquitur Prosper *lib: 1. de vocat: gent: cap: 9. magna pars hominum salvandi Gratiam aut repellit, aut negligit.* Et Augustinus *lib: 1. ad Simplicianum quæst: 2.* dicit, Esau potuisse velle & currere (mediante scilicet Gratiâ sufficienti) & tamen non voluisse, nec cucurrisse. Et D. Cyrillus *lib: 1. in Joannem cap: 11.* expendens illud, *Mundus eum non cognovit*, dicit, *illuminat enim Filius; repellit autem Gratiam creatura.* Ergo DEUS.

Probatur quartò ratione: Tum quia videmus defacto non omnes homines justos perseverare in Justitia accepta; Ergo hi solam Gratiam sufficientem nacti sunt. Tum quia reprobi habent solam Gratiam sufficientem: Si enim Efficacem haberent, salvarentur. Tum quia experientiâ constat, plures homines posse resistere, & defacto sæpe resistere Gratijs Divinis desuper immissis. Unde D. Laurentius Justinianus *lib: de Spir: animæ resurect:* in principio ait, *quamvis ad insinuandum, hominem posse DEO resistere, multis Divinorum eloquiorum valeat authoribus comprobari; id tamen unusquisque sufficienter experitur in se. Quis oro, tantâ sanctitate est præditus, ut sæpissimè aspirationi non renitatur internæ aut torpore victus, aut propriâ affectione seductus? O quantis clamoribus introrsùs, quantisvè exhortationibus Sacris excitatur peccator, antequam de morte seu somno delictorum evigilet!* Sed Gratia, cui resistitur, est tantùm sufficiens: Ergo DEUS dat quibusdam hominibus tantùm sufficientem Gratiam. 7. *Ratio pro eodem asserto.*

Objicit Calvinus *primò*: Gratia Christi est semper victrix, id est, cum effectu ineffabiliter conjuncta; Ergo omnis Gratia à Christo proveniens est Efficax. *Secundò*; Augustinus asserit, omnem Gratiam esse Efficacem: ergo nulla datur sufficiens. Prob: Ant: *lib: de Prædest: SS: cap: 82.* ait, *absit ut quisquam non audiat, qui à Patre audivit, & didicit.* Respondeo *ad Primum*, Neg: Ant: cujus contrarium patuit manifestè *ex probat: 2 3. & 4.* paulò antè præmissis *pro secunda parte conclusionis. Ad Secundum* Neg: Ant: & glosso D. Augusti dicendo, quòd *locò citatò* loquatur de Gratia Efficaci præcisè; non de omni Gratia. Nam alibi manifestè distinguit duas Gratias, unam Efficacem in Electis, & alteram Inefficacem in non Electis, puta *lib: 1. ad Simpl: quæst: 2.* dicens, *illi Electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non Electi; quia non secuti, quamvis vocati*, en Gratiam Vocationis Inefficacem. 8. *Calvini argumenta dissolvuntur.*

Nota tertiò; DD: Catholicos hactenus hic gravissimam illam movisse quæstionem 9. *Multipli-*

citas sententiarum de Efficacitate Gratiæ.

quæstionem de Efficacia Gratiæ Efficacis, in quonam consistat, & in quo discernatur à Sufficienti; quibusdam dictam Efficaciam, & discrimen explicantibus per prædeterminationem quandam physicam, quâ DEUS antecedenter; ac prius naturâ, quàm consensus liber voluntatis existat; influit in voluntatem, eamque physicè præmovet, & prædeterminat tantâ vi & Efficaciâ, ut voluntas non possit non consentire. Ita Thomistæ, Bannes, Zumel, Crabrera, Nazarius, Rispolis, Alvarez, &c. Hos acerrimè impugnat Molina, Bellarm: Valent: & Mascarenas citans pro opposito Alens: Henriq: S. Bonav: Marsil: Occam: Ægidium & innumeros alios veteres. Alij memoratam efficaciam explicant per determinationem quandam moralem voluntatis, quam Gratia Efficax intrinsecè, & entitativè suâ vi affert voluntati, ita ut moraliter non possit ei resistere. Hanc opinionem refert Suarez, & Mascarenas, & Tannerus. Alij volunt Efficaciam Gratiæ positam esse in Sympathia quadam seu contemperatione cum libero arbitrio, ut vocatione positâ consensus infallibiliter sequatur, etiam abstrahendo ab omni scientia media. Ita Mascarenas, & Valentia. Alij aiunt, eam prævenire ex vi quadam infallibiliter efficiendi consensum voluntatis, non è sua entitate; sed prout subest scientiæ mediæ, quâ prævidit DEUS hominem, si tali Gratiâ præveniretur, consensurum. Ita Suarez Bellarm: Fuliensis, Tannerus, & alij Societatis DD: Et hæ omnes opiniones hactenus recensitæ sustinent, Efficaciam Gratiæ esse aliquid superadditum entitati Sufficientiæ, quæ entitas supponitur esse eadem utriusque Gratiæ. Nunc alij docent è diametro, Efficaciam Gratiæ Efficacis non importare aliquid supperadditum entitati sufficientis excitantis, & vocantis; sed solo effectu discerni; quatenus nimirum eadem entitas Gratiæ à libero arbitrio acceptata sortitur suum effectum, & consequenter ab eo denominatur Efficax. Ita Molina, Lessius, Vasquez, & alij RR: ex qua sententia habetur, in hominis potestate esse, reddere Gratiam Efficacem, cooperando, quæ aliàs erat tantùm sufficiens. Alij recurrunt ad circumstantias varias, in quibus datur Gratia, & propterea sortitur effectum, sitquè Efficax; ita plures Scotistæ: à quarum opinionum, plurimùm controversarum pertratactatione, refutatione, & selectione consultò abstineo, ut reverentiam, obedientiam, & morem geram decretis Apostolicis has in parte emanatis, uti & de concordia efficacitatis Gratiæ cum libero arbitrio.

DISTINCTIO II.

De Necessitate Gratiæ Actualis.

QUÆSTIO I.

Utrùm Gratia Actualis sit necessaria ad Veritates speculativas; & practicas seu morales; & artificiales.

1\. *Quid sit Veritas Speculativa, Practica, Moralis, & artificialis.*



NOTA primò: per *Veritatem speculativam* intelligi illam notitiam intellectualem, in cujus perceptione intellectus præcisè sistit, sinè ulteriori transitu ad praxim aliquam; tales sunt, notitiæ istæ. DEUS existit; DEUS est Author naturæ; totum est majus sua parte; forma est pars compositi, &c: Per *Veritatem* autem *Practicam* intelligitur illa notitia, in qua non sistit intellectus; sed ulteriùs progreditur ad regulandos, & dirigendos actus practicos voluntatis; v. g. quod DEUS sit diligendus; malum fugiendum &c. Hujusmodi veritates aliæ sunt morales; aliæ artificiales. *Morales* sunt, quæ dirigunt actus practicos in genere moris, v. g. de DEO amando; malo fugiendo &c. *Artificiales* sunt, quæ dirigunt praxim in genere artis alicujus; qualiter

v. g. Archi-

v. g. Architectanda domus, conſtruenda navis in arte architectoria; delineanda facies in arte pictoria &c.

2. *Gratia non eſt neceſſaria ad quãlibet Veritatem ſpeculativam haurendã.*

Dico primò: Homini in ſtatu etiam naturæ lapſæ non eſt neceſſaria Gratia Actualis ad quamlibet Veritatem ſpeculativam, naturalem, aut practicam artificialem attingendam; ſed poteſt multas earum cognoſcere ſolâ vi naturali intellectûs etiam de DEO; non tamen omnes. Ita Scotus, S. Thomas, S. Bonav: & communis TT: contra Calvinum, Heſehuſium & Aliacenſem negantes, viatorem poſſe ſinè Gratia DEUM cognoſcere.

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; nam ſolâ vi naturali intellectûs, poteſt homo in ſtatu naturæ lapſæ cognoſcere DEUM ſecundùm illud ad Rom: 1. *inviſibilia DEI à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere*. Et rurſus *Sap: 13. à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter potuit Creator horum videri*: Ergo Veritas hæc ſpeculativa de exiſtentia DEI (idem dicendum de pluribus alijs circa naturalia) poteſt cognoſci ab homine lapſo ſolâ vi naturali intellectûs; atque ita ad ejuſmodi cognitiones ſpeculativas naturales non eſt neceſſaria Gratia Actualis.

3. *Authoritate PP: ad idem.*

Probatur ſecundò authoritate SS: PP; eandem vim naturalem cognoſcitivam plurium Veritatum ſpeculativarũ naturalium ſinè auxilio ſpeciali Gratiæ concedentium intellectui, maximè de DEO; unde Damaſcenus *lib: de fide cap: 1. nemo eſt mortalium, cui non hoc ab eo naturaliter inſitum ſit, ut DEUM eſſe perſpectum habeat.* Et Hieronymus commentans illud Job: 26. *omnes homines vident eum* dicit, *per natura bonum notitia Creatoris ineſt cordibus.* Vide ſuper hoc plures PP: relatas authoritates, & rationes *Tom: 1. Tract: 1. diſt: 1. q: 1. conc: 3.* Ergo &c.

4. *Stabilitur eadem doctrina ratione.*

Probatur tertiò ratione: Tum quia vis nativa cognoſcitiva intellectûs non eſt extincta in ſtatu naturæ lapſæ; ſed naturalia manſerunt integra, ùt loquuntur PP: & Scholaſtici: Ergo eâ attingi poſſunt multæ Veritates ſpeculativæ naturales. Tum quia multæ Veritates ſpeculativæ naturales dependent à ſenſibus; quas proinde homo in ſtatu naturæ lapſæ naturaliter poterit cognoſcere. Tum quia vis nativa intellectûs humani eſt diſcurſiva, adeoq; poteſt inferre naturaliter varias conſequentias, dicendo v. g: totum eſt majus ſuâ parte: Ergo ulna eſt major quadrante ulnati: Ergo &c.

5. *Aliquæ Veritates artificiales ſinè Gratia poſſunt haberi.*

Probatur ſecunda pars: Tum à pari veritatum ſpeculativarum naturalium: Tum quia objecta artificialia ſunt objecta proporcionata naturali activitati intellectûs humani: Ergo in ea tendere poteſt naturaliter, & ſinè auxilio Gratiæ elicere Veritates practicas artificiales de ipſis.

6. *Nec tamen omnes; idẽ de ſpeculativis.*

Probatur tertia pars: Tum quia quædam veritates ſpeculativæ valde profundè in ipſis naturis rerum latent, ac proinde difficillimæ fiunt inveſtigationis ac inventionis; & quædam practicæ artificiales in arcanis Regulis artis difficillimæ quoque factibilitatis, ut vis practica cognoſcendi intellectûs ea naturaliter aſſequi non poſſit; uti patet in ſpeculativis, de motu magnetis, fluxu & refluxu maris, numero exacto ſtellarum, earumquè phyſicis admirandis influentijs; cœlorum motu multiformi; excentrico & concentrico: in practicis verò artificialibus, in valde artificioſis mixturis colorum præparandis Simetria extraordinaria; & vivis modis effigies rerum ad vivum adumbrandi; &c. Ergo pro harum; & ſimilium Veritatum debita notitia aſſequenda neceſſaria eſt Gratia ſpecialis Actualis. Tum quia idcirco complures veteres Philoſophi etſi Sapientiſſimi, ùt Ariſtoteles, Plato, & alij defectu Gratiæ Actualis circa nonnullas Veritates naturales ſpeculativas hallucinati ſunt. Tum quia omnium Veritatum cognitiones ſunt propè infinitæ; pro quibus proinde procurandis longiſſimum tempus requireretur: breves autem ſunt dies hominis inquit Job; inſuper hi multis alijs curis, ſenſualibus occupationibus & faſtidijs nunc intercepti, nunc impediti penitus adverſa valetudine, & corruptione naturæ, nunc ipſarum Veritatum ſubtili indagine fatigati: Ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt naturaliter cognoſcere omnes Veritates ſpeculativas naturales; idem dic de omnibus practicis artificialibus à pari.

7. *Multæ Veritates morales poſſunt attingi ſinè Gratia Actuali.*

Dico ſecundò: Similiter homini in ſtatu naturæ lapſæ non eſt neceſſaria Gratia Actualis ſpecialis ad quamlibet Veritatem practicam moralem ordinis naturalis cognoſcendam; ſed poteſt tum generalia principia morum; tum quaſdam ex ijs deductas cognitiones ſolis viribus

lis viribus naturalibus intellectûs percipere; non tamen omnia agibilia in particulari. Ita colligitur ex Scoto 3. *dist*: 37. *q*: *unic*: Et *in* 4. *dist*: 14. *q*: 3. & tenet communis DD: Prima pars est contra Gregorium Arimin: Capreolum, & Cajetanum.

Probatur prima pars authoritate Scripturæ, & PP: nam secundùm Scripturam homini etiam Gentili à natura inest quædam notitia naturalis Veritatum practicarum, instruens de honesto faciendo, & turpi, seu rationi dissono vitando, quæ notitia vocatur *Lex cordi inscripta*: unde ad Rom: 2. *cap*: dicitur, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Idem adstruit Augustinus super Psalm: 56. dicens, *manus formatoris nostri in ipsis cordibus veritatē scripsit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Ergo extat in corde etiam lapsi hominis lex scripta, seu notitia naturalis aliquarum Veritatum practicarum moralium; adeoque ad eam venandam non eget Gratiâ Actuali speciali.

8. *Ratio ad idem.* Probatur secundò ratione: Tum quia nec in principijs generalibus morum penetrandis, v. g. bonum est amplectendum, malum fugiendum, &c. nec in particularibus cognitionibus practicis, ex ijs deductis, v. g. his, DEUS qui est summum Bonum est amandus, & colendus, parentes honorandi, pauperes adjuvandi &c. Est ulla singularis difficultas; imò unicuique ratione rectè utenti sunt obviæ notitiæ similes: Ergo eas solis naturalibus viribus intellectûs homo percipere potest, etiam in statu naturæ lapsæ.

9. *Non omnes tamen Veritates morales absque Gratia cognosci possunt.* Probatur secunda pars tum authoritate S. Scripturæ: nam de omnibus agibilibus in particulari procedit illud Scripturæ Eccles: 1. *cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone.* Tum authoritate SS: PP: maximè Clementis Alexandrini, Justini, Lactantij, & Augustini passim docentium, antiquos etiam perspicacissimos Philosophos circa plura agibilia hallucinatos fuisse, utique defectu Gratiæ Actualis: Ergo ad omnia agibilia ritè cognoscenda necessaria est Gratia Actualis specialis. Tum quia secundùm omnes PP: signanter Augustinum *lib*: 22. *de Civit*: *DEI cap*: 22. & *Retract*: *cap*: 9 homo per peccatum contraxit vulnus ignorantiæ, quæ eum fecit in multis agendis moralibus præsertim cæcutire: Ergo &c. Tum quia sunt multa agibilia in particulari in ordine ad finem supernaturalem; ad quæ proinde necessaria est notitia ex Gratia speciali Actuali procedens.

Objicies contra 1. partem 1. conclusionis: quælibet cognitio cujuscunque Veritatis etiam speculativæ secundùm Conc. Arausicanum est donum, Ergo nequit homo ullam obtinere absque Gratia Actuali. Probatur Ant: nam *cap*: 22. dicit Sacra Synodus, *fatendum est tam Veritatem, quàm Justitiam esse ab illo fonte, quem in Eremo sitire debemus.* Et Milevitanum ait *can*: 4. *DEUS est, qui docet hominē scientiā*, utique suâ Gratiâ Actuali, Et Apostolus 1. ad Cor: 4. dicit, *quid habes quod non accepisti?* Scilicet per specialē Gratiam DEI: Ergo &c. 10. *Quædam objecta contra 1. conclus.*

Respondeo *ad Primum*, Neg: Ant: de dono, ad quod obtinendum speciale DEI auxilium requiritur. Et ad *Arausicanum* dico, solùm velle, quòd omnis veritas sit à DEO ùt fonte, eò quòd ipse sit Author naturæ, & concurrat concursu suo generali ad omnes effectus earum, etsi non omnes procedant ex speciali Gratia DEI. *Ad Milevitanum* dico similiter, quòd DEUS ùt Author naturæ doceat hominem scientiam, condendo nimirum ejus intellectum, & concurrendo ad omnes actus ejus scientificos; sinè tamen speciali Gratia. *Ad Apostolum* est eadem responsio, quòd homo omnia accepetit à DEO ùt Authore naturæ; non tamen semper ex speciali ejus Gratia. 11. *Diluuntur.*

Objicies contra 1. partem 2. Conc: D. Paulus dicit 2. ad Cor: 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est*: Ergo nullam potest homo lapsus percipere Veritatem practicam solis naturalibus viribus intellectûs, sed ad eam necessaria erit Gratia DEI. Respondeo exponendo Scripturam, & dico, eam loqui de cognitione practica supernaturali Fidei conducente ad finem supernaturalem, ad quam eliciendam sufficientes simus ex DEI, id est, mediante DEI Gratia; Conclusio autem loquiquitur de cognitione practica, quæ sit ordinis naturalis. 12. *Satisfit cuidam Objectioni contra 2. conc:*

Quæ-

Quæstio II.

Utrùm Gratia Actualis sit necessaria ad cognoscenda Mysteria Fidei.

1. *Ad cognitionem, & assensum Mysteriorū fidei necessaria est Gratia Actualis*

DICO primò: Ad ritè cognoscenda Mysteria Fidei, & eisdem assentiendum, ùt oportet propter revelationē Divinam, & Mysteriorum propositionem, necessaria est viatori Gratia Actualis specialis. Ita communis P P. contra Pelagianos.

Probatur primò Authoritate S. Scripturæ; necessitatem Gratiæ actualis ad credendum asserentis; unde dicitur Joan. 6. *nemo potest venire ad me* (subintellige credendo) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* (mediante videlicet Gratiâ actuali speciali. Et iterum, *nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à Patre meo*: quæ verba apertè dationem necessariam Gratiæ specialis insinuant, Eadem necessitas Gratiæ actualis ad credendum colligitur ex illo 1. ad Cor. 12. *nemo potest dicere* (fide nimirum confitendo (*Dominus Jesus, nisi in Spiritu S.* id est in gratia actuali, à Spiritu S. proveniente. Et ex illo 1. ad Cor. 3. *non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis)* cogitatione utiq; credulitatis supernaturalis) *quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* id est, ex speciali Dei Gratiâ actuali provenit: Ergo &c.

2. *Concilia ad idem,*

Probatur secundò Authoritate C C. eandem necessitatem Gratiæ pro credendo, ùt oportet, expressè dogmatizantium; sic loquitur Arausicanum II. *Can. 5 si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, non per gratia donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Idem repetit *can 7.* Et Tridentinum *sess. 6. can. 3.* definit. *Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs S. inspiratione, atq; ejus adjutorio hominem credere posse, sicut oportet, anathema sit.* Vide etiam pro hoc determinationem Cælestini Papæ *in Epist. 1. ad Episc. Galliæ cap. 12.* Et Leonis Papæ *epist.* 84. aliàs 86. Et Innocentij I. *Epist. ad Episc Africæ.*: Ergo &c.

3. *Stabilitur idem ex Patribus.*

Probatur tertiò Authoritate SS. PP: eandem doctrinam profitentium: ùt videre est apud Prosperum *lib. 1. de vocat. gent. cap. 23.* Et apud Fulgentium *lib. de Incarnat. cap. 20.* Et apud Augustinum pluribus in locis contra Pelagium, ejusq; sequaces, signanter *lib. de Gratiâ cap. 31.* Et *lib. contra duas Epist. Pelag. cap 3.* Et *lib de bono persev cap. 1, 2 & 3* Et apud Isidorum *lib. 3. sent. cap. 20.* dicentem, *doctrina* (scilicet fidei) *sinè adjuvante Gratia, quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam descendit, foris quidem perstrepit, sed intus nihil proficit. Tunc autem Dei sermo infusus auribus ad cordis ultima pervenit, quando Dei Gratia mentem interiùs, ut intelligat, tangit.* Ergo ad ritè cognoscenda Mysteria fidei, & ijsdem assentiendum necessaria est Gratia *Actualis* viatori.

Probatur quartò ratione: Tum quia assensus mysteriorum fidei, ùt oportet, est actus supernaturalis: Ergo ad ejus debitam productionem necessaria est Gratia Actualis supernaturalis. Tum quia assensus Mysteriorum fidei, ùt oportet, est una ex dispositionibus ad justificationem supernaturalem peccatoris requisitis, ùt latiùs docui *Tract. 4. de Gratia habituali disp. 2. q. 3.* Adeoq; debet esse quid supernaturale, ut proportionetur debitè formæ, ad quam disponit: Ergo ad eam ponendam requiritur Gratia Divina; quia ad ponendum ens quodcunq; supernaturale, requiritur Gratia Divina. 4. *Et ratione Theologica.*

Dico secundò: ad initium quoq; fidei supernaturalis, & ad pium credulitatis affectum necessaria est Gratia Actualis specialis. Ita communis Catholicorum; contra Semipelagianos, aliàs Massilienses, seu reliquias Pelagianorum vocatos. *Per initium fidei*, intellige ipsum primum, & supernaturalem actum fidei; *per pium affectum* verò *credulitatis* efficacem voluntatis affectum 5. *Etiam ad initium fidei est necessaria Gratia Actualis*

Probatur prima pars primò: illis authoritatibus Scripturæ: quæ allegatæ sunt pro *priore conc.* quæ, cùm simpliciter, & universaliter loquantur, Gratiam esse necessariam ad fidem, seu credendum, ùt oportet; etiam de fide initiali intelligendæ sunt. His adde sequentes; ad Philip, 1. *qui cœpit in vobis bonum opus* (scilicet fidei, ùt patet ibidem) *ipse perficiet.* Et iterum, *nobis datum est pro Christo, non solùm, ut in eum credatis, &c.* Et ad Ephes. 2. *Gratiâ salvati estis per fidem; donum enim DEI est.* Ergo ad initium fidei quoq; necessaria est Gratia actualis specialis.

Probatur secundò authoritate CC. & PP. nam Arausicanum II, *can. 5.* tum augmentum, rum initium fidei refert in DEI Gratiam specialem. Similiter Tridentinum *sess: 6. cap: 6.* dicens, *moventur autem ad Justitiam, dum Divinâ Gratiâ excitati, & adjuti liberè moventur in DEUM credendo*, quibus verbis etiam primus motus fidei, & credulitas in DEUM Gratiæ excitanti adscribitur. Idem docent PP: *citati*, signanter D. Augustinus, qui *lib: de prædest SS.* pluribus ostendit, initium fidei esse ex Gratia: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione Theologicâ: Si inirium non esset ex Gratia DEI speciali, esset ex nobis: si autem esset ex nobis, initium salutis esset simpliciter ex nobis; quia mediante tali fide possemus mereri salutem, imò & ipsam Gratiam; atque ita Gratia non esset gratia, sed ex meritis: quod argumentum insigniter urget Augustinus *q. 2. ad Simplic: & lib. 2. contra duas epist: Pelag: cap: 8.* Item Prosper, Fulgentius, & alij veteres PP: Ergo &c.

6. *Uti & ad pium credulitatis affectum.*

Probatur secunda pars: Tum ratione Theologicâ mox adductâ. Tum authoritate Concilij Arausicani *cit:* definientis, *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium, pium credulitatis affectum, non per Gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs S. & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur*: Ergo etiam ad pium credulitatis affectum est necessaria Gratia Actualis specialis.

7. *Non autem ad actum naturalem Fidei.*

Dico tertiò: Non est tamen necessaria Gratia specialis Actualis ad quemlibet imperfectum naturalem assensum fidei acquisitæ eliciendum, qui non sit sicut oportet. Ita Scotus, Gabriel, Cajet: Valent: Tanner: Herincx, Bannes, &c.

Probatur: Tum quia Hæretici complures eliciunt assensus Fidei acquisitæ opinativos duntaxat, imperfectos, & naturales, de quibusdam Mysterijs Fidei, v. g. Lutherani de Trinitate, Incarnatione Verbi, Institutione Sacramentorum, Ecclesia &c. Sed hi non habent Gratiam ad ejusmodi assensus: Ergo &c. Tum quia Mysteria Fidei habent magnam credulitatem ex motivis rationabilissimis, & efficacibus, uti docui pleniùs *Tom: 4. Tract: 1. dist. 1. quæst: 10.* Ergo ijs præberi potest assensus naturalis sinè omni Gratia speciali.

QUÆSTIO III.

Num Gratia Actualis sit necessaria ad velle, & facere bonum morale ordinis naturalis.

1. *Possunt sinè Gratia Actuali aliqua opera bona moraliter exerceri ab Infideli.*

ICO primò: Homo etsi Infidelis potest sinè Gratia speciali DEI exercere aliqua opera bona moraliter ordinis naturalis. Ita colligitur ex Scoto *3. dist: 36. q: 20.* Et *in 2. Report. dist: 28. q: unic:* Doctorem sequuntur sui; & communior TT: contra Liconiens. Gregor: Mich: Bayum, &c.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ: ad Rom: *2. cap:* dicitur, *cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt*: id est, exercent opera quædam consona legi naturæ, & consequenter moraliter bona ordinis naturalis, & quidem naturaliter, id est, ùt exponunt Græci PP: Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Origenes *in Glossa interli*: atque Oecomenius *in Comment:* hujus passûs; & Latini Hieronymus, Cyprian: Haymon, &c. *facultate naturali*; ac proinde sinè Gratia speciali: Ergo &c.

2. *Hoc idem ex CC. constat.*

Probatur secundò authoritate CC: signanter Arausicani *Can: 7. & 27 &* Tridentini *sess: 6. can: 3.* quæ quotiescunque dogmatizant, neminem posse absque speciali Gratia bonum opus exercere, addunt limitationes has vel similes, *quod ad salutem pertineat; ùt oportet*: &c. Ad ostendendum, quòd quidem opera bona moralia conducentia ad salutem, justificationem, beatitudinem, &c. nemo possit exercere; concedendo tacitè, quòd alia opera bona ordinis naturalis absque tali Gratia possit ponere homo: Ergo &c. Accedit Authoritas Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla *Provisionis nostræ* &c. damnantium hanc propositionem 39. Mich: Bay, *omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia:* Ergo ejus opposita est vera, quòd opera Infidelium non sint peccata: Ergo sunt bona, saltèm ea, quæ ab Infidelibus referuntur ad finem honestum.

3. *Similiter ex Patribus.*

Probatur tertiò: Authoritate SS: PP. conclusionem tenentium; signanter D. Hieronymi *super cap: 1. ad Gal:* enar-

rantis

rantis quædam opera moraliter bona Infidelium, *multi absque fide, & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, aliena non diripiant*: Ergo Infidelis potest sinè Gratia exercere aliqua opera bona moraliter, quæ sunt ordinis naturalis.

4. *Et ratione Theologica.* Probatur quartò ratione: Etiam Infidelis potest naturaliter cognoscere principia generalia morum, & quasdam Veritates practicas morales ordinis naturalis inde deductas, ùt suprà *q: 2. conc:* ostendi: Ergo potest naturaliter absque omni Gratia speciali conformiter ad illa principia, & cognitiones practicas ponere opera moraliter bona; v. g. colendo Justitiam, Fidem servando in promissis, subveniendo pauperi &c.

5. *Etiam Peccator fidelis potest aliqua opera moraliter bona ponere.* Dico secundò: à fortiori potest quivis fidelis, etsi aliàs peccator absque Gratia speciali Actuali ponere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis. Ita Scotus *3. dist: 30. q: unic:* Et in *2. dist: 28. q: unic:* cum suis. Et S. Bonavent: Richard: Gabriel, Major, Magister Sent: & communior TT: contra Altisiodor: Marsil: Abul: Gerson, Vasquez, & plurimos Thomistas.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, quæ tam justos, quàm Fideles peccatores quà tales adhortatur, ut ponant actum eleemosynæ tanquam bonum moraliter, supponens eum esse in naturali eorum potestate, cum Luc: 11. dicit, *date eleemosynam & omnia munda sunt vobis?* Et Matth: 6. instruuntur omnes etiam peccatores à Christo, ut orent, *dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus*; supponendo quòd etiam peccator possit naturaliter ponere bonum opus dimissionis debiti. Et Matth: 7. dicitur ad fideles peccatores, *si ergo vos, cum sitis mali; notis bona dare filijs vestris, quantò magis Pater vester, qui in cœlis est*: Ergo Fidelis etsi peccator potest sinè Gratia speciali ponere aliqua opera bona moraliter, quæ sunt ordinis naturalis.

6. *Accedit ad idem authoritas Ecclesiæ.* Probatur secundò authoritate Ecclesiæ damnantis illam doctrinam Joannis Hussij, *omnia opera impiorum sunt peccata*; & illam, *omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quâcunque ratione facta sint, verè sunt peccata*, quam Tridenti: *sess: 6. can: 7.* anathematizat; & illam Bay: *cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis*, hoc est, *quid ex natura viribus solis ortum ducit, agnoscit*, quam damnat Greg: XIII. Ergo oppositæ propositiones sunt veræ; & consequenter impij fideles possunt naturaliter ponere aliqua opera moraliter bona Ordinis naturalis.

Probatur tertiò Authoritate SS: PP: doctrinam conclusionis admittentium; ùt videre est apud Chrysostomum *hom: 67. ad pop:* Et *26. in Matt:* Et Damascenum *lib: 3. de Fide cap: 14.* Et Hieronymum *lib: 3. contra Pelag: in fine.* Et Augustinum *lib: de Spirit: & litt: cap: 28.* Ubi in impio agnoscit aliqua opera moraliter bona, etsi inutilia ad salutem dicens, *ad salutem nil prosunt impio aliqua bona opera, sinè quibus difficillimè vita cujuscunque pessimi hominis invenitur*: Ergo peccator potest aliqua bona opera moraliter ponere sinè Gratia. 7. *Consensus quoque SS: PP:*

Probatur quartò ratione: Tum quia, ùt bene discurrit S. Bonaventura, experimur in nobis, quòd multa bona opera moralia cum quadam facilitate facere possimus, ac proinde sinè Gratia speciali, cujusmodi est diligere eos, qui nos diligunt, colere parentes, honorare eos, qui nos honorant, ut idcirco positio similium operum sit omnibus communis; unde Salvator Matth: 5. *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis; nonnè & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis Fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis, nonnè & Ethnici hoc faciunt?* Tum quia si homo liberi arbitrij non esset naturaliter aptus alicui bono morali proportionato eliciendo, esset infelicior brutis, quorum unum alteri obsequitur, auxiliatur, cooperatur, & ex naturali instinctu compatitur: Ergo dicendum est, quòd homo sit aptus eliciendis aliquibus bonis moralibus, v. g. subventionis eleemosynæ, &c. Tum quia natura etsi ratione peccati originalis sit vulnerata; non est tamen penitùs corrupta in naturalibus: Ergo adhuc retinet dictamen congenitum rationis, dictans naturaliter hoc, vel illud honestum esse operandum, v.g. proximo egeno succurrendum: stante autem tali dictamine naturali, quæ est lex naturæ, non videtur quoque aliqua difficultas, quò minùs voluntas non exerceat naturaliter actum moraliter bonum subventionis circa proximum egenum. Unde rectè Augustinus *lib: de Spirit: & litt: cap. 28.* *non usque adeò in anima humana imago DEI terrenorū affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta externa remanserint,* unde 8. *Et ratio Theologica.*

unde meritò dici possint homines facere aliqua legis, vel sapere.

9. *Quædam objectiones.* Objiciunt contra 2. conclusionem *primò*: Salvator dicit Matth: 17. *non potest arbor mala bonos fructus facere*, id est, malus homo bona opera ponere: Ergo &c. *Secundò* SS: Litteræ, CC: & PP: clamant; nos nil posse sine DEO, id est, sine Gratiæ Divinæ auxilio; unde dicit Arausicanum *can: 9 nulla facere hominem bona, quæ non DEUS præstat, ut faciat homo*: Ergo &c. *Tertiò* Conc: Arausicanum II. dicit *can: 22.* nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum: Ergo non habet per vires suæ naturæ ulla opera bona moraliter. *Quartò* Augustinus *lib: de Spirit: & litt: cap: 3.* dicit, neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: Ergo non valet ad ponenda opera bona moraliter.

10. *Eliduntur.* Respondeo *ad Primum* glossando Scripturam, & dico, eam dirigi ad falsos Prophetas, qui cùm sint arbores malæ, id est, progerminantes falsas doctrinas, ex similibus arboribus utique non possunt nasci boni fructus veræ fidei, & doctrinæ. Posset etiam dici, quod textus ille sit intelligendus, ut plurimùm, quasi diceret, peccator ut plurimùm ponit fructus, seu opera mala moraliter; cum quo tamen stat potentia ad posse, si vellet, ponere moraliter bonos fructus. *Ad Secundum* quoq; glosso SS: Litteras, CC: & PP: & dico, eos solùm velle, quòd nos nil meritorij, & conducentis ad vitam æternam possimus ponere sinè DEO, id est, Divina Gratia, ùt infrà dicam. *Ad Tertium*, & *Quartum* dico; Concilium, & Augustinum loqui ut plurimùm, eò quòd homo, & liberum arbitrium ejus ut plurimùm peccatum, & mendacium operetur, & ad ea propendeat in natura corrupta; atque adeò quod ex naturalibus non possit ponere actum aliquem meritorium, sicut oportet, & bonum respectu vitæ æternæ. Hâc viâ solvuntur plura argumenta, solita hic objici.



QUÆSTIO IV.

De Necessitate Gratiæ Actualis ad Observantiam Præceptorum Moralium.

NOTA primò: *Per Præcepta moralia* hic intelligi, Præcepta in Decalogo registrata, & aliàs legis naturæ, quæ alij appellant præcepta naturalia, ad distinctionem Præceptorum Supernaturalium, quæ sunt de suscipiendis, & administrandis Sacramentis, de exercendis actibus virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis; &c. 1. *Quid sint præcepta moralia.*

Nota secundò: Observantiam Præceptorum moralium bifariam posse attendi; vel quoad substantiam; vel quoad modum. Tunc dicuntur Præcepta Moralia (idem dic de alijs) observari & impleri *quoad Substantiam*, quando Christianus facit rem præceptam; v. g. si proximum diligat, si non occidat, si non furetur &c. *Quo ad modum* verò dicuntur observari, & impleri, quando Christianus facit rem præceptam secundùm intentionem legislatoris, scilicet ex Gratia Habituali, quæ vivificat opera, etsi cum merito supernaturali eorum impletionem operetur. Ut hôc secundò modò quis observet Præcepta moralia, haud dubiè necessaria est Gratia Actualis, ùt infrà ostendam contra Pelagianos: quæstio ergo hic procedit de Observantia moralium primò modò. Qua in re singularis est opinio P. Vulpis, & P. Benieumeæ Scotist: qui contra torrentem DD. Scholæ nostræ, & aliorum docent, hominem viribus naturæ, absque omni auxilio Gratiæ Actualis posse non tantùm physicè, sed & moraliter toto tempore vitæ servare omnia collectivè præcepta moralia quo ad substantiam, etiam dum gravissima tentatio occurrit; etsi cum magna difficultate. Et conantur omni nisu Doctorem Subtilem in suam pellicere opinionem; etsi irrito conatu. 2. *Quid sit observare præcepta quoad substantiam; & quo ad modum.*

Dico primò: Etsi aliquo tempore modico; non tamen quócunque longô vel totâ vitâ potest Christianus, physicè vel moraliter sinè Gratia Actuali speciali quoad substantiam servare omnia collectivè præcepta moralia, totamquè legem 3. *Etsi omnia præcepta moralia possint modico tempore servari si-*

adGratia Actuali.

legem naturæ. Prima pars est communis contra Ariminensem Rhadam &c. Secundam tota Schola Scotista: tenet excepto Vulpe, & Beniumea; Scholæ nostræ subscribit S.Bonaventura S.Thomas, Mag. Sentent. Ægidius, Marsil: Valentia, Vega, Thomistæ communiter, & Neutristæ.

Probatur prima pars: Tum quia, ût *priori quæst: conc: 2.* ostensum est, potest Christianus etiam peccator sinè Gratia speciali ponere aliqua opera moraliter bona, & consequenter etiam adimpletiva præceptorum moralium, v. g. de honorandis Parentibus, non furando, non occidendo &c. Ergo potest quoque modico tempore servare omnia collectivè præcepta moralia, totamquè legem naturæ. Conseq: probatur; quia non videtur major ratio, cur posit ponere opus moraliter bonum impletivum hujus præcepti de honorandis parentibus, & illius de non occidendo, furando &c. modico aliquo tempore quoad substantiam, quàm de observantia totius legis naturæ. Tum tandem, quia experientiâ constat, nos quandoq; deliberatè, & advertenter contra nullam legē Decalogi, vel aliam naturæ agere: Ergo &c.

4. *Non tamen longè.*

Probatur secunda pars *primò* Authoritate S. Scripturæ; quæ Observantiam præceptorū adscribit Gratiæ Divinæ; sic dicitur Ezech: 30. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis;* quæ locutio est indefinita, consequenter etiam se extendens ad præcepta moralia, totamquè legem naturæ, quæ originem â DEO habet; insuper comprehendens etiam observantiam præceptorum eorundem quoad substantiam tantùm, quæ à DEO quoque præcipitur: Ergo &c. *Secundò:* quia propterea præcepta moralia Decalogi, si per se sola absque Gratiæ Actualis auxilio spectentur, vocantur 1. ad Cor: 15. *virtus peccati.* Et ad Rom: 8. *lex peccati, & mortis, à qua liberati sumus per spiritum vitæ in Christo JESU.* Et 2. ad Cor: 3. *littera occidens:* Ergo &c. *Tertiò* Scriptura allegat expresse quædam præcepta moralia, ad quorum observantiam necessaria est Gratia Actualis; nam ad Rom: 7. dicit Paulus, *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati* (subintellige concupiscentiam carnis) *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et respōdet, *Gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrū;* indicans per hoc, quòd Gratia specialis Actualis Christi ad observandam legem de non concupiscendo carnaliter, omni sit necessaria Christiano. Unde hoc ipsum etiam insinuat illa Scriptura Sap: 8. *Nemo potest esse continens, nisi DEUS dederit.* *Quartò* Jacobi 3. cap: dicitur, *omnis natura bestiarum domita est à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest,* Supple sinè Gratia Actuali speciali: Ergo ad observantiam præcepti de non infamando, aut aliter linguâ non peccando necessaria est Gratia Actualis specialis; atque ita omnia collectivè præcepta moralia sinè Gratia Actuali speciali observari nequeunt.

5. *Authoritas Tridentini, & PP: contra longam Observantiam præceptorum absque Gratia.*

Probatur secundò authoritate Tridentini, quod *sess: 6. cap: 13.* & *can: 22.* definit, *si quis dixerit, justificatum sinè speciali auxilio DEI in accepta Justitia perseverare posse, anathema sit.* Sed si posset quis longô tempore, imò totâ vitâ sinè Gratia observare præcepta moralia omnia collectivè, posset perseverare in Justitia: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: signanter D. Augustini *lib: de catechiz: rudibus cap: ult:* dicentis, *non solùm dilectio DEI nobis præcepta est; sed etiam dilectio proximi: in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ; quam non implet, nisi qui donum acceperit Spiritûs S.* Sed lex de diligendo DEO, & proximo sunt præcepta quædam moralia: Ergo non omnia impleri, & observari possunt absque Dono Gratiæ Actualis. Item *lib: de Grat: & lib: arbit: cap: 6. dicit, certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas â DEO, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Idē docet Innocentius I. *epist: 25. ad conc: Carthaginense*, Basilius, Hieronymus, & alij PP. Ergo &c.

6. *Rationes Theologicæ pro eodem assertæ.*

Probatur quartò rationibus Theologicis; *Primò*, non potest homo Viator absque Gratia Actuali omnes collectivè veritates speculativas, & practicas scire, ùt suprà ostendi *q:* 1. Ergo neque longô tempore observare omnia collectivè præcepta moralia. Conseq: tenet; quia magis est infirma; magisquè sæpe impeditur voluntas hominis viatoris, quàm intellectus, puta per acres gravissimasquè tentationes Dæmonis, objecta sensualia, concupiscentiam vehementem carnis, & appetitûs sensitivi, quæ redundant mediante intellectu quâdam sympathâ in voluntatem, eamquè naturali

turali passione rapiunt in consensum, & consequenter in transgressionem, nunc hujus, nunc illius præcepti moralis: huc etiam faciunt complura mala consilia, exempla aliorum perversa pravæ consuetudines, ignorantia, & inconsideratio in agendo, innata instabilitas, & similia, quæ voluntatem inducunt ad actiones difformes præceptis moralibus. *Secundò* quædam præcepta moralia sunt servatu valde difficilia, adeoque ad eorum observantiam necessaria videtur specialis Gratia Actualis; tale est illud de servanda castitate illibata, de qua dixit Christus Matth: 19. *qui potest capere; capiat.* Et sapiens rogavit instanter Eccles: 23. *aufer à me ventris concupiscentiam.* Et rursus Sap: 8. *& ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat Sapientiæ scire, cujus esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum.* *Tertiò* recommendanda, & extollenda est Gratiæ Actualis necessitas, quantum sine præjudicio fieri potest, ut ita Pelagianorum dogma, totam observantiam legum tam quo ad substantiam, quàm quo ad modum seu rationem meriti solis naturæ viribus attribuentium efficaciùs refutetur: & ne novissimi Hæretici Lutherus, & Philippus habeant occasionem Catholicos Doctores sugillandi, uti actu facit Philippus *in Apolog: confess: art:* 2. dicens de Theologis Scholasticis, *tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad facienda præcepta DEI, quo ad substantiam actuum*, & infrà, *quãquam Scholastici utrumque extenuant peccatum, & pœnam, cùm docent hominem proprijs viribus posse mandata DEI facere.* Itaque tenenda est antiqua Sententia de necessitate Gratiæ Actualis ad observantiam totius legis naturæ, & sæpius imploranda ejusmodi Gratia cum Ecclesia *in orat: Dominicæ 4. post Epiphan:* sic orante, *DEUS qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis, & corporis*, per tuæ scilicet Gratiæ auxilium.

7. *P. Beniumea afferentis textum Scoti respondetur.* Objicit P. Beniumea primò textum Scoti, quem habet *in 2 Report: dist: 28. q: unic: de peccato secundò modò ut consistit in actu dicitur, quòd homo per liberum arbitrium existens in peccato originali vitare potest omne aliud peccatum consistens in actu.* Et rursus, *Sed dico de alijs peccatis occurrentibus ex tentationibus, quòd adhuc possibile est per liberum arbitrium omnia talia vitare mortalia: quia de quocunque*, id est, *occurrentibus possibile est, ex naturalibus deliberare, & judicio existente completo potest voluntas rectè eligere; & per consequens potest omne peccatum occurens ex tentatione vitare:* Ergo si potest homo viribus arbitrij vitare omnia mortalia, poterit tunc servare omnia moralia præcepta, contra quæ aliàs peccaretur. Respondeo hos textus Scoti (quos magni facit P. Beniumea) nequaquam favere oppositæ sententiæ: nam in neutro dicitur, quòd per liberum arbitrium solum, & nudum possit omnia vitare peccata mortalia; sed per arbitrium, & alterum conprincipium Gratiam Actualem scilicet. Deinde datô, quòd ex allatis textibus haberetur, hominem per liberum arbitrium etiam solum posse vitare omnia peccata; adhuc ex ijsdem non habetur, quòd longo tempore, & maximè tunc, quando gravissima aliqua occurrit tentatio; quæ circumstantiæ in ipsis non exprimuntur; & tamen in conclusione desiderantur. Immeritò ergo Scotus tum à Beniumea, tum ab alijs Scholasticis pro opposito citatur.

Objic: secundò Scripturam, & Tridentinum; nam [redacted] *30. cap:* dicitur de universis mandatis, & consequẽter etiam & moralibus, *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie; non supra te est, neque in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, ut deferat ad nos illud, ut audiamus, atque opere compleamus.* Et in Trident: *sess: 6. cap: 11.* dicitur, quòd *DEUS impossibilia non jubet*: Ergo possibilia adimpletu per vires naturæ. *Et 1. ad Cor: 10.* dicitur, *Fidelis est DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis:* Ergò homo tandem potest viribus naturæ repellere tentationem, atque ita servare omnia præcepta moralia, contra quæ tentaretur. 8. *Ad ejusdem authoris argumenta ex Scriptura & Tridentino.*

9. *Respondetur.* Respondeo *ad Primum*; illis verbis Deutronomij solùm significari, quòd mandata olim populo Israëlitico data à DEO, non sint ignota, & abscondita in cœlo; sed sufficienter publicata per Moysen; ut proinde nulla ipsi supersit excusatio de impotentia ea adimplendi. Potest etiam dici, quòd illis dictis detur intelligi, populo Israëlitico data esse omnia principia observandi Mandata Divina, puta, liberum arbitrium, concursum DEI gratiosum, paratum, seu Gratiam Actualem sufficientem; ut proinde sint inexcusabiles. *Ad Secundum* dico, verum esse, quòd præcepta moralia non sint impossibilia, sed possibilia

bilia observatu; non solis tamen naturæ viribus; sed his, & Gratiâ DEI Actuali,* quæ quoad sufficientiam unicuiq; est præparata, & data. *Ad Tertium* dico, ex illa authoritate Apostoli solùm haberi, quòd DEUS tempore tentationis adsit suâ Gratiâ Actuali sufficienti, quâ possit, si velit, resistere tentationi.

QUÆSTIO V.

De Necessitate Gratiæ Actualis ad actus salutares; ad Observantiam Mandatorum Divinorum; ad actus supernaturales Pœnitentiæ, Spei, Charitatis, ùt oportet, & ad Justificationem obtinendam; ac ad repellendas tentationes graves.

1\.
Ad opera salutaria necessaria est Gratia specialis.

ICO primò: Ad quodlibet opus salutare, seu ad salutem pertinens eliciendum in natura lapsa necessaria est Gratia Actualis. Ita communis Cathol: contra Pelagianos.

Probatur primò Authoritate *Sacræ* Scripturæ; nam de volentibus operari salutariter, & meritoriè intelligitur illud Joan: 10. *sinè me nihil potestis facere.* Et 1. Cor: 3. *nunquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? Sed sufficientia nostra ex DEO est.* Item Jerem: 10. *scio Domine, quia non est hominis via ejus, neque viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*, quibus textibus apertè necessitas Gratiæ Actualis ad opera salutaria, & conducentia ad salutem exprimitur pro statu naturæ lapsæ.

2\.
Concilia pro necessitate Gratiæ ad opera salutaria.

Probatur secundò: Authoritate CC: conclusionem definientium; signanter Arausicani *can: 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere, sive salutari prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritûs S.* (nota Gratiam Actualem necessariam) *qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæreticò fallitur spiritu.* Et *can: 9. Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, DEUS in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ergo ad opus quodcunque salutare, seu ad salutem pertinens eliciendum, necessaria est Gratia Actualis.

3\.
PP: & ratio ad idem.

Probatur tertiò Authoritate SS: PP: eandem Doctrinam confirmantiũ; unde Augustinus *lib: de præd: SS: cap: 2. quod ad Religionem pietatemquè pertinet, non sumus nos sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis*; Ergo &c.

Probatur quartò ratione: quia opus salutare, aut est dispositio ad justificationem obtinendam, aut conducit ad eam augendam, & beatitudinem consequendam; quocunque autem modo se habeat, est actus supernaturalis: Ergo ad eum est necessaria Gratia Actualis. Conseq: tenet; nam vires naturales ad eum non sufficiunt.

Dico secundò: Ad observanda debitè præcepta Divina à moralibus distincta; ad eliciendos actus supernaturales Spei, Charitatis & Pœnitentiæ, ùt oportet ad justificationem consequendam necessaria quoque est Gratia Actualis. Ita communis Catholicorum; contra Pelag:

4\.
Pro debita observantia præceptorũ Divinorum etiam necessaria est Gratia.

Probatur prima pars: Tum quia etiam debita observantia Præceptorum Divinorum comprehenditur sub illis passibus Scripturæ, & CC. pro 1. *conc:* allatis, necessitatem Gratiæ insinuantibus. Tum quia eadem est ratio de debita Observantia eorum ac de actibus supernaturalibus, de quibus loquitur secunda pars conclusionis: Ergo &c.

Dixi notanter *ad observanda debitè præcepta:* nam ad sacrilegè servanda, & contra intentionem Legislatoris nulla necessaria est Gratia; potest enim aliquis sacrilegè suscipere baptisma, & sic quo ad substantiam secundùm quid observare, & implere præceptum Divinum de ejus perceptione.

5\.
Sicut & ad eliciendos actus supernaturales fidei, Spei, Charitatis, &c.

Probatur secunda pars primò: Ad actus supernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ ut oportet, & ad justificationem necessariam esse Gratiam Actualem definiunt Arausicanum *can: 35.* Et Milevitanum *cap: 14.* & Tridentinum *sess: 6. can: 3.* sequentibus verbis; *si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs S. operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis Gratia concedatur, anathema sit.*

Probatur secundò: Tum authoritatibus S. Scripturæ. Tum CC: & SS: PP: pro *priore conclusione* relatorum, quæ pariter hanc

riter hanc stabiliunt; nam omnes actus supernaturales sunt salutares, & ad salutem pertinentes; ac proinde indigi Gratiæ Actualis: Tum quia ad assensum Fidei ùt oportet necessaria est Gratia Actualis ùt suprà *q 2. conc:* 1. pluribus ostendi: Ergo etiam ad actus supernaturales, Spei, Charitatis, & pœnitentiæ. Tum tandem quia actus supernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ùt oportet ad justificationem consequendam sunt in adultis peccatoribus dispositiones ad ipsam justificationem consequendam: Ergo ut proportionentur formæ, ad quam disponunt, ad eos eliendos necessaria est Gratia Actualis supernaturalis, tanquam comprincipium elicitivum. Conseq: tenet; nam principium purè naturale nequit se solo elicere effectum ordinis supernaturalis. Circa ultimum articulū quæst:

6. *Ad resistendum grabi tentationi quoque eget homo Gratiâ speciali.*

Dico tertiò; necessaria pariter est Gratia Actualis, ad debitè resistendum gravi tentationi, & ad victoriam desuper obtinendam in statu naturæ lapsæ. Ita S. Bonaventura S. Thomas Cajet: Alvarez: Caspensis, Tannerus, Bontempo, Herincx, &c. contra P. Beniumeam, & Vulpem, qui Scotum pro eadem, sed immeritò, opinione citant; Richard: Ægidlum, & alios à Beniumea citatos AA!

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; Victoriam super tentationes, utique graves, DEI auxilio adscribentis; unde dicitur Psalm. 17. *in te eripiar à tentatione.* Et 1. ad Cor: 15. *DEO autem Gratias, qui dedit nobis victoriam per JESUM Christum.* Et in eadem epist: *cap: 10. Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari super id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum* (dando scilicet victoriam per suam Gratiam) *ut positis sustinere.* Et Thren: 3. *misericordia Domini, quia non sumus consumpti:* Ergo &c.

7. *Ubi liquet ex CC: & Sum: Pontif. consumpti*

Probatur secundò authoritate CC: & Paparum, conclusionem affirmantium; unde Conc: Palæstinum, uti refert D. Augustinus *Epist: 106.* asserit, *non ex propria voluntate, sed ex adjutorio DEI nostram provenire victoriam contra tentationes.* Et Tridentinum *sess: 6. cap: 13. Formidare enim debent, scientes, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, depugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Gratia DEI Apostolo obtemperent &c.* Idem docet Innocent. I. Papa *Epist: ad Conc: Carthag:* Et Cœlestinus Papa *in epist: ad Epistop: Galliar:* Ergo Gratia Actualis est necessaria ad ritè resistendum gravi tentationi, & ad reportandam Victoriam desuper in statu naturæ lapsæ.

8. *Item ex SS: PP.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: idem dogmatizantium; ùt videre est apud Augustinum. Et Chrysostomum *hom: 24. in 1. ad Cor:* Unde meritò Gregorius *lib: 9. moral: cap: 37.* air, *dimissus sibi* (id est carens Gratiâ Actuali) *cujuslibet tentationis aurâ rapiatur.* Et Cœlestinus *epist: 1. cap: 7. nemo etiam Baptismatis gratiâ renatus idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum DEI adjutorium perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

9. *Ex ratione Theologica.*

Probatur quartò ratione: Tum quia insultus dæmonis tentantis sunt vehementes, artificiosi, & ad casum inducendum compositissimi: natura verò nostra corrupta multùm proclivis ad consensum præbendum, maximè circa delectabilia, & sibi commoda; insuper compluribus impedimentis irretita, puta ignorantiâ, inconsideratione, pravis consuetudinibus, malis exemplis, & consilijs, delicijs mundi, stimulis concupiscentiæ carnalis, aliarumquè passionum infectata, ut proinde tentationi gravi facilè succumbat, nisi benignô Divinæ Gratiæ auxiliô confortetur: Ergo Gratia Actualis est necessaria ad debitè, & cum Victoria resistendum tentationi gravi.

10. *P. Beniumea satisfit.*

Objicit Beniumea Scotum *2. Report: dist: 28.* contrarium conclusionis sentientem: textum retuli *priori quæst: object: 1.* Respondetur Doctorem Subtilem *loc. cit.* nullam facere mentionem gravis tentationis; sed prorsus abstrahere ab ea. Et tametsi dicat ibidem generaliter, & *per consequens potest homo omne peccatum occurrens ex tali tentatione vitare*, non intendit per hoc asserere, hominem solo arbitrio naturali posse vitare omne peccatum occurrens ex tentatione; sed arbitriô, & insuper Gratiâ necessariâ ad vitandum peccata occurrentia ex gravi tentatione: Non favet ergo Scotus oppositæ sententiæ.

11. *Ad repellendam levem tentationē non est necessaria Gratia specialis.*

Dico quartò: Ad resistendum tamen levi tentationi non est necessaria Gratia Actualis. Deducitur ex Scoto mox citato; eamquè tenent communiter Scotistæ; & S. Bonavenrura, *S.* Thomas,

Thomas, Bontempo, &c. contra Arimin: Capreol: Bellarm: Vasq: &c.

Probatur: Tum Scripturâ, nam Genes. 4. dicit DEUS Caino, *sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, saltem circa leves occurrentes tentationes. Tum ratione; quia ùt D. Bernardus *lib: de lib: arb:* ait, *liberum arbitrium est potentissimum sub DEO, neque potest omnino cogi, ut habet appetitum ad bonum honestum, & habet naturale judicatorium, quod inest ei per naturam*: Ergo liberum arbitrium sic instructum poterit repellere leves tentationes. Præterea nisi homo posset solis naturæ viribus resistere levi tentationi, vix posset elicere ullum opus morale bonum sinè Gratia Actuali speciali; nam in exercitio cujusvis talis operis occurrit aliqua levis tentatio, aut Diaboli, aut mundi, aut carnis. Tum quia Scriptura, CC. & PP: asserentes necessitatem Gratiæ Actualis ad supradictas tentationes, procedunt de tentationibus duntaxat gravibus, in quibus magna est difficultas eas superandi; qualis non est in levi aliqua tentatione elidenda, v. g. distractione aliqua levi occurrente in recitatione D. Officij, vel tepiditate levi in oratione, causata ex prioribus colloquijs, lusibus, &c.

Quæstio VI.

Utrùm ad Dilectionem DEI super omnia, etsi non oportet; & ad actus heroicos virtutum moralium sit necessaria Gratia Actualis.

1. *Dilectio Dei perfecta ut finis supernaturalis super omnia prærequirit Gratiam.*



Riori quæst: resoluta est necessitas Gratiæ Actualis ad actum supernaturalem Dilectionis DEI eliciendũ, ut oportet in ordine ad justificationem obtinendam. Nunc examinandum est, an eadem sit necessitas ad actum, quô quis vellet præcisè diligere DEUM super omnia, non ordinando talem actum ad justificationem. P. Beniumea post Abulens: Cajet: Medin: & quosdam alios Thomistas putat, hominem ad ejusmodi actum circa DEUM sive ùt Authorem naturæ, & finem supernaturalem atque causam, non egere ullô Gratiæ Actualis auxiliô; sed solis naturæ viribus eum posse ponere; & commiscet huic suæ sententiæ quoque Scotum, quod & facit Bontempo, cum alijs RR: sed perperam. Unde

Dico primò: Non potest homo in statu naturæ lapsæ absque Gratia Actuali speciali DEUM sive ùt Authorem naturæ, sive ùt finem supernaturalem diligere super omnia amore perfectò benevolentiæ, seu amicitiæ. Ita P. noster Alensis, Bonaventura, Richardus, Major, Marsilia, & complures Scotistæ, Pitigianns, Herincx, &c. Item communis RR.

Probatur *primò* Authoritate CC: nam Arausicanum *can: 25.* ait, *prorsus donum DEI est diligere DEUM.* Et Tridentinum *sess: 6. cap: 6.* docet, *hominem à DEO motum, & excitatum, atque eodem adjuvante incipere diligere DEUM.* Ergo &c. *Secundò* Authoritate S. Augustini *lib: de grat. & lib: arbit. cap: 16.* dicentis, *si non ex DEO, sed hominibus est dilectio DEI, & proximi, vicerunt Pelagiani: Si autem ex DEO, vicimus Pelagianos. Tertiò* ratione: Tum quia perfectus amor amicitiæ DEI maximè ùt finis supernaturalis affert omnium præceptorum observationem; nam qui DEUM super omnia diligit, vult in omnibus ejus implere voluntatem mandantem, & præcipientem: unde rectè Apostolus ad Rom: *13. cap: plenitudo legis est dilectio*, Sed observatio omnium præceptorum haberi nequit sinè Gratia Actuali: Ergo neque amor perfectus amicitiæ DEI. Tum quia amor perfectus amicitiæ DEI, seu super omnia appretiativè est opus valde arduum; nam cum eo pugnat natura, corruptus amor objectorum terrenorum, delectabilium, & sensibilium, contrariorum objecto Divino dilectionis super omnia, & proclivitas voluntatis ad commoda naturæ incompatibilia cum honestate objecti dilectionis DEI super omnia, magno pondere trahens: Ergo ut voluntas perfectum amorem DEI, excussô amore terrenorum, ponat, roborari debet necessariò Gratiâ Actuali.

Dixi notanter in conc. *amore perfectò*: quia extra controversiam esse debet, viatorem posse aliquem amorem imperfectum, & inefficacem DEI sinè Gratia Actuali speciali elicere. Ratio est; Tum quia in ejusmodi amore eliciendo non experitur specialis difficultas, cùm non excludat efficacem affectum erga creaturas, neque peccaminosum. 2. *Non item imperfecta.*

Tum quia ratio naturalis oſtendit, DEUM eſſe Bonum eximium, propter ſe diligendum: Ergo voluntas ſaltèm actu imperfectô naturaliter in ejus dilectionem poteſt prorumpere.

3. *Scotus non favet ſententiæ P. Beniumea.*

Objicit I. Beniumea Scotum quaſi *3. diſt: 27: q: unic:* Et *in 2. diſt: 28. q. unic:* Er *2. report. diſt: 28.* Et *quodlib: q. 17.* Et *1. diſt: 17. q:* 3. contrarium concluſioni doceat, aſſerendo hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſſe DEUM diligere ſuper omnia ſinè Dono Gratiæ: Ergo &c. Reſpondeo in omnibus iſtis locis Scotum ſolùm docere, quòd homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit DEUM diligere ſuper omnia ſinè dono Gratiæ, quæ eſſet Gratia Habitualis, & ſanctificans, neceſſariò concurrens ad actum talis dilectionis; non verò, quæ eſſet Gratia Actualis; talem enim ùt neceſſariam ad ejuſmodi amorem agnoſcit Scotus varijs in locis, et ſignanter 21. *quodlib.* Et *in 2. diſt: 37.* Er *in 3. diſt: 29. q: unic.* Et *in 4. diſt: 14. q: 2.*

4. *Alia inſtantia Beniumea ex Scoto diſſolvitur.*

Inſtat idem Scotiſta: Scotus *3. diſt: 27. q. unic.* Et *diſt: 26. q: unic.* expreſsè excludit omnem Gratiam, ùt neceſſariam ad actum dilectionis DEI ſuper omnia, nam docet, hominem poſſe ex puris naturalibus diligere DEUM ſuper omnia. Reſpondeo, & dico, Scotum per ly ex puris naturalibus ſolùm velle excludere concurſum Gratiæ Habitualis Charitatis (uti clarè patet ex textu litteræ) tanquam neceſſariæ ad dilectionem DEI ſuper omnia; non verò Actualis; acſi diceret, poteſt homo diligere DEUM ſuper omnia ex puris principijs naturalibus, id eſt, non affectis & adjutis habitu charitatis: Et hunc eſſe ſenſum horum verborum inde patet, quia locis citatis agebat contra opinionem D. Thomæ, & Henrici aſſerentium habitum Charitatis eſſe omnino neceſſarium ad eliciendum actum dilectionis DEI ſuper omnia; quam opinionem impugnat, & meritò, Scotus: Verbo ly in puris naturalibus non eſt particula excluſiva ſimpliciter omnis alterius comprincipij ſupernaturalis etiam actualis; ſed hujus duntaxat in ſpecie, de quo erat concertatio inter Scotum, & Thomam, ac Henricum, ſcilicet habitualis. Si hunc Scoti ſenſum ejuſquè phraſin loquendi profundiùs inveſtigâſſet Bontempo, forſitan non dixiſſet *Tract: 5. de Grat: diſp: 1. q 11. n. 210 Scotum impropriè, & laxè nimis in hac quæſt: locutum fuiſſe; nec ſe videre, quomodo eum defendere poſſit, à Pelagianis ſcilicet.* Vide etiam quæ dico *Tom: 4. de Virtutibus Theologicis diſt. 5. quæſt: conc. 2.*

5. *Scotus rurſus, reconciliatur.*

Urget Beniumea rationem Scoti *in 3. diſt. 27.* quæ talis eſt; *ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſummè diligendum* (ſcilicet DEUM) *quia in omnibus actibus, & objectis eſſentialiter ordinatis eſt aliquod ſupremum; & ita aliqua dilectio ſuprema, & ita ſupremum objectum ſit diligibile: Ergo voluntas hoc poteſt diligere ex puris naturalibus.* Reſpondeo ex hoc Scoti diſcurſu ſolùm haberi, quòd, ùt dixi paulò antè, voluntas hominis poſſit abſque Gratia Habituali, non verò abſque Actuali diligere objectum ſummè diligibile, DEUM ſcilicet. Vel quòd illud poſſit diligere amore aliquo imperfecto, & inefficaci; non verò perfecto, & efficaci, ad cujus poſitionem non concurrit auxilium Gratiæ Actualis. De ſecundo puncto quæſt:

Dico ſecundò: neque poteſt homo viator eximium aliquem, inſignem, & valde heroicum actum alicujus virtutis moralis exercere ſinè Gratia Actuali ſpeciali.

6. *Pro actu heroico etiam eſt neceſſaria Gratia.*

Probatur. Tum quia in ſimili actu exercendo ſpeciales occurrunt difficultates, & impedimenta varia, retrahentia ab exercitio; v. g. in actu fortitudinis, ut quis pro ſalute Patriæ moriatur, vel manifeſtis ſe exponat periculis vitæ; vel in actu liberalitatis, ut quis notabilem quantitatem ſuæ ſubſtantiæ diſpenſet in egenos concives, &c. Poſitionem enim ſimilium actuum heroicorum diſſuadent amor proprius, jactura domûs, contradictio uxoris, vel prolium, vel cognatorum, vel amicorum, ſpes ad majora aſcendendi ſuperſtite vitâ, commoditates corporales, horror ipſe mortis, depauperatio &c. ad quæ ſuperanda ſanè ſpeciale DEI auxilium videtur neceſſarium: Ergo.

Quæstio VII.

De Neceſſitate Gratiæ Actualis ad actus quoſvis ſupernaturales; ac perſeverantiam Juſtorum in ſtatu naturæ lapſæ.

Supra

Uprà *quæst: 5. conc: 2.* resolutum est Gratiam Actualem esse necessariam injustis volentibus justificari, ad ponendos actus supernaturales Spei, Charitatis & pœnitétiæ: nunc de necessitate ejusdem pro eliciendis actibus supernaturalibus quibusvis, etiam justificatorum differendum erit. Procedet autem quæstio de actibus internis; actus enim externi, v. g. susceptio, & administratio Sacramentorum, ac Professio Fidei Orthodoxæ, eatenus duntaxat postulant auxilium Actualis Gratiæ, quatenus illud exigunt actus interiores, qui sunt concomitanres, aut prævenienres externum.

1. *Similiter pro exercitio actuum supernaturalium requiritur Gratia specialis.*

Dico primò: Etiam justi quà tales, ad eliciendos suos actus supernaturales quoscunque, & meritorios egent Gratiâ Actuali speciali. Ita S. Thomas, Mascaren: Azorius, Tanner, Valentia, Oviedo, Herincx, & communior TT: contra Bellarminum, Rhadam, Molinam, Vegam, &c.

Probatur primò authoritate Scripturæ: nam Joan: 15. indefinitè, & sinè ulla exceptione statûs Justitiæ dicitur, *sinè me nihil potestis facere.* Et 1. ad Cor: 3. *nunquid idonei sumus aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis? Sed sufficientia nostra est ex DEO*: Ergo etiam justi nil possunt operari supernaturaliter sinè DEO, neque sunt idonei cogitare aliquid ex se; sed eorum sufficientia est ex Gratia Actuali DEI.

2. *Concilia pro eodem asserto.*

Probatur secundò authoritate CC: & Pontificum; Ex Concilijs Arausicanũ pariter indefinitè, & illimitatè dicit *can: 9. quoties bona agimus, DEUS in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*, utique applicando suam Gratiam ùt necessariam. Et *can: 20 nulla facit homo bona, quæ non DEUS præstet*, accomodando nimirum suam Gratiam Actualem. Et *can: 25. hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per DEI misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui inspirat* (utiquè per Grariam Actualem) *ut & Baptismi Sacramentum fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adjutorio* (nota Gratiam Actualem) *ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Ex Pontificibus verò Cælestinus Papa *epist: ad Episcop: Gall:* approbat illud sentimen Præsulum Africæ, *Comparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, internis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*: quæ locutiones omnes generales etiam comprehendunt justorum supernaturalia opera, tanquam dependentia à Gratia Actuali: Ergo &c.

3. *Et SS. Patres.*

Probatur tertiò authoritate SS: PP: Gratiæ Actualis necessitatem ad opera quævis quorumcunque hominum asserentium sub nomine inspirationis, pij affectûs, & misericordiæ; signanter S. Cyrilli Alexandrini *lib: 4. in Joan: cap. 7.* Et Prosperi *lib: 2. de vocat: gent: cap: 7.* vel 26. Et Augustini *lib: 4. contra duas epistolas Pelag: cap. 6.* dicentis, *in omnibus, quæ quisque agit secundùm DEUM, misericordia ejus prævenit eum.* Et *lib: 3. Hypog:* habetur, *in omni opere sancto prior est voluntas DEI* (gratiosa scilicet) *posterior liberi arbitrij, id est, operatur DEUS cooperatur homo.* Ergo &c. Circa alterum articulum quæst:

4. *Ad perseverantiam quoque necesse est habere Gratiam specialem.*

Dico secundò: Necessaria tandem est defacto Gratia Actualis ad perseverandum diu, maximè usque ad finem vitæ in accepra justificatione. Ira Sanctus Bonavenrura, S. Thomas, Herincx, Bontempo, Tannerus, & communis DD. contra Pelagianos.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; Gratiæ Divinæ perseverantiam adscribentis; ùt Psal 17. *nisi quia Dominus adjuvit me* (donando scilicet perseverantiæ donum) *paulò minus habitásset in inferno anima mea.* Et psal 126. *nisi Dominus ædificaverit domum*, eam fulciendo Gratiâ perseverantiæ, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et ad Philipp: 2. *DEUS est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere* (cum finali scilicet perseverantia) *pro bona voluntate.* Et propterea ipsemet Salvator ad Patrem cælestem oravit pro obtinenda Gratia perseverantiæ Discipulorum dicens Joan: 17 *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Et specialiter pro perseverantia fidei Petri supplicauit ad Patrem dicens Luc: 22. *Simon. Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: Ergo &c.

5. *Authoritas Conciliorum ad idē.*

Probarur secundò authorirate CC: doctrinam conclusionis asserentium; unde Tridentinum *sess: 6 can: 22. Si quis dixerit justificatum, vel sinè speciali auxilio DEI in accepta Justitia preseverare posse; vel cum eo non posse, anathema sit.* Et Arausicanum *can: 10.* air, *adjutorium DEI, etiam Sanctis, esse semper implorandum, ut ad*

bonum finem pervenire, vel in bono possint opere perdurare: Ergo necessaria est Gratia Actualis ad perseverandum diu, &
6. maximè usque in finem vitæ.

Et testimonia SS. PP: Probatur tertiò authoritate SS:PP: necessitatem Gratiæ ad perseverandum constanti calculò affirmantium; ùt videre est apud S. Bernardum *serm: 3. in Cant:* Et S. Gregorium *lib: 1. Moral. cap. 10.* Et *lib: 23. cap: 28.* Et Hieronymum *lib: 2. contra Pelag.* Et Augustinum pluries, maximè *lib. de bono persever: cap: 17.* Et *lib: de nat: & grat. cap. 6.* dicentem, *sicut oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce Justitiæ divinitùs adjuvetur,*
7. *rectè non potest vivere*: Ergo &c.

Et ratio Theologica. Probatur quartò ratione: Vita etiam justorum est perpetua lucta cum Diabolo, carne, & mundo, infestantibus varijs modis: aliunde natura etiam justorum est de corrupta traduce, propensa ad malum, subjecta defectibilitati: Ergo ut perseverare valeant diu, & maximè usque in finem vitæ, necesse habent continuò roborari à Gratia Actuali.

QUÆSTIO VIII.

De Necessitate Gratiæ Actualis in Statu puræ; & integræ naturæ.

1. *Quid sit statu puræ naturæ; & naturæ integræ.*

Hactenus egi de necessitate Gratiæ Actualis comparatæ ad statum naturæ lapsæ: nunc de eadem ùt comparata ad statum naturæ puræ; & statum naturæ integræ agendum erit. Est autem *status naturæ puræ* de quo ex professo egi *Tomò istò, Tract: 3. de plasmat. primi hom. dist. 4. q. 1. notab. 1.* Status quidam medius inter statum innocentiæ & statum naturæ lapsæ, in quo natura quidem possideret suas specificas perfectiones naturales, naturæ debitas, etsi cum defectibus communibus naturæ; careret tamen omni donò supernaturali ad finem supernaturalem conducenti; item in hoc statu natura non esset affecta peccato originali, & pœnis eidem debitis. *Status naturæ integræ*, qui & status innocentiæ dicitur; fuit ille felicissimus status, in quo ante commissum originale peccatum positus fuit Adam; hic includebat præter rectitudinem in omnibus potentiis, carentiam omnis rebellionis, & fomitis peccati, multasquè felicitates; varia etiam dona supernaturalia gratiarum actualium, & habitualis, completamque justitam originalem &c. de quo statu uberiùs *eodem Tom. & tract. dist. 2. per totum.* 2.

In statu puræ naturæ non potuissent cognosci naturaliter omnes Veritates. Dico primò: homo positus in statu naturæ puræ non potuisset naturaliter cognoscere omnes Veritates naturales, tum speculativas, tum practicas artificiales, & morales; bene tamen positus in statu naturæ integræ.

Probatur prima pars: quia status puræ naturæ fuisset subjectus iisdem impedimentis, & defectibus communibus, quibus subjectus est status naturæ lapsæ (exceptis fortè insidiis, & tentationibus Dæmonum) quare natura hominis in illo statu positi esset etiam exposita ignorantijs variis, ùt ostendo *cit. Tract. dist. 2. 3. q. 2.* Ergo homo in tali statu positus non posset naturaliter cognoscere omnes veritates naturales sive speculativas, sive practicas: adeoque egeret auxiliò aliquò gratiæ; quod tamen diceretur auxilium merè naturale, uti finis esset merè naturalis; & media, sive opera præcepta merè naturalia. 3.

Bene tamen in statu naturæ integræ. Probatur secunda pars: homo positus in statu naturæ integræ haberet donum Justitiæ originalis, quod est quædam complexa perfectio, omnes hominis integri potêtias ita coordinans, ut totus homo rectus, & perfectus evaderet; atque ita facilis esset pro omni occasione ad expeditè operandum tam per voluntatem, quàm per intellectum præditum omnimodâ scientiâ congenitâ & vi perfectâ ad excogitandum: unde ratione talis perfectionis esset expeditissimus ad investigandas & penetrandas omnes Veritates naturales tum speculativas, tum practicas artificiales, & morales: Ergo &c. 4.

Aliqua; non tamen omnia opera bona potuissent elici in pura natura. Dico secundò, homo in statu naturæ puræ posset aliqua opera moraliter bona exercere; non tamen totum bonum morale facere.

Probatur prima pars: etsi in statu isto puræ naturæ non posset attingere omnes cognitiones practicas morales; posset tamen habere aliquas naturales: Ergo ex earũ dictamine posset naturaliter exercere aliqua opera bõa moraliter.

Probatur

Probatur secunda pars; in illo statu non posset homo venari cognitiones omnium veritatum moralium: Ergo neque ponere totum bonum morale, utpote ab iis dependens.

5.
In natura integra potuisset homo sinè Gratia speciali adimplere omnia præcepta moralia quatenus non considerantur ùt ad salutem pertinentia.

Dico tertiò: in statu naturæ integræ posset homo sinè auxilio Gratiæ specialis adimplere omnia præcepta moralia, facere totum bonum morale; quatenus non consideratur ùt ad salutem pertinens. Ita Vega, Sotus, Valent. Tanner. &c. contra Capreol. Vasq. Arimin: &c.

Probatur, Tum quia homo in illo statu posset naturaliter sinè Gratia speciali cognoscere omnem veritatem practicam moralem: Ergo & facere sinè Gratia speciali totum bonum morale: Tum quia in illo statu felicissimo abessent omnia impedimenta, desacto retardantia, & impedientia, hominem ab exercitio totius boni moralis in quibus Gratiæ Actualis necessitas defacto fundatur: Ergo &c.

6.
Non item quatenus considerantur ùt ad salutem pertinentia.

Dico quartò: Non posset tamen homo in statu naturæ integræ adimplere legem Theologicam, aut moralem quatenus consideratur ùt ad salutem pertinens; neque exercere actus supernaturales, aut meritorios, & conducentes ad vitam sinè Gratia Actuali speciali.

Probatur: adimpletio Legis Theologicæ, aut moralis sub illa consideratione, exercitium actuum supernaturalium, & meritoriorum transcendit vires naturales hominis, in quocunque statu positi; quia sunt in entitate supernaturales: Ergo etiam in statu naturæ integræ haberi non possunt sinè Gratia Actuali speciali.

7.
In statu naturæ puræ non posset homo DEUM super omnia perfectè diligere sinè Gratia.

Dico quintò: In statu naturæ puræ non posset naturaliter homo DEUM diligere perfectè super omnia quoad substantiam actûs; benè tamen in statu naturæ integræ.

Probatur prima pars: Hujusmodi dilectio etiam quoad substantiam est opus valde arduum utpote includens totalem aversionem à creatura, & conversionem perfectam ad DEUM: Et voluntas etiam in statu puræ naturæ est subjecta varijs impedimentis, de facili retrahentibus hominem à positione actûs tam ardui: Ergo videtur hominem in statu puræ naturæ non posse naturaliter DEUM perfectè diligere super omnia etiam quoad substantiam Actûs.

8.
Bene tamen imperfectè.

Probatur secunda pars: In statu naturæ integræ non adessent impedimenta ulla retrahentia hominem à positione perfectæ dilectionis DEI super omnia; & ipsa arduitas operis tollitur per perfectionem omnimodam Justitiæ originalis, afficientis voluntatem, & ita rectificantis, ut possit expeditè exire in actum: Ergo in statu naturæ integræ posset homo naturaliter DEUM perfectè diligere super omnia quoad substantiam actûs.

9.
Similiter non posset resistere gravi tentationi.

Dico sextò: Nec in statu naturæ puræ; nec in statu naturæ integræ victoria contra tentationes graves reportari potest sinè Gratia Actuali speciali.

Probatur prima pars: Status puræ naturæ, ùt sæpius dictum est, esset subjectus omnibus impedimentis, & imperfectionibus (exceptis forsan insidijs & tentationibus Dæmonum) quibus subjectus est status naturæ lapsæ: Ergo in eo posset quoque homo succumbere gravibus tentationibus, nisi supernaturaliter à DEO adjuvaretur; & consequenter victoriam contra tentationes graves in illo statu reportari non posset sinè Gratia Actuali speciali.

10.
Posset tamē levem excutere.

Probatur secunda pars: Authoritate Scripturæ; ex qua scimus Adam in statu naturæ integræ non reportâsse victoriam contra gravem tentationem Evæ de comedendo fructu vetito: Ergo idem dicendum de quocunque alio homine.

11.
Ad perseverandum necessaria est Gratia in statu naturæ integræ.

Dico septimò: Ad perseverandum longo tempore in Justitia, collata homini existenti in statu naturæ integræ, necessaria quoque foret Gratia Actualis.

Probatur: Quia ùt suppono in statu tali adhuc essent tentationes variæ, tum à Dæmone, tum ab ipsomet homine provenientes, qui posset tentari ambitione, superbiâ, philautiâ, &c. Sicuti fuerunt tentati Adam, & Eva; Ergo ut persisteret, & perseveraret in Justitia accepta non consentiendo ejusmodi tentationibus, egeret auxiliô Gratiæ specialis DEI.

12.
Non autem ad exercendos actus heroicos.

Dico octavò: Homo in statu naturæ integræ positus posset absque Gratia Actuali speciali exercere omnes actus heroicos virtutum moralium, in tali statu practicabilium; non item in statu puræ naturæ.

Probatur prima pars: Tum quia homo in statu naturæ integræ polleret naturâ, perfectè instructâ ex dono Justitiæ originalis: Ergo ejus potentiæ de facili possent exire in quosvis actus heroicos virtutum moralium. Tum à pari; quia

ri, quia in isto statu posset homo diligere perfectè DEUM super omnia; ùt suprà dixi; quæ tamen dilectio est opus arduum: Ergo etiam posset exercere a-

13. ctus heroicos morales, etsi aliàs arduos.

Aliter dicendum de sta-

Probatur secunda pars ab opposito, quia homo in statu naturæ puræ non possideret naturalia, ita feliciter instructa ad faciliter operandum: Ergo non posset ponere quosuis actus heroicos virtutum moralium. *In natura pura.*

DISTINCTIO III.

De Sufficientia Gratiæ Actualis ad Salutem.

QUÆSTIO I.

De Sufficientia Gratiæ Actualis in Justis pro observandis omnibus Præceptis Divinis & perseverando in Justitia accepta.

I. *Quivis Justificatus potest cum Gratia DEI servare mandata.*



DICO primò: Quivis Justificatus potest cum Gratia Actuali à Deo sibi concessa, sufficienter servare, & implere omnia, & singula præcepta Divina, ita ut non peccet mortaliter contra ea. Ita communis Catholicorum; contra Lutherum, Melanthonem, Calvinum, Kemnitium & similis farinæ hæreticæ errones novissimos: item contra Jansenium asserentem hanc propositionem, *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoq; illis Gratia, quâ possibilia faciant*; quæ damata est ab Innocentio X.

Probatur primò Authoritate S. Scripturæ; possibilitatem servandi, & adimplendi Præcepta Divina cum Divina Gratia variis in locis exprimentis; sic dicitur; Joan. 5. *hæc est enim charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Et Matt. 11: *jugum enim meum suave est, & onus meum leve,* Et Eccles. 15. *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata servare, conservabunt te*: quibus verbis supponit, quòd homo possit servare mandata, & præcepta: huc etiam faciunt promissiones DEI, Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio ventri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Et Deut. 30. Ergo &c. Præterea S. Litteræ commemorant complures per omnia sæcula homines, qui actu cum Gratia DEI servârunt præcepta Divina, & vixerunt sinè peccato contra ea; sic narrat de Enoch, Gen. 5. dicens, quòd *ambulaverit cum DEO,* Sic de Noë Gen: 6. ubi dicitur *justus, & perfectus in generationibus suis, & cum DEO ambulâsse.* Sic de Job. *cap. 1. Jobi.* ubi vocatur *vir simplex, & rectus, & timens DEUM, & recedens à malo.* Sic de Josue *cap. 11. Jos.* habetur, *quòd non præterierit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi.* Sic de Abraham *Gen. 22.* de Davide 3. Reg. *11. cap.* de Zacharia & Elisabet Lucæ 1. sic de aliis; Ergo si hi justificati poterant cum Gratia Divina servare omnia, & singula Præcepta; cur non quiscunque alius Justus?

2. *Concilia pro eadem doctrina.*

Probatur secundò: Authoritate CC. conclusionem definientium; Unde Arausicanum *can. ult.* ait, *hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptismum Gratiâ omnes Baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem prosunt,* (de quorum numero utique etiam est observantia præceptorum Divinorum) *possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et Tridentinum *sess. 6. can. 8. si quis dixerit, DEI præcepta homini etiam Justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit*: Ergo Præcepta

Divina

Divina sunt per Dei gratiam possibilia observatu.

3. *Et testimonia SS: PP:* Probatur tertiò: Authoritate S S. P P. eandem plane doctrinam asserentium; unde Basilius *orat.* in illud *attende tibi* ait, *impium est dicere impossibilia esse Spiritûs præcepta.* Et Chrysostomus *hom. 8. de pænit. circa medium* dicit, *nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia.* Et Hieronymus *lib. 1. contra Pelag. fatemur possibilia Deum mandâsse, ut ipse author injustitiæ sic, si exigat fieri, quod fieri non potest.* Et Augustinus *lib. de nat. & grat. cap. 69. firmissimè creditur DEUM bonum, & justum impossibilia non potuisse præcipere*: Ergo cum secundùm C C. & P P. præcepta Divina non sint impossibilia, sequitur ea à quovis Justificato posse observari concurrente speciali DEI Gratiâ.

4. *Et rationes Theologicæ.* Probatur quartò ratione: Tum quia DEUS Legislator est agens ordinatissimum, prudentissimum & in præcipiendo æquissimum: Ergo posuit præcepta, quæ à quovis justificato cum sua Gratia possunt servari. Tum quia nemo obligatur ad impossibile juxta commune axioma: obligantur autem omnes Justi ad observantiam mandatorum Divinorum: Ergo sunt possibilia observatu cum Gratia DEI. Tum quia alioquin DEUS, qui est ipsa Bonitas, Infinita mansuetudo, & clementia ageret Tyrannum, ponendo scilicet leges impossibiles observatu à justificatis & adigendo creaturas sibi subditas ad earum observantiam: Ergo revera quivis justificatus potest cum Gratia Actuali DEI (quæ cuilibet sufficiens exhibetur) servare, & implere Præcepta Divina, ita ut non peccet mortaliter contra ea.

5. *Quivis Justus potest cum Gratia perseverare in justificatione.* Dico secundò: Similiter quilibet Justus potest in accepta Justitia perseverare cum Gratia Actuali. Est communis quoque Catholicorum; contra eosdem Sectarios.

Probatur primò authoritate Scripturæ; nam ad Philipp: 2. dicitur, *DEUS est enim qui operatur in nobis velle, & perficere* (id est, perseverare in bona operatione) *pro bona voluntate. Secundò* Authoritate Tridentini *sess. 6. can. 13. tametsi in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent; DEUS enim nisi ipsi illius Gratia defuerint, sicut capit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*, concurrendo scilicet ad perseverantiam: Ergo &c.

Probatur præterea tertiò authoritate SS: PP: nam S. Augustinus *lib. de nat: & grat: cap. 26.* ait, *sanat ergo DEUS, non solùm ut deleat, quod peccavimus; sed ut præstet etiam, ne peccemus*, impertiendo scilicet donum perseverantiæ: Ergo potest homo perseverare in accepta sanctitate, seu Justitia. *Quartò* Ratione, quam affert ex Divina benignitate idem S. Doctor, in illud Psalm: *7. justum adjutorium meum à Domino*, scribens, *si enim medicinam exhibet, quâ sanentur infirmi, quantò magis eam* (scilicet perseverantiæ) *quâ custodiamur sani?* Ergo potest justus perseverare in accepta Justitia per auxilium Divinæ Gratiæ Actualis.

6. *Gratia servandi mandata, & perseverandi in Charitate non est semper proximè sufficiens.* Dico Tertiò: Gratia cum qua justificati possunt servare præcepta Divina, vitare peccata mortalia contra eadem, & perseverare in Justitia accepta, non est semper proximè sufficiens; sed quandoque remotè.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex CC: œcumenicis, Summ. Pontificibus, & SS: PP. inculcantibus, ut etiam Justificati postulent instantibus orationibus à DEO Gratiam faciendi id, quod jubet DEUS; & quòd DEUS sic petentibus non deerit in necessarijs; quod non facerent, si semper DEI Gratia Actualis proximè sufficiens adesset in justificatis, Ex Concilijs ait Tridentinum *sess: 6. cap: 11. nam DEUS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Ex Pontificibus Innocentius I. *Epist: ad Conc: Carthag:* dicit, *quòd nemo possit victoriam reportare super tentationes* (quibus de præcepto aliàs consentire non debemus) *nisi magnis precibus Gratia DEI in nos implorata descendat.* Ex SS: PP: dicit Augustinus *lib. de grat. & lib: arb. cap. 16. quædam jubet, quæ non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus*; Ergo Gratia Justorum data ad observantiam præceptorum Divinorum, non est semper proximè sufficiens, id est, talis, quæ absque alijs viribus supernaturalibus hic & nunc semper sufficiat Justis ad servanda mandata, & cavenda peccata; sed remotè duntaxat, id est, quatenus per vires præsentes supernaturales orando, aut aliquid aliud præstando impetrare possunt ulteriores vires, seu Gratiam proximè sufficientem, ut explicat hic P. Herincx.

7. *DEUS non deest orationibus Justorum.* Nota autem primò: DEUM non deesse orationibus Justorum, quibus Divinam Gratiam proximè sufficientem implorant

implorant pro observantia mandatorum, vitatione peccatorum, perseverantia; nam dicit scriptura Joan. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Unde adhuc observantia mandatorum Divinorum, & perseverantia in eadem non est impossibilis, etiam in casu, quo gratia duntaxat sufficiens à principio alicui Justo à DEO elargiretur; cùm stet penes Justū orare, & petere proximè sufficientem, quam & DEUS debitè rogatus largiter impertitur.

QUÆSTIO II.

Num Justis detur regulariter Gratia Actualis sufficiens proximè ad vitanda omnia prorsus peccata venialia totâ vitâ

1\. *Non datur Gratia de facto proximè sufficiens ad vitanda omnia venialia collectivè totâ vitâ.*

Dico primò: Non datur regulariter, & absque speciali privilegio Justis Gratia proximè ita sufficiens, ut cum ea vitarent omnia prorsus peccata venialia totâ vitâ. Ita communis T T.

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; nam propterea de venialium lapsu dicitur 3. Reg. 8. *cap. non est enim homo, qui non peccet.* Et prov: 24. *cap. septies enim cadit Justus, & resurget.* Et Eccles. 7. *non est homo Justus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Jacobi 1. *in multis offendimus omnes:* Ergo non datur regulariter, & absque speciali privilegio justis Gratia ita sufficiens, ut cum ea vitarent omnia peccata venialia totâ vitâ.

2\. *Authoritas CC. ad idē.* Probatur secundò: Authoritate C C. asserentium; justos quandoque labi in levia; quod non fieret, si haberent Gratiam proximè ita sufficientem, ut cum ea omnia vitarent, Unde Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. docet, *in hac mortali vita quantumvis sanctos, & Justos in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadere*; & subdit, *Justorum illa vox est, & humilis & verax, dimitte nobis debita nostra.* Et Milevitanum *can* 6. ait *Item placuit, quod ait S. Joannes Apostolus, si dixerimus, quia peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem, non oportet nos non habere peccatum; non quia veritas est, anathema sit*: Ergo &c.

3\. *Accedunt SS. PP. & ratio Theologica.* Probatur tertiò: Tum Authoritate S S. PP. passim agnoscentium hominem quantumvis Justum labi quandoque in venialia; ita præter alios Augustinus variis in locis; potissimè verò *toto lib. de perfect. just.* Et *lib. de nat & grat.* Et *lib. de grat. Christi cap. penult.* Et *lib. de bono persev. cap.* 2. Tum ratione; quia experientiâ advertunt Justi quique viri, se in varios veniales labi defectus; quos proinde frequenti confessione, & aliis pietatis exercitiis expiare solent. Tum quia natura etiam Justorum propagata est ex carne corrupta, & proinde fomite peccati prædita, dæmonis insultibus & tentationibus exposita, compluribus passionibus inordinatis subjecta, ac aliis impetfectionibus atque impedimentis, voluntatem inclinantibus ad varias transgressiones; quibus tandem succumbit aliquando, & labitur venialiter: Ergo pro tunc non habent Gratiam proximè ita sufficientem, cum qua vitarent omnia prorsus venialia. Consequentia patet; quia cum gratia proximè sufficiente vitari possunt omnia venialia; & consequenter etiam hæc & illa, quæ tam hic & nunc committunt.

4\. *B. V. Maria habuit speciale Privilegium vitandi omnia venialia.* Dixi in conclusione *& absq. privilegio speciali*; nam DEUS potest extraordinariè alicui Justo ex speciali Privilegio conferre Gratiam ita proximè sufficientem, cum qua totâ vitâ vitet omnia planè venialia; & tale secundum Tridentinum *sess.* 6. *can.* 23. collatum est B. V. Mariæ, *si quis hominem* (inquit canon) *semel Justificatum dixerit amplius peccare non posse, neq. Gratiam amittere, atq. ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse Justificatum; aut contrà posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

5\. *Quod nulli alteri sancti videtur concessum fuisse.* Nota primò: Præter B. V. Mariam, non constare fundamentaliter de ullo Sancto, quòd habuerit hujusmodi privilegium pro tota vita vitandi omnia venialia: Nam Scripturæ suprà allatæ loquuntur generaliter, à quibus non licèt facere exceptionem, nisi ex gravissima

vissima causa; quæ pro nullo alio Sancto militat. Et tametsi Ecclesia de S. Joanne Baptista canat in hymno antiquo Festi ejusdem; *Antra deserti teneris sub annis, civium turmas fugiens petisti, ne levi saltèm maculare vitam famine posses*; tamen ex hoc dicto solùm habetur, quòd peccata venialla linguæ duntaxat per fugam in antra deserti vitaverit; non verò alia omnia in aliis speciebus venialium.

QUÆSTIO III.

De Sufficientia Gratiæ Actualis ad Salutem in peccatoribus obduratis; infidelibus; & parvulis.

1. *Etiam obduratis dat DEUS Gratiam sufficientem remotè saltèm ad pænitendum.*



DICO primò: DEUS misericors dat omnibus omnino peccatoribus, etiam obduratis Gratiam sufficientē saltèm remotè ad pænitendum & vitandum novum peccatum, Colligitur ex Scoto 2. *dist. 46. q. unic.* & est communis T T. contra Jansenium, Roffensem, Arimin: & Abulensem.

Probatur prima pars: Authoritate Scripturæ; nam indefinitè; & sinè ulla exceptione obduratorum dicitur, Sap. 11. *Misereris omnium* (dando scilicet Gratiam sufficientem) *quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam.* Et ad Rom. 2. *ignoras, quoniam Benignitas DEI, ad pænitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impænitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Et 2. Petri 3: generaliter dicitur, quòd *DEUS nolit aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*: Ergo DEUS omnibus peccatoribus, etiam obduratis suâ misericordi volitione dat Gratiam saltèm remotè sufficientem ad pænitendum.

2. *Idem constat ex SS. PP. & ratione.*

Probatur secundò: Tum Authoritate SS. PP. nam Prosper *lib. 2. de vocat. gent. cap. 31.* ait, *Gratiam DEI omnibus hominibus* (consequenter etiam obduratis ad pænitendum) *adfuisse, providentiâ quidem pari, & bonitate generali; sed multimodò operè, diversaquè mensurâ.* Tum ratione; quia in DEO, utpote infinitè bono est universalis affectus misericordiæ, quo vult omnes homines, & consequenter etiam obduratos salvare, dummodo vellent deponere obdurationem, sicut in eo ùt infinitè justo est universalis affectus, quò vult eos, qui peccant, punire: Ergo omnibus, etiam obduratis dat media sufficentia remotè saltèm ad salutem; inter hæc autem est Gratia sufficiens ad pænitendum: Ergo habent Gratiam sufficientē ad pænitendum, quâ si uterentur rectè, tandem obtinerent proximè sufficientem ad pænitendum.

3. *Item ad servanda mādata.*

Probatur secunda pars: Tum Authoritate Scripturæ, quæ generaliter ait, Mandata DEI esse possibilia observatu; textus vide suprà. *quæst. 1. conc. 1.* Ergo etiam ab obduratis possunt servari; & consequenter DEUS dedit ipsis Gratiam sufficientem ad ejusmodi observationem. Tum authoritate Augustini *conc. 2. in psalm* 58. alloquentis obduratum, *sed & si nolis, curaui vulnus tuum, admonet, ut cureris, & aversum revocat* (en Gratiæ sufficientis auxilium) *& refugientem quodammodo ad se redire compellit, in omnibus implet, quod dictum est, misericordia ejus præveniet me.* Tum ratione; quia præsumendum est de infinita DEI benignitate, quâ omnes vult salvos fieri. 1. ad Tim. 2. Cap. quòd etiam obduratis suas elargiatur Gratias saltèm remotè sufficientes ad vitanda peccata nova: Ergo &c. Vide plura, de hoc, *Tom. 1. Tract. 2. dist. 3. q. 3. ad quartum.*

4. *Infidelibus quoq; dat Gratiā sufficientē ad salutem.*

Dico secundò: Similiter infidelibus, & parvulis, dat DEUS suo tempore Gratiam sufficientem saltèm remotè ad salutem. Ita deducitur ex Scoto; *1. dist: 46. q: unic:* ubi docet in DEO esse generalem providentiam sinceram de salute omnium prorsus hominum: & consequenter infidelium, & parvulorum: Eandem tenet communis; DD: contra Vasq: quoad secundam partem.

Probatur prima pars: Tum authoritate, nam etiam ad infideles extenditur generalis ille passus 1. ad Tim. 2. *DEUS omnes homines vult salvos fieri.* Et ille Joan: 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; utique per Gratiam remotè sufficientem, quâ si rectè uti vellent, acciperent ulteriorem, & tandem proximè sufficientem. Tum authoritate S. Prosperi *lib 2. de vocat. gent. cap. 14. neq; ab hoc excusabiles sunt nationes* (scilicet infideles) *quasi hæc abundantia Grâtia pari antea largitate non fluxit;*

adhibita enim semper est (ùt subjungit *cap.* 15.) *universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ. quæ etsi parcioris, sultiorisque gratia fuit, sufficit tamen sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Tum ratione; quia & erga Infideles DEI superabundans misericordia & liberalitas præsumenda est in concedendis varijs Gratijs remotè saltèm sufficientibus: de quibus eruditè Scotus *q.* 1. *Prologi* dicit, quòd circa hos DEUS suâ Gratiâ incipiat à minoribus, & paulatim ad majora gradiatur, per hoc, quòd concedat eis Gratiam excitantem ad pœnitentiam de peccatis, contra Legem naturæ patratis; deinde si hâc Gratiâ rectè utantur, concedat eis desuper Gratiam servandi Legem naturæ, & hâc ritè applicatâ ulteriora DEI auxilia obtinent; quibus tandem possunt perveniere ad cognitionem veræ fidei, & finaliter ad salutem: Ergo &c.

5. *Similiter parvulis decedentibus.* Probatur secunda pars: Tum ijsdem Scripturis generalibus pro *prima parte conclusionis* allegatis; quæ Parvulis quoque favent. Tum quia Tridentina Synodus *sess.* 6. *cap.* 3. Et Innocentius X. in Bulla *Cum occasione* &c. edita contra Jansenium, definiunt, Christum fuisse mortuum, atq; Sanguinem fudisse pro salute non tantùm prædictorum; sed omnium prorsus hominum; Ergo etiam pro salute Parvulorum; adeoque etiam eis suppetit Gratia sufficiens ad salutem ex morte, & Sanguine Christi proveniens. Tum quia Prosper *de vocat: gene. cap.* 23. dicit, *non irreligiosè arbitror credi, neq; inconvenienter intelligi, quòd illi paucorum dierum homines* (id est Parvuli) *ad illam pertineant Gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ utiq;, si bene uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Tum quia, quantùm est ex parte DEI ipse etiam pro Parvulis liberaliter instituit Baptismа, & est paratus concurrere ad ejus susceptionē; etsi per accidens fiat, ut propter dispositionem causarum secundarum Parvulos extinguentium (quibus DEUS ex Lege generali tenetur cooperari.) Parvuli illud suscipere nequeant: Ergo his quoque DEUS sufficientia saltèm remotè auxilia Gratiæ ad salutem largitur.

Totam hanc de Gratia Actuali à me lucubratam materiam appendo censuræ S. R. Ecclesiæ, tanquam firmæ Fidei Columnæ.

FINIS.



TRA-



TRACTATUS VI.

DE

MERITO.

PRÆFATIO.



Quoniam Sectarij nostri temporis Merita Justorum acerrimè insectantur, asserendo omnia eorum opera esse peccata; ùt videre est apud Lutherum *lib: de libert: Christiana.* Melanchthonem *in locis tit: de peccato.* Protestantes *in Confess: August: art:* 6. Kemnitium *in examine Conc: Trident: sess:* 6. *cap:* 11. Et Calvin: qui proinde *lib:* 3. *Instit: cap.* 14. vult planè & ipsum nomen *Meriti*, & *mercedis* debere esse abolitum, & ab eo penitus cuivis Christiano abstinendum: idcirco Tract: hunc de Merito meritò instituo, ut Hæreticorum retundatur dogma; & Catholica Veritas stabiliatur; variæ etiam controversiæ Scholasticæ juxta veriorem sententiam Scholæ Scotisticæ terminentur.



DISTINCTIO I.

De quidditate; existentia; divisione; & conditionibus Meriti.

Quæstio I.

De Definitione, Ponibilitate, & Divisione Meriti.

1. *Quid nomine Meriti.*



Ox ista *Meritum* derivatur à merendo, quod, quantùm est ex se, tum operi bono morali, tum malo accommodari potest; unde tam opera fructuosa, quàm infructuosa, appellari possunt *Merita*: Usus tamen jam apud TT. obtinuit, ut nomine *Meriti* intelligatur tantùm opus bonum, præmiô aliquô dignum, sive illud præmium à DEO, sive ab homine sit conferendum. In hac usurpatione adhuc valde generali Meritum est quid commune ad Meritum Theologicum, & Politicum seu ab homine præmiandum. In præsenti autem Tractatu de solo Merito Theologico agetur. Unde.

2. *Descriptio Meriti Theologici.*

Dico primò: Meritum Theologicum ut sic rectè describitur, quòd *sit opus moraliter bonum, exigens aliquo modo compensationem præmij alicujus, à DEO conferendi*: Elicitur ex Scoto *1. dist. 17. q. 2.* Et *3. dist. 18.*

Probatur: Hâc descriptione quidditas Meriti Theologici ùt sic bene exprimitur: Ergo eà rectè describitur. Probatur Ant. evolvendo breviter singulas partes. Ly *opus* est genus, in quo convenit Meritum cum peccatis, & alijs Actionibus: & per hoc insinuatur, rationem meriti plerumque consistere in aliqua actione; etsi in omissione purè libera etiam possit quandoque reperiri, ùt doceo *Tract. 7. de Actibus Humanis dist. 1. q: 11. conc. 3.* quæ saltèm tunc erit actus interpretativus. Ly *moraliter bonum* ostendit unam ex principalibus conditionibus necessariò requisitis ad Meritum Theologicum, scilicet laudabilitatem, seu honestatem, & bonitatem moralem, quâ debet esse affectum omne opus meritorium, ad hoc ut ei debeatur aliquod præmium. Ly *exigens compensationem præmij alicujus*, indicat rationem formalem meriti, quæ, ùt notat Scotus *loc. cit.* est ordo meriti ad præmium, seu exigentia præmij alicujus. Ly *aliquo modo* apponitur, ut sub hac definitione comprehendatur tam Meritum de condigno, quod absolutè præmium exigit; quàm Meritum de congruo, cui non absolutè, & simpliciter, sed ex quadam tantùm decentia, & congruitate, atque ita aliquo saltèm modo præmium debetur. Ly tandem *à DEO conferendi* additur ad distinctionem Meriti Politici, quale est obsequium aliquod homini præstitum, cujus præmium ab homine confertur; præmium verò Meriti Theologici à Deo.

3. *Viator potest mereri de condigno.*

Dico secundò; Homo Viator potest ponere Meritum Theologicum propriè dictum coram Deo, etiam de condigno. Ita communis Catholicorum; contra Hæreticos modernos.

Probatur primò: Authoritate, S. Scripturæ, passim mentionem facientis; quæ supponit Meritum in homine; unde Genes: *15.* dicitur, *ego Protector tuus sum, & merces magna nimis*; ubi illa vox *merces* relativè se habet ad Meritum propriè dictum. Et Eccli: *18. ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces DEI manet in æternum.* Et Matth. *20. Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et Eccli: *16.* expressè nominatur Ly *Meritum*: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm Meritum operum suorum*: Ergo homo viator potest ponere Meritum Theolog: propriè dictum.

4. *Tridentinum pro Merito.*

Probatur secundò: Authoritate Tridentini, conclusionem definientis *sess: 6. can. 32. si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse donum DEI, ut non sint etiam bona ipsius justificati Merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam, & JESU Christi Meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit*: Ergo &c.

5. *Patrum quoque consensu; & ratio Theolog.*

Probatur tertiò: Tum communi consensu SS. PP. (quos vide per extensum relatos apud Bellarminum *lib. 5. de justificat. cap. 4.* & apud Valentiam hic *q. 6. pag. 1.* affirmantium Meritorum positionem à Justis.) Justini *in apolog. 2.* Et Basilij *lib. de Spirit. S. cap. 24.* Et Nazianzeni, Hilarij, Ambrosij, & Gregorij *lib. 4. moral. cap. 42. dicentis quia in hac vita nobis est discretio operum; erit etiam illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium Meritô superat, illic alius alium retributione transcendat*: Ergo homo potest ponere Meritum Theologicum coram DEO. Tum ratione; quia non videtur, ex quo capite impediatur homo Justus Viator, ut non possit ponere opera aliqua

qua

qua moraliter bona, exigentia aliquo modò compensationē alicujus præmij à DEO conferendi; cùm sit agens liberrimum; ùt ostensum est *Tract. 7. de Actibus Humanis dist. 1. q. 4.* cùm sit gratiā DEI actuali præventus, & adjutus: ùt docui *Tract. 5. de Gratia Actuali. dist. 1. q. 1.* habituali etiam ornatus; ùt docui *Tract. 4. de Gratia Habituali dist. 1. q. 1.* Cùm DEUS operibus quibusdam promiserit præmium, juxta illud Matth. 20. *Conventione autem factâ cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Et ibidem, *ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis*: Ergo revera potest homo viator ponere Meritum Theologicum propriè dictum, etiam de condigno. Totum hoc patebit ulteriùs infrà, ubi ostendam, vitam æternam cadere sub Meritum hominis.

6. *Non omnia opera viatorum esse peccata constat ex Scriptura.* Dico tertiò: Non omnia opera viatorum, quæ possunt ponere aut actu ponunt, sunt demerita, seu peccata. Ita communis Catholicorum; contra eosdem Sectarios.

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ: Tum textibus jam relatis pro priori conclusione, qui mercedem quibusdam operibus annectunt; ac proinde ea supponunt esse bona, & non peccata: Tum aliis scripturis specialibus; nam de operibus bonis Ezechiæ dicitur. 2. *Parali: 31. Fecitquè Ezechias universa, quæ diximus in omni Juda, operatusque est bonum, & rectum, & verum coram Domino DEO suo* &c. Et Jonæ. 3. de operibus Ninivitarum, *vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala.* Et David de suis bonis operibus testificatur Psalm: 118. *ad omnia mandata tua dirigebar.* Et rursus, *quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à DEO meo. Ab omni via mala prohibui pedes meos.* &c. Ergo non omnia opera viatorum sunt demerita, & peccata.

7. *Concilys.* Probatur secundò: Authoritate C C: signanter Trident: *sess. 6. cap. 16.* ubi fusè ex S. Scriptura discurrit super fructum bonorum operum Justificatorum, & Meritorum rationem; & adhortatur eosdem ad continuationem Meritorum illis verbis Apostoli. *ad Corinth: 15. abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino* &c. Ergo supponit Justorum opera non esse mera peccata:

8. *Patribus; & ratione.* Probatur tertiò: Tum authoritatè SS. PP. Justitiam Bonitatem in multis operibus agnoscentium, quos fusè adducit S. Bonaventura *in Pharetra lib. 1. cap. 9. & 20. 27. 31. 33. & sequentibus.* Et *lib. 2. cap. 7.* Tum ratione ejusdem Doctoris Seraphici. 1. *dist. 46. q. 2.* si omnia opera Justorum sunt peccata, ùt comminiscuntur Sectarij, sequitur quòd *DEUS, qui operatur in nobis velle, & perficere*, ùt habetur ad *Philipp. 2.* peccet: hoc autem est blasphemia Ergo &c.

Objiciunt Hæretici: *Isaia 64.* dicitur, *facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes justitiæ nostræ*: Ergo omnia nostra opera sunt maculata, & consequenter peccata. 9. *Hæreticis respondetur glossando cap. 64. Isaia.*

Respondeo. 1. glossando Scripturam, & dico, eam loqui de operibus, ùt physicè considerantur in esse naturali, & ùt elicita absque gratia supernaturali concurrente, quæ sunt quasi pannus menstruatæ; quia non meritoria de condigno vitæ æternæ. Respondeo secundò cum D. Hieronymo, Prophetam loqui de operibus antiquorum, in misero illo statu, sinè gratia Christi ante Incarnationem Verbi elicitis, quæ in comparatione ad opera post Incarnationem in statu Legis gratiæ facta, sunt multò imperfectiora; & ideo quasi pannus menstruatæ reputanda. Respondeo tertiò, sermonem *loc. cit.* esse de operibus peccaminosis, & prævaricationibus contra Legem, quæ homines tempore Isaiæ passim faciebant; unde subdit ibidem; *& iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Circa Divisionem Meriti. 10. *Descriptiones Meriti de condigno & congruo.*

Nota primò: Quòd Scotus 4. *dist. 14. q. 2. art.* cum communi T T. dividat Meritum Theologicum ùt sic, in Meritum de condigno, & Meritum de congruo: super quas species P. Pontius *disp. 36. de Merito q. 3.* ponit. 9. explicationes A A. quarum 8. impugnat pluribus rationibus. Ego juxta principia Scoti sic describo hæc duo Membra Meriti; quòd nimirum *Meritum de condigno* sit, *opus moraliter bonum, exigens juxta æqualitatem, & justitiam præmium aliquod supernaturale à DEO conferendum ùt mercedem*: Tale ponunt Justi viatores, exercendo varios actus virtutum, tum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis; tum moralium, justitiæ, misericordiæ, observantiæ legum Decalogi, perceptionis Sacramentorum, & similes, quibus vita æterna reddenda *est* annexa. *Meritum de congruo* est *opus moraliter bonum, exigens solùm ex quadam decentia, & congruitate compen-*

compensationem aliquam præmij supernaturalis, à DEO conferendi purè liberaliter. Ejusmodi Meritum esset, recitare Litanias de B. V. MARIA in ordine ad consequendum donum justificationis, vel finalis perseverantiæ in bono. Circa autem descriptiones Meriti de Condigno.

11. *Æqualitas præmij, quã respicit Meritum, est solùm moralis proportionis.*

Nota secundò: Æqualitatem præmij, quam respicit Meritum de condigno, non importare æqualitatem absolutam, aut formalem secundùm entitatem actûs meritorij; nam Meritum de condigno, quo actum pœnitentiæ pono, in entitate sua non potest æquari præmio supernaturali beatitudinis, visionis & fruitionis DEI, quod datur pro pœnitentia ritè peracta in via super peccata mortalia; unde rectè Apostolus, *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Sed æqualitas in descriptione hujus Meriti expressa est secundùm æstimationem moralem, quam Scotus vocat æqualitatem proportionis; eò quòd DEUS æstimet Meritum de condigno ratione gratiæ sanctificantis, à qua procedit, ita ut ei valorem proportionatum valori præmij attribuat suâ ordinatione Divinâ legali, quâ constituit se acceptaturum opus ad præmium supernaturale, quoties elicitum fuerit cum gratia Sanctificante, & actuali.

QUÆSTIO II.

De Conditionibus necessarijs ad Meritum de condigno ex parte operantis.

1: *Ad Meritũ de condigno requiritur status gratiæ habitualis.*

ICO primò: Regulariter ex parte Operantis meritoriè de condigno ad assequendam vitam æternam, & alia præmia supernaturalia requiritur status Gratiæ Habitualis, seu sanctificantis. Ita Scotus *1. dist. 17. q. 2. art. 1. & 2. cum suis*, & Mag: Sent. S. Bonavent: S. Thomâ, & communi; contra Pelagianos, docentes hominem solis naturæ viribus posse promereri beatitudinem; & contra Bajum, asserentem, sinè Gratia saltèm Habituali Meritum posse poni.

Probatur primò: Authoritate Sacræ Scripturæ; asserentis, neminem sinè Gratia Habituali, seu sanctificante posse fructuosè, & meritoriè operari; sic dicitur Joan: *15. sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*, scilicet per Gratiam Habitualem. Et 1. ad Corinth. 13. *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem* (quæ idem est quod Gratia Habitualis in sententia Scoti) *autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et propterea etiam Genes. 4. habetur, quòd *respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit*; quia nimirum ut glossat S. Gregorius *lib: 22. Moral. cap. 12.* & Doctor Subtilis, DEUS priùs attendit conditionem offerentis (quæ in Abel fuit status gratiæ; in Cain verò peccati) quàm conditionem oblationis: Ergo status Gratiæ Habitualis regulariter requiritur ex parte operantis meritoriè de condigno ad assequendam vitam æternam, & alia præmia supernaturalia.

Probatur secundò: Authoritate C C. nam Arausicanum *can. 18.* solis operibus in statu Gratiæ Habitualis seu justificationis elicitis rationem Meriti adscribit: Et Tridentinum, ubicunque Meriti mentionem facit, supponit statum Gratiæ Habitualis ad ejus elicitionem necessarium esse; unde *sess: 6. cap. 16:* Merita appellat *fructum Justificationis*, eò quòd in solo statu Gratiæ, seu justificationis nascātur, dum *citatâ sess: cap: 16.* talem præfigit titulum, *de fructu justificationis, seu de Merito bonorum operum*; & totô illô capite agit de continuatione bonorum operum, seu Meritorum post acceptam justificationis Gratiam Habitualem præstanda ab ipsis justificatis; volens per hoc insinuare, Merita nonnisi in statu justificationis, seu Gratiæ posse elici: Ergo status Gratiæ Habitualis requiritur in operante meritoriè de condigno. 2. *Concilia ad idem.*

Probatur tertiò: Authoritate S S. P P. eandem conditionem statûs gratiæ postulantium ad rationem Meriti; ut videre est apud Augustinum *epist. 105.* dicentem, *nullane igitur sunt Merita justorum? sunt planè; qui justi sunt; sed ut justi fierent, Merita non fuerunt.* Et *lib. de fide & operibus cap. 14.* scribentis, *sequuntur bona opera hominem justificatum; non præcedunt justificantem:* ubi apertè opera bona, seu Merita in statum justificationis prævium referuntur: Ergo &c. 3. *Authoritas D. Augustini pro eodem asserto.*

Probatur

4. *Decisiones quoq; sum. Pontificum.*

Probatur quartò: Decretis summ: Pontificum: nam Pius V. & Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. inter cæteras propositiones Mikaelis Baij olim Decani Lovaniensis, etiam hanc damnârunt, *cum Pelagio sentiunt, qui dicunt esse necessarium ad rationem Meriti, ut homo per gratiam adoptionis.* (quæ est Gratia habitualis.) *sublimetur ad statum DEIficum*: Ergo ejus opposita est vera, quod ad rationē Meriti requiratur Gratia adoptionis, seu habitualis, & sanctificans, ut merces assequatur vitam æternam, & alia præmia supernaturalia.

5. *Et Rationes Theologica.*

Probatur quintò rationibus: *Primò*, quia Merita de condigno placent DEO; unde ipsis alligat præmium supernaturale vitam æternam, juxta illud Apostoli. 1. ad Corinth. 15. *abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Et illud Tridentini *sess. 6. cap. 16. atque ideo bene operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna - - - tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & Meritis fideliter reddenda*: Ergo ad Merita ponenda de condigno respectu vitæ æternæ requiritur status Gratiæ. Conseq. patet; quia *sinè charitate* (id est Gratiâ habituali.) inquit Apostolus, *impossibile est placere DEO*: & quia *odio sunt DEO impius, & impietas* sap. 14. Ergo requiritur status Gratiæ habitualis ad Merita de condigno ponenda, *Secundò*: peccata quæ subsequuntur Merita, mortificant Merita præterita: Ergo propter incompatibilitatem statûs Meriti cum statu peccatorum à fortiori peccata præcedentia necdum expiata impediunt Merita primò ponenda ob eandem rationem: adeoquè ut ritè ponantur, requiritur status Gratiæ habitualis. *Tertiò*, si in merente de condigno non requireretur status Gratiæ, sequeretur, quòd merens simul & semel esset dignus vitâ æternâ, & æternâ damnatione; Sed hoc dici nequit: Ergo &c: Probatur sequela Maj: esset dignus vitâ æterna, quia poneret Meritum de condigno non obstante statu peccati, quod Meritum exiget collationem vitæ æternæ: esset etiam dignus æternâ damnatione; quia est inimicus DEI ratione peccati mortalis; & quia omne mortale non expiatum est damnatione æternâ dignum, ùt ostendo *in Tract: de Peccatis*: Ergo &c:

6. *De potentia absoluta posset homo mereri sinè statu Gratiæ.*

Dico secundò: De potentia tantùm absoluta DEI posset homo in statu puræ naturæ conditus sinè Gratia habituali ponere verum Meritum de condigno, & mereri vitam æternam, aliaq; præmia supernaturalia. Ita colligitur ex Scoto. *1. dist. 17. q. 2.* & tenent Scotistæ, P. Lychetus, Tartaret. Bassol. &c. ac P. Occam cum sua caterva Nominalium; Item plures R R. Suarez. Tanner, Morand. Granad. &c. Contra alios R R. Arriagam, Oviedo, Amicum, Vasquez, Lezan. Turrian: Caspensem, Aversam &c.

Probatur: DEUS potest de potentia absoluta justificare hominem sinè infusione ullius Gratiæ habitualis; ùt docui *Tract. 4. de grat: Habit. dist. 3. a. Conc. 1.* Ergo de eadem potentia poterit acceptare ad rationem Meriti opera hominis in statu puræ naturæ conditi sinè Gratia habituali; atque ita poterit ille homo ponere Meritum propriè dictum, & mereri vitam æternam. Consequ: tenet à pari: & quia non aliâ ratione defacto requiritur status Gratiæ in merente, quàm ex eo, quòd DEUS ordinaverit, ut Merita procedant à gratia habituali, & nisi sic procedant, quòd nolit ea acceptare ad præmium vitæ æternæ; quam ordinationem de potentia absoluta potest DEUS variare, & aliam ponere.

7. *Ad Meritũ de condigno requiritur etiam regulariter statũ viæ.*

Dico tertiò: Ex parte operantis etiam regulariter requiritur status viæ tanquam conditio necessaria, ad meritum de condigno vitæ æternæ, & aliorum præmiorum supernaturalium; etsi de potentia absoluta etiam in beatitudine possit dari meritum. Ita Scotus. *3. dist: 18.* Mastrius, Centinus, Suarez, Tannerus, Aversa, Arriaga, Oviedo, contra Vasquez, Turrianum, Lugon. Merat. &c: quoad secundam partem.

Probatur prima pars: Authoritate S. Scripturæ, statum viæ postulantis pro operibus meritorijs; unde dicitur Eccli: *14. ante obitum operare justitiam.* Et *cap. 9. quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos* (scilicet post mortem.) *quò tu properas*, nempe ad merendum, ùt exponit S. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 39.* & S. Hieronymus. Et *Joann. 9. venit nox* (scilicet mortis.) *quando nemo potest operari*, subintellige meritoriè; unde Apostolus. *2. ad Corinth. 5.* docet, quemvis recepturum in Judicio mercedem de ijs, quæ gessit in corpore, id est in

via

via constitutus: Ergo status viæ est regulariter conditio necessaria ad Meritum de condigno.

Probatur secundò: Authoritate SS. PP. eandem conditionem viæ ad rationem Meriti asserentium; ùt videre est apud Chrysostomum *Item 2. de Lazaro*; Et Augustinum *lib. de prædestin. SS. cap. 12.* Et Prosperum *sent. 172.* Et Hieronymum *in 1. Corinth. 6.* dicentem, *Tempus sementis est præsens vita; cùm ista vita transierit, operandi tempus aufertur*: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: quia DEUS Divinâ suâ ordinatione, quæ pe. Scripturas suprà relatas nobis innotescit, prudentissimè determinavit defacto solum tempus viæ pro merendo, ùt in eo quasi in stadio curramus, & decertemus pro corona æternæ Gloriæ; statum autem alterum post viam deputavit præmijs, & pœnis distrubendis; juxta cursûs, & decertationis qualitatem, atque opera in eo præstita: Ergo status viæ regulariter est conditio necessaria ad Meritum de condigno vitæ æternæ; ac aliorum præmiorum supernaturalium.

8. *Etsi de potentia absoluta is non sit necessarius.* Probatur secunda pars: De potentia absoluta DEI non requiritur status Gratiæ Habitualis ad merendum; ùt suprà *conc: 2.* ostensum est: Ergo à pari neque status viæ; atque ita DEO sic volente, & acceptante opera Sanctarum Animarum, posset dari Meritum in beatitudine: Accedit, quòd nullum videatur impedimentū impediens Meritum in beatitudine, nisi ordinatio Divina, quæ defacto est in contrarium; sed hanc DEUS de potentia absolutâ potest tollere, & aliam ponere de acceptione operum bonorum animarum sanctarum ad rationem Meriti: Ergo &c.

Quæstio III.

De conditionibus necessarijs ad Meritum de condigno ex parte operis.

1. *Meritum de condigno necessariò debet esse opus liberū.*



DICO primò: Ex parte operis requiritur tanquam conditio necessaria ad Meritum de condigno vitæ æternæ, & aliorum præmiorum supernaturalium, ut sit opus liberum libertate indifferentiæ ad utrumlibet, seu libertate à necessitate. Ita communis Scholasticorum, & controversistarum Castro, Bellarminus, Pater Wettvveis &c. contra Sectarios nostri temporis, & Jansenium; & ex TT: contra Gabriel, Aliacen: Major: Holcot: &c:

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, exprimentis in operibus meritorijs rationem libertatis: unde dicitur *1.* ad Corinth. *9. si volens hoc ago, mercedem habeo.* Et Eccli. *31. qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: Ergo Meritum debet esse opus liberum.

Probatur secundò: Authoritate Innocentij X. qui speciali Bullâ damnavit illam propositionem Jansenij ùt Hæreticam, *ad Merendum & demerendum in statu natura lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit à Coactione*: Ergo ejus opposita est vera, quòd requiratur ejusmodi libertas à necessitate.

Probatur tertiò authoritate SS: PP: conclusionem asserentium; ùt videre est apud Boëtium *lib. 8. de consolat. in fine.* Apud Hieronymum *lib. 2. contra Jovinian.* Apud Bernardum *serm. 81. in Cantica*, dicentem, *ubi autem non est libertas, nec Meritum.* Apud Augustinum *lib: 2. de liber: arbit:* scribentem, *non enim aut peccatum esset, aut rectè factum* (id est Meritum) *quod non fieret voluntate.* Et apud Justinum Mart: *Apolog: contra gentes circa med:* dicentem, *nec quidquam honum laude dignum esset, nisi homines in utramque partem vertere, & quasi flectere se possent*: Ergo ex parte operis requiritur tanquam conditio ad Meritum de condigno, ut opus sit liberum.

Probatur quartò: Tum authoritate Aristotelis 3. Et hic *cap.* docentis, *per ea, quæ nobis insunt à natura, nec mereri, nec demereri*; id est, per ea quæ naturaliter, & non liberè fiunt à nobis, nullum Meritum, vel demeritum ponimus. Tum ratione; *Primò*: Demeritum debet esse opus liberum; ut omnes fatentur: Ergo & Meritum. *Secundò*: merens de condigno quendam init Contractum Justitiæ cum DEO, ut sibi reddatur præmium pro Merito: sed contrahens debet esse agens liberum: Ergo &c. *Tertiò*: Meritum à merente tanquam aliquod pretium, & bonum proprium exhibetur DEO pro præmio supernaturali

pernaturali reddendo: Ergo debet esse sub dominio, & potestate merentis; & consequenter opus liberum. Conseq: tenet; quia quæ propriè nostra sunt, sub dominio nostro sunt, & libera; unde dicit Augustinus *lib. de Spirit: & litt: cap: 31. hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit.*

2. *Idem Meritum debet etiam esse moraliter bonum.* Dico secundo: Ex parte operis etiam instar conditionis necessariæ requiritur, ut Meritum de condigno sit opus moraliter bonum, seu honestum. Ita communis Scholasticorum.

Probatur: Tum authoritate Scripturæ; quæ asserit DEUM opera mala moraliter non acceptare ad rationem Meriti, sed abominari, ùt Sap. 14. *odio sunt DEO impius, & impietas:* Et DEUM præmiare æternò regnò sola opera moraliter bona; ùt Matth: 25. *venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere; Hospes eram*, &c. Tum Authoritate SS: PP: idem asserentium; unde Athanasius *in Symbolo* ait, *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam.* Tum ratione: Merita sunt laude, & præmiò digna; sicut demerita vituperiò, & pænâ: Ergo ad Meritum de condigno requiritur, ut sit opus moraliter bonum. Item Merita ponuntur in obsequium DEI summâ bonitate præditi: Ergo debent esse in se opera moraliter bona, & honesta, alioquin magis in offensam DEI tenderent, quàm in obsequium, & venerationem.

3. *Item habêt aliquam proportionẽ cum præmio* Dico tertiò: Ex parte operis quoque requiritur ad Meritum de condigno æqualitas proportionis, seu moralis æstimationis ipsius operis meritorij ad præmium. Ita Scotus *3. dist. 18.* Faber, Mastrius, & alij Scotistæ.

Probatur: Tum quia Meritum de condigno maximè respectu vitæ æternæ involvit rationem Justitiæ commutativæ, ita ut ei debeatur suppositò pactò, & promissione Divinâ, ex Justitia præmium supernaturale vitæ æternæ; Justitia autem commutativa consistit in æqualitate dati & accepti: Ergo ad Meritum de condigno requiritur æqualitas proportionis, seu æstimationis operis ad præmium. Tum quia ita colligitur ex ipsa significatione horum verborum *Meritum de condigno*, quæ contradistinguunt hoc Meritum *à Merito de congruo* per hoc, quòd hoc quandam proportionalem æqualitatem, & condignitatem ad præmium importet: Ergo &c.

4. *Similiter debet esse opus supernaturale.* Dico quartò: Similiter ad Meritum de condigno vitæ æternæ, aut alterius præmij supernaturalis necesse est, ut opus sit supernaturale, hoc est, ut proficiscatur ex aliqua Gratiâ actuali DEI. Ita Mastrius, Herincx, Suarez, Montes-Granado, Morand. & alij Neutrales; contra Victoriam, Soto, Medinam Vasquez. &c.

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; quæ docet sine Gratia actuali DEI nos nil posse meritoriè, & salutariter operari; unde dicitur Joann: *10. sinè me nihil potestis facere.* Et 1. ad Corinth. *3. nunquid idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis?* Et Hierem. *10. scio Domine, quia non est hominis via ejus, neque viri est, ut ambulet:* Ergo &c.

Probatur secundò: Authoritate Tridentini; necessitatem Gratiæ actualis asserentis pro operibus meritorijs etiam justorum; nam *sess: 6 cap. 16.* ait, *cùm enim ille ipse Christus JESVS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sinè quâ nullô pactô DEO grata, & Meritoria esse possunt*, ubi ultima propositio notanda: Ergo &c.

Probatur tertiò: Authoritate S S. P P. asserentium ad opera salutaria v. g. Religionis, Pietatis &c: (quæ Merita quædam sunt) esse necessariam Gratiam actualem; unde Augustinus *lib de Prædest: SS cap. 2. quod ad Religionem, & Pietatem quæ attinet, non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis* sed eadem est ratio de alijs Meritis, & actionibus salutaribus: Ergo necesse est, ut Meritum sit opus ex Gratia actuali DEI proficiscens.

Probatur quartò ratione: Nulla est æqualitas proportionis inter actionem purè naturalem, & præmium supernaturale beatitudinis essentialis, vel aliud conferendum: Ergo ut talis actio fiat æqualis, & debitè proportionetur, debet procedere ex Gratia actuali supernaturali DEI.

5. *In DEUM quoq. relatum.* Dico quintò: Opus, quod dicitur Meritum de condigno, etiam aliquomodo debet esse relatum in DEUM, & à charitate imperatum. Ita colligitur ex Scoto. *2. dist. 41. q. un:* & sequuntur Vulpes, Poncius, Herincx: item S. Bonaventura, S. Thomas, Alensis, Duran-

Durandus &c. contra Cajet: Capreol: Ovied: Vasq: Turrian: &c:

Probatur prima pars primò: Authoritate Scripturæ; repudiantis opera, in quibus non adfuit relatio aliqua operis meritorij in DEUM: unde Isa: 1: dicitur, *quò mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & Sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui*, ob defectum scilicet bonæ intentionis erga DEUM. Et Jerem: 6. *ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? holocausta vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi*: defectu relationis piæ in DEUM: Huc etiam collimant illæ scripturæ ad Coloss. 3. *omne quodcunq; facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi facite*; videlicet cum relatione ad ipsum. Et 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite*: Ergo &c:

6. *Et à charitate imperatum.* Probatur secunda pars: Tum authoritate mox relatarum Scripturarum, exprimentium necessitatem relationis in DEUM pro opere Meritorio, quæ relatio potissimè consistit in imperio charitatis exercitæ in opera meritoria. Tum illo textu Matt. 5. ubi Salvator pollicens præmium operibus misericordiæ (idem est à pari de alijs operibus Meritorijs) exprimit hunc finem necessarium ad id consequendum, dicens, *propter me, & in nomine meo*, acsi diceret opera misericordiæ debent esse imperata à charitate erga me. Tum authoritate S. Gregorij *hom: 27. in Evang*: dicentis, *sunt non nulli, qui diligunt proximum; sed per affectum cognationis, & carnis - - - hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur*; quia nimirum hujusmodi dilectio non est imperata à charitate: Ergo requiritur ad ratione Meriti de condigno, ut opus imperetur à charitate. Favet etiam August: *l. de morib. Eccl. c. 15.* ubi omne Meritū appellat *DEI amorem*, intellige imperatum. Tum quia ita sentit torrens gravissimorū virorum puta P. Alexand: de Ales, S. Bonaventura S. Thomas cum pluribus suis, Scotus cum plerisque suis, Durandus, Gabriel &c: ut Recentiores Bellarminum, Hicqueum, Serram &c. taceam. Tum quia opus nisi sit imperatum à charitate non habet proportionem cum vita æterna; nec constat de ulla acceptatione ad præmium vitæ æternæ: Ergo ut acquirat proportionem, & acceptationem, necesse est, ut aliquò modò à charitate imperetur. Tum quia hôc modô homines magis invitantur, & moventur ad dilectionem DEI; si dicatur sinè relatione in DEUM, & imperio charitatis opera non esse de condigno meritoria vitæ æternæ: Ergo &c:

Nota autem quòd non debeat talis relatio operis meritorij in DEUM semper, & necessariò esse expressa atque actualis, per expressum affectum charitatis in DEUM; vel per Actualem intentionem; sed sufficit virtualis; ut bene observat Scotus *cit*: id est, ut operans aliquomodo habuerit actum, quô omnia opera sua facienda obtulit DEO; & dat exemplum peregrinantis ad S. Jacobum in Compostella, quem dicit semper mereri ratione piæ intentionis, virtualiter saltèm remanentis; nam actualis continua non est commensurata fragilitati humanæ. Imo secundùm S. Bonaventuram 2. *dist. 41, q. 3. art. 3.* sufficit habitualis relatio, quæ ferme coincidit cum virtuali Scoti, & consistit secundùm eundem Doctorem in hoc ut quis *in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa consequenter se habet intentionē habeat ad DEUM directam: unde si aliquis intendit dare pro DEO centum marcas, & incipit dare, & cogitat de DEO in prima marca, & in alijs non cogitat nihilominus omnes illius dationes sunt et meritoriæ, & fructuosæ - - - Per hunc etiam modum intelligitur esse in viris Religiosis qui in principio ex charitate devoverunt portare Religionis pondus; quidquid enim faciunt, quod ad sua Religionis observantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem*: hactenus Seraphicus Doctor. 7. *Sufficit autem solum imperium virtuale.*

QUÆSTIO IV.

De Conditione necessaria ad Meritum de condigno ex parte DEI, scilicet de promissione Divina.



NOTA primò: Certùm esse, desactò DEUM realem fecisse Promissionem & constituisse pactum infallibile de acceptando opera salutaria 1. *DEUS de facto promisit se acceptaturum opera salu-*

taria ad rationem Meriti de condigno. taria Justorum, debitè elicita, ad rationem Meriti de condigno, & præmiationem propoitionatam supernaturalem; uti constat tum ex S. Litteris 1. ad Cor: 15. *abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis*, supposita scilicet DEI promissione de præmio dando. Et ad Hebr: 10. *nolite amittere confidentiam vestram, qua magnam habet remunerationem*, utique ex prævia DEI promissione. Et Matt. 20. *Ite & vos in vineam meam & quod justum fuerit dabo vobis*, quibus verbis pactum clarè exprimitur. Et Jacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Tum ex Concil: Moguntino celebrato, an: 1549. c. 8. *opera justornm sunt digna remuneratione vitæ æterna; quia DEUS bene operantibus mercedem misericorditer promisit.* Tum ex Sancto Augustino *serm: 16. de verbis Apost: debitor nobis factus est DEUS, non aliquid accipiendo; sed quod ei placuit, promittendo*: en apertis terminis Divinam Promissionem de acceptandis operibus ad rationem Meriti, & ad præmiandum.

2. *Ad Meritū de condigno requiritur tandem Divina Promissio, uti constat ex S. Scriptura.* Dico primò: Ad Meritum de condigno vitæ æternæ, & aliorum præmiorum supernaturalium necessaria est Divina Promissio, de præmio conferendo. Ita Scotus: *dist. 17. q. 2.* Et *in 3. dist. 19. n. 7.* cum sua Schola; & Occam, Gabriel: Guil: Parisiens: Arimin: SvarAmico, Caspensi, Becano, Oviedo, Tannero, Arriaga, &c: contra Vasquem, Turrian, Lugon, Basqual: & alios docentes, opera salutaria, secundùm se considerata, seclusâ omni Divinâ Promissione esse de condigno vitæ æternæ Meritoria: quam sententiam putat Vasquez esse magis consentaneam Fidei Catholicæ; oppositam verò Scoti, & aliorum reipsa convenire cum Hæreticis, qui negant opera Justorum esse meritoria apud DEUM, quamvis verbis dissentiant: sed dissimulemus hujus communis Catonis censuram, qui in more habet in præstantissimos quosque Magistros Theologiæ satyras similes sæpius effutire; & ad rem procedamus.

Probatur primò Conclusio authoritate Scripturæ; retributionem æternæ vitæ in Divinam Promissionem referentis, ùt conditionem necessariam Meriti de condigno, sic Matt: 20. dicitur *conventione autem factâ, cum operarijs ex denario diurno misit eos in vineam suam.* Et Jacob 1. *beatus Vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS:* Ergo ad meritum de condigno vitæ æternæ, & aliorum præmiorum supernaturalium necessaria est Promissio Divina de conferendo præmio.

Probatur secundò: Authoritate Concilij Tridentini; eandem Promissionem Divinam allegantis ad rationem Meriti de condigno vitæ æternæ, dicit enim *ss. 6. cap. 16. atq, adeò bene operantibus usq, in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita, & tanquam Gratia Filijs DEI, per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & Meritis fideliter reddenda:* Ergo Promissio Divina est necessaria ad Meritum de condigno de præmio conferendo. Accedit; quòd tanquam erroneus proscriptus sit ille articulus Baij, Promissionem Divinam excludens, *sicut opus malum ex natura est mortis æternæ meritorium; sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium:* Ergo &c: 3. *Ex Tridentino.*

Probatur tertiò: Authoritate S S. P P. in Promissionem Divinam quoque referentium debitum redditionis vitæ æternæ; unde Augustinus *in Psal: 38. debitorem* (scilicet vitæ æternæ) *DEUS ipse se fecit, non accipiendo; sed promittendo*, quòd nimirum operibus debitè factis velit conferre prœmium vitæ æternæ, & alia. Et *serm. 151. Promissor DEUS debitor factus est bonitate suâ, non prærogativâ nostrâ*: Ergo ad Meritum de condigno vitæ æternæ, & aliorum præmiorum supernaturalium necessaria est Promissio Divina; & non sufficit opus salutare secundùm se consideratum. 4. *Ex SS. PP.*

Probatur quartò ratione: Æterna vita reddenda ùt merces, est præmium correspondens Meritis de condigno, supponit in opere meritorio proximum jus ad illud, & adversus illum, apud quem persona meretur; Sed homo nequit habere jus erga DEUM, nec illi ullam obligationem, vel debitum inducere suis operibus, nisi ipse Promissionem spontaneam edat de præmio dando; Ergo ad Meritum de condigno necessaria est Promissio Divina. Maj: patet ex illo Apostoli ad Rom. 4. *merces non imputatur secundùm Gratiam; sed secundùm debitum.* Probatur Min: DEUS habet summum & absolutum dominium in nos & omnes actus nostros; & multis 5. *Et ratione Theologica.*

tis alijs titulis creationis scilicet conservationis, redemptionis &c: ipsi sumus debitores debitô, quod nullis obsequijs solvere possumus: Ergo nostris actibus nullum jus inducere possumus DEO, nisi voluntariè priùs Promissionem edat de præmio reddendo.

Probatur quintò aliâ ratione: Si sola dignitas, & valor operum salutarium secundùm se spectatorum sufficeret ad rationem Meriti de condigno vitæ æternæ, sequeretur animas Purgatorij posse mereri de condigno vitam æternam; nam earum opera habent dignitatem, & valorem non minùs, quàm viatorum; sunt enim in Gratia habituali facta; & sola Promissio DEI, facta viatoribus de acceptandis eorum Meritis ipsis deest: sed sequela est falsa: Ergo &c:

6. *Objectiones adversariorum.* Objiciunt adversarij *primò*: Eô ipsô quòd opera Petri procedant à Gratia habituali, sortiuntur condignitatem, & valorem sufficientem ad præmium vitæ æternæ & aliâ seclusâ quâcunque Promissione DEI; quia Gratia in S. Litteris dicitur semen, & pignus Gloriæ seu vitæ æternæ, facit nos filios adoptivos, & hæredes Regni Cælestis &c: Ergo &c; *Secundò*; inter homines non requiritur semper promissio, aut pactum, ut unus de condigno apud alterum mereatur; nam dum quis fodit totâ die in vinea alterius, de condigno meretur stipendium unius diei, absque promissione alterius: Ergo idem dicendum inter DEUM, & homines. *Tertiò*; si ob aliquam rationem esset necessaria Promissio Divina ad Meritum, maximè, ut per Merita acquiratur jus merentis ad præmium, à DEO promittente reddendum: sed nequit tale jus acquiri etiam accedente Promissione Divinâ; quia argueret in DEO imperfectionem, quia subjectionem ad creaturam: Ergo &c: *Quartò*; ad Merita Christi de condigno non fuit necessaria Promissio Divina: Ergo neque ad nostra.

7. *Dissolvuntur.* Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: ad ejus Rationem dico; Gratiam habitualem illas prærogativas seminis, pignoris, gloriæ non habere ex natura sua; sed ex Promissione, seu ordinatione Divina acceptante Gratiam ad dictas prærogativas: unde dignitas, & valor, qui reperitur in operibus à Gratia habituali profectis, adhuc est ex aliqua Promissione Divina. Addo; quòd ad hoc ut opera aliqua, etsi sint affecta aliquâ dignitate ob Gratiam habitualem, & ut præmientur ex Justitia, debeat accedere Promissio particularis DEI obligantis se ad reddendum præmium ex Justitia: Ratio est; quia etsi talia opera sint digna mercede; non tamen sunt obligatoria ad reddendum præmium, nisi accedat Promissio præmiantis. *Ad secundum* dissimulatô Ant: quod multi negant, Neg: Conseq: disparitas est; quia opera nostra multis titulis debentur DEO, ùt suprà dixi, ideoque DEUS non potest fieri debitor nobis, nisi mediante expressâ præviâ suâ Promissione; non sic est inter homines, quorum unus alteri potest fieri debitor propter opus in ejus utilitatem in vinea factum; etsi nulla accedat Promissio. *Ad Tertium* Neg. Min: nam liberaliter & voluntariè se obligare alteri, ex qua obligatione alter acquirit jus aliquod ad præmium, nullam arguit imperfectionem, & subjectionem in DEO; argueret tamen, si talis obligatio ab extrinseco ab alio imponeretur, quod non fit in liberali Promissione DEI. *Ad Quartum* Neg: Ant: nam PP. communiter in illud Isaiæ *53 si posuerit animam suam, videbit semen longævum*, asserunt ad ipsius Christi Merita, & satisfactionem intercessisse Promissionem, & pactum DEI, vigore cujus meruit fieri Pater multorum filiorum Spiritualium.

8. *Divina Promissio non est totalis ratio Meriti de condigno.* Dico secundò: Divina Promissio, quâ DEUS se obligat ad acceptanda & præmianda opera meritoria, non est tota ratio Meriti de condigno; sed cum ea stat, quòd Merita à Gratia habituali, & actuali, cum qua eliciuntur, sumant rationem, dignitatem, & valorem ad præmium vitæ æternæ obtinendum; etsi non sufficientem absque Promissione nova. Prima pars est Scoti *in 1. dist. 17. q. 2*, ubi Promissionem Divinam, seu acceptationem appellat tantùm *complementum in esse Meriti*: Scotum sequitur sua Schola, paucis exceptis. Secunda, & tertia pars est ejusdem *in Reportatis 1. dist. 17. q. 2.* ubi sustinet tam hominem habentem charitatem seu Gratiam habitualem, quàm ejus actum ex charitate elicitum esse DEO acceptum ad Gloriam & habere ex vi charitatis valorem, atque dignitatem ad præmium; quam dignitatem vocat ibi *habilitatem*: addit autem propter ipsam habilitatem non esse necesse DEUM tribuere vitam æternam; quia nempe talis acceptatio habitualis, licèt inducat dignitatem, & valorem

valorem in actu non tamen debitum, & obligationem ex parte præmiantis DEI; nisi accedat nova Promissio de præmiando, quæ est ultimum complementum Meriti. Secundam, & Tertiam partem cum Scoto cit.: sustinet quoque communior Scotistarum; & ex Neutristis Hacquetus, Morandus, Avetsa, Hurtadus, Tannerus, &c:

9. *Opera bona esse etiam habent aliquam dignitatem.* Probatur prima pars: tum quia neque ex S. Litteris; neque ex CC. & PP. neque ex ratione efficaci constat solam Promissionem Divinam ita dignificare opera nostra, ut completam rationem Meriti nanciscantur: Ergo non est dicendum, quòd sola Promissio Divina, quâ se obligat ad acceptãda & præmianda opera meritoria, sit tota ratio Meriti de condigno. Tum quia etiam qualitas ipsorum operum puta dignitas, & valor in eis resultans, ex eo quòd à Gratia Habituali, & Actuali proficiscantur, conferunt ad rationem Meriti de condigno, respectu præmij vitæ æternæ, ut mox ostendam: Ergo sola Promissio DEI obligantis se ad acceptationem, & præmiationem operum non est tota ratio Meriti de condigno; sed tantùm complementum ejus. Unde

Probatur secunda pars primò Authoritate Scripturæ: Gratia Habitualis facit habentẽ hæredem gloriæ ad Rom: 8. item amicum DEI Joan. 15. item Filium DEI, Joan: 1. Divinæ consortem naturæ, 2. Petri 1. Eadem Gratia dicitur pignus hæreditatis, 2. ad Cor. 1. Et medium per quod Spiritus S. movet ad vitam æternam 1. ad Cor: 5. Fons aquæ salientis in vitam æternam Joan: 4. &c. Ergo opera ex Gratia Habituali profecta ob has, & similes prærogativas sortiuntur rationem aliquam Meriti de condigno, & dignitatem, atque valorem aliquem ad præmium æternum obtinendum.

Probatur secundò ratione: Vita æterna reddenda pro Meritis de condigno à S. Scriptura, CC. & SS. PP: vocatur merces, corona, atque stipendium Meritorum, & quidem ex Justitia reddendum, juxta illud ad Tim. 4. *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex*: Sed Merces, corona, & stipendium supponunt dignitatem aliquam, & valorem in operibus; quia æqualitatem, quam Justitia postulat inter opus & mercedem, rem & pretium: Ergo revera Merita habent aliquam dignitatem, & valorem respectu præmij, quatenus sunt profecta à Gratia Habituali & Actuali, atque ita ratio Meriti de condigno respectu præmij vitæ æternæ, etiam sumitur à Gratia Habituali.

Probatur tertia pars primò authoritate S. Scripturæ; insufficientiam dignitatis, & valoris respectu præmij, in Meritis nostris exprimentis; ita dicitur *ad Rom: 8 existimo enim, quòd non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* Et 2. ad Cor: 4. *momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Secundò* authoritate SS: PP: idem asserentium; ùt patet apud Hieronymum in illud *Matth: 19. centuplum accipiet.* Et Athanasium *in vita S. Antonij.* Et Basilium in illud Psalm. 114. *convertere anima mea in requiem tuam.* Et Fulgentium *lib. 1. ad Monim: c. 10.* dicentem, *quia tantùm etiam ibi Gratia Divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter, atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bona, & ex DEO data, humana voluntatis atque operationis excedat. Tertiò* ratione; non est proportio adæquata inter Meritum de condigno, momentaneum nempe, & leve; ac inter præmium æternæ beatitudinis dandum, quod consistit in visione & fruitione perpetua stabili, clara, & gaudiosissima Divinæ Essentiæ: Ergo etsi Merita de condigno sint ex Gratia Habituali Actuali elicita; non tamen habent dignitatem, & valorem sufficientem ad præmium obtinendum sinè Promissione nova, quâ ea DEUS vult acceptare, & præmiare. 10. *Non tamen sufficientem.*

QUÆSTIO V.

De Possibilitate; & Conditionibus necessarijs ad Meritum de congruo



1. *Viator potest mereri de congruo.* DICO primò: Homo Viator potest ponere verum Meritum de congruo alicujus præmij supernaturalis. Ita communis Scholasticorũ; contra Soto.

Probatur primò authoritate Tridentini, quod *sess. 6, cap: 6.* inter cæteras dispositiones, & præparationes, quas ad remissionem consequendam peccatorum,

torum, & justificationem, quas ponit peccator ante ipsam justificationis consecutionem, enarrat quoque fidem, Spé, & timorem: sed hi actus respectu remissionis peccatorum secundùm communem TT. sensum, non sunt semper Merita de condigno remissionis subsequentis peccatorum: Ergo tantùm de congruo: Ergo potest Viator ponere Meritum de congruo. Probatur Min: ex Trident. *sess. 6. c. 8.* dicente, *gratis justificari ideo dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sit, sive opera ipsa justificationis, Gratiam promeremur;* scilicet de condigno.

Probatur secundò authoritate SS: PP. similiter in fide admittentium Meritum remissionis peccatorum; ùt videre est apud Augustinum *epist.* 105. Et apud Prosperum *contra Collat: cap.* 6. Et apud Fulgentium &c. sed hoc Meritum rursus non potest esse de condigno; ob rationem paulò antè datam: Ergo est Meritum de congruo dontaxat. *Tertiò* ratione; quia potest quis quotidie orare Litanias de B. V. Maria, vel psalmos pænitentiales; vel responsorium ad S. Antonium de Padua, ad consequendam aliquam virtutem v. g. castitatis, vel patientiæ, vel ad obtinendam Gratiam finalem perseverandi in justificatione accepta: sed hujusmodi actus non sunt Merita de condigno: Ergo tantùm de congruo respectu præmij, quod per eos obtinetur.

2. *Conditiones Meriti de congruo.*

Dico secundò: Meritum de congruo respectu præmij supernaturalis debet esse conditionatum, & affectum libertate indifferentiæ, honestate morali, relatione aliquâ in DEUM, ex Gratia, & in via elicitum. Ita communis Scholasticorum.

Probatur: Tum à pari Meriti de condigno, tum quia Meritum de congruo, ex eo, quod sit actus humanus bonus, debet esse conditionatus libertate indifferentiæ, & honestate morali ex eo quòd ordinetur ab operante ad præmium supernaturale, debet esse in DEUM relatus, qui est præmiator supernaturalis; debet esse ex Gratia procedens: alioquin displiceret DEO, & sic operans frustraretur fine intento obtinendi præmium: & ex eo, quòd debeat acceptari à DEO ad rationem Meriti, cui correspondet ex libertate aliquod præmium, debet esse in via elicitum; cùm opera eorum, qui in termino positi sunt, regulariter non acceptentur à DEO ad rationem Meriti: Ergo Meritum de congruo debet esse conditionatum libertate indifferentiæ, honestate morali, relatione in DEUM, Gratiâ, & statu viæ.

Dico tertiò: Similiter respectu præmij alicujus temporalis, à DEO obtinendi Meritum de congruo debet esse conditionatum honestate morali, etiam ex circumstantijs derivatâ. 3. *Meritū de congruo etiam respectu præmij temporalis debet esse honestum moraliter.*

Probatur: Tum ex generali descriptione Meriti ùt sic, suprà data, in qua dicitur, quòd *Meritum sit opus moraliter bonum*, quod intelligendum est tam de bonitate objectiva, quàm ex circumstantijs accepta. Tum quia teste Sapientiâ *cap. 14. Odio sunt DEO impius, & impietas ejus*, id est, opera ab eo facta cum malitia, & dehonestate morali. Tum quia *opera mala non coronat Dominus*, eò quòd hoc dedeceat ejus bonitatem; & quia aliàs foveret iniquitates: Ergo similiter respectu præmij alicujus temporalis à DEO obtinendi Meritum de congruo debet esse conditionatum honestate morali, etiam quoad circumstantias.

4. *Quid sentiendum de facto obstetricum, Rachab, & Jehu conjuncto cum peccato.*

Objicies: In Scriptura legimus à DEO præmiò temporali præmiata esse quædam opera, habentia malitiam aliquam moralem annexam, etsi aliàs ordinata ad finem bonum: sic Exodi 1. obstetricibus Ægyptiacis *DEUS ædificavit Domos*, id est contulit eis prosperitatem temporalem eò quòd occultâssent proles masculas Hebræorum, & præservâssent à morte de mandato Pharaonis inferenda; & tamen ad hoc usæ fuerunt mendaciò: Item Rachab meretrix à Domino fuit præmiata mercede temporali, propter occultationem exploratorum Israëlitarum, quam quoque perfecit mendaciò. Item Iehu fraude conclusit sacrificulos Baal, à se interfectos; & tamen propterea 4. Reg. 10. cap. ei contulit Dominus stabilitatem regni usque ad quartam generationem: Ergo &c.

Respondeo Neg. Ant. *ad Primum*, & *ad Secundum* exemplum Scripturæ dico cum S. Augustino *q. 1. in Exod.* Et *lib: contra mend: cap: 15. & 16.* in illis occultationibus intervenisse opera bona, & mala; mala erant mendacia obstetricum & Rachab; hæc non præmiavit DEUS præmiò temporalis prosperitatis &c. bona erant timor DEI, quem habebant obstetrices; unde de ipsis dicitur Exod: 1. quia timuerunt DEUM; & fides ex parte

parte Rachab data exploratoribus Israëlis, à qua laudatur ad Hebr. 11. simulq; amor, & pietas erga eosdem; & hæc duntaxat fuerunt præmiata in eis. Ad *Tertium* de Jehu dico similiter, in Jehu fuisse duas volitiones, unam bonam, alteram malam; bona fuit, quâ voluit zelare honorem DEI, contra cultores Baal; & hæc fuit præmiata stabilitione regni usque ad quartam generationem; mala fuit, quâ executioni mandavit zelum suum mediante fraude, & mendaciô; & hæc non fuit præmiata.



DISTINCTIO II.

De Actibus; & præmijs; seu terminis Meriti; alijsque huc pertinentibus.

QUÆSTIO I.

De Actionibus, quæ rationem veram Meriti de condigno sortiuntur.

1. *opera consilij sunt meritoria.*



DICO primò: Tam opera consilij; quàm opera præcepta à DEO possunt esse meritoria de condigno vitæ æternæ, si conditiones suprà relatæ adsint. Ita communis TT. contra Dionysium Cistertien: negantem opera præcepta esse meritoria de condigno.

Probatur prima pars authoritate Sacræ Scripturæ; promittentis operibus consilij vitam æternam; ùt Matth: 19. *qui reliquierit domum, vel Fratres, vel Sorores, aut Patrem, aut Matrem,* &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Idem docent CC. & PP. Ergo &c.

2. *Etiam opera præcepta.*

Probatur secunda pars primò Authoritate S. Scripturæ: in qua DEUS generaliter, ac indefinitè promittit mercedem vitæ æternæ etiam observantiæ præceptorum suorum, ùt Matt: 19. *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et Matth: 25. redditur merces operibus misericordiæ, etiam præceptis. Similiter Luc. 6. dilectioni inimicorum præceptæ, *diligite inimicos vestros, & erit merces vestra multa*: Ergo etiam opera præcepta à DEO possunt esse meritoria de condigno vitæ æternæ.

Probatur secundò authoritate Tridentini; quod *sess: 6 cap: 16.* inter opera meritoria etiam recenset illa, quæ aliàs sunt Lege Divinâ præcepta; cujusmodi sunt dilectio DEI, Spes in DEUM, & confidentia, ac misericordia erga pauperes: Et Lateranensis sub Innoc. III. ùt habetur *in cap: firmiter* de sum: Trint. *& fide Cath.* ait *non solùm virgines, & continentes, verùm etiam conjugatæ per rectam Fidem* (quæ cadit sub præcepto) *placentes DEO, ad æternam merentur beatitudinem pervenire*: Ergo non tantùm opera consilij: sed etiam præcepta possunt esse Meritum de condigno.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. asserentium, nos obediendo præceptis mereri mercedem æternam; adeoque esse merita de condigno vitæ æternæ; unde Cyprianus *lib: de simplic: Prælat: Justitia opus, ut promereri quis possit DEUM, præceptis ejus, & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* Et Justinus *apolog: 2. homines, qui dignos se DEI voluntate* (per observantiam scilicet præceptorum) *et con filio operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis supponimus, ac regnaturos, sic ut ab omni introitu, perturbatione què sint liberi*: Ergo &c.

Probatur quartò ratione: Tum quia præceptum non tollit conditiones Meriti de condigno, puta libertatem, & honestatem actûs: Ergo &c. Tum quia aliàs sequeretur vota emissa castitatis, paupertatis &c. post emissionem non amplius esse Merita de condigno; quia jam induunt rationem præcepti, & obli-

& obligationis ad servari sub mortali peccato; atque ita tolleretur omnis praxis vovendi consilia Evangelica; Ergo revera opera præcepta etiam possunt esse Merita de condigno vitæ æternæ. Ex his ulterius.

3. *Omnium virtutum moralium, & Theologicalium actus possunt esse Meritorij de condigno, secundùm Scripturã.*

Dico secundò: Omnes actus, quarumcunque virtutum Theologalium, moralium, dummodo virtualiter saltèm à charitate sint imperati, possunt esse meritorij de condigno vitæ æternæ, aut alterius præmij supernaturalis supposito, quòd à DEO acceptentur ad præmium conferendum, & eliciantur in Gratia. Ita colligitur ex Scoto *4. d. 40. & 2. dist: 41. q. unic.* Et sequitur Poncius Herincx, Vulpes, & Scotistæ alij communiter.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; varijs actibus variarum virtutum tam Theologalium, quàm moralium præmium vitæ æternæ attribuentis, quod solis Meritis de condigno correspondet; puta Fidei Marc. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: Spei ad Hebr: *10 nolite itaque amittere confidentiam vestram* (id est spem) *quæ magnam habet remunerationem*. Sobrietatis, Justitiæ, & Pietatis ad *Tit: 2. sobriè & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ*: Paupertatis voluntariæ, Matth: *5. beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*: Misericordiæ *Matth: 10. qui recipit justum, mercedem justi accipiet*; idem passim legitur de actibus aliarum virtutum: Ergo actus quarumcunque virtutum, dummodo à charitate (*sinè qua impossibile est placere DEO*) aliquomodo saltèm virtualiter sint imperati; possunt esse Merita de condigno vitæ æternæ supposito, quòd acceptentur à DEO.

4. *Ex Tridentino.*

Probatur secundò authoritate Tridentini *sess: 6. cap: 16.* dicentis, *hâc igitur ratione justificatis hominibus proponenda sunt verba Apostoli, abundate in omni operè bono; scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino*; quibus verbis insinuatur cuilibet operi bono indefinitè, sive sit virtutis moralis, sive Theologicæ, esse promissum præmium à Domino; & consequenter quodlibet tale habere rationem Meriti de condigno, dummodo à charitate aliquò modò imperetur, & accepteetur à DEO. Unde idem Concilium *eodem cap*: etiam minimo in nostra æstimatione, operi bono misericordiæ docet esse retribuendum præmium tanquam de condigno meritorio, inquiens, *neque verò illud omittendum est, quòd licèt bonis operibus in sacris litteris usque adeò tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse suâ mercede fraudandum*: Ergo à pari omni operi, & actui moraliter bono cujuscunque virtutis, in Gratia elicito, & ab ea imperato, & acceptato tribuetur præmium, tanquam Merito de condigno.

5. *A ratione Theol:*

Probatur tertiò ratione: Actus virtutum tam Moralium, quàm Theologalium, etsi essent forsitan ex se improportionati ad tantam mercedem, quæ correspondet Merito de condigno puta ad vitam æternam, vel aliud præmium supernaturale; tamen quatenus imperati à charitate; ab ea dignificantur, & participant bonitatem peculiarem motivi charitatis, & actus imperantis; atque adeò acquirunt proportionem sufficientem ad memoratam mercedem: Ergo quatenus imperati à charitate, possunt esse Merita de condigno vitæ æternæ, aut alterius præmij supernaturalis.

Dixi in conclusione *saltèm virtualiter*; quia actuale imperium charitatis non semper requiritur, ad hoc, ut opus alicujus virtutis, distinctæ à charitate, fiat meritorium de condigno: quia est valde rigidum, & difficile, humanæque fragilitati improportionatum, ut omne opus virtutis eliciatur semper ex imperio actuali & ordinatione charitatis: & S. Scriptura nullibi postulat ejusmodi actuale imperium: sufficit itaque imperium virtuale, & ordinatio virtualis charitatis, quæ secundùm Scotum *4. dist. 6. q. 6.* in hoc consistit, ut operans in principio suæ Justificationis, vel alio tempore, omnes, & singulos actus virtutum tam Moralium, quàm Theologalium futuris temporibus eliciendos in DEUM retulerit, & ex motivo, ordinatione, & imperio dilectionis ac charitatis erga eundem elicere constituerit, taleque propositum per actum contrarium non revocaverit; quâ positâ semel relatione, & proposito censentur deinde omnes actus subsequentes virtutum tam Moralium, quàm Theologalium esse virtute, seu virtualiter imperati à charitate, sive sint immediatè connexi cum illa relatione, & generali proposito, sive non; quidquid in contrarium dicat Poncius hîc, postulans vel immediatam cum ista relatione, & pro-

& proposito, vel saltèm mediatam connexionem actuum inter se.

Dixi *supposito, quòd à DEO acceptentur*; quia nisi à DEO peculiariter acceptentur, sunt tantùm merita de congruo defacto; ùt tenet communis T T.

QUÆSTIO II.

Num vita æterna seu Gloria, quoad substantiam cadat sub Meritum de condigno?

1. *Vita æterna quoad substantiam cadit sub Meritum de condigno justorum uti habet Scriptura.*



Sectarij præteriti, & hujus sæculi conclamant, neminem defactò posse ullâ ratione promereri de condigno vitam æternam. Ita Confessionistæ, Lutherus, Brentius, Kemnitius, Melanthon, Oecolampadius, Calvinus, &c. contra quos cum Catholica veritate,

Dico primò: vita æterna seu Gloria ùt præmium cadit defactò sub Meritum de condigno Justorum quoad substantiam. Ita communis T T.

Probatur primò: Authoritate Scripturæ S. quæ passim hoc ipsum nomen dignitatis, quod constituit Meritum de condigno, tribuit operibus Justorum; ùt sap: 7. *DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos se.* Et Apoc: 3: *ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt.* Et ad Tim: 3. *ut digni habeamur Regno DEI.* Deinde eadem Scriptura docet vitam æternam seu Gloriam nobis esse reddendam, ùt meritum, ùt coronam, & ex Justitia; quæ locutio supponit in nobis opera, quæ ex Justitia exigunt ejusmodi mercedem; quæque proinde erunt Merita de condigno, sub quæ cadet vita æterna; sic dicit Joan: 4. *qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*: Et Matt: 10. *qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Et Sap: 5. *justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Et 2. ad Tim: 4. *bonum certamen certavi, cursum consummavi fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi in illa die justus judex.* Et Iac: 1. *beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: Ergo vita æterna seu Gloria cadit sub Meritum de condigno Justorum quoad substantiam.

Probatur secundò: Authoritate CC. conclusionem definientium, ùt videre est in Arausicano *can: 18.* Et in Florentino *in decreto de Purgat:* Et in Lateranensi sub Innoc: III. ùt refert *cap: firmiter.* Et in Tridentino *sess. 6. cap. 16* dicente, *atque ideo bene operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam Gratia filijs per JESUM Christum misericorditer promissa; & tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & Meritis fideliter reddenda* Et *can. 32. si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius justificati Merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI Gratiam, & JESU Christi Meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam &c: anathema sit*: Ergo vita æterna, seu Gloria, cadit sub Meritum de condigno justorum quoad substantiam. 2. *Concilia.*

3. *SS. Patres.* Probatur tertiò: Authoritate SS. PP. eandem doctrinam confitentium; ita sentit D. Dionysius Areopagita *de Eccles: Hyerar: cap. 3,* Et Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromat.* Et Nyssenus *de pauper: orat:* 1. Et Justinus *apol: 3.* Et Cyprianus *de unit: Eccl:* Et Ambrosius, Tertulianus, Beda, Hieronymus, Hilarius, & Augustinus, *epist, 105. ad Sixtum*, dicens, *sicuti merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita Merito Justitiæ, tanquam stipendium vita æterna*: Ergo vita æterna cadit ùt præmium sub Meritum de condigno Justorum quoad substantiam:

4. *Et ratio Theologica suadet.* Probatur quartò ratione: Tum quia Merita de condigno habent æqualitatem quandam secundùm proportionem, & æstimationé moralem ad præmium vitæ æternæ, ex eo, quòd à Deo acceptentur, & procedant ab homine habente Gratiam sanctificantem, quæ hominem operantem facit filium adoptivum DEI, & Divinæ consortem naturæ: Ergo sub ejusmodi Merita cadit vita æterna quoad substantiam, ut præmium correspondens. Tum quia æterna damnatio quoad substantiam cadit sub demerita impiorum: Ergo æterna vita seu Gloria, à pari cadit sub Merita de condigno Justorum quoad substantiam.

Objiciunt Hæretici *primò*: nomen Meriti de condigno vitæ æternæ nusquam

5. *Heretico- rum objecta.* quam reperitur in fonte Hebræo, & Græco S. Scripturæ, ubicunque de Meritò agitur: Ergo sub tale nequit cadere ùt præmium vita æterna. *Secundò;* S. Scriptura dicit ad Rom: 8. quòd *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram Gloriam.* Et *cap: 6.* ait, *Gratiâ DEI vita æterna*: Ergo non est merces sub Meritum cadens. *Tertiò*; Merita de condigno vitæ æternæ derogant Meritis Christi: à quibus procedit vita æterna: Ergo &c: *Quartò*; Joan: 10. reprehenduntur mercenarij; sed tales essent operantes meritoriè de condigno ad obtinendam vitam æternam: Ergo &c:

6. *Resolvuntur exactè.* Respondeo *ad Primum*; etsi in Hebræo fonte S. Scripturæ ly *Meritum* non reperiatur, quod ex Hebræo sic traducitur in Latinum Gen. 4. Deut. 7. Josue 11. Judicum 20. 2. Græco autem Eccl: 16: Job 6. & 11. Ex Paralip. 19. Esther 10. 16. & 38. & Hebr. 10: præcipuè autem Ecclef. 16. ubi in Latinum traductum est sic, *omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm Meritum operum suorum*; cujus locò in Græco dicitur, *unicuique secundùm dignitatem*; Et ad Heb. 13. ubi Latinus legit, *talibus enim hostijs promeretur DEUS*, Græcus habet *evarestici*, id est, *placatur DEUS*: Etsi inquam vox ipsa fortè in utriusq; linguæ fonte non habeatur; sufficit tamen, quòd re ipsa habeatur; quam proinde Latinus traductor, seu versor D. Hieronymus Hebræi, & Græci idiomatis peritissimus attendit, & sub nomine *Meriti* in Latinum traduxit: res autem ipsa habetur, sufficienter Psal: 6. *reddes unicuique juxta opera sua.* Et Matth: 16. *& tunc reddet unicuique secundùm opera sua*: Item ad Rom: 2. *his, qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*: scilicet reddet. In quibus, & alijs locis compluribus Scripturæ, nomine *boni operis*, cui merces vitæ æternæ correspondet, quo ad rem venit ipsum *Meritum de condigno vita æterna. Ad Secundum*; glosso Scripturam ad Rom: 8. & dico, quòd vel loquatur de passionibus secundùm se consideratis, ùt præscindunt à consortio Gratiæ sanctificantis: vel si loquatur de passionibus in Gratia sanctificante elicitis, vult Apostolus eas, non esse condignas cum gloria quoad durationem; cum illæ brevissimò tempore sint duraturæ: gloria verò æternò. *Ad alteram Scripturam ex cap: 6.* ad Rom. deprомptam dico, etsi vita æterna sit vera merces; appellatur tamen Gratia, quia nimirum vis meritoria operum nostrorum est à Gratia, tanquam à radice, sinè qua opera nostra non sunt meritoria, ùt explicat S. Augustinus *epist: 105. Ad Tertium* Neg. Ant. quia vita æterna, quæ pro nostris Meritis de condigno retribuitur, datur nobis non tantùm ex Meritis nostris; sed etiam ex Meritis Christi, quatenus ipse meruit nobis Gratiam, quæ est principium Meriti nostri, quò vitam æternam meremur, & sinè quo nullatenus eam meremur: unde adhuc dicitur procedere à Meritis Christi vita æterna. *Ad Quartum* dico, reprehendi solùm illos mercenarios, qui pro lucro temperali serviunt, & visò lupo fugiunt, atque relinquunt oves; non verò illos, qui pro mercede æterna serviunt, & opera meritoria de condigno ponunt ad eam obtinendam, visoquè lupò generosè sese opponunt eidem.

QUÆSTIO III.

An augmentum; primus gradus gloriæ; & augmentum gratiæ cadant sub Meritum de condigno ùt præmium?



DICO primò: Non tantùm substantia; sed etiam augmentum gloriæ cadit sub Meritum de condigno Justorum. Ita communis TT. contra Sectarios hujus temporis.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; quæ hortatur homines Justos, qui gloriam quoad substantiam jam sunt promeriti, ut continuent bona opera, certi, quòd sint præmium gloriæ recepturi, quod non potest esse aliud, quàm augmentum gloriæ jam promeritæ; unde dicitur 1. ad Cor: 15. *abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Et Ecclef. 18. *nè verearis usque ad mortem justificari* (progrediendo scilicet in Meritis de condigno procurantibus augmentum justificationis & consequenter gloriæ) *merces DEI manet in æternum* De eodem augmento per Merita continuata de condigno potest intelligi illud

Prov: 4. *Justorum autem semita, quasi lux splendescens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem:* Ergo &c.

2. *Tridentinũ pro eadem sententia.* Probatur secundò authoritate Tridentini; quod *sess: 6. can: 32.* conclusionem definit dicens, *si quis dixerit hominem Justum bonis operibus, quæ ab eo per DEI Gratiam, & JESU Christi Meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen in Gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit:* Ergo &c.

3. *Et ratio Theologica.* Probatur tertiò ratione: Tum quia Justus Meritis de condigno potest promereri vitam æternam, seu gloriam quoad substantiam; ùt *priori quæst.* ostensum est: Ergo à fortiori ejusmodi vitæ, & gloriæ gradualem perfectionem seu augmentum. Tum quia Merita Justorum respectu augmenti gloriæ habent omnes conditiones Meriti de condigno; nec ex Scriptura, nec ex CC: & PP: limitantur ad substantiam gloriæ tantùm promerendam: Ergo sub hujusmodi Merita revera cadit augmentum gloriæ.

4. *Etiam primus gradus gloriæ cadit sub Meritum de condigno teste Scripturâ.* Dico secundò: Etiam primus gradus gloriæ cadit sub Meritum de condigno Justificatorum. Ita Poncius, Herincx, S. Thomas, Bellarm: Vasquez, Suarez, Tanner, Valent: &c. contra Arimin: Palud. Gabriel: Vegam, Lorcam, &c.

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; quæ indefinitè simpliciter, & sinè ulla limitatione pronuntiat, nos posse ponere Merita de condigno vitæ æternæ seu Gloriæ; adeoque censet etiam primum gradum Gloriæ cadere sub Meritum Justorum; sic loquitur adGal: *6. qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* Et Matt: *19. omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, &c: vitam æternam possidebit.*

5. *Et Tridentinũ et Patribus.* Probatur secundò: Authoritate Tridentini, *sess. 6. can. 32.* & SS. PP. sinè ulla restrictione adscribentium Meritis Justorum Gloriam; ac proinde etiam, quoad primum gradum Gloriæ; ita loquitur Nyssenus *orat: de amandis parent:* Et Hilarius *cap: 5. in Matt:* Et Augustinus *epist: 105. ad Sixt: ipsa vita æterna*, inquit, *quæ utique in fine sinè fine dabitur, & ideo Meritis præcedentibus redditur.*

6. *Ratio ad idem.* Probatur tertiò ratione: Quia primus gradus gloriæ est ejusdem rationis cum cæteris; & Merita Justorum tam sunt proportionata ad promerendum primum, quàm reliquos gradus: Ergo primus gradus gloriæ cadit sub Meritum de condigno Justificatorum.

Dico tertiò: Augmentum gratiæ habitualis Justorum ad Meritum condecentis, cadit etiam sub Meritum de condigno. Ita Scotus. *d. 41. q. 1.* cum suis, S. Thomas, S. Bonaventura, & communis TT. contra Hæreticos modernos. 7. *Augmentũ Gratiæ Habitualis eodem modo obtineri potest.*

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; quæ ad augmentum gratiæ bonis nostris operibus procurandum hortatur; adeoque supponit illud cadere sub Meritum nostrum; unde Apoc: *22.* dicitur, *qui justus est justificetur adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc.* Er Eccles: *18. nè verearis usq; ad mortem justificari.* Ergo &c.

Probatur secundò: Authoritate Tridentini; idem augmentum justitiæ Meritis Justorum attribuentis; justitiæ autem augmentum fit mediante gratiâ habituali auctâ: Unde *sess: 6. cap. 10.* ait, *sic ergo justificati & amici DEI, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ùt Apostolus inquit, de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observantiam mandatorum DEI, & Ecclesiæ in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atq; magis justificantur.* Et *can. 24. si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, neq; etiam augeri coram DEO per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ; non autem ipsius augendæ causam; anathema sit:* Ergo augmentum gratiæ habitualis justorum cadit sub Meritum de condigno.

Probatur tertiò: Authoritate SS. PP. conclusionem quoque sustinentium; unde Augustinus *quæst: 106. ad Bonif:* ait, *non Gratiam DEI aliquid meriti præcedit humani; sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Et *tract: 77. in Joan: restat ut intelligamus Spiritum S. habere, qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat:* Ergo augmentum gratiæ habitualis cadit sub Meritum de condigno Justorum.

Probatur quartò ratione: Tum quia, ùt discurrit S. Thomas *1. 2. quæst: 114. art. 8.* per motum non tantùm acquiritur ultimus terminus motûs; sed etiam medius: Ergo & per actionem meritoriam de condigno Justorum (quæ

 habet

habet rationem motûs cujusdam) non tantùm acquiritur gloria, quæ est ultimus terminus Meriti de condigno; sed etiam medius. id est augmentum gratiæ. Tum quia opera justorum respectu augmenti gratiæ habitualis habent omnes conditiones veri Meriti de condigno; & aliunde nihil impedit, quominus sub ea cadat augmentum gratiæ habitualis: Ergo revera cadit sub Meritum de condigno augmentum gratiæ habitualis.

Quæstio IV.

Quæ dona non cadant sub Meritum de condigno?

1. *Gratia prima sanctificans non attingitur Meritô de condigno.*

DICO primò: Prima gratia habitualis, quâ justificatio peragitur; & actualis vocans, seu excitans non cadunt sub Meritum de condigno viatoris. Ita communis TT. orthodoxorum; contra Pelagianos.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; refundentis gratiam justificationis, seu primam habitualem, in gratuitum beneficium DEI; unde dicit ad Rom: 3. *justificati gratis per gratiam ipsius:* Ergo talis gratia non cadit sub Meritum de condigno viatoris. Conseq: tenet; nam quod gratis, & tanquam gratuitum DEI beneficium viatori exhibetur à DEO, non debet censeri cadere sub ejus Merita; nam dicit idem Apostolus *loc: cit: cap: 11. si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia.*

Probatur secundò: Authoritate CC. signanter Arausicani *can: ult.* Et Tridentini *sess. 6. cap. 7.* dicentis, *hujus justificationis* (id est primæ gratiæ habitualis, quâ formaliter fit justificatio:) *causæ sunt, finalis quidem gloria DEI, & Christi, ac vita æterna; efficiens verò misericors DEUS, qui gratuitò abluit, & sanctificat*: id est sinè Merito prævio de condigno exigente ejusmodi gratiam primam ablutionis, & sanctificationis. Et *cap. 8.* ait, *gratis autem justificari dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur:* Ergo gratia prima habitualis, quâ justificatio peragitur, non cadit sub Meritum de condigno viatoris.

Probatur tertiò: Authoritate SS: PP. eandem doctrinam profitentium; ut videre est signanter apud Augustinum varijs in locis, *lib. 2 contra duas epist: Pelag: cap. 7.* Et *epist. 47.* Et *105.* Et *106.* Et *in Enchirid: cap: 107.* Et *lib. 1. ad Simplic: q. 2.* Et *de prædest SS. cap. 5.* ubi notat gratiam primam, scilicet habitualem, nunquam in Scriptura vocari mercedem, à qua Meritum tale vim, & dignitatem merendi habet tanquam à conditione: sed Meritum de condigno habet aliquam vim & dignitatem merendi à prima gratia habituali; quia justificatio peragitur tanquam conditione Meritô ùt suprà *dist. 1. q. 4. conc. 2.* ostendi: Ergo prima gratia habitualis, quâ justificatio peragitur, non cadit sub Meritum de condigno Maj: patet; quia nihil potest esse præmium sui ipsius: neque conditio ad agendum, & simul ipse effectus à tali conditione procedens.

Probatur secunda pars: prima gratia vocans, seu excitans est radix, origo, & principium omnis Meriti: Ergo nequit cadere sub Meritum de condigno. Consq: tenet; quia aliàs eadem gratia esset simul prius, & posterius; principium, & principiatum, dependens, & independens; quod in bona Theologia, & Philosophia non admittitur. 2. *Neque Gratia prima Actualis.*

Dico secundò: Neque reparatio post lapsum mortalem cadit sub Meritum de condigno. Ita communis TT. 3. *Similiter nec reparatio à lapsu mortali.*

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ, omnes actiones, & justitias prioris statûs justificationis reprobantis in peccatore relapso, tanquam inutiles ad merendam reparationem lapsûs mortalis, in quo reperitur, unde dicitur Ezech: 18. *si autem averterit se Justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur*: &c.

Probatur secundò: Authoritate Tridentini, quod *sess. 6. cap. 8.* absolutè dicit, quòd *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt* (in qua fit reparatio hominis à lapsu:) *sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereatur*, quod intelligendum est tam de justificatione prima; quàm de secunda, in qua olim Justus denuò misericorditer reparatur à DEO ad justificationem: Ergo &c.

Probatur

Probatur tertiò ratione: talis reparatio oequit fieri per Merita priora in statu justitiæ exercita; qùia omnia Merita prioris statûs justificationis, mortificantur per subsequentem lapsum mortalem; ùt colligitur ex *cit: cap:* Ezec: per ly *omnes justitia ejus, quas fecit, non recordabuntur:* oeque poteit fieri per Merita in ipso statu lapsûs exercita; quia ad rationem veri Meriti requiritur status gratiæ habitualis, seu charitatis; ùt suprà *dist. 1. q. 2. conc. 1.* dixì; & patet ex Scripturâ illa *sinè charitate impossibile est placere DEO*: Ergo reparatio post lapsum mortalem non cadit sub Meri-

4\. tum de condigno.

Uti donum perseverantiæ juxta Scripturam.

Dico tertiò: Similiter donum perseverantiæ finalis in justitia accepta, non cadit sub Meritum de condigno Justi. Ita communis DD.

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; asseverantis homines etiam Justos non esse certos de sua perseverantia; unde Apostolus 1. ad Cor: 10: ait, *qui se existimat stare, videat, nè cadat.* Et ad Rom: 11. *tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* Et ad Philip: 2. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini:* si autem donum perseverantiæ finalis in justitia accepta caderet sub Meritum de condigno, posset homo Justus esse certus de sua perseveraotia: Ergo &c:

5\. *Tridentini.*

Probatur secundò: Authoritate Tridentini; magnum hoc donum perseveraotiæ in DEI gratiam superoaturalem refundeotis; unde *sess. 6. c. 12.* ait, *similiter de perseverantia munere, de quo Scriptum est, qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit; quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere: nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur; tametsi in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.* Et *can. 6.* *siquis magnum illud usq; in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absolutâ, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit:* Ergo &c:

6\. *SS. Patres.*

Probatur tertiò: Authoritate SS. PP. eandem doctrinam passim asserentium; signanter hoc docet D. Augustinus, *lib: de bono perseverantiæ cap: 13.* Et accedit ratio; Tum quia compertum habemus, multos diu vivere beoe, & tamen finaliter cadere, & perire; ùt patet de apostatis à fide; & alijs peccatoribus. Tum quia si aliquis promereretur de condigno donum finalis perseverantiæ, eò ipsò non posset ampliùs saltèm possibilitate consequenti excidere à gratia, neque necesse haberet formidare lapsum, aut ulteriùs operari; sed hoc est contra Tridentinum *sess. 6. cap: 13.* doteus, *verumtamen, qui se existimat stare, videat, nè cadat, & cum timore & tremore salutem suam operetur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejunijs, & castitate; formidare enim debent, scientes, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo;* &c: Ergo donum finalis perseverantiæ in justitia accepta non cadit sub Meritum de condigno Justi.

7\. *Et neque bona temporalia non necessaria ad salutem.*

Dico quartò: Bona temporalia pariter, quæ moraliter non sunt operanti necessaria ad salutem, non cadunt sub Meritum de condigno. Ita S. Thomas, Herincx, Tannerus, Conradus, Valentia, Cajet: &c.

Probatur: Tum quia ejusmodi booa æquè conferuntur bonis, & malis; imò quandoque malis in majori copia; unde miratur Jerem *cap: 12 quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt.* Et Jobe *cap. 21. quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, confortatiquè Divitijs?* Ergo bona temporalia non cadunt sub Meritum de condigno. Tum quia nusquam ex Sacris Litteris, CC: aut SS: PP: constat, bona temporalia, non necessaria ad salutem, de condigno posse mereri: Ergo &c. Tum etiam, quia bona temporalia, non necessaria ad salutem v. g. copiosæ divitiæ, pulchritudo eximia; dignitates, scieotiæ, nobilitas, &c. sæpe sunt magìs nociva operanti, quàm proficua: Ergo &c.

8\. *Nec tandem vita æterna dona supernaturalia alteri conferenda.*

Dico quintò: Tandem regulariter neque sub Meritum de condigno operantis cadunt dona supernaturalia æternæ vitæ, Gratiæ, & cætera, priori, & hâc quæstione recensita, alteri homini conferenda; bene tamen de congruo. Ita S. Thomas, Herincx, Tanoerus, Bootempo, & communis TT.

Probatur primò authoritate Scripturæ; asserentis præmia supernaturalia, maximè vitâ æternam, Gratiam (& eadem est ratio de alijs à pari) conferri juxta personalia Merita cujuslibet, quæ quisque ipse operatus est; unde 2. ad Cor: 5. *unusquisque referet propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Et Apoc:

Et Apoc. *14. opera enim illorum sequuntur illos*: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Tridenti; eandem doctrinam dogmatizantis *sess. 6. cap. 16. atque ideo bene operantibus in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna, tanquam Gratia &c. & tanquam merces ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddenda*: ubi notanda hæc ultima propositio; *bonis ipsorum operibus fideliter conferenda*, quæ vult vitam æternam de condigno debere promereri personalibus Meritis; adeoque non cadere sub Meritum de condigno alienum.

Probatur tertiò authoritate SS.PP. docentium, unumquemque salutem sibi ipsi promereri, & de suis tantùm factis judicandum; ita sentit S. Chrysostomus *hom: 13. ad Populum*, Et alij PP. Et Augustinus *tract: 4. & 5. in Joan:* dicit, solius Christi esse proprium, alios reddere DEO gratos, obtinendo illis Gratiam, & peccatorum remissionem. Et *tract. 73. 202.* docet, neminem pro alio orantem infallibiliter pro ipso impetrare: Ergo regulariter sub Meritum de condigno operantis non cadit vita æterna; gloria, & alia dona supernaturalia, priori, & hâc quæst. recensita, alteri homini conferenda.

Probatur quartò ratione: Tum quia in nullo S. Scripturæ passu Concilio, vel Patre reperitur Divina aliqua promissio, acceptans Merita operantis Petri v. g. tanquam operantis de condigno, quibus vitam æternam, Gratiam reparationem à lapsu, augmentum Gratiæ, donum finalis perseverantiæ &c: ex Justitia constituisset alteri conferre: Ergo ea nemo operans potest alteri homini meritoriè de condigno obtinere. Tum quia solus Christus habuit Gratiam Capitis, ordinatam ad salutem aliorum, & fuit fons omnis Gratiæ, atque doni, adeoque Meritis suis specialissimis à pura creatura non imitabilibus, solus potuit vitam æternam, & alia dona supernaturalia alijs hominibus promereri: & propterea etiam solus totius generis humani Redemptor constitutus fuit: Ergo sub nullius alterius puri hominis Merita prædicta cadere possunt. Quô pactô verò quis alteri de congruo possit mereri varia dona, & beneficia, ostendam *sequenti quæst:* Unde fit

QUÆSTIO V.

Quænam cadant sub Meritum de congruo Justorum?



DICO primò: Sub Meritum de congruo viatoris cadere potest remissio peccatorum mortalium, & justificatio. Ita Scotus *4. dist: 14. q. 2. num. 14.* cum suis; & S. Bonvent. Vega, Bellarm: Gabriel: &c. contra S. Thom: Cajet: Conrad: Medin: Valent: &c. 1. *Sub Meritum de congruo cadere potest remissio peccatorum ex Scriptura.*

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; hortante nos ad varia opera bona, ùt beneficentiæ, eleemosynæ, contritionis, fidei, orationis &c. quibus peccata expiantur; adeoquè supponit nos posse de congruo talibus operibus mereri justificationem; unde *de beneficentia* dicitur ad Hebr. *11. beneficentia, & communicationis nolite oblivisci; talibus enim hostijs promeretur DEUS*; D. Augustinus *10 de Civit: cap: 5.* ex Græco traducit *placatur DEUS*; id est reconciliatur DEUS; quæ reconciliatio infert justificationem. *De eleemosyna* dicitur Luc. *11. date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, quia nimirum, ùt glossat S. Bonaventura, eleemosyna disponit ad Gratiam justificationis, quâ mundatur anima. Ad idem collimat illud Dan. 4. *peccata eleemosynis redime. De oratione* ponitur illud Luc. 11. *petite, & accipietis.* Et Isa 30. *ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi. De contritione* procedit illa confessio Publicani, *DEUS propitius esto mihi peccatori*, de qua subdit Salvator, *dico vobis, descendit hic justificatus. De Fide* illud Luc. 5. *quorum fidem ùt vidit JESUS, dixit, homo remittuntur tibi peccata tua*: quibus omnibus actibus, cùm non promereatur justificatio de condigno; saltèm de congruo promeretur; atque adeò justificatio cadit sub Meritum de congruo; ita nimirum, ut DEUS ex quadam congruitate, & decentia similes actus eximios liberaliter remuneret donô justificationis.

Probatur secundò authoritate Concilij Tridentini; quod *sess. 14. cap. 4.* docet attritionem esse dispositionem ad obtinendam justificationem; adeoquè esse Meritum quoddam de congruo; unde 2. *Ex Tridentino.*

unde ait, *et quamvis* (attritio) *finè Sacramento pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad DEI Gratiam in Sacramento impetrandam disponit*: Ergo &c.

3. *Ex SS: Patribus.* Probatur tertiò: Authoritate SS. PP: orationi vocali, confessioni extrasacramentali peccatorum, fidei, & alijs pœnitentialibus operibus, remissionem peccati, & justificationem attribuentium, utique tanquam Meritis de congruo tantùm: Unde *de oratione* Origenes ponderans illud Psalmistæ psal: *31. dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei dicit hom. 3.* in Levit: *ergo quia pronunciare peccatum, remissionem peccati meretur.* Et Hieronymus *serm. de B. V. instans oratio impetrat veniam de peccatis. De confessione* ait Augustinus *tract: 44.* in Ioan: *ista confessio* (scilicet publicani) *meruit justificationem. De fide* dicit idem Augustinus *epist: 105. sed neq, ipsa remissio peccatorum finè aliquo Merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est Meritum fidei, quâ fide ille dicebat; DEUS propitius esto mihi peccatori; & descendit justificatus*: Ergo remissio peccatorum, & justificatio potest cadere sub Meritum de congruo viatoris.

4. *Ex ratione.* Probatur quartò ratione: Tum quia Scriptura passim. CC. & PP. nobis etiam lapsis mortaliter, recommendant opera varia virtutum Theologicarum, & Moralium; ùt *in mox præmissis ab authoritate* ostensum est; docentque ipsis correspondere remissionem peccatorum, & justificationem: Ergo cùm ejusmodi opera non sint Merita de condigno, nisi peculiari promissione à DEO ad talem qualitatem, & conditionem acceptarentur, de qua de facto non constat, remanet, quòd sint saltèm Merita de congruo respectu dictæ remissionis, & justificationis; id est talia opera, quæ ex congruitate quadam, & decentia DEUS liberaliter præmiat dictò donò supernaturali: Tum quia fieri potest, ut Franciscus v. g. accipiat à DEO liberaliter actualem gratiam vocationis, hacque bene utatur, & ulteriùs in operibus ad justificationem necessarijs progrediatur; quò casu illa opera habebunt rationem Meriti de congruo respectu remissionis peccatorum, & justificationis: Ergo &c.

5. *Etiam reparatio post lapsum sub idem potest cadere.* Dico secundò: similiter reparatio post lapsum mortalem potest cadere sub Meritum de congruo viatoris; jam antecedenter in statu gratiæ factum ad istum finem. Ita Scotus *4. dist: 22. n. 13:* cum suis, & S. Bonavent: Bellamin: &c: contra S. Thomam, Tanner, Vasquet: &c:

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ; nam psal; *70.* orat Propheta regius adhuc in gratia existens pro reparatione, si contingeret eum labi, *cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*; quæ oratio fieret frustra, si non posset cadere sub Meritum Prophetæ reparatio post lapsum: Ergo &c:

6. *Ex ratione Theolog:* Probatur secundò ratione: Tum quia potest quis in statu gratiæ existens, alteri peccatori de congruo mereri reparationem à lapsu mortali; ùt infrà ostendam: Ergo & sibi in antecessum, ut si lapsus fuerit mortaliter, à DEO reparetur. Tum quia potest quis in statu peccati mortalis adhuc existens de congruo sibi mereri justificationem; ùt *priori conc:* deductum est: Ergo & in statu gratiæ adhuc existens potest sibi mereri reparationem, à lapsu mortali aliquando committendo. Tum quia congruum est, & Divinæ bonitati consentaneum, ut DEI amicus, & servus tempore gratiæ abundans compluribus operibus salutaribus, & obsequijs DEI, non deferatur à DEO tempore lapsûs; sed intuitu priorum operum reparetur: Ergo sub priora Merita de congruo potest cadere reparatio post lapsum mortalem.

7. *Similiter donum finalis perseverantiæ.* Dico tertiò: Sub Meritum de congruo pariter donum finalis perseverantiæ cadere potest. Ita Herincx, Caspensis, Vega, Zumel, Suar: contra Fulliensem &c:

Probatur primò: authoritate S. Scripturæ; docentis DEUM à nobis ritè interpellatum per bona opera, perficere in nobis bonum opus, & velle salvare; ac consequenter continuare nos in gratiæ perseverantia; unde dicitur ad Philipp: *1. confidens hoc ipsum, quia qui cæpit in vobis opus bonum, perficit usq; in diem Christi JESU.* Et *cap. 2. DEUS est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere*: Ergo &c:

Probatur secundò: Authoritate Tridentini; eandem doctrinam afferentis, unde ait *sess. 6. cap. 13. eamet sin DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent; DEUS enim, nisi ipsi ipsius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficit, operans velle & perficere*: quod intelligendum est, si ritè orationibus, & alijs bonis actionibus nostris in-

stris interpellatus, atque pro perseverantia in bono rogatus fuerit: Ergo donum finalis perseverantiæ potest cadere sub Meritum de congruo:

Probatur tertiò authoritate D. Augustini *lib: de bono persev. cap. 6.* dicentis, *hoc ergo donum* subintellige perseverantiæ) *simpliciter emereri potest.* Quartò ratione: Tum quia Scriptura generaliter loquitur Joan: 14. *quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*: Ergo & donum finalis perseverantiæ: Tum quia congruum, & decens est, ut DEUS amicis suis enixè orantibus non deneget donum finalis perseverantiæ: Ergo de congruo potest promereri. Tum quia alia dona supernaturalia, puta justificatio, reparatio post lapsum &c. cadunt sub Meritum de congruo viatoris: Ergo & donum finalis perseverantiæ.

8. *Uti & ulteriora auxilia supposita primâ Gratiâ, uti testatur Scriptura.*

Dico quartò: Sub Meritum de congruo viatoris, suppositâ primâ Gratiâ Actuali, sinè omni consideratione ad aliqua opera datâ operanti, etiam cadere possunt ulteriora; & uberiora auxilia Gratiæ Habitualis, conducentia ad justificationem. Ita Heriocx, Tannerus, & communior DD.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ; passim asserentis DEUM non deserere justos, nisi prius ab ipsis deseratur; adeòque ab eodem semper posse à Justis per Merita de congruo obtineri nova, & nova auxilia Gratiæ Actualis, suppositâ primâ Gratiâ sinè omni prorsus consideratione ad aliqua opera concessâ; sic dicitur Isa: 51. Et Jerem. 3. Et ad Hebr. 13. *non te deseram, neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Item in eadem Scriptura à David petitur invocatio Spiritûs recti; quod Theologi intelligunt de largitione novorum auxiliorum Gratiæ Actualis: Unde dicit psalm. 50. *cor mundum crea in me DEUS, & Spiritum rectum innova in visceribus meis*: Ergo &c.

9. *Tridentinum affirmat.*

Probatur secundò authoritate Tridentini, *sess: 6. cap: 13.* docentis, DEUM nostrum opus bonum perficere: quod utique fit per elargitionem novorum auxiliorum Gratiæ ad perfectiùs operandum, si nos ipsi Gratiæ Divinæ cooperati fuerimus, & Merita de congruo posuerimus ad obtinenda ejusmodi nova auxilia uberiora, & ulteriora; unde ait, *DEUS enim, nisi ipsi illius Gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans, velle, & perficere*: qui textus, etsi donum finalis perseverantiæ probet cadere sub Merito de congruo, ut suprà dixi; tamen etiam huc inservit; quia per auxilia nova Gratiæ continuata obtinetur finalis perseveratia.

Probatur tertiò ratione: Tum quia suppositâ primâ Gratiâ Actuali in viatore, sub ejus Meritum de congruo cadere potest Gratia Habitualis justificans: Ergo & collatio ulteriorum, & uberiorum auxiliorum Gratiæ Actualis. Tum quia ideo dicit commune illud axioma Concionatorum, *facienti, quod in se est, DEUS non denegat Gratiam*, id est, si homo cooperetur primæ Gratiæ, uti potest, meretur de congruo nova auxilia uberiora Gratiæ Actualis, quæ DEUS ob immensam suam liberalitatem non solet facilè negare. Tum quia huc spectat illud: *DEUS vult omnes homines salvos fieri*; dando omnibus sufficientes Gratias, inter quæ etiam recensentur auxilia uberiora, quæ quivis promereri de congruo potest, suppositâ primâ Gratiâ, sinè intuitu ullius operis concessâ: Ergo &c. 10. *Et ratio Theologica suadet.*

Dico quintò: potest quis alteri de congruo mereri justificationem, remissionem peccati, reparationem à lapsu donum finalis perseverantiæ, auxilia Gratiæ etiam primæ, ad conversionem opportuna, & bona temporalia. Ita S. Thomas, S. Bonavent. Herincx, Suarez, Tannerus, & communis DD. 11. *Etiam alteri potest quis mereri de congruo remissionem peccati, aliaque beneficia.*

Probatur *primò* generaliter ex praxi Ecclesiæ; quæ in Litanijs & varijs orationibus Divini Officij orat pro fidelium salute, gratia, conversione, incolumitate, temporali benedictione circa fruges terræ, & alia obtinenda: Ergo supponit hujusmodi beneficia posse de congruo promereri à DEO. *Secundò*; illa locutio S. Scripturæ, Joan. *quid quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, est generalis, & indefinita: Ergo etiam pro proximo peti, & promereri poterunt beneficia, in conclusione specificata. *Tertiò*; neque ex S. Scriptura; neque ex CC; neque ex PP. constat Merita nostra de congruo limitari ad personalem duntaxat utilitatem operantis: Ergo &c.

Probatur deinde conclusio de singulis membris in particulari: *De justificatione, & remissione peccatorum* constat ex illo Matt. 9. *videns JESUS fidem eorum, dixit paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; ubi fides asserentium paralyti-

patalyticum in lecto de congruo promeruit justificationem, & remissionem peccatorum. *De reparatione à lapsu* procedit illud Jac: *ult: orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio Justi assidua. De dono finali perseverantiæ* dicit Augustinus *lib: de bono perseverantiæ cap: 6. orat* (Ecclesia) *ut credentes perseverent. Pro auxilijs Gratiæ* etiam primæ ad conversionem opportunis, adducitur conversio S. Pauli, quæ secundùm TT: communiter attribuitur orationi S. Stephani, promerenti Paulo primam vocationem ad fidem, & alias Gratias ulteriores ad plenam conversionem: & conversio D. Augustini, quæ adscribitur lachrymis S. Monicæ. *De bonis temporalibus* patet ex orationibus, & benedictionibus antiquorum Patriarcharum Abraham, Isaac, Jacob, Joseph &c. Quibus filijs suis promeruerunt varia bona temporalia, ùt longævæ vitæ, dominatûs, roris cœli, pinguedinis terræ, abundantiæ armentorū boum, ovium, camelorum &c. Ergo &c.

12. *Primam tamen Gratiam vocantem non potest quis sibi promereri.*

Dico sextò: Prima tamen Gratia Actualis vocans, seu excitans non cadit sub Meritum de congruo viatoris sibi merentis. Ita Scotus *2. dist: 5. q. 1. n. 2.* cum suis; & S. Thomas, S. Bonaventura, Zumel, Arimin: Capreol: Valent: &c. contra Durandum, Gabriel; &c.

Probatur primò authoritate CC: nam Arausicanum *can: 25.* dicit, *DEUS in nobis nullis præcedentibus Meritis, & fidem, & amorem inspirat*, ubi Gratia vocationis ad fidem in DEUM præcisè refunditur. Et Tridentinum *sess: 6. cap: 5.* ait, exordium justificationis impiorum incipere à DEI vocatione, sinè meritis exhibita, *quâ nullis eorum existentibus Meritis vocantur*: Ergo prima Gratia vocans non cadit sub Meritum de congruo viatoris.

Probatur secundò ratione: Tum quia Gratia Actualis vocans, & excitans est principium omnis Meriti subsequentis: Ergò nequit cadere sub Meritum etiam de congruo viatoris sibi merentis Conseq. tenet; quia principium, Meriti non cadit sub Meritum: aliàs esset principium, & principiatum; prius, & posterius; quod implicat. Tum quia opposita sententia, nisi rectè explicetur, videtur sapere Semipelagianismum, qui Gratiam DEI subjiciebat humanæ voluntati, & ei proprijs viribus bene incipienti, ac desideranti dobebat eandem Gratiam dari tanquam ob Meritum de congruo; ùt egrotem hunc anatomizat P. Smising *tract: 1. dist: 6. n. 316.* cum Præposito *1. parte q. 23 n. 30.* & alijs: Ergo prima Gratia Actualis vocans, & excitans non cadit sub Meritum de congruo.

13 *Scotus defenditur contra censores, & glossatur*

Objicies cum adversarijs: Scotus videtur *4. dist: 14. q. 2. n. 14.* docere, hominé de congruo posse Gratiam mereri primam Actualē; ait enim, quòd *peccator in peccatis existens possit ex naturalibus cum communi influentia, considerare peccatum commissum ùt offensivum DEI, &c. & tandem elicere attritionem, quæ sit dispositio, & Meritum de congruo ad deletionem peccati*: Ergo eô ipsô ex puris naturalibus meretur primam Gratiam actualem, quæ ad attritionem requiritur. Ob hoc dictum quidam AA. audaculi impræmediatè, & ex ignorantia phrasis Scotisticæ insimulant Semipelagianum Doct: Subtil. uti & alios veteres Scholasticos idem docentes, puta Alensem, Albertum, Occamum, Altisiodorensem, Richardum, Gabrielem, imò & D. Thomam. Respondeo interpretando Scotum, & citatos DD. quòd per ly *ex naturalibus, & communi influentia*, non excludant auxilia Gratiæ Actualis, & specialem DEI concursum ùt necessarium ad attritionem; sed ea includunt per ly *communi influentia*; nam in phrasi Scoti maximè auxilia Gratiæ Actualis dicuntur esse *communis influentiæ*, seu *communia*, eò quòd omnibus hominibus sint parata, & communicentur omnibus à DEO quoad sufficientiam, ùt dixi alibi. Et ly *naturalibus* usurpat Doctor pro naturalibus adjutis Divinâ Gratiâ: nam quando pura naturalia vult exprimere addit ly *ex intrinsecis naturalibus*, ùt facit *Quodlib. 14. n. 5.* Itaque præfatis verbis Scotus solùm excludit Gratiam sanctificantem, tanquam non necessariam ad eliciendam attritionem. Et quòd hæc sit genuina Scoti mens, patet ex alijs ejus dictis, quibus ad pœnitendum sive actu attritionis, sive contritionis, requirit auxilium Gratiæ Actualis præveniensis; cùm sit opus DEI, ùt 1. *dist: 44. q. unic. num: 4.* Et *in 4. dist: 20. q. unic: n. 3.* ubi dicit, cùm *opus sit, non hominis, sed DEI, fructuosa pœnitentia, inspirare eam potest quandocunque vult suâ misericordiâ.*

Quæstio VI.

Varia circa Meritum resolvuntur.

1. *DEUS remunerat merita etiã ex justitia.*



DICO primò: DEUS Merita viatoris de condigno remunerat, non ex solo motivo fidelitatis, vel gratitudinis; sed etiam aliquô modô ex motivo Justitiæ. Ita Scotus *4. dist: 46. q. 1.* Bassolius, Mastrius, Vulpes, & alij. Scotistæ, contra Vasquem, Turrian: &c. Et ex nostris contra Smisi: Hicquæum, Gallum, &c.

Probatur primò: Authoritate Sacræ Scripturæ asserentis Justitiam DEI remunerativam; ùt 1. ad Corinth; 3. *unusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem*; merces autem ex justitia remunerativa datur. Et 2. ad Tim: 4. *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Secundò authoritate S. Bernardi, ibidem dicentis *tract: de grat: & lib: arbit:* præmium æternum nostrorum operum *vocat promissum quidem ex misericordia; sed jam ex justitia persolvendum.* Tertiò ratione; ex promissione onerosa sub conditione condigni ad rem promissam oritur obligatio ex Justitia; ùt constat de obligatione reddendi denarium alicui operario facta in conventione de labore diurno: sed DEUS promisit nostris Meritis de condigno vitam æternam, & alia præmia supernaturalia, ùt ostensum est *dist:* 1. *q.* 4. *not.* 1. Ergo ex tali promissione revera oritur obligatio ex Justitia remunerandi ejusmodi merita; & non tantùm ex motivo fidelitatis, & gratitudinis.

2. *Justitia remunerativa non est rigorosa.*

Dico secundò: Justitia remunerativa DEI non est Justitia rigorosa commutativa; sed secundùm quid. Ita Scotus *4. dist: 40. q. 1.* Bassolius, Vulpes, Mastrius &c. contra Suar: Zumel, Bellarm: Montes: Caspen: & ex nostris contra Poncium, & Bellutum, asserentes Iustitiam remunerativam DEI esse Justitiam commutativam propriè dictam.

Probatur primò authoritate SS: P: docentium DEUM non reddere debitum; DEUM nihil nobis debere; hominum Meritis non deberi ex jure vitam æternam, &c. quò loquendi modô datur intelligi, DEUM non remunerare Merita nostra ex Justitia strictâ & rigorosa: sic dicit S. Anselmus *prosolog. cap. 18. justus es, non quia reddis debitum; sed quia facis, quod decet te summum bonum.* Et D. Augustinus *1. confess: cap: 4. reddis debita nulli debens.* Et S. Bernardus *serm. 1. de Annunc: neq; talia sunt hominum Merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex Jure*: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Justitiæ remunerativæ DEI desunt principales conditiones regulariter requisitæ ad rigorosam Justitiam commutativam; ut ostendo *Tom: 4. tract: de Virtut: Cardin: dist: 3. q. 2.* & breviter hîc recolo; nam una conditio Justitiæ rigorosæ secundùm communem TT: est, ut obligatio orta ex Merito operantis non fundetur in gratia, & liberali acceptione munerantis; hæc autem deficit in Meritis hominum apud DEUM, utpote, quæ fundantur in multiplici gratia DEI, puta Justificantis, & auxiliantis, item in liberali, & gratiosa acceptatione ejusdem. Altera conditio est, ut illud, quod datur alteri ex rigorosa Justitia, ita sit ex bonis proprijs ipsius creditoris, ut nullô modô sit opus debitoris; hæc etiam deficit in Meritis hominũ apud DEUM; nam opera nostra sunt ipsius DEI, & multis titulis ei debita. Tertia conditio est, ut objectum, vel materia Justitiæ rigorosæ commutativæ sit commutatio dati, & accepti secundùm veram translationem dominij: & ista pariter deficit; quia DEUS transfundendo gloriam in nos propter Merita, non privatur suô dominiô. Quarta est, ut tam dans, quàm accipiens sit sui juris: & hæc non reperitur in proposito; quia homo accipiens præmium vitæ æternæ non est sui Juris alti; sed subest DEO: Ergo defectu talium conditionum justitia remunerativa DEI non est Justitia rigorosa; sed tantùm secundùm quid, quatenus quidem DEUS retribuit præmium, ut Mercedem, ex promissione liberaliter homini facta, quâ onus, seu obligationem aliquam contraxit retribuendi, & præmiandi opera hominum ritè facta; non tamen cum rigore justitiæ commutativæ: quare ejusmodi Justitia potiùs deberet appellari retributiva, & præmiativa; quàm commutativa.

3. *Est tamen propriè dicta.*

Dico tertiò: Justitia tamen DEI remunerativa, est Justitia propriè distributiva. Ita Scotus *4. dist: 46 q. 1.* cum suis; & communi TT.

Probatur: Ratio justitiæ distributivæ in hoc consistit, ut unicuique membro

membro reipsa retribuatur secundùm dignitatem suam, servando æqualitatem secundùm proportionem geometricam, dando v.g. pro Meritis ùt sex, gloriam ùt sex: sed talem exercet DEUS in remunerando Merita de condigno suorum servorum, & prædestinatorum, qui sunt membra Reipublicæ cælestis, seu Ecclesiæ triumphantis, dando nimirum præmium juxta Meritorum dignitatem; ùt eruditè discurrit Scotus *4. dist: 50. q. 5.* Ergo justitia DEI remunerativa est justitia propriè distributiva. Min: patet ex illo Ioan: *14. in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, ubi per mansiones diversas diversitas præmiorum distribuendorum à Iustitia Divina juxta Meritorum dignitatem & majoritatem exprimitur.

4. *Merita accipiunt specialem valorem à Gratia Christi, à qua procedunt.*

Dico quartò: Probabiliùs Merita Iustorum sortiuntur peculiarem dignitatem, & majorem rationem meritoriam ex eo, quòd procedant ex Gratia data propter Merita Christi; quàm si non procederent ex illa, sed aliunde collata immediatè à DEO, sinè relatione ad Merita Christi. Est conformis principijs Scoti, quæ tradit de magnitudine Meritorum Christi *3. dist. 19.* Et *in 4. dist: 2. q. 1.* Et sequitur Mastrius, Suar. Amicus, Lezana, & alij RR. contra Vasq. Ripald. Turrian. Arriagam, Montesini, &c.

Probatur *primò* authoritate Tridentini *sess: 14. cap: 8* dicentis, *in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent*, id est valorem, & dignitatem specialem. *Secundò* ratione: Tum quia in obsequio aliquo Cæsari oblato, Cæsar non solùm attendit intrinsecum valorem, & dignitatem obsequij; sed etiam extrinsecam personæ offerentis dignitatem, quæ moraliter in ipsum opus redundat ex oblatione personæ offerentis: Ergo similiter DEUS attendit non tantùm intrinsecum valorem Meritorum in justis; sed etiam externam personam Christi, illa Merita DEO Patri offerentis, à cujus oblatione proinde peculiarem dignitatem, & majorem vim meritoriam sortiuntur. Tum quia hæc sententia est magis pia, & extollens Merita Christi; & aliunde nullum dicit inconveniens: Ergo tenenda.

5. *Merita includentia displicentiā peccatorum*

Dico quintò: Merita justorum includentia veram displicentiam peccatorum venialium possunt de condigno esse satisfactoria pro ijsdem peccatis, atque promerentia remissionem eorundem. Ita S. Thom. Suar. Henriquez, Vasquez, &c. contra Zumel, Soto, Valenti &c.

venialium possunt esse satisfactoria de condigno pro peccatis.

Probatur: Tum authoritate Sacræ Scripturæ; promittentis Meritis in conclusione specificatis remissionem peccatorum; unde dicitur *1.* Ioan: *1. si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra*; ubi secundùm D. Augustinum *tract. 1. Joan:* maximè est sermo de venialibus; & patet ex textu antecedenti; *si dixerimus, quia peccatum non habemus*, quod maximè ob venialia dictum est. Tum ratione; quia Merita includentia displicentiam de peccatis venialibus habent bonitatem non minorem, quàm sit malitia peccatorum venialium: Item illa Merita non minùs convertunt ad DEUM quàm venialia avertant: Ergo ejusmodi Merita justorum possunt esse satisfactoria, & promerentia remissionem venialium peccatorum.

6. *Quædam etiam de condigno satisfactoria pœnarum temporaliū.*

Dico sextò: Quædam etiam Merita Justorum, ùt sunt opera pœnitentiæ, jejunium, oratio, eleemosyna, corporales afflictiones, &c. sunt de condigno satisfactoria pro pœnis temporalibus in quas à DEO commutatæ fuerint æternæ, in remissione culparum. Ita communis Catholicorum; contra Hæreticos modernos, adimentes bonis operibus omnem vim satisfaciendi pro pœnis temporalibus.

Probatur: Tum quia constat ex Tridentino *sess: 14. cap: 9.* dicente, *docet præterea tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis, sponte à nobis assumptis, pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitriò pro delicto impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est. temporalibus flagellis à DEO inflictis, & patienter toleratis, apud DEUM Patrem per Christum JESUM satisfacere valeamus.* Tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, applicantis opera pœnalia, maximè afflictiones corporeas voluntarias, jejunia, eleemosynas, orationes, &c. pro obtinenda remissione pœnarum temporalium. Tum quia ex eodem motivo S. Litteræ passim recommendant eleemosynas, orationes, jejunia, & eis promittunt remissionem peccatorum, quod maximè intelligendum est de condigno quoad pœnas. Tum quia ideo in Sacramento Pœnitentiæ injungitur satisfactio, per aliqua opera pœnitentiæ præstanda. Tum tandem quia.

quia ita habet communis doctrina SS: PP: quos refert Bellarm: *lib. 4. de pœnit*: Ergo quædam Merita justorum, ùt sunt pœnitentialia, sunt satisfactoria de condigno pro pœnis temporalibus. Unde à tribus Pontificibus damnata est illa propositio Mich: Baij *satisfactiones laboriosa justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.*

Objectiones Hæreticorum solvi Tom. 3. *de Sacrament. dist 12. q. 1.* ubi etiam plura docui de qualitate, & conditione operum pœnitentialium, ut sint satisfactoria pro pœnis temporalibus.

7. *Meritum potest augeri ex præstantia objecti,*

Dico septimò: Augmentum Meriti crescere potest ex varijs capitibus. Ita S. Bonavent: Herinx, Zumel, Tannerus, & communis DD.

Probatur afferendo varia capita: nam primò augetur Meritum ex majori bonitate, & præstantia sui objecti, & ex præstantiori fine extrinseco. Ita habent citati DD. Ratio est; quia major bonitas objecti, & finis extrinsecus afferunt actui in esse morali perfectionem majorem: Ergo & in esse Meriti. Conq: tenet; quia valor, & dignitas Meriti ad præmium dependet etiam à bonitate objecti, & finis: Ex hoc capite perfectiora sunt Merita opera virtutum Theologicarum, quàm moralium.

8. *Ex majori libertate,*

Secundò augetur Meritum ex majori libertate, Ita habet Herincx, & alij AA, Ratio est; quia sicut decrescit malitia peccati ob minorem libertatem, ùt patet in peccatis concupiscentiæ carnalis vehementissimæ; ita crescit bonitas, & valor Meriti propter majorem libertatem. Ex hoc capite Professio Regiosa, quâ quis se liberrimè obstrinxit tribus votis publicis, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, censenda est Meritum valdè sublime, & gradualiter perfectum.

9. *Ex majori intensione,*

Tertiò; crescit Meritum ex circumstantia majoris intensionis, & fervoris actûs. Ita habet S. Bonaventura, Tannerus, Herincx, Valent: Navar: Henriq. &c; Ratio est; quia hujusmodi intensio in actu charitatis recommendatur per illud Deut. 6. *diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*; Ergo videtur peculiarem perfectionem, & augmentum afferre actui Meritorio charitatis: eadem autem est ratio de intensione aliorum actuum: Ergo &c. Deinde peccatum est deterius ratione majoris intensionis actûs: Ergo Meritum est perfectius ratione ejusdem.

10. *Ex duratione.*

Quartò: Crescit Meritum ex circumstantia liberæ continuationis, seu durationis longioris. Ita Suar. Herincx Henriq. Vasq. &c. Ratio est, quia plus sancti laboris impenditur in Merito continuato per notabile tempus; omnis autem labor sanctus recipit mercedem secundùm illud 1. ad Cor: 3. *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*: Ergo longior labor majorem mercedem; atque adeò Meritum exigens talem mercedem est perfectius.

11. *Ex modo tendendi.*

Quintò: Augetur Meritum ex modo tendendi: ut si voluntas exerceat opera, cum majori firmitate stantibus tentationibus in oppositum, vel cum majori universalitate, quâ parata est plurium virtutum opera ponere, cum majori puritate, quâ magis propter DEUM, & ipsam honestatem virtutis vult operari; & tandem cum majori appretiatione, quâ se Divinæ voluntati omnimode subjicit; quod potissimè fit in operibus dilectionis DEI super omnia. Ita S: Thomas, Herincx, Navar. &c. Ratio est; quia ejusmedi circumstantiæ indicant specialem affectum, & laborem operantis; adeoque afferunt actui meritorio aliqualé accrescentiam.

12. *Ex quantitate rei.*

Sextò; crescit Meritum ex quantitate rei, quæ subjicitur operi, & ex incommoditate, ac damno, quod patitur ex rei absentia. Ita S. Bonavent: Herincx Navar: &c: Ratio primi est; quia revera perfectius ponit opus misericordiæ, magis sublevativum pauperi, qui tres Florenos Germanicos eleemosynæ locô dat egeno, quàm qui decem porrigit habenti easdem facultates. Ratio secundi; quia similiter is, qui non nisi triginta habens Florenos in tota sua substantia nihilominus pro stipe pauperis erogat decem, perfectius Meritum exercet; quàm is, qui quinquaginta largitur, habenti facultates copiosas; quia privando se decem Florenis, notabile damnum, & incommodum suis facultatibus affert.

13. *Ex difficultate operis.*

Septimò: sæpe augetur gradualiter ratio Meriti propter difficultatem operis ponendi; quando nimirum operans verfari vult circa objectum valde arduum; quale est pati tormenta, Religionem aliquam austeram, v. g. Franciscanorum Reform: profiteri; vel quando operans est naturæ teneræ, quæ dura admodum

difficulter

difficulter potest perficere; vel quando laborat inclinatione vitiosâ ab opere meritorio retrahente. Ita S. Bonavent: S. Thomas, Tannerus, Herincx &c: Ratio est; quia difficultas operis exigit in operante amorem finis appretiativè perfectiorem, ejusquè signum, quatenus ob id operans debet esse paratus aggredi opus arduum; amor autem appretiativè perfectior, perfectius reddit opus: Ergo Meritum ratione difficultatis crescit in perfectione morali meritoria.

14. *Ex dignitate personæ operantis.*

Octavò: quandoque crescit Meriti valor ex dignitate personæ operantis. Ita S. Thomas, Svarez, Tannerus, Victoria, &c: Ratio est; quia Merita Christi habuerunt perfectiorem valorem ex dignitate personæ Divinæ in Christo repertæ: Ergo idem proportione servatâ dicendum est in quibusdam casibus de Meritis personarum creatarum valde dignarum operantium; sic v. g. Meritum erit perfectius ex hoc capite, si Cæsar visitet nosocomia, & leprosis ex amore DEI inserviat; quàm si trivialis persona hoc faciat.

15. *Ex majoritate gratiæ habitualis.*

Nonò: tandem etiam crescit dignitas, & valor meriti ex majoritate gratiæ habitualis operantis cæteris paribus. Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 14. q. 2. art. 2.* & habet S. Bonaventura, Mastrius, Amicus &c: contra Vasq: Medinam, Crabreram, Aversam, &c: Ratio est; Tum quia gratia habitualis constituit hominem dignum ad merendum simpliciter: Ergo major gratia ad perfectiùs merendum, juxta illam regulam posterioristicam; *sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis*: atque ita magis crescit Meriti valor à magis gratia, seu majoritate gratiæ habitualis. Tum quia in humanis quò persona operans est gratior alicui, eò gratiores sunt operationes ejus; Ergo idem dicendum in proposito.

16. *Praxis distribuendi litteras filiationis Ordinis Regularis est licita, & bona.*

Quæres quid, sit sentiendum de praxi Religionum, quâ litteræ filiationis, confraternitatis seu communicatoriæ Meritorum earundem à Prælatis Religionum, quibusdam personis affectis, & de iisdem Ordinibus bene Meritis exhibentur? Respondeo sequentibus.

Primò: Ejusmodi praxim esse licitam, laudabilem, & veterem in plerisque Institutis Regularibus. Ita Rodriquez, Corduba, Herincx, & communis Canonistarum Regularium. Ratio est; Tum quia ita concessit Generali Ordinis Seraphici Urbanus. V. ùt refert Rodriquez *tom: 1. qq. Regul: quæst: 33. art. 2.* Tum quia non videtur ex quo capite talis praxis esset illicita. Tum quia unus homo alteri potest mereri de congruo varia beneficia, puta gratiam Sanctificantem, & actualé, reparationem à lapsu, donum finalis perseverantiæ, bona temporalia &c: ùt suprà ostendi *quæst: 4. concl: 5.* Ergo Prælatus alicujus Religionis potest ad ejusmodi effectus subditorum suorum opera bona, ùt jejunia, orationes mentales & vocales, macerationes carnis per disciplinas, & cilicia, prædicationes, lectiones, instructiones ignorantium, conversionem peccatorum, Sacramentorum administrationes, aliosq; actus, tum virtutum Theologicarum, tum moralium, filio Spirituali, & confratri per litteras participationis Meritorum, instar Meritorum de congruo, subditis tacitè consentientibus applicare.

17. *Communicatio meritorum in filiatione non debet fieri instar Indulgentiæ.*

Secundò: Ut dicta praxis ritè perficiatur, non debet fieri filiatio, seu communicatio Meritorum Religionis per modum Indulgentiæ. Ita Rodriquez, Herincx, & communis D. D: Reg: Ratio est; quia Meritorum per modum Indulgentiæ applicatio spectat ad solum, sum: Pontificem, & eos, quibus sum: Pontifex dispensationé Thesauri Ecclesiæ concedit; de quorum numero regulariter non sunt Prælati Regulares.

18. *Debet fieri ante opera Religiosorū elicita.*

Tertiò: ut dicta communicatio intentum sortiatur effectum, debent subditorum Regularium talis Religionis, cujus Merita participantur, opera à Prælato Regulari applicari, antequam exerceantur à subditis. Insuper subditi debent ante eorum exercitium, vel in ipso exercitio habere intentionem aliquam, saltèm virtualem, vel habitualem de applicandis suis operibus pro filiis, & confratribus Ordinis participantibus; sufficit autem si ejusmodi intentio sit confusa, & in genere, imò si sit talis, quâ quis intendit actu, vel aliquando intendebat opera sua ad Prælati dispositionem ordinare, atque elicere; modò talem intentionem contrariò actu non revocaverit; vel positivè aboleverit. Ratio primi est; quia nisi dictæ conditiones observentur circa communicationem Meritorum Religionis, opera subditorum cadunt in Thesaurum Ecclesiæ, qui collectus est ex Meritis Christi, & Sanctorum tam in cœlo, quàm adhuc in terra existentium,

um, quorum præcipua portio sunt Religiosæ Personæ, uberes passim fructus bonorum operum referentes. Ratio secundi; quia subditi habent dominium suorum bonorum operum, adeoq; debent consentire aliquando in eorum applicationem per intentionem actualem, virtualem, vel habitualem.

19. *Et per modū impetrationis, seu meriti de congruo.*

Quartò: præfata applicatio Meritorum debet fieri à Prælato Ordinis per modum impetrationis, & Meritorum de congruo, ita ut offerat ea DEO in ordine ad beneficia supernaturalia v. g. conversionis, collationis gratiarum actualium, profectûs virtutum, præservationis à peccatis, morte, & periculis, ad elargitionem emolumentorum corporalium, &c: pro filijs participantibus, & confratribus Ordinis impetranda, per Merita Religiosorum talis Religionis, eô modô, quô per Merita Abrahæ DEUS impertijt Loth liberationem à morte, ùt discurrit Rodriquez, & alij D D.

Nota pro fine: subditos Regulares nullam pati jacturam, aut imminutionem in fructu suorum bonorum operum; etsi plurimis personis à Prælatis Ordinis fiat communicatio eorundem. Ratio est; quia mediante tali communicatione plurimi filij, & confrates obtinent beneficia conversionis; atque ita augetur numerus Justorum confratrum, operantium salubriter, visque impetrandi crescit, & thesaurus Meritorum Ordinis locupletatur, communis toti collectioni confratrum tam Religiosorum, quàm incorporatorum, seu assumptorum vigore filialis ac Fraternæ Litteræ.

FINIS.

Submitto me quoque in hoc & alijs meis tractatibus S. Matri Ecclesiæ.



TRA-

TRACTATUS VII. DE ACTIBUS HUMANIS.

PRÆFATIO.



In præsenti Tractatu, Theologo summè necessario, juxta Principia, tum physica, tum moralia, tum Theologica exhibebo Actionum moralium Theoriam, elucidando earum naturam; divisionem; principium generale elicitivum puta liberum arbitrium Conditiones quoque ejus, cujusmodi sunt ratio Voluntarij, Involuntarij &c. differentias bonitatis, & malitiæ moralis; circumstantias; ac regulas earundē;ut ita innotescat,quo pacto vita humana sit rectè cōponenda in opere moris, operaque Ethicè ac Theologicè perfecta elicienda,in Ordine ad honestè vivendum, atque finem ultimum supernaturalem scilicet beatitudinem, assequendum; qualiter itidem actus vitiosi à regulis probatis moralibus deviantes omittendi, quibus harmonia rectæ vitæ moralis dissolvitur, ac discordatur: Unde sit.

DISTINCTIO I.

De quidditate; & divisione Actûs Humani; ejusdemque principio, libero videlicet Arbitrio.

QUÆSTIO I.

Quid; & quoduplex sit Actus Humanus.



1. *Varius usus Actus Humani.* Nota primò: Secundùm primævum, & grammaticum Usum nominum idem esse Actum Humanum, ac actum Hominis, seu ab homine quocunque modo elicitum; unde omnis operatio ab homine proficiscēs grammaticaliter appellari potest Actus humanus, v. g. vegetatio, Nutritio, augmentatio &c: Verùm apud Theologos hodie Actus humanus vocatur sola illa actio, quæ elicitur ab homine liberè, & deliberatè per voluntatem ex prævia cognitione intellectiva, uti docet Scotus. 4. *dist. 6. quæst. 3.* & D. Thomas *part. 2. q. 1. art. 1.* inquiens, *Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.*

Nota secundò: Actum Humanum sic Theologicè usurpatum passim quoque appellari *Moralem*, appellatione desumpta à moribus, qui vel sunt honesti, vel turpes; si honesti sint, & intellectus operans in objecto attendat eorum honestatem, 2. *Cur Actus Humanus dicatur moralis.*

statem, sequitur à voluntate Actus Humanus, qui dicitur Actus moralis bonus; si turpes sint, & intellectus ejusmodi turpitudinem attendat, ponitur Actus moralis malus.

Dico primò: Rectè definitur Actus Humanus, seu Moralis, quód sit *actio voluntatis humanæ mediatè, vel immediatè, liberè elicita, & orta ex cognitione boni, vel mali moraliter, dictante præfatum actum.* Ita elicitur ex Scoto *citato* 1. Et *2. dist. 41.*

3. *Vera definitio Actus Humani,*

Probatur: Hæc definitio constat omnibus prærequisitis ad rectam definitionem; uti patet discurrendo per singulas conditiones Dialecticas probæ definitionis. Ergo: &c: Ly *Actio* est genus: reliqua ponuntur locô differentiæ. Ponitur *Actio voluntatis mediatè vel immediatè*, ut ostendatur Actûs Humani principium primarium effectivum, quod est voluntas hominis, seu liberum arbitrium elicitivè vel imperativè influens. Additur *liberè elicita*, ùt Actus Humanus distinguatur ab actibus brutorum, amore DEI erga se, & Beatorum erga DEUM in patria, ac à motibus primò primis hominis, qui Actus Humani non sunt, defectu perfectæ liberæ elicitionis. Apponitur Ly *Orta ex cognitione boni vel mali*, ut indigitetur ad exercitium Actûs Humani prævié prærequiri etiam actum intellectûs repræsentantis rationem boni vel mali: & ut excludantur à ratione Actûs Humani illæ operationes, quæ etsi liberæ sint, fiunt tamen ex sola imaginatione quadam, sine deliberativa advertentia intellectûs; cujusmodi sunt fricatio barbæ, motio manûs. Adjicitur tandem Ly *dictante præfatum Actum*, ut insinuetur, Actum intellectûs, qui ad Actum Humanum prævié concurrit, debere esse cum plena advertentia deliberativum, sufficienter dictativum, & ostensivum ejusdem; cùm secundùm Poëtam *ignoti nulla sit cupido*; & secundùm Philosophum *nihil volitum nisi præcognitum*; Et secundùm August: *lib. 10. de Trin: cap. 1. Rem prorsus ignotam, amare omninò nullus possit.*

4. *Quid actus Humanus Bonus Malus, & Indifferens.*

Nota tertiò circa divisionem Actus Humani; eum primò partiri in Actum moraliter bonum, & Actum moraliter malum, & indifferentem. *Actus Humanus moraliter bonus* est ille qui est conformis rectæ rationi, & regulis moralibus ad benè operandum Constitutis; talis est actus dilectionis DEI super omnia, actus observantiæ præceptorum DEI, & Ecclesiæ &c: *Actus moraliter malus* è contra est ille, qui est difformis rectæ rationi & regulis moralibus: hujusmodi est odium DEI, vel proximi, transgressio hujus, vel illius Legis Divinæ vel Humanæ, justæ & rationabilis. *Actus indifferens* est actus medius inter moraliter bonum & moraliter malum; unde nec laude, nec vituperiô dignus est; estque duplex, Indifferens nimirum *in specie*, qui ex objecto (à quo actus moralis specificatur) neque bonitatem, neque malitiam ullam moralem sumit; Talis est fricare barbam, ambulare, elevare festucam &c: Et *Indifferens in Individuo*, qui hic & nunc spectatis circumstantijs qui saltem extrinescè individuant Actus Humanos exercetur, aut ponitur actualiter; talis est hæc numero fricatio barbæ à Petro hoc instanti elicita; hæc in individuatione elevatio festucæ A. v. g.

5. *Multiplex divisio Actus Humani boni.*

Nota quartò: Actum Humanum moraliter bonum deinde subdividi in tot classes, species subalternas, & atomas, in quot ramificatur, ac dividitur virtus actualis sive Ethica purè Philosophica & naturalis, carens Meritô Thologicô; sive supernaturalis, habens annexum aliquod Meritum Theologicum; quare omnes actus virtutum Cardinalium, justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ, &c: Omnes itidem actus virtuosi veræ religionis, obedientiæ, observantiæ legum justarum, castitatis, paupertatis Evangelicæ, patientiæ, fidei, spei, charitatis &c: (de quibus uberiùs in alijs Tomis meæ Theologiæ suis locis tractavi) erunt species contentæ sub Actu ùt sic moraliter bono.

6. *Quænam sint species Actûs Humani mali.*

Nota quintò: Quód Actus Humanus moraliter malus pariformiter juxta divisionem, & multiplicitatem vitiorum actualium, virtutibus purè Ethicis, & supernaturalibus oppositorum partiatur, in totque descendat species, quot continentur sub vitio ùt sic morali: unde alius est Actus Humanus moraliter malus injustitiæ, alius intemperantiæ, alius temeritatis, alius imprudentiæ, & inimicitiæ &c: alius cultûs falsi DEI, alius inobedientiæ, transitionis legum justarum, veneris, avaritiæ, infidelitatis, desperationis, odij, & similium vitiorum, quæ alibi ex professo explicui locis opportunis.

Quæ-

Quæstio II.

De Moralitate Actûs Humani.

1. *Moralitas Actûs Humani non consistit in sola regulatione à ratione.*

Dico primò: Moralitas generica Actûs Humani non consistit adæquatè in sola regulatione&regulabilitate Actûs à ratione; nec in sola libertate; sed in utroque simul. Ita deducitur ex Scoto. *3. dist: 33.* Et S. Bonaventura *2. dist: 41. art. 1. q. 2.* & sequuntur præter Scotistas, Montesinas, Lezana, Coninch, Morandus, Curil, & alij RR. contra Valentiam, & alios Thomistas, quoad primam partem; & contra Oviedo, Saurez, Salas, Aversam &c: quoad secundam.

Probatur prima pars: dantur actus, qui regulantur, & regulabiles sunt à ratione, puta actus beatifici amoris DEI in Beatis Animabus; & tamen hujusmodi actus non habent Moralitatem Actûs Humani; quia non sunt liberi proximè; sed necessarii; nec sunt laude, vel præmio digni: Ergo moralitas Actûs Humani non consistit adæquatè in sola regulatione, & regulabilitate à ratione.

2. *Nec in sola libertate.*

Probatur secunda pars: si in sola libertate consisteret adæquatè Moralitas Actûs Humani, non posset in aliquo actu variari ipsa Moralitas: Ergo in libertate non consistit formaliter Moralitas. Prob. Min. demus Petrum feriâ quintâ paulò ante mediam noctem incipere manducare carnes, & hunc actum continuare usque post mediam noctem; tunc sic, hæc manducatio carnis ante mediam noctem potest habere moralitatem Actûs Humani boni, si fiat ex obedientia v. g. post verò mediam noctem habet moralitatem Actûs Humani mali, quia ab Ecclesia prohibiti; & tamen in eo manet eadem libertas: Ergo potest variari moralitas in aliquo Actu Humano invariatâ libertate.

3. *sed in regulatione, & libertate simul.*

Tertia pars sequitur ex probatione priorum duarum; nam cùm nec sola regulatio, seu directio, & regulabilitas à ratione sufficiat ad constitutioné adæquatam moralitatis in Actu Humano; sequitur, quòd utrumque simul requiratur; primum quidem in recto, & formaliter; secundum verò in obliquo & pro connotato seu fundamentaliter, tanquam prævium, & necessarium totius generis moris fundamentum; ad cujus positionem sequitur moralitas in actu; alioquin si actus libertatem non connotaret, non esset imputabilis ad præmium; quia non in potestate ponentis illum actum, ùt arguté arguit hic Scotus.

4. *Moralitas non est essentialis Actui physico quà tali.*

Dico secundò: Moralitas non est essentialis physicæ entitati Actûs Humani, sed ei accidentaliter superadditur. Ita colligitur ex Scoto *1. dist: 17. q. 2.* docetque D. Bonaventura, Cajetan. Zumel, Medina, & alij Thomistæ &c: contra Granados & alios.

Probatur: illud non potest dici, esse essentiale Actui Humano, quod potest nunc adesse, nunc abesse ab entitate physica Actûs Humani: sed moralitas, quæ modò inest entitati physicæ alicujus Actûs Humani, potest pro alio tempore abesse ab eadem entitate, salvâ subsistente ipsâ entitate; uti patet in exemplo de manducatione carniũ, paulò antè allato: Ergo hujusmodi moralitas non est essentialis physicæ entitati Actûs Humani; sed ei accidit tanquam quoddam accidens separabile.

5. *Nec est accidens aliquod reale in rigore.*

Dico tertiò: Moralitas Actûs Humani non importat formaliter accidens aliquod reale absolutum, vel relativum, subjectatum in actu; sed solam denominationem extrinsecam, derelictam in actibus ipsis liberis ex regula rationis dirigente & dictante quid sit operandum. Ita elicitur ex Scoto. *1. dist. 12. q. 1.* Et *dist. 13.* Et *dist. 17. q. 2.* Et sequuntur Scotistæ, ac plures Neutristæ, Oviedo; Suar: Vasq. &c: contra Thomistas, Alvarez, Zumel, Corneio, Lezanam &c:

Probatur: Moralitas in alijs rebus, v. g. pretiis civilibus rerum venalium, in contractibus humanis, dominio & servitute non importat formaliter aliquod accidens, reale, absolutum, vel relativum intrinsecè inhærens rebus; sed solam denominationem extrinsecam: Ergo idem dicendum de moralitate Actûs Humani. Itaque moralitas ista est dũtaxat quædam denominatio liberi regulati, derelicta in Actu Humano ex terminatione dictaminis intellectûs regulantis Petri v. g. Actum Humanum elicientis & derivata in ipsum actum; eò modò, quò derelinquitur in pariete, quẽ cognosco, denominatio quædam extrinseca cogniti, absque omni forma reali.

reali absoluta, vel relativa intrinsecè ipsi parieti inhærente.

6. *Objectionibus quibusdam.* Obijcies *primò* contra hanc conclusionem: Actus Humanus moraliter bonus dicitur verè, & realiter bonus; & Actus moraliter malus, dicitur verè malus: Ergo eorum moralitas dicitur esse aliquod accidens reale, intrinsecè inhærens. *Secundò*: Actus Humanus moraliter bonus habet proprietates, & effectus strictè reales; quia est laudabilis, & meritorius, generat strictè realem habitum virtutis &c. Ergo ejus moralitas debet esse aliquod reale.

7. *Respondetur.* Respondeo *ad Primum*: Neg. Conseq. nam ad hoc, ut Actus Humanus dicatur verè, & realiter bonus (idem servatis servandis dic de malo) sufficit ut realiter terminet actum intellectûs debitè dirigentis, seu practicè dictantis, ac rectè regulantis; & quòd debitè sit regulatus ac directus à recta ratione; quod fieri potest sine omni forma reali intrinsecè inhærente. *Ad secundum* respondeo primò Neg. Ant. quia ratio laudabilis, & meritorij non est strictè realis; utpote proveniens ab æstimatione morali hominum, & Divina acceptatione. Respondeo secundò, Dist. Ant: habet proprietates, & effectus strictè reales, si considerentur secundùm esse materiale, & substratum Conc. Ant. si considerentur secundùm esse formale, & morale. Neg. Ant.

QUÆSTIO III.

Quid sit liberum arbitrium, ad Actum Humanum requisitum.

1. *Authores variè definiunt liberum arbitrium.*



AD eliciendum quemvis Actum Humanum indispensabiliter in ratione principij generalis concurrit liberum arbitrium; quòd Magister Sent. *dist*: *24*. ex Augustino *lib. de Ecclesiast*: *dog. cap. 21*. definit dicendo, *liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, quâ bonum eligitur Gratiâ assistente, vel malum eâdem desistente*. S. verò Anselmus *de lib. Arbit. cap. 3. liberum arbitrium est potestas servandæ rectitudinis voluntatis propter rectitudinē ipsam*: sed clariùs.

Dico primò: Rectè definitur liberum arbitrium, quòd *sit facultas activa cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis ad operandū ita ut positis omnibus prærequisitis ad operandum, possit agere, vel non agere; & agere hoc, vel agere oppositum.* Deducitur ex Scoto *2. dist. 25. q. un.* Et *dist. 12. q. 1.* 2. *Definitio exactior liberi arbitrij.*

Probatur: hæc definitio exactè aperit naturam liberi arbitrij: Ergo est rectè definitur liberum arbitrium. Probat. Ant. explicando singulas particulas: Ly *facultas* est genus, & simul indigitat, liberum arbitrium non esse purum actum, uti arbitrantur Hervæus, & alij; sed potentiam quamdam, & principium elicitivum. Ly *activa* insinuat liberum arbitrium esse de genere activorum, & non puram potentiam passivam, uti arbitrantur recentiores Hæretici, asserentes liberum arbitrium esse velut inane quoddam, nihil omnino agens, mereque passivè se habens, quod damnatum est in Trident. *sess. 6. can. 4.* Ly *cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis* monstrat liberum arbitrium esse omnino liberrimum agens, ita ut possit ponere velle, & non velle circa aliquod objectum, in quo consistit libertas contradictionis; item ponere velle, & nolle, in quo consistit libertas contrarietatis. Reliquæ particulæ sunt additæ majoris explicationis causâ, & coincidunt, cum mox data glossa indifferentiæ utriusque.

Dico secundò: Liberum arbitrium non est aliquis habitus, vel facilitas quædam operandi, orta ex conjunctione rationis, & volūtatis. Est Scotist: & Thomist. cōmunis; contra quosdam veteres. 3. *Liberum arbitrium non est habitus rationis & voluntatis.*

Probatur *primò*: Liberum arbitrium est homini insitum à natura; estquè inamissibile à natura; habitus autem primò comparatur per actus, potestquè natura hominis carere habitu, & jam acquisitum amittere: Ergo liberum arbitrium non est aliquis habitus. *Secundò*: omnis habitus ex ratione sua tollit indifferentiam, & determinat ad unum, non inclinando ad alterum oppositum: liberum autem arbitrium tribuit indifferentiam ad oppositum, & ex se non determinat ad unum: Ergo non rectè statuitur esse aliquis habitus.

Dico tertiò: Liberum arbitrium non est aliquod coalescens ex actibus intellectûs, & voluntatis. Ita utraque Schola Subtilis, & Angelica; contra Hervæum, & Durand. 4. *Nec est aliquid coalescens ex actibus intellectûs & voluntatis.*

Probatur

Probatur: Tum quia de novo actus intellectûs & voluntatis superadduntur naturæ humanæ, suntque separabiles ab ea, quod dici nequit de libero arbitrio: Ergo &c. Tum quia ex usitato modo loquendi colligitur, liberum arbitrium non esse aliquem actum; ut bene observat D. Thomas, *1. P. q. 8. art. 2.* sed principium actûs, quo homo liberè operatur; dicimus enim in hominis libero arbitrio situm esse, velle, vel non velle aliquid; eique liberum arbitrium à natura insitum esse in ordine ad aliquem actum; ut loquitur S. Bernard. *lib. de grat. & lib. arbit.* Ergo liberum arbitrium non est aliquod coalescens ex actibus intellectûs, & voluntatis.

5. *D. Bernardus, & Magister sent. glossantur.* Dices: S. Bernardus, & Magister Sentent: definiunt liberum arbitrium per judicium intellectûs, & facultatem rationis, utique actualem: Ergo &c. Respondeo *primò* cum D. Thoma. *cit. art. ad 1. consuetum esse potentiam significari per actum*; sic enim per voluntatem significatur tum actus, tum potentia voluntatis. Respondeo *secundò*: D. Bernardum, & Magistrum Sentent. solùm velle, quòd judicium intellectûs, & facultas rationis præsupponatur, prærequiraturque tanquam conditio sine qua non, ad hoc, ut liberum arbitrium possit operari; nihil enim volitum nisi præcognitum.

6. *Liberum arbitrium est ipsamet potentia voluntatis.* Dico quartò: Liberum arbitrium est formaliter ipsamet potentia voluntatis. Ita Scotus *quodl. 18. n. 9.* Et *in 2. dist. 25.* Et Scotistæ, cum D. Thoma ejusque sequacibus.

Probatur *Primò*: Authoritate S. Scripturæ, quæ rationem liberi arbitrij, seu libertatis attribuit voluntati, volens per hoc indigitare, quòd sit eadem facultas; unde dicitur 1. *ad Cor: 7. non habens necessitatem, potestatem* (id est libertatem, seu indifferentiam ad agendum) *autem habens suæ voluntatis.* Et Eccle: 15. *apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris*, (en liberum arbitrium) *porrige manum tuam*: Ergo liberum arbitrium est formaliter ipsamet potentia voluntatis.

7. *CC. PP. & ratio pro conclusione.* Probatur *secundò* authoritate Conciliorum; quæ libertatem voluntatis vocant liberum arbitrium, atque adeò unum pro altero tanquam Synonimon usurpant; sic loquitur Conc: Arausicanum 11. *Can. 13*: Ergo &c. *Tertiò* authoritate SS. PP. idem dogmatizantium, & libertatem seu rationem liberi arbitrij ad voluntatem referendum, atque pro eodem accipientium, ut videre est apud S. Augustinum *lib. de grat. & lib. arbitr. cap: 2.* Et apud Prosperum *lib: 1. de vocat: gent. cap. 3.* Et apud Ambrosium *lib. 2. de fide cap. 3.* Et propterea rectè dicit S. Damascenus *lib. 3. de fide cap: 14. Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt*: Ergo &c. *Quartò*: Solius voluntatis est, operari cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis: ipsaque habet in potestate, & dominio actus suos sic, ut de eis ad libitum possit disponere; quod proprium est liberi arbitrij: Ergo liberum arbitrium coincidit formaliter cum ipsa voluntate.

Quæstio IV.

Num in Homine de facto extet verum liberum Arbitrium.



1. *Errores sæcti circa liberum arbitrium.* Æc quæstio movetur contra complures Sectarios veteres, & novos: ex veteribus negabant Stoici, & Priscillianistæ extare in homine liberum arbitrium, potens operari pro libitu; unde docebant omnia hominis opera substare cuidam Fato, seu fatali necessitati, à vi & influxu Siderum provenienti. Contra quos egit Conc. Bracar. *1. can. 9.* D. Augustinus *contra hæreses, hær. 70.* Hieronymus, Leo, & alij PP. Eundem errorem resuscitarunt Abailardus, & Wiclephistæ, ut patet ex actis Concilij Constant: *ss. 8.* ex recentioribus Lutherus *lib. contra Erasm. de servo arbit:* Et *assert. 36.* dicit, *liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sine re*: quam doctrinam deinde mitigavit sic *lib. de visit. Saxon: art. de lib. arbit.* quòd quidem in homine admitti possit liberum arbitrium, respectu actionum externarum, & civilium; non verò respectu moralium, & salutarium: Luthero subscribit Calvinus, Bucerus, & alij Novatores: Contra quos

2. *In homine lapso est liberum arbitrium verû.* Dico primò extat in homine etsi lapso verum liberum arbitrium, etiam ad actiones morales salutares, quod est

principium veri Actûs Humani. Ita Catholici omnes.

secundum Scripturam

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, verum liberum arbitrium cum sua indifferentia ad utrumlibet moralium homini adscribentis; sic dicitur Num. 30. *in arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat.* Et Jos. 24. *optio vobis datur, eligere quod placet, cui servire potissimùm debeatis, utrùm Dijs, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia; an Dijs Amorrhæorum*: Et Eccle. 15. *DEUS ab initio constituit hominem; & reliquit illum in manu Consilij sui; adjecit mandata & præcepta, si volueris mandata servare, conservabunt te; apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi*: Ergo datur in homine etiam lapso liberum arbitrium nomine optionis, electionis, & consilij expressum, tam in ordine ad actiones civiles, quàm morales; authoritates enim istæ generaliter, & Indefinitè loquuntur.

3. *Definitione Ecclesiæ.*

Probatur secundò: Authoritate Ecclesiæ conclusionem definientis; unde Clemens Papa *lib. 3. recognit*: damnavit Simonem Magum, negantem liberum arbitrium. Eundem errorem anathematizavit Concil: Bracarense *I. can. 10.* Et Concilium Constantiense *sess. 8.* & Arausicanum *can. 25.* Et demum Trident *sess. 6. can. 4.* definit, *liberum arbitrium cooperari assentiendo DEO excitanti, & posse dissentire si velit*: *sess. 6. can. 5.* contra Lutherum, dogmatizat, *si quis liberum hominis arbitrium post Ada peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo*, &c: *anathema sit.* Huc etiam faciunt Bullæ Pij. V. Gregorij XV. Urbani VIII. & Innocentij X. editæ contra quasdam propositiones Michaëlis Baij, & Jansenij: Ergo. &c:

4. *Et testimonia SS. Patrum.*

Probatur tertiò: Authoritate SS. PP: liberum arbitrium cum sua omnimoda indifferentia, etiam in homine lapso adstruentium; ùt videre est apud D. Hieronymum *epist. ad Damas: de Filio prodigo.* Et S. Ambrosium *lib. 2. de fide ad Grat. cap. 3.* Et Damascenum *lib. 2. de fide, cap. 16.* Et Nyssenum *lib. 7. sua Philosoph*: Et Leonem *epist. 91. ad Turib.* Et Dionysium *de Ecclesi: hierarch: cap: 2. p. 3.* Et S. Augustinum pluries, signanter *in tribus libris de libero arbitrio; & epist: 46. si non est DEI Gratia, quomodò DEUS salvat mundum; & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* & ibidem *eo ipso quo præceptum est, obedientiam nostram requirit, quæ nulla esse potest sine libero arbitrio.* Et *lib. de Gratia Christi cap. 47.* ait, *revelavit DEUS per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium*: Ergo datur liberum arbitrium verum in homine, etiam lapso, tam quoad actiones externas & civiles; quàm morales & salutares: cùm Patres de salutaribus potissimè loquantur.

5. *Et ratione Theologica.*

Probatur quartò ratione; Tum quia homo quandoque peccat: sed ad peccatum requiritur libertas seu liberum arbitrium; nam quod ex necessitate fit, peccatum non est censendum, secundùm August. *l. de vera Religion. cap. 14.* Ergo &c. Tum quia in homine est vis consultandi: Ergo & eligendi: subsumo; sed ubi est vis eligendi, ibi etiam est libertas arbitrij; cùm ea nil aliud sit, quàm potestas eligendi, quod velis, ùt eruditè discurrit Nyssenus *lib. 7. Philosoph. cap 1.* Ergo &c: Tum quia homo potest mereri vitam æternam: Ergo meritum est in ejus potestate; & consequenter ad illud extat liberum arbitrium, tanquam principium merens. Tum tandem, quia si in homine non extaret verum liberum arbitrium, frustra DEUS ei ordinâsset aliquas leges, omninò observandas, cùm eas defectu libertatis observare nequiret; sicut frustra ordinarentur aliqua præcepta pro Phreneticis, ob similem defectum libertatis; Unde Augustin: *lib: de fide contra Manich. cap. 10.* ait, *quis non clamet, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod pracipitur facere*: Ergo revera extat in homine liberum arbitrium, quô tanquam principiô verò possit elicere Actus Humanos, tùm civiles, tum morales, & salutares observantiæ legum Divinarum, ac humanarum.

6. *Scriptura contra liberum arbitrium proferuntur ab Hæreticis.*

Objiciunt Hæretici primò varias scripturas, evacuantes liberum arbitrium: Nam *primò* ad Rom. 7. dicit Apostolus; *non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, illud facio*: Ergo homo non habet arbitrium liberum ad digo, vel non agendum malum *Secundò*, ad Rom: 8. dicitur, *non est volentis, neque currentis; sed DEI miserentis.* Et ad Ephes: 1. *qui operatur omnia in omnibus.* Ergo DEO imputari debent omnes Actus nostri Humani; & non nostro libero arbitrio. *Tertiò*, nostra voluntas movetur à DEO, juxta illud Proverb. *cap. 21. Cor Regis in Manu Domini est, & quo voluerit, vertet illud*: Ergo homò

homo caret liberô arbitriô in ordine ad se movendum pro libitu.

7. *Sed glossantur pro Catholicis.*

Respondetur ad *Primum* Neg. Conseq. nam Apostolus illis verbis solùm vult ostendere in homine lapso adesse magnam difficultatem etiam cum auxilio DEI, superandi impetum appetitûs sensitivi contra dictamen rectæ rationis, quô fit ut voluntas sæpe immoderatè condelectetur objectô delectabili appetitûs sensitivi contra dictamen rectæ rationis; atq; ita agit malum, quod aliâs non vult secundùm dictamen rectæ rationis. *Ad Authoritates* secundô locô positas Neg. pariter Conseq. nam ex ijs solùm habetur, quòd homo nequeat elicere Actus Humanos supernaturales, & meritorios vitæ æternæ sinè DEI auxilio speciali, quodque operetur DEUS solus tale auxilium in omnibus merentibus. Posset etiam dici, quòd illa authoritas ad Ephes. 1. intelligatur de DEO ùt causa universali, & prima, quæ tamen secum compatitur causam liberi arbitrij. *Ad Tertium* Neg. Conseq. nam etsi DEUS possit, & soleat cor Regis vertere, quò voluerit; hujusmodi tamen versio fit Rege liberè consentiente, & se ad ejusmodi versionem condeterminante, uti explicui *Tom. 1 Tract. 2. dist. 1. q. 7.*

8. *S. Augustinus solùm negat liberi arbitrij plenam instructionem quo ad vires primas.*

Objiciunt secundò ijdem errones: PP. complures docent liberum arbitrium peccato Adæ esse deperditum in posteris ejus; unde Augustinus *epist. 107. ad Vital.* ait, *liberum arbitrium ad diligendum DEUM primi peccati grandine perdidimus.* Et *in Enchirid. cap. 30. liberô arbitriô malè utens homo, & se perdidit, & ipsum.* Respondeo, glossando PP: signanter Augustinum; & dico, eos solùm velle, quòd liberum arbitrium ampliùs non sit instructum omnibus ad diligendum DEUM viribus, Justitiâ videlicet Originali &c. uti erat ante peccatum; adeoque quòd perierit peccatô, quò ad possibilitatem completam bene operandi; etsi quò ad substantiam & suam indifferentiam entitativè remanserit; uti clarè docet idem Augustinus *lib. contra 2. epist. Pelag. cap. 2.* dicens, *quis nostrûm dicat, quòd primi hominis peccatô perierit liberum arbitrium de humano genere?*



QUÆSTIO V.

Quam libertatem; & cognitionem prævium exigat liberum arbitrium ad Actus suos Humanos.



1. *Quid sit libertas à servitute; à coactione; & à necessitate.*

Nota primò: Triplicem potissimùm posse attendi libertatem in creaturis; prima est *libertas à servitute*, secundùm quam censentur libera illa, quæ non sunt mancipia. Secunda est *libertas à coactione*, secundùm quam censentur libera illa, quæ spontaneè ponunt suas operationes, seu quæ non patiuntur aliquam violentiam aut coactionem; hæc convenit etiam brutis. Tertia est *libertas à necessitate*, secundùm quam liberæ censentur creaturæ, quæ nullâ constringuntur necessitate ad operandum, sed pro libitu possunt operari, & hæc est propriè libertas liberi arbitrij Hominis, de qua hîc.

2. *Liberum arbitrium postit libertatē à necessitate.*

Dico primò: Liberum arbitrium in omni opere suo humano postulat libertatem à necessitate, ita ut positis etiam omnibus prærequisitis ad agendum, possit nihilominus non ponere actionem: Ita Malderus, Herincx, & communiter Scotistæ; contra Alvarez, aliosque Thomistas recentiores.

Probatur primò: Tum ex definitione suprà assignata pro libero arbitrio. Tum quia liberum arbitrium omni meliori modô defendendum est contra Hæreticos, illud impugnantes: Ergo ei concedenda est libertas in conclusione assignata. Tum quia Scripturæ, Concilia, & PP: *priori quæstione* relati pro liberi arbitrij existentia, eidem concedunt omnimodam libertatem circa sua opera sinè ulla limitatione determinationis ejusdem ad necessariò ponendam actionem positis jam omnibus prærequisitis ad agendum: Ergo &c. Tum tandem, quia non apparet ex quo capite limitetur libertas liberi arbitrij in eo casu, quô ad agendum omnia prærequisita adessent: Ergo &c. Probat. Ant: non enim ex eo, quòd DEUS tunc præmoveret aut determinaret physicè voluntatem ad actionem necessariò ponendam, ùt volunt Thomistæ citati; quia talis præmotio saltèm in actionibus moraliter malis ponendis non potest à

 DEO

DEO fieri; cùm hoc sit contra ejus sanctitatem: deinde gratis omninò asseritur ejusmodi præmotio; non enim requiritur, ut salvetur subordinatio causæ secundæ liberæ ad primam; cùm DEUS, quà causa prima non obstante libertate omnimodâ causæ secundæ, adhuc possit pro libitu impedire omnem actionem ejus, sive suaviter, & fortiter suadendo omissionem actionis talis; sive alia media à physicâ præmotione distinctâ applicando, atque ita sibi perfectè subordinare causam secundam: Ergo non apparet ex quo capite libertas liberi arbitrii limitetur in eo casu, quò ad agendum omnia præquisita adessent. Quo ad secundam partem tit. quæst.

3. *Liberum arbitrium prærequirit cognitionem intellectûs.*

Dico secundò: Liberum arbitrium ad positionem suorum Actuum Humanorum prærequirit cognitionem quamdam intellectivam, directivam. Ita Scotistæ communiter; S. Bonaventura, Henricus, Cajetanus, Valent. & Communis; contra quendam Foxium, Gregorium, &c.

Probatur primò: Authoritate SS. PP. ad omnem operationem voluntatis, & consequenter liberi arbitrij prærequirentium cognitionem aliquam; ùt videre est apud D. Anselmum *lib. de concord. præscient. 16.* Et apud Bernardum *lib. de gratia & liber. arbit. in principio.* Unde S. Augustinus *lib. 10. Trin. cap. 1.* dicit, *rem prorsus ignotam amare, omnino nullus potest.* Et Philosophus, *nihil volitum, nisi præcognitum.* Et Poëta, *ignoti nulla cupido*: Ergo liberum arbitrium ad positionem suorum Actuum Humanorum requirit cognitionem aliquam intellectivam notificativam bonitatis & malitiæ objecti, circa quod est ponendus actus, & directivam ejusdem.

4. *Variæ aliæ rationes pro cognitione prævia intellectiva ad liberi arbitrij operationes ponendas.*

Probatur secundò rationibus: *Primò*, quia voluntas, & consequenter liberum arbitrium secundum commune Philosophorum axioma, est potentia cæca, adeoque indiga prævij luminis in ordine ad ponendos suos actus: hoc autem lumen est cognitio intellectiva, directiva, ostendens, & dictans bonitatem, vel malitiam actuum ponendorum: Ergo &c. *Secundò*. ut appetitus sensitivus ponat suam operationem, prærequiritur notitia sensitiva, seu phantastica: Ergò à pari, ut appetitus rationalis ponat suos Actus Humanos, prærequiritur notitia, seu cognitio intellectiva. *Tertiò*; ut voluntas hominis comprehensoris in patria ponat actum fruitionis circa DEUM, qui est longè perfectior Actu aliquo Humanô hominis viatoris, prærequiritur cognitio beatifica: Ergo à fortiori, ut voluntas hominis viatoris, seu, liberum arbitrium ponat aliquem suum actum, amoris naturalis v. g. prærequiritur cognitio aliqua intellectiva naturalis.

5. *Cognitio prævia non influit effectivè in Actu Humanum.*

Dico tertiò: Hæc tamen cognitio prævia, intellectiva, directiva, non influit effectivè in Actum Humanum liberi arbitrii; sed se habet instar duntaxat conditionis, proponentis & sistentis ei objectum. Ita communis Scotistar. & Thomistar.; item Suarez &c: contra paucos, Gabrielem, & alios Nominales.

Probatur: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas multiplicandi causas effectivè influentes in Actum Humanum liberi arbitrii; cùm ipsum liberum arbitrium abunde sufficiat, utpote completâ activitate præditum, & operans cum quodam pondere, & inclinatione: Ergo &c. Deinde si ob aliquam causam cognitio intellectiva effectivè diceretur influere in Actum Humanum liberi arbitrij; maximè ob subordinationem, eò quod nimirum liberum arbitrium subordinetur intellectui in operando; sed ob ejusmodi subordinationem non rectè diceretur cognitio intellectiva effectivè influere in Actum Humanum liberi arbitrij: quia etiam ipsemet intellectus subordinatur in via phantasiæ; & tamen phantasiatio non influit effectivè in Actum Humanum liberi arbitrij: sed se habet duntaxat instar consulentis, & consequenter instar conditionis.

QUÆSTIO VI.

De actibus potioribus liberi arbitrij.

1. *Quid sint actus eliciti, & imperati liberi arbitrij.*



NOTA primò: Actus liberi arbitrij alios esse elicitos, alios imperatos. *Actus eliciti* sunt, qui per se, & immediatè ab arbitrio libero eliciuntur: ejusmodi sunt volitio, & nolitio. *Imperati* sunt, qui non immediatè ab arbitrio libero eliciuntur: ejus tamen ductu & motione ab alia potentia

potentia ponuntur: tales sunt, loqui, & ambulare ex imperio voluntatis, & similes complures alij.

2. *Quot sint actus eliciti, liberi arbitrij.*

Nota secundò: Pro actibus elicitis liberi arbitrij sequentes recenseri passim à DD. volitionem scilicet, nolitionem intentionem finis, electionem mediorum, imperium, consensum, dissensum, usum, & fruitionem, de quibus fusissimè agunt Suarez, Tannerus, Vulpes, & alij Authores; ego solas explicationes, seu descriptiones eorum in sequentibus proferam; remittendo me ad fusius examen in cursu meo Philosophico.

3. *Quid sit volitio efficax, & inefficax liberi arbitrij.*

Nota tertiò: Per *volitionem* liberi arbitrij generaliter acceptam intelligi actum, quô quis sibi complacet in aliquo bono. Et est alia efficax, alia inefficax. *Efficax volitio est*, quâ quis prosequitur objectum cum absoluto ordine ad executionem; talis est, quô Sanctus Franciscus voluit beatitudinem, & applicavit actu media, id est, Merita in ordine ad eandem obtinendam. *Inefficax est* è contra; talem habent peccatores, volentes quidem & appetentes beatitudinem: sed tamen in peccatis perseverantes. Et hæc rursus, partitur in simplicem, & conditionatam; *Prima* absque conditione; *Secunda* cum conditione tendit in objectum; secundi generis esset hæc, vellem agere pœnitentiam, si ea non foret difficilis: & vocatur passim *velleitas*.

4. *Quid, & quotuplex sit nolitio.*

Nota quartò: *Nolitionē* esse actum liberi arbitrij, quô alicui displicet aliquod objectum: Et paritur pariter in efficacem, & inefficacem; quarum intellectum facilè venaberis per oppositum volitionis efficacis, & inefficacis.

5. *Quid sit intentio, & electio.*

Nota quintò: *Intentionem finis* esse quamdam specificam volitionem finis, per media prosequendi: talis esset volitio, animam salvandi mediantibus Sacramentis Ecclesiæ applicandis. *Electio* verò est volitio specifica ipsorum mediorum, ad finem consequendum; v. g. volitio Sacramentorum, ordinatorum ad salutem consequendam.

6. *Quid imperium, consensus, & dissensus.*

Nota sextò: *Imperium* esse motionem efficacem, quâ voluntas se, aut sibi subditas facultates movet ad positionem alicujus operationis; talis est motio, quâ Franciscus se movet ad amandum DEUM super omnia. *Consensus*, est actus liberi arbitrij, quo quis amplectitur bonum sibi propositum: v. g. quo amplector pœnitentiam mihi prædicatam, ùt necessariam ad salutem: *Dissensus* est è contra actus, quô liberum arbitrium, objectum aliquod sibi exhibitum repudiat, v. g. quo Franciscus rejicit turpem cogitationem, de objecto venereo incidentem.

Nota septimò: *Usum* esse applicationem medij ad suum finem; talis esset applicatio Sacramenti pœnitentiæ in ordine ad obtinendam justificationem. *Fruitio* in proposito est amor efficax finis jam obtenti, v. g. amor gratiæ sanctificantis jam obtentæ mediante contritione, vel Sacramentô pœnitentiæ. Circa actus imperatos liberi arbitrij. 7. *Quid usus & fruitio.*

Dico primò: Liberum arbitrium potest exercere verum imperium in aliquos actus intellectûs quoad exercitium, qui proinde dicendi erunt actus imperati à voluntate Ita communis AA. 8. *Liberum arbitrium potest imperare actus intellectus.*

Probatur: Tum quia ita constat experientiâ, quâ fidelis compertum habet, se posse imperare suo intellectui, ut consideret aliquis, v. g. motiva credulitatis Fidei Orthodoxæ, eisque adhæreat per actum credendi; similiter potest præcipere alteri, ut attendat & ratione utatur in hoc, vel illo articulo Fidei credendo: Ergo &c: Tum quia voluntas communiter vocatur regina potentiarum, cæteræque potentiæ hominis ejus vasallæ, eidem subjectæ quo ad exercitium actuum suorum: Ergo & intellectus erit vasallus voluntati: Et consequenter voluntas seu liberum arbitrium potest exercere imperium in aliquos actus intellectûs quoad exercitium, qui idcirco censendi erunt actus imperati voluntatis.

Dixi *in aliquos actus*: quia non in omnes potest exercere suum imperium, defectu nimirum subjectionis similium actuum; v. g. in primam cogitationem, seu apprehensionem, quæ antevertit omne imperiū liberi arbitrij, & oritur in intellectu positâ specie objecti in eodem. Similiter non potest imperare intellectui, ut eliciat actum judicii sinè omni prorsus fundamento; aut ut judicet falsum, quod ei evidenter apparet verum, & ipse intellectus convincitur illâ evidentiâ rationis, ac fundamenti; cùm intellectus sit potentia naturalis sicut visus; ac proinde determinatur ad speciem actûs; sicut suppositâ sufficienti propositione objecti. 9. *Sed non omnes.*

Dico secundò: Liberum arbitrium etiam in suos proprios actus elicitos potest exercere imperium, quo casu censebun- 10. *Liberum arbitrium similiter potest*

test sibimet ipsi imperare. censebuntur suô modô simul actus imperati voluntatis. Ita communis Scholasticorum.

Probatur : Tum authoritate D. Augustini, dicentis *lib. 3. de liber: arbit: cap. 3.* actus voluntatis maximè esse in potestate nostra: sed in illud, quod est in potestate alicujus, potest exerceri imperium : Ergo & in actus elicitos liberi arbitrii. Tum quia experientiâ constat, nos sæpius exercere imperia varia in nostros liberos actus elicitos, ut dú v. g. imperamus nostræ voluntati, ut sibi complaceat in aliquo objecto bono, vel malo: ut pæniteat, & conteratur, vel atteratur ; itém ut eligat talia media, ad consecutionem talis finis intenti apta & necessaria; qui sunt actus eliciti ipsiusmet liberi arbitrij : Ergò liberum arbitrium etiam in suos proprios actus elicitos potest exercere imperium, quô casu dicentur actus simul imperati à voluntate.

Dico tertiò: Tandem liberum arbitrium etiam potest exercere imperium in aliquos actus potentiæ sensitivæ internæ, sensûs communis seu phantasiæ; item in actus locomotivæ; imo & in actus facultatum externarum puta sensitivæ, vegetativæ, & generativæ, quatenus hæ potentiæ pendent à potentia locomotiva; quô casu harum potentiarum actus rectè dicentur actus imperati à voluntate. Ita quoque communis DD.

11. *Liberum arbitrium similiter potest imperare actus phantasiæ, appetitûs sensitivi, & potentiæ locomotivæ.*

Probatur de potentia communi seu Phantasia, sensitiva, & locomotiva: Túm quia experientiâ constat, quòd liberum arbitrium applicet quandoque sensum communem, seu phantasiam circa objectum phantasiandum hoc, & appetitum sensitivum, ut occupetur circa objectum delectabile, voluntati propositum: similiter applicat potentiam locomotivam ad talem motum, imperándo motum corporis, vel membrorum, aut etiam cessationem à motu: Ergo tunc exercet imperium in memoratas facultates. Tum quia etiam respectivè ad has potentias voluntas à DD: dicitur Regina, utique cum dominio, & potestate in easdem quoad quosdam actus earum : Ergo ipsarum aliqui actus censeri debent, ex imperio voluntatis proficisci, & vocari propriè imperati à voluntate.

12. *Item actus potentiarum.*

Probatur etiam de actibus Potentiarum sensitivarum externarum, quatenus hæ pendent à potentia locomotiva: Tum ratione Scoti *2. dist: 42. q. 4.* secundùm Augustinum, *11. de Trin: cap. 8.* inquit Scotus operatio palpebrarum requiritur necessariò ad visionem (quæ est actus potentiæ sensitivæ externæ, puta visivæ) & motus localis palpebrarum obedit animæ, ac consequenter est in potestate voluntatis : Ergo voluntas exercere potest in ejusmodi visionem aliquod imperium, mediante potentiâ motivâ imperando ejus positionem. Tum, quia experientiâ quoque constat, voluntatem posse imperare visui, ut continuet visionem jam inchoatam, vel ab ea videndo se avertat : Ergo in actus potentiarum sensitivarum externarum suô imperiô potest influere, quatenus hæ pendent à potentia locomotiva.

Probatur tandem de potentia vegetativa, & generativa; liberum arbitrium potest imperare, mediante potentiâ locomotivâ, appositionem alimenti nutribilis, item applicationem activi ad passivum, ut sequatur debita nutritio, & consequenter vegetatio: similiter potest mandare actum generationis, ut tali tempore, & cum tali subjecto fiat, & tali circumstantia modi fiat à Petro, cùm & hic pendeat à potentia locomotiva : Ergo tunc censetur liberum arbitrium posse exercere imperium in hujusmodi actus potentiæ vegetativæ, & generativæ, in quantùm pendent à potentia locomotiva. 13. *Imo & potentiæ vegetativæ, & generativæ.*

Dixi notantur in conclusione *in aliquos actus:* quia voluntas non in omnes dictarum potentiarum exercere potest suum Dominium cum effectu; sic in actum potentiæ externæ sensitivæ, visivæ, præsente jam objecto visibili & debitè applicato non potest imperare oculo, ut illud non videat, suppositò quòd aliàs eliciat visionem; cùm sit potentia naturalis. Item ut phantasia non habeat apprehensionem imaginariam suppositâ specie phantasticâ in phantasia; ob eandem rationem. Item ut motus palpitationis cordis, & arteriarum non eliciatur à potentia locomotiva. Item ut specialis motus membri genitalis quandoque excitatâ jam rebellione carnis non sequatur, ùt discurrit D. Thomas. 14. *Non tamen omnes præfatarum potentiarũ.*



QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An ; & qua ratione liberum arbitrium moveatur ab appetitu ſenſitivo ; objecto ; DEO ; Angelis ; & Aſtris.

1. *Liberum arbitrium movetur quandoque ab appetitu ſenſitivo.*

ICO primò : Liberum arbitrium hominis viatoris aliquando movetur omnino ab appetitu ſenſitivo, ſeu paſſionibus concupiſcentiæ ; & quidem moraliter tantùm. Ita Scotus *2. diſt. 25.* & communis TT. contra Thomiſtas, quoad ſecundam partem.

Probatur prima pars : Tum authoritate S. Scripturæ, ejuſmodi motum paſſim aſſerentis, ut Jacobi 1. *unusquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Et ad Rom: 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Tum ratione : quia externa propoſitio alicujus facta ab extrinſeco ſuaſore v g. Angelo, vel homine ſæpiùs movet liberũ arbitrium hominis creati ; uti patet experientiâ quotidianâ : Ergo à fortiori hujuſmodi motionem exercere poteſt principium aliquod internum quale eſt appetitus ſenſitivus.

2. *Sed moraliter duntaxat.*

Probatur ſecunda pars : objectum conveniens appetitui ſenſitivo propter connexionem potentiarum fit conveniens quoque voluntati, & voluntas ab eo allicitur ad condelectationem : talis autem allicitio eſt moralis tantùm motio : Ergo liberum arbitrium movetur tantùm moraliter ab appetitu ſenſitivo.

3. *Quo pacto fiat motio moralis liberi arbitrij ab appetitu ſenſitivo.*

Nota autem primò : hujuſmodi motionem moralem fieri modo ſequenti· Primò, Phantaſia proponens objectũ appetitui ſenſitivo derivat ſpecies ejus in intellectum: Secundò intellectus idẽ objectum à ſe cognitum proponit voluntati tanquam valdè conveniens, & jucundum : tertiò fit, ut voluntas ob quamdam colligantiam & potentiarum conſenſum alliciatur, ut deſideret id, quod abſente concupiſcentiâ abhorrebat ; atque ita proſequatur idem objectum, in quod prius tendebat appetitus ſenſitivus, ſeu concupiſcentia: quæ proſecutio nunc eſt vehementior, nunc remiſſior; vehemẽtior eſt, ſi appetitus ſenſitivus magno impetu feratur in jucundıtatẽ, & delectationem honeſti, ita ut adeò abſorbeat uſum rationis rectæ quòd vix turpitudinem objecti, ſed ſolùm convenientiam naturalem & jucunditatem, attendat, & repræſentet ; quo caſu ob conſenſum naturalem, & Sympathiam cum appetitu ſenſitivo voluntas quoque ita vehementer movetur, ut difficulter reluctari valeat : Remiſſior autem eſt, ſi appetitus ſenſitivus remiſſiùs feratur in objectum jucundum, & delectabile.

4. *Liberum arbitrium poteſt reſiſtere morali motioni, ab appetitu ſenſitivo provenienti.*

Dico ſecundò : Non tamen ita movetur, & trahitur liberum arbitrium hominis viatoris ab appetitu ſenſitivo, ſeu concupiſcentia, ut non poſſit reſiſtere ejuſdem paſſionibus, ſi velit, maximè ſtante ratione plenè deliberatâ. Ita communis TT. contrà Hæreticos recentiores.

Probatur: Tum ex dictis *priori quæſt. concluſ. 1. & q. 4. de liber: arbit*: per totum. Tum quia aliàs liberum arbitrium ſic motum ab appetitu, operando illicitum non peccaret : nam ſecundùm D. Auguſtinum *lib. 3. de lib. arb. cap. 3. hoc breviſſimum tene : quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur &c: quis enim peccat in eo, quod nullò modò caveri poteſt? peccatur autem, caveri igitur poteſt*: Ergo non ita movetur & trahitur liberum arbitrium hominis viatoris ab appetitu ſenſitivo, ut non poſſuit reſiſtere.

5. *S. Auguſtinus gloſſatur contra ſenſum Hæreticorum.*

Objiciunt Hæretici D. Aug. qui dicit apud S. Thomam *q. 4. de verit, art. 12. cogenti cupiditati voluntas reſiſtere non poteſt*: ſed cupiditas eſt idem quod appetitus ſenſitivus ; Ergo &c: Reſpondeo gloſſando S. Patrem ; & dico, eum ſolùm velle, quòd cum magna difficultate ; & quidem gratiâ DEI ſpeciali, cupiditati reſiſtatur ; nam ſimpliciter poſſe reſiſtere, patet ex illo *Gen: 4. ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Et ipſe Auguſtinus *lib. 2. de actis cum Felice Manich. cap. 4.* indefinitè ait, *habet unusquiſque in voluntate. aut eligere, quæ bona ſunt* (utique etiam in caſu excitatæ cupiditatis.) *& eſſe arbor bona*, aut eligere *quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Dicitur itaque cupiditas quandoque cogens ad aſſentiendum, non ſimpliciter ; ſed ùt ait D. Thomas *cit. loc.* propter vehementiam inclinationis ; cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate, & ac-

cedente gratiâ DEI. Circa alterum articulum quæst:

6. *Objectum movet liberum arbitrium sub ratione boni.*

Dico tertiò: objectum quodcunque illud sit, semper movet liberum arbitrium ad prosecutionem sui sub ratione aliqua boni. Ita Scotus *4. dist. 49. q. 10.* & insigniores Scotistæ; contra Nominales.

Probatur primò authoritate SS: PP: nam D. Dionysius *lib. de Div. nom cap. 4.* ait, *nemo proposito sibi malo facit, quæ facit*, seu ùt citant alij, *nemo ad malum intendens operatur.* Et D. Augustinus *lib. de duabus animabus cap. 12.* inquit, *hæc autem aliquid* (quod scilicet appetit voluntas) *aut bonum erat, aut bonum putabatur; non enim aliter appeti posset.* Et D Anselmus *lib. de concord. cap. 21. nihil vult voluntas nisi aut commoditatem aut rectitudinem*: Ergo objectum liberum arbitrium movet ad sui prosecutiooem sub ratione aliqua boni.

Probatur secundò ratione: Tum quia appetitus sensitivus non movetur nisi ab objecto sub ratione sibi convenientis, & boni: Ergo à pari idem dicendum de appetitu rationali seu voluntate. Tum quia intellectus oon assentitur falso cognito, sed soli vero, ut tali cognito: Ergo similiter voluntas non movetur à malo, sibi quà tali præsentato, sed booo, vel malo sub ratione saltem boni proposito, uti fit in peccato luxuriæ v.g. quòd voluotati peccatoris luxuriantis proponitur sub ratione boni delectabilis. Circa quartum artic. quæst.

7. *DEUS movet liberum arbitrium hominum physicè.*

Dico quartò: Liberum arbitrium homiois movetur etiam à DEO, & quidem duplici motione, physicâ videlicet, & morali. Ita Scotus *2 dist. 27.* cum suis; & communi TT.

Probatur *de motione physica* authoritate Scripturæ: nam de ejusmodi motione intelligitur illud Apostoli ad Philipp: *2. DEUS est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et illud *Act: 17. in ipso enim vivimus, movemur* (utique etiam operando liberè) *& sumus.* Et illud Sapient. 7. *cùm sit una* (scilicet sapientia Incarnata DEUS) *omnia potest, in se permanens omnia innovat, & per rationes in animas sanctas se transfert*; scilicet cooperando physicè ad singulas ejus operationes voluntatis & intellectûs: Ergo liberum arbitrium hominis movetur à DEO motione physicâ.

Probatur secundò ratione: DEUS est causa prima, & uuiversalis; Ergo suâ causalitate physicâ in omnes causas secundas (de quarum oumero etiam est liberum arbitrium hominis) influere debet, eas condendo, administrando, coadjuvando, & similes motus phisicè imprimeodo, ut operationes suas efficere valeant; unde Augustinus. *7. de Civit: DEI cap. 3. sic DEUS res, quas condidit, administrat, ut eas suos motus agere sinat.*

8. *Tum moraliter.*

Probatur etiam *de motione morali*: DEUS liberum arbitrium peccatoris sæpius prævenit pijs inspirationibus, & allicit atque inflectit suaviter ad opera salutaria pœnitentiæ; quod est propriè moralem causalitatem, & motionem exercere & de ejusmodi agendi modo procedit illud Prov: *21. sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu DEI est, & quocunquè voluerit, flectet illud*: Ergo:

9. *Etiam Angeli movent liberum arbitrium.*

Dico quintò: liberum arbitrium pariter ab Angelis aliquando potest moveri. Ita communis TT.

Probatur: quia tametsi Angelus non possit directè efficienter influere in liberum arbitrium hominis; indirectè nihilominùs, & mediatè potest influere; movendo videlicet temperamentum, ac humores corporis, & agitando Spiritus vitales, ex quorum commotiooe causantur in sensu communi varia phantasmata, & in appetitu sensitivo variæ operationes, in intellectum quoque dtiode variæ transfunduntur species, ac tandem ad harum exhibitionem nascitur in libero arbitrio motus desiderij vel fugæ. Et sanè Angelis nullâ ratione negari potest hujusmodi motio indirecta; cùm summâ activitate & poteotiâ locomotivâ expeditissimâ præditi siot, quâ alios effectus magis prodigiosos efficere valent, ùt docui *Tom. 1. dist. 4. quæst. 3. & dist, ult. q. ult.*

10. *Astra quoque movent liberum arbitrium.*

Dico sextò: Tandem etiam ab astris aliquando moveri potest liberum arbitrium homiois. Ita S. Thomas, & commuois Theolog. ac Philosoph.

Probatur; Quia licèt directè, & immediatè non possit liberum arbitrium hominis moveri ab astris; cùm sit potentia purè spiritualis; ut projnde ob hanc ipsam rationem rectè Ptolomæus *in centiloq. sub initium dixerit sapiens dominabitur astris*, eò quòd, ùt ait D. Thomas *3. contra gent. cap 85. resistens passionibus impediat per voluntatem liberam & nequaquam motui cælesti subjectam, hujusmodi motum effectûs*: attamen indirectè & remotè liberum arbitrium moveri potest à corporibus cælestibus; quate-

nus

nus nimirum quodvis corpus hominis eſt ſubjectum corporibus cæleſtibus, tanquam cauſis univerſalibus, ut proinde ab iiſdem poſſit pati varios influxus, & alterationes in ſuis humoribus; ùt manifeſtè apparet in Lunaticis; alteratis autem humoribus incipit quoque moveri phantaſia, ac appetitus ſenſitivus; tandemquè etiam intellectus, & voluntas ob colligantiam, & conſenſum iſtarum potentiarum; ita tamen, ut nullatenus lædatur, & violentetur ipſa libertas voluntatis; ſed non obſtante quocunque influxu aſtrorum, & alteratione humorum poſſit, vel non poſſit ponere ſuos actus liberos. Ex dictis

11. *Ars Genethliacorum reprobatur.* cape ſequens.

Corollarium: Artem Genethliacorum, de liberis actibus futura prognoſticantem ex memorato aſtrorum motu & influxu, eſſe falſam, & meritò damnatam ab Eccleſia, ſingulariter à noſtro Sixto V. *in conſtit. 21.* ubi inter cætera ait *ad futuros eventus* (maximè liberos) *nullas eſſe veras artes aut diſciplinas, ſed fallaces & vanas, improborum hominum aſtutiâ, & Dæmonum fraudibus introductas.*

QUÆSTIO VIII.

De prima radice libertatis liberi arbitrij creati.

1. *Prima radix extrinſeca libertatis creatæ eſt libertas DEI.*



DICO primò: Prima, & præcipua radix extrinſeca libertatis liberi arbitrij creati, eſt libertas Divinæ voluntatis; non verò ejus omnipotentia, ſeu infinita voluntatis Divinæ efficacia. Eſt Scoti *in 1. diſt. 2. q. 2.* Et *diſt. 39.* Et Suorum; contra Alvarez, & veteres Thomiſtas.

Probatur pars prima: Si DEUS ad extra ageret neceſſariò, vel tolleretur omnis actio cauſæ ſecundæ, vel omnis cauſa ſecunda neceſſariò ageret, & nulla contingenter & liberè: Ergo præcipua cauſa extrinſeca libertatis arbitrij creati eſt Divinæ voluntatis libertas. Prob. Ant. impoſſibile eſt, non exiſtente Ente per Eſſentiam remanere ens per participationem; quia hoc ad illud habet eſſentialem dependentiam: ſed noſtra libertas non eſt per Eſſentiam, ſed per participationem: Ergo ſi nulla eſſet in DEO libertas ad extra, nullus eſſet libertatis uſus in creatura.

Probatur ſecunda pars: præciſâ libertate à voluntate Divinâ, & datâ hypotheſi, quòd adhuc eſſet omnipotens, & infinitæ efficaciæ, ageret neceſſariò ad extra; quia ſicut poſſet, non ſicut vellet: Ergo non remaneret libertas creata: & conſequenter præcipua radix creatæ libertatis eſt Divina libertas. Confirm: ſtante hâc hypotheſi, vel virtus Divina applicaretur ad extra ſecundùm voluntatē potentiæ ſuæ, vel applicaretur attemperata & commodata creaturæ: non *Secundum*, quia in ejus poteſtate non eſt actio, nec in poteſtate ejus eſt modus agendi: Sed agere attemperatè, eſt modus agendi: Ergo &c: Si *Primum*: Ergo vel cauſas ſecundas actione privaret, eas præveniendo, vel ſi non præveniret ſaltem ad agendum neceſſariò eas applicaret; quia cauſa ſecunda non agit niſi ùt mota à prima: Ergo nulla eſſet libertas in actione creata. Dixi *præcipua*; quia non nego (nec Scotus negat, ùt falsè ei imponitur à Molina, & alijs RR. cùm *in 1. diſt. 39. Et in 2. diſt. 14. q. 3.* & *in 3.* diſt. 17. clarè oppoſitum teneat) libertatem & contingentiam actionum creaturæ per creatam voluntatem etiam attendi debere; ſed ſolùm dico quòd libertas creata utpote participata reduci debeat ad libertatem per Eſſentiam, ſeu Divinam.

2. *Non verò ejus omnipotentia, & efficacia.*

3. *Cauſa prima etiam ùt libera eſt continet omnem modum cauſalitatis cauſæ ſecundæ.*

Objicies primò: Prima cauſa contingentiæ debet continere formaliter, vel eminenter omnem modum cauſalitatis cauſæ ſecundæ: ſed ſoli omnipotentiæ hoc competit, ob infinitam ejus efficaciam: Ergo &c. Prob. Maj. prima cauſa contingentiæ ad extra applicat cauſas ſecundas ad producendos effectus, earum naturis proportionatas: Ergo continere debet ſpecialem modum naturaliter, vel liberè agendi cauſarum. Reſpondeo diſt. Min. ſoli omnipotentiæ vel voluntati Divinæ, ùt infinitè efficax eſt, præciſè; hoc competit Neg: Min. ùt etiam libera eſt, Conc: Min. & Neg. Conſeq. itaque cauſæ ſecundæ vel poſſunt ſpectari quatenus habent vim agendi præciſè; & ſic continentur in cauſa prima eminenter, ratione infinitæ ejus efficaciæ; vel quatenus habent virtutem ſic, vel ſic naturaliter, vel liberè agendi; & ſic continentur in cauſa prima præciſè ratione ſummæ libertatis ejus, vi cujus habet dominium ſupra cauſas ſecundas, ſinendi vel non ſiuendi eas agere proportionatè ad modos agendi cauſarum ſecundarum, qua-

tenus cum liberis liberè, & modò liberò concurrit, exhibendo eis concursum, paratum ad utrumlibet; cum naturalibus verò liberè quidem concurrit, non autem modò liberò; sed naturali, exhibendo eis concursum determinatum ad unum duntaxat.

4. *DEO necessariò operante creatura nullam possent ponere operationem, neq. mutari.* Objicies secundò: dato quòd DEUS ageret necessariò, adhuc causæ secundæ, & homines essent defectibiles in suis actionibus, & mutabiles; quia hæ imperfectiones non conveniunt illis ab extrinseco, scilicet ex modo agendi DEI ad extra: Ergo adhuc daretur contingentia ad extra. Confirm: libertas nostra non est perfectio simpliciter; quia est à rectitudine defectibilis: Ergo non est propria passio libertatis DEI; & consequenter ablatâ libertate DEI non auferetur nostra. Respondeo Dist. Ant. essent defectibiles & mutabiles ab intrinseco Conc: Ant: ab extrinseco Neg. Ant. Itaque tunc causæ secundæ essent immutabiles in actionibus suis ab extrinseco quidem; sed tamen ita, ut non possent ullam actionem liberam & contingentē habere. *Ad Confir:* insto; Ergo etiā cùm sapientia, & justitia &c. in nobis non sint perfectiones simpliciter, supposito quòd hæ non essent in DEO, adhuc possent esse in nobis, quod falsum est. Itaque sufficit quòd perfectiones nobis cum DEO communes, ùt libertas, sapientia &c. secundùm suam rationem formalem, ùt præcisæ à creato, & increato, sint perfectiones simpliciter, licèt in nobis tales non sint, ut datò quòd in DEO deficerent, etiam eas in nobis deficere sit necesse.

5. *Prima radix intrinseca libertatis creatæ non est indifferentia judicij.* Dico secundò: Prima radix intrinseca libertatis creatæ non est indifferentia Judicij; sed indifferentia activa ipsius voluntatis. Est Scoti: *2. dist. 25, q. un.* pro prima parte, pro secunda parte *quodl. 16.* quem præ er suos, sequuntur Suarez, & R. R. passim; contra Thomistas. per *indifferentiam autem judicii* intelligo judicium intellectûs, quò voluntati proponitur objectum indifferenter sub ratione boni & mali, seu ut hinc & illinc appareant rationes, ut ametur, vel respuatur, aut non ametur.

Probatur primò pars prima: experimur nos liberos etiam circa objecta voluntati proposita per simplicem apprehensionem, quorum adhuc nullum judicium indifferens præcessit: Ergo &c: Prob: Ant: Tum, quia appetitus sensitivus fertur in suum objectum cognitum per simplicem apprehensionē: Ergo etiam voluntas potest sic ferri sine prævio judicio Indifferenti: Tum quia simplex apprehensio intellectiva non minùs bene repræsentat rationem boni, quàm sensitiva. Tum, quia experientiā constat, homines sæpè delectari de aliqua dignitate, quam non sperant, ut dum quis se apprehendit ùt Papam, vel Cæsarem, & de hoc delectatur: imò de objecto cognito impossibili, ùt cùm quis se apprehendit volare, vel in Angelum converti, ùt Angeli mali appetierunt vel saltèm appetere potuerunt æqualitatem DEI eis impossibilem. Tum, tandem quia quòd subinde exigatur judicium, id præcisè est, ut vi illius quærantur media pro consecutione finis, sed actus voluntatis inefficaces non dicunt talem ordinem ad media: Ergo ad exercitationem eorum sufficit sola apprehensio simplex. 6. *Ratio Theologica alia ad idem.*

Probatur secundò: Voluntas nostra liberè appetit bonum in communi, vel beatitudinem in communi, ac etiam ultimum finem; & quoad exercitium potest etiam suspendere actum, si velit; sed in his nulla potest esse ratio mali, sive veri, sive apparentis: Ergo nec circa hoc potest dari indifferentia judicij: & consequenter prima radix libertatis creatæ non est indifferentia judicij. 7. *Indifferentia activa voluntatis est prima radix intrinseca libertatis creatæ.*

Probatur secunda pars: Tum, quia ex dictis libertas non radicatur super indifferentiam judicij: Ergo supra indifferentiam voluntatis: Tum, quia indifferentia libertatis formaliter reperitur in voluntate, estquè vel modus, vel differentia ejus à potentia naturali: Ergo non tantùm formaliter; sed etiam radicaliter est in voluntate; quia modus & differentia rei ab eadem redimanat, cujus est modus, & differentia, non ab alia. 8. *Libertas radicaliter continetur in intellectu.*

Nota tamen primò: Libertatem voluntatis radicaliter contineri in intellectu, si radix vel causa sumatur laxè pro conditione sinè qua non; quatenus nimirum voluntas nequit liberè operari quoad exercitium sinè cognitione objecti; quatenus etiam ut liberè operetur quoad specificationem, requiritur præcedens aliquod judicium de convenientia, vel disconvenientia objecti; non autē si principium vel radix sumatur strictè, ùt volunt Thomist. Et per hoc solvuntur multæ objectiones adversariorum.

Nota secundò: Voluntatem nostram dici potentiam liberam, ut producti- 9. *Voluntas & quà productiva, & quà*

operativa est potentia libera.

ductivam intentionaliter per actus elicitos: potest enim suum actum producere, & non producere; potest etiam per actum jam productum tendere, & non tendere in objectum; quia potest suum actum continuare, & non continuare. Unde quando Scotus *in 1. dist: 39.* dicit, libertatem convenire voluntati, ùt operativa est, loquitur de libertate ùt sic, quæ est communis voluntati creatæ, & increatæ; ac etiam, quia nostra voluntas potest liberè operari absque productione, v. g. si DEUS se solò causaret actum in voluntate creata.

10\. *Cuidam objectioni obviatur.*

Objicitur: Ex majori vel minori advertentia intellectûs ad bonitatem vel maliciam objecti augetur, vel minuitur libertas in vuluntate: Ergo advertentia rationis est causa totalis libertatis in voluntate. Prob: Conseq: Sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter: Ergo &c: Respondeo *primò* Argumentum nimium probare, scilicet, indifferentiam judicij non esse tantùm radicalem, sed insuper totalem causam libertatis. Hinc concessò Ant: Neg. Conseq. cujus Probationis Antecedens tantùm currit in causis præcisis & totalibus: Sicut ergo non valet hæc consequentia, ex habitu procedit intensior actus: Ergo habitus est simpliciter causa actus; ita nec valet illa Adversariorum. Respond: *Secundò* Dist. Ant. augetur, vel minuitur libertas moralis Conc: Ant. physica, de qua hic, Neg: Ant: vel meliùs sic, augetur vel minuitur libertas accidentalis ac extrinseca actûs Conc: Ant: hæc enim provenit ex indifferentia objecti; essentialis & intrinseca, Neg: Ant: hæc namque provenit ex indifferentia potentiæ.

11\. *Rursus alia instantia diluitur.*

Objicitur secundò: DEUS ideo se amat necessariò quoad exercitium; quia nec in se ipso, nec in exercitio amoris potest apparere aliquis defectus, vel malitia: Ergo è contra nos sumus liberi quoad exercitium, propter cognitionem indifferentem, quâ cum bonitate apparet aliqua malitia, vel in objecto, vel in exercitio amoris. Respondeo Neg. Ant. Et ratio est; quia amor sui ipsius est perfectio simpliciter, & beatitudo DEI, quâ DEUM carere repugnat; & quia aliàs voluntas DEI non esset indefectibilis, si amorem sui omittere posset.



QUÆSTIO IX.

Num liberum arbitrium determinetur ab ultimo judicio practico intellectûs.



ICO primò: Liberum arbitrium non determinatur ab ultimo judicio practico intellectûs. Est Scoti *in 2. dist. 25. q. unic.* quem præter suos, sequuntur Nominales & RR: contra Thomist. 1.

Liberum arbitrium ab ultimo judicio practico intellectûs non determinatur.

Probatur primò: Authoritate D. August. in illud Psalm. 123. *fortè vivos deglutissent nos*, scribentis, *videmus quid agendum, & tamen nolumus agere.* Secundo, Authoritate Scripturæ; nam Lucæ: 12. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit: Ergo positô judiciô ultimô practicô potest voluntas illud non sequi, ac imò contraire; & consequenter non determinatur ab eo.

2\. *Varia argumenta à ratione pro conclusione.*

Probatur tertiò ratione: Aliàs tolleretur usus libertatis: Ergo &c: Prob: Ant: determinatio voluntatis ab ultimo judicio practico est unum ex prærequisitis ad agendum: Ergo est quid antecedens; sed positô illô judiciô nequit illud voluntas non sequi, aliàs non determinaretur physicè ab illo: Ergo voluntas est necessitata per aliquod antecedens voluntatis determinationem; & consequenter tollitur libertatis usus.

Probatur quartò, Rursus aliâ ratione: stante judiciô dictante, DEUM esse diligendum, voluntas est indifferens ad amandum, & non amandum: Ergo &c: Prob: Ant: aliàs dilectio DEI non esset meritoria; quia non libera, cùm in illo judicio nulla sit libertas; non est enim indifferens in proponendo objectum; quia est determinatum, nec etiam potest ab intellectu elici, vel non elici; quia intellectus, est causa naturalis operans necessariò præsente objectô. Præterea experientiâ constat, multos rectè judicare, peccatum esse fugiendum, & tamen oppositum faciunt: Ergo non determinatur liberum arbitrium ab ultimo judicio practico intellectûs.

Probatur quintò iterum ratione: Stante ultimô judiciô intellectûs de electione duorum mediorum inæqualium, non tenetur voluntas eligere, quod vi-

detur utilius: Ergo in ipsa electione mediorum non determinatur voluntas à judicio. Patet Conseq. cùm enim intellectus sit potentia naturalis, judicabit necessariò eligendum, quod utilius cognoverit; Prob: Ant. hoc ipso; quòd neutrum proponitur ùt necessarium, potest voluntas non eligere illa, & consequenter eligere quodlibet illorum singillatim: Ergo &c.

3. *Rursus alia rationes ad idem.* Probatur sextò denuo aliâ ratione: ex opposito sequeretur, quòd voluntas nunquam posset peccare sinè errore, & defectu præcedente in intellectu: sed hoc est falsum; ùt patet ex Jacobi. *4. cap. scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Sequeretur etiam quòd non daretur peccatum ex certa malitia distinctum à peccato ex ignorantia, & infirmitate. Tandem sequeretur, quòd quoties quis peccat, esset hæreticus; quia judicaret hic & nunc aliquid esse eligendum, quod fides dictat esse peccatum & fugiendum: Ergo liberum arbitrium non determinatur ab ultimo judicio practico intellectûs.

4. *Quoddam objectum expeditur.* Objicies primò: Si judicium est indeterminatum, voluntas quoque est indeterminata: Ergo si est determinatum, sicut est ultimum judicium practicum, voluntas etiam est determinata. Prob. Conseq. aliàs non esset ratiò, cur voluntas aliud obiectum elegerit dimissô objectô jam judicatô; nec cur sic faciat. Respondeo Neg. Conseq. sed manet adhuc indifferens voluntas, donec seipsam determiner, & Neg. etiam Ant. Prob. ratio autem erit, quia intellectus non tantùm illud, sed & istud bonum proposuit, saltèm per simplicem apprehensionem; nec voluntas tenetur reddere rationem, cur sic faciat, nisi dum rectè operatur; aliàs autem stat pro ratione voluntas.

5. *Alia objectio dissolvitur.* Objicies secundò: Objectum voluntatis est bonum, ùt judicatur conveniens: Ergo præcedit judicium de convenientia objecti manuducens voluntatem. Respondeo transitô Ant. (sufficit enim bonum apprehensum ùt tale) Dist. Conseq: judicium manuducens determinando Neg. Conseq. suadendo Conc. Conseq.

6. *Rursus aliud argumentum adversum enervatur.* Objicies tertiò: Ergo posset peccatum esse in voluntate sinè ullo errore in intellectu: sed hoc est falsum: Ergo &c. Prob. Min. tum quia Prov. 14. *errant, qui operantur malum.* Et Sap. 2. *excæcavit illos malitia eorum.* Et Esa. 5. *captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Tum quia voluntas sequitur intellectum: Ergo nequit errare, nisi intellectus erret. Respondeo Neg. Min. *ad primam Prob.* Respondeo scripturam loqui non de errore intelligentiæ; sed morum, & de deviatione à rectitudine Justitiæ: vel, si loquitur de errore intelligentiæ, non intelligitur de errore prævio ad peccatum; sed de concomitanti & consequenti, quatenus voluntas eligens illicitum, intellectum à ratione recta avertit; vel quatenus ex imperio voluntatis, malè eligentis, intellectus approbat talem electionem; vel denique, si loquitur de errore intellectûs prævio, non loquitur absolutè; quia nec Lucifer, nec Adam ex inconsideratione peccavit; sed regulariter quia plerumque non perfectè penetramus malitiam peccati, & pœnam, quæ aliàs nos deterreret à peccato. *Ad secundam Prob.* Dist. Ant: sequitur intellectum ostendentem bonum, Conc. Ant. judicantem semper Neg. Ant.

QUÆSTIO X.

De libertate proxima actûs liberi arbitrij.



DICO primò: Libertas proxima in actu liberi arbitrij non addit supra entitatem volitionis entitatem, vel alium modum realem intrinsecum, sed denominationem extrinsecam provenientem ex indifferentia proxima potentiæ volitivæ. Colligitur ex Scoto *1. dist. 12. q. 1. & quodl. 18.* quem præter suos, sequuntur RR. complures. 1. *Libertas proxima solam denominationem extrinsecam superaddit entitati actûs.*

Probatur: Illa entitas superaddita entitati actûs, vel esset absoluta, vel respectiva: non *primum*, quia necessariò imbibit ordinem ad principium liberum: nec *secundum*, quia libertas hæc in actu correspondet ùt terminus libertati proximæ liberi arbitrij ùt principij: sed libertas hæc non est libero arbitrio ratio physicè agendi, sed tantùm denominandi ipsam liberè producentem modo accidentali libertatis: Ergo non potest facere, resultare relationem realem, liberè producti in actu ad arbitrium liberè producens. Ergo tantùm denomi-

denominationem extrinſecam. Conſeq. patet: quia ratio phyſicè producendi in cauſa, eſt ratio fundandi relationem cauſationis ad effectum productum. Min. Prob. hæc libertas non eſt differentia eſſentialis, liberum arbitrium diſtinguens à principio naturali, & conſtituens in eſſe cauſæ liberæ: Ergo nequit illi eſſe ratio agendi phyſicè; quia ratio agendi eſt id, quò agens conſtituitur in eſſe, v. g in igne forma ignis.

2. *Actus externi dicuntur liberi denominativè denominatione remotâ.*

Objicies primò: Ergo actus eliciti liberi arbitrij non eſſent magis liberi, quàm actus externi aliarum potentiarum. Reſp: Neg. Conſeq. quia actus externi dicuntur denominativè liberi remotâ denominatione, & mediatâ; actus verò interni & eliciti dicuntur liberi denominatione proximâ, & immediatè in eos derivatâ à libero arbitrio, eos præcedente.

Objicies ſecundò: Actus liber ùt ſic eſt objectum ſpecialis complacentiæ, vel diſplicentiæ DEI: Ergo ùt liber habet aliquod intrinſecum, quod nequit habere actus neceſſarius. Reſpondeo Neg. Conſeq. Sicut enim denominatio extrinſecè voliti in actu externo eſt ratio ſufficiens complacentiæ, & diſplicentiæ DEi, ita & in actu elicito interno.

3. *Cuidam objectioni ſatisfit.*

Objicies Tertiò: Ergo non magis eſt intrinſeca libertas actui liberi arbitrij, quàm cuicunque rei creatæ; quia quævis ita ſubjacet DEi dominio, ut ad nutum ejus eſſe poſſit, & non eſſe. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia actus voluntatis exigunt etiam produci à principio creato indeterminato, ſcilicet à voluntate; non ſic v. g. calefactio ignis, illuminatio Solis & ſimiles actiones ac effectus, qui ex ſe petunt produci à principio creato, ad unum determinato; qui proinde etſi liberè producantur à DEO non tamen modo liberò, ſicut actus voluotatis:

4. *Rurſus aliæ inſtantiæ repelluntur.*

Objicies quarrò: Libertas in actu eſt terminus potentiæ, phyſicè operativæ: Ergo eſt aliquid phyſicum & reale in actu. Confirm: Principium liberum non tantùm eſt principium activum volitionis; ſed etiam eſt liberum, & ùt activo præcisè ei correſpondet volitio: Ergo ùt activo liberè ei correſpondet effectus realis; quia eſſe liberum eſt differentia principij actionis ùt ſic. Reſpondeo Diſt. Ant. eſt terminus potentiæ phyſicè ſumptæ, Neg. Ant: reduplicativè ùt potentiæ proximè liberæ, Conc: Ant: & Neg Conſeq: quia libertas proxima voluntatis non eſt ipſi ratio phiſycè agendi; ſed potiùs modus quidam accidentalis, efficiens potentiam liberam: Ergo nequit derivare in actum niſi extrinſecam denominationem poſſibilis fieri, & non fieri à potentia indifferente. *Ad Confirm*: Reſpondeo Diſt. maj: eſt etiam liberum libertate eſſentiali, quæ eſt virtus agendi potentiæ cum ſui ipſius determinatione, & diſtinguit principium liberum à naturali. Neg. maj: libertate proximâ, quæ eſt differentia accidentalis diſtinguens potentiam liberam à neceſſaria, & nominat liberè producentem cum expedito uſu libertatis Conc: maj: & diſt: min: ùt activo ſpecificativè Neg: min: ùt activo proximè libero Conc: min: & Neg: Conſeq. ſufficit enim, quòd ei correſpondeat in actu denominatio extrinſeca liberè producti, modò quodam accidentali libertatis.

5. *Libertas non eſt eſſentialis actui.*

Dico ſecundò: Libertas non eſt eſſentialis actui; ſed accidit ſubſtantiæ actûs. Ita communis Scotiſt:

Probatur primò: Quia idem ſpecie & numerò actus fit de libero neceſſarius & è contra: Ergo libertas eſt ei accidentalis. Prob Ant. nullâ factâ in cognitione objecti mutatione potuit deeſſe concurſus DEI, paratus ad utrumlibet; quò deficiente amor objecti eſſet neceſſarius; ablatò verò illò concurſu idem numerò amor eſſet liber: Ergo &c. Item motus primò primi, cum primò eliciuntur, ſinè ſufficienti advertentia rationis non ſunt liberi, eâ verò accedente, ſaltèm ſemiplenâ ſunt peccata venialia, & dicuntur motus ſecundò primi, & liberi: Ergo &c. Item comedens inadvertenter die prohibito carnes permotus delectabilitate cibi, ſi admonitus de prohibitione in eâdem voluntate perduret, hic antea neceſſariò, ſaltem quoad ſpecificationem volebat eſum carnium; quia ſolùm proponebatur bonum delectabile; poſtea verò vult idem liberè: Ergo &c. Nec obſtat, quòd varietur cognitio quoad circumſtantiam prohibitionis; quia cognitio quoad circumſtantiam prohibitionis non eſt motivum voluntatis; ſed objectum delectabile movet, quod manet idem.

6. *Concluſio ſtabilitur aliâ ratione.*

Probatur ſecundò; Etſi modus operandi liberè, & naturaliter nequeant eidē principio cōvenire; attamē oprandi cōtingenter, ſeu liberè proximè, libertate indiffe-

te indifferentiæ, & necessariò, possunt eidem principio convenire, vel respectu diversorum, vel sub diversis prærequisitis, ùt patet in voluntate Beatorum, unde principium proximè liberum & necessarium, tantùm differunt accidentaliter: Ergo etiam idem effectus secundùm substantiam potest modò contingenter, modò necessariò procedere ab eadem voluntate sub diversis dispositionibus constituta.

7. *Nonnullis objectis obviatur.* Objicies primò: Ex diversis cognitionibus oriuntur diversi amores; ùt patet de amore viæ, & patriæ: sed ista volitio libera, & non libera sequuntur diversas objecti cognitiones: Ergo &c. Respondeo, transitâ majori Neg. Min. quia sufficit sola variatio concursûs DEI indifferentis, nullâ factâ cognitionis variatione.

Objicies secundò: Vitalitas est quid essentiale actui volendi: sed libertas est modus quidam vitalitatis: Ergo &c. Respondeo Dist. Min. libertas remota Conc. Min. proxima Neg. Min. quia voluntas beata hâc caret; & tamen essentialiter distinguitur ab appetitu bruti.

QUÆSTIO XI.

De pura omissione libera.

1. *Sensus quæstionis aperitur.*  Celebris est hæc inter Authores quæstio, cujus sensus est, an aliqua dari possit omissio libera sine omni positivo actu voluntatis (actus enim aliquis intellectûs prærequiritur necessariò, sicut ad actum omnem voluntatis ita & ejus omissionem) quæ sit illius causa directè, vel indirectè: tunc autem causatur omissio *directè* ab actu voluntatis, dum quis directè vult omittere, v. g. orationem Divini officij, vel circa auditionem sacri habet nolitionem positivam: *indirectè* verò causatur, dum quis advertens se teneri audire sacrum, etsi directè illud nolit omittere, vult tamen aliquod objectum illi incompossibile v. g. ludere vel dormire tempore Sacri.

2. *Pura omissio libera est possibilis.* Dico primò: Est possibilis pura omissio libera, independenter ab omni actu positivo voluntatis, qui sit causa directa, vel indirecta ejus. Est Scoti *3. dist: 19. q: unic.* Et *quodl. 18. q unic.* quem sequuntur Scotistæ, Ockam, Richard. Adrianus, Marsil. Medina, Tannerus, & alij RR. complures; contra Vasquez, Henric. Zumel, Cajet.

Probatur primò: Illud est liberum, quod est indirectè in potestate voluntatis, ut sit, & non sit: sed tam actus, quàm ejus suspensio, vel omissio pura est in voluntatis potestate: Ergo &c: Prob: Mi: voluntas æquè libera est libertate contrarietatis, ac contradictionis: Ergo sicut libertas contrarietatis immediatè potest exerceri à voluntate per actus contrarios; ita libertas contradictionis per actum, & omissionem puram actûs, qui sunt contradictorij; Sed duo actus positivi, v. g. velle, & velle non velle, non sunt extrema contradictoria: Ergo si nequit aliter exerceri libertas contradictionis, quàm per tales actus, ùt volunt adversarij, non salvatur libertas contradictionis. *Confirm: primò:* cognoscat Petrus bonitatem unius objecti, & nil aliud (quod posse fieri certum est, saltem si DEUS subtrahat suum concursum ad cognitionem alterius) amet Petrus hoc objectum; tunc sic, Petrus potest liberè cessare ab amore hujus objecti: sed non per actum reflexum positivum, dicendo, v: g *nolo ampliùs amare, volo. non velle amare*: Ergo per puram omissionem; Maj. patet; quia bonitas illius objecti est finita, concursus DEI, ùt supponitur, indifferens, unde ergo necessitas? Min: Prob: Petrus non cognoscit suum amorem: Ergo nequit actu positivo reflexo dicere, *volo cessare ab hoc amore*; aliàs voluntas ferretur in incognitum. *Confirm: Secundò*: actus reflexus, quô voluntas amorem liberum positivè omittit, est etiam liber secundùm Adversarios: Ergo etiam illum potest voluntas liberè omittere: sed non per alium actum reflexum; aliàs ibimus in infinitum; quia & actus secundus reflexus est liber; & sic deinceps Ergo per puram omissionem.

Probatur secundò: eliciat quis amorem alicujus objecti, & DEUS deneget concursum voluntati ad actum odij, vel alium actum incompossibilem cum amore, talis potest liberè continuare amorem, sed non nisi, quia potest purè amorem omittere: Ergo &c: Prob: Maj. quia non requiritur ad actum liberum nisi potestas indifferentiæ ad agendum, & non agendum in voluntate, sufficiens cognitio objecti, & concursus DEI paratus ad utrumlibet contradi- *3. Suadetur aliâ ratione possibilitas puræ omissionis liberæ*

tradi-

contradictionis Extremum : sed hæc omnia adessent in casu : Ergo &c.

4. *Pura omissio est actus secundus privativus potentiæ liberæ.* Objicies primò : Omne voluntarium est exercitium potentiæ vitalis, liberæ, & ejus actus secundus : sed pura omissio non est talis, imò potius est carentia exercitij, & actûs secundi : Ergo &c : Respondeo Dist: Maj: omne voluntarium positivum est exercitium positivum, & voluntarium privativum est exercitium privativum Conc: Maj: omne voluntarium est exercitium positivum Neg: Maj: & Dist: Min: Neg: Conseq. Itaque potentia libera ùt libera est quasi duplex potentia, ad operandum scilicet, & non operandum; omissio ergo dicitur ejus actus secundus privativus; quia nunquam hæc negatio actûs positivi ipsi competit in illo signo, in quo posset habere actum positivum.

5. *Eliditur quædam instantia.* Dices primò : Potentia libera ùt libera est vitalis : Ergo omne exercitium potentiæ liberæ ùt sic est potentiæ vitalis ùt vitalis : atque ita omne exercitium est vitale: & consequenter positivum, & nullum privativum. Respondeo Neg: secundum Conseq: quia potentiæ vitali liberæ competit duplex exercitium, unum vitale, alterum non vitale; quia libera est ad operandum vitaliter, & non operandum vitaliter; non tamen ad operandum non vitaliter, unde potentia vitalis ùt libera addit supra potentiam vitalem in communi potentiam ad negationem actûs vitalis, in quo distinguitur à potentia vitali naturali.

6. *Duæ aliæ instantiæ evacuantur.* Dices secundò : Voluntas dum se exercet liberè omittendo, aliter se habet in actu secundo, quàm in primo, quando tantùm poterat omittere : sed in actu primo erat carentia actûs : Ergo in actu secundo habet aliud præter carentiam illam. Respondeo Dist: Maj aliter se habet privativè, Conc: Maj: positivè Neg: Maj: potest etiam Neg absolutè Min: quia in actu primo est præcisiò à non carentia operationis, id est, pro illo priori naturæ præscindit voluntas ab actu, & carentia ejus, estque indifferens ad utrumque; pro posteriori verò jam non præscindit; sed habet privationem actûs, qui posset inesse.

Objicies secundò : Nequit voluntas exercere suam libertatem, nisi inducatur ab aliquo motivo : sed nequit ab hoc induci, nisi actu positivo feratur in motivum : Ergo &c: Respondeo Dist: Maj: libertatem contrarietatis Conc: Maj: contradictionis Neg: Maj: hanc enim exercere potest ex sua innata libertate, quam habet circa omne objectum, maximè in via : imo voluntatem suspendere actum circa objectum est formalissimè non permittere se moveri; frustra ergo laboratur in assignando motivo omissionis. Respondeo secundò : Neg: Min. si enim malitia moveat ad odium, magis movere poterit ad omissionem amoris; quia minus est objectum, non amare, quàm odio habere.

Dices tertiò : Saltem ut voluntas humanô modô exerceat libertatem, omittere debet ob aliquem finem : Ergo saltem in humana omissione involvitur actus positivus. Respondeo sufficere motivum interpretativum, unde Dist: Cons: involvitur actus interpretativus Conc: Consq. Formalis Neg: sic v. g. Frater minor non volens surgere ad Matutinum, etsi ad hanc omissionem formale motivū nō habeat, tamē quisque interpretabitur ipsū à comoditate motū omittere. 7. *Rursus alia instantia præcluditur.*

Dices quartò : Si voluntati duo motiva proposita ponantur ad omittendum, v. g. quòd omissio sacri sit utilis, vel ad dormiendum vel ad ludendum, non possumus interpretari, si sacrum omittat, quô motivô persuasa omittat; nec etiam potest ex utroque motivo moveri quia nō potest simul velle ludere & dormire: Ergo &c: Respōdeo Neg: Ant: nam sicut voluntas per actum positivum potest illam omissionem velle propter utramque utilitatem disjunctivè, etsi non possit amare utramque simul habendam, ita & potest utramque velle interpretativè. Addo, quòd tunc somnus, & ludus non moveant voluntatem ad omissionem sub rationibus specialibus incompossibilibus; sed sub ratione communi, quæ est, quòd hic & nunc sit incommodum audire Sacrum. Deniq; sufficit quòd utraq; utilitas cognoscatur, & quòd viâ facti dormiatur, non ludatur; eò ipsô enim censetur quis moraliter omissionem Sacri ob somnum intendere; non ob ludum. 8. *Iterum quædam replica enervatur.*

Objies tertiò: Omissiones frequentatæ destruunt habitum acquisitum; ùt docet experientia: Ergo non sunt sine actibus; quia non ens nequit destruere ens. Respondeo Neg: Ant: Experientia enim solùm probat, corrumpi habitus per actus, qui omissiones regulariter comitātur, quibus si omissio est directè volita physicè destruitur habitus v g. Religionis frequēti volitione omissionis Sacri; si verò tantùm sint occasiones omissionis 9. *Qua ratione puræ omissiones destruant habitum.*

Sacri, ut cùm tépore audiendi Sacri quis ludit, vel studet, dispositivè tantùm corrumpunt, quatenus ex affectu, inordinatè ad lusum vel studium inclinante facilè oriuntur volitiones directè omittendi Sacrum vel studium.

10. *Pura omissio libera potest esse moraliter bona.* Dico secundò: Absolutè loquendo, probabiliter potest pura omissio libera, esse moraliter bona, ac etiam meritoria præmii supernaturalis. Ita PaterMastrius *3.dis.3. q.2.art.1.* Angestus, & Ripalda, cot tra communemThomist ac RR: maxlmè pro secunda parte. dixi: *absolutè loquẽdo*; quia sicut regulariter non datur pura omissio libera; ita nec bona aut meritoria; idque maximè ob infirmitatem naturæ lapsæ, quæ ad merendum indiget gratiâ, & auxiliô præveniente, & excitante voluntatem ad bene agendum secundùm PP: & Concilia.

Probatur *primò* pars prima: ex Aristot: *3. Ethic: cap. 5. non agere honestum est, ubi agere turpe est*: Ergo &c: *secundò* ex Script: Eccl: *31. Beatus qui potuit transgredi & non est transgressus*: Ergo non transgressio meretur laudem & consequenter præmium: *Tertiò*: omne voluntarium est laudabile, vel vituperabile; quia hæ sunt affectiones consequétes voluntarium ut sic: sed pura omissio potest esse voluntaria, & libera: Ergo laudabilis, vel vituperabilis: Ergo moraliter bona, vel mala; *Quartò*, secundùm Communem DD. non requiritur ad omne opus moraliter bonum speciale auxilium gratiæ: Ergo nec ad omissionem bonam. Item secundùm Suarez Arriagam, & alios R:R: potest homo lapsus totam legem naturalem aliquamdiu implere sinè speciali gratia: sed in lege naturæ continentur præcepta negativa, quæ per puram omissioné impleri possunt: impletio autem legis est digna laude: Ergo est moraliter bona.

11. *Imo est meritoria.* Probatur secunda pars. *Primò* ex Ecclesiast: *31 citato*, ubi additur, *ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: Ergo &c: *Secundò*, adimpletio præcepti est meritoria; sed præceptum negativum adimpletur per solam negationem actûs: Ergo &c: *Tertiò*, pura omissio potest esse libera & conformis dictamini prudétiæ, ac etiam legi negativæ; potest exerceri ab homine viatore justo, & dignificato moraliter per gratiam habitualem; & potest haberi ex adiutorio gratiæ actualis in intellectu moraliter efficacis v.g. ex illuminatione Sancta, retrahente hominem à peccato; licet voluntas nullum actum habeat: Ergo potest habere sufficientem valoré, & dignitatem moralem, ob quam acceptetur à DEo, ut meritoria gratiæ: Ergo nulla deficit conditio ad meritum supernaturale. Nec requiritur influxus physicus gratiæ habitualis in opera moralia justorum, nam datio Eleemosynæ v.g. censetur meritoria; etsi in eam non influat physicè gratia habitualis. Nec etiam requiritur, ut omissio sit honesta, quod actu referatur in finem honestum virtutis; quia potest sufficere relatio interpretativa, vel virtualis remota, quæ pridem præcessit, v.g. si virtute intétionis antè factæ ex motivo observantiæ legis quis humanæ omittat actum prohibitum; vel ex intentione semel facta peregrinandi ad D. Jacobum Compostellam opereur, tunc opera bona in itinere facta censentur interpretativè in DEum relata, licèt distractè fiant. *Quartò*: potest DEUS, absolutè loquendo, præcipere angelo vel homini, ut cesset ab omni actu: Ergo in tali casu Angelus, vel homo obediendo hujusmodi præcepto mereri poterit, cessando ab omni actu.

Objicies primò: Ergo tam diu homo meretur, quamdiu non furatur, vel non adulteratur: Ergo etiam in somno, & distractione, & denique quando non elicit actum prohibitũ. Respondeo Neg: Conseq quia nõ sufficit materialis omissio, & impletio præcepti negativi, qualis etiam brutis cõpetit, & pueris; sed requiritur formalis, quæ túc fit, cùm adest advertentia intellectûs ad prohibitionem, & tentatio pulsat ad commissioné prohibiti; verbô unô, quando negatiões illæ sunt volitæ interpretativè; túc enim rectitudo naturalis in illis fundata, est adimpletio formalis legis, & non tantùm non violatio. 12. *Quædam instantia dissolvitur.*

Dices primò: Adhuc sequitur, meritũ cujuscũq; Justi esse quasi immensum, quia sciens, & prudens multa mala omittit. Respõdeo Neg: Conseq. quia tota malorum collectio non omittitur voluntariè; cùm nequeat sic exerceri. Meremur ergo omittendo voluntariè id, quod inter occurentia mala magis sollicitat, & est magis ad manum. 13. *Iterum alio rejicitur.*

Dices secundò: Omissio mali ùt sic non est libera; nemo enim potest non omittere malum ùt sic: Ergo nec bona. Respondeo Conc: totum; sed nihil contra resoluta, quæ loquuntur de omissione mali propositi sub ratione boni, utilis, vel delectabilis.

Objicies secundò: Omissio actûs boni, quã homo refugit objectũ malũ præcognitum, est otiosa; imô moraliter periculosa; quia voluntas negativè se habendo, urgente

urgente gravi tentatione ad malum, exponit se periculo consentiendi positivè: Ergo &c: Respondeo Neg: Ant. quia voluntas circa malum propositum est libera tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium;& consensui in malum non minus opponitur pura omissio, quàm actus positivus: unde etiam per puram omissionem evitatur peccatum; quia non urget ullum præceptum eliciendi actum positivum. Fateor tamen gravi tẽtationi regulariter resisti per actum positivum Fateor etiam suspensionem actûs boni, quâ refugi tur malum propositum per cogitationem non esse laudabilem; sed indifferentem; sed omissionem actûs mali nego non esse laudabilem,&bonam.

14. *Sufficit puram omissionem esse supernaturalem quoad modum.* Objicies tertiò cum Oviedo, Meritum debet esse ens intrinsecè,& in substantia supernaturale: sed hoc tantùm convenit actui positivo: Ergo &c: Respondeo Neg: Maj: nam ipse Oviedo in actibus externis, ùt Jejunio &c: veram rationem meriti admittit; quæ tamen non habet supernaturalitatem intrinsecam; sed derivatam ab actibus internis: sufficit ergo, quòd omissio sit supernaturalis quoad modum,& extrinsecè (sicut hoc sufficit in actibus positivis secundùm Suarez & alios graves Authores) ratione gratiæ sactificantis, & auxilij supernaturalis; quod PP: & Concilia non minus requirunt ad observanda mandata affirmativa per actum, quàm negativa per omissionem actuum prohibitorum.

15. *Dissolvitur quædam objectio.* Objicies quartò: Ad bonum requiritur directè velle honestatem Virtutis, & non sufficit velle indirectè: sed per omissionem non fertur quis directè in honestatem, nisi adsit actus positivus: Ergo &c: Prob: Min: quia pura omissio dicitur tantùm indirectè, & interpretativè voluntaria. Respondeo Argumentum laborare æquivocatione: Itaque si per voluntarium indirectum intelligatur illud, quod tantùm est voluntarium in ratione alterius, ùt in causa volita, ex qua sequitur; falsum est omissionem esse tantùm indirectè voluntarium; cùm non minus sit immediatè in potestate voluntatis suspensio actûs, quàm ipse actus; quare omissio bona potius debet dici formaliter, expressè, & directè voluntaria: si verò per voluntarium indirectum intelligatur illud, quod æqualiter se habet ad actum expressum, qui à voluntate positivè procedit, sic omissio pura dicitur indirectè & interpretativè voluntaria, ex quo patet, quantam vim habeat argumentum.



DISTINCTIO II.

De Voluntario; & Involuntario conditionantibus Actus Humanos.

Quæstio I.

De quidditate; existentia; & divisione Voluntarij.

1. *Variæ AA. definitiones Voluntarij.*  NOTA primò: Rationem Voluntarij esse conditionem Actûs Humani, ùt patet suprà *dist. 1. q. 1. concl. 1.* habet autem varias definitiones; nam S. Damascenus *lib. 2. de fide cap. 24.* definit illud sic, *Voluntarium est, cujus principium est in agente, qui habet compertas omnes, & singulas circumstantias actûs;* quæ definitio videtur esse desumpta ex Philosopho *3. Ethic 1.* ubi ait, *Voluntarium est, cujus principium est in ipso agente, cognoscente singula* (id est omnes circumstantias) *in quibus est actus.* D. Thomas. *q. 6. art. 1.* sic definit voluntarium, *est illud, quod est à principio intrinseco cum cognitione.* Ego claritatis causâ.

2. *Author definit Voluntarium.* Dico primò; rectè definitur voluntarium perfectum, *quòd sit id, quod procedit à Voluntate, cum prævia cognitione intellectiva perfecta objecti, & finis;* Est in re communis TT. sensus.

Probatur: Hæc definitio convenit omni, & soli Voluntario: Ergo &c: Explicantur autem singula membra: Ly *quod procedit à Voluntate* indigitat rationem liberi in Actibus Humanis repertam indispensabiliter ortum ducere à Voluntate, quæ sola est principium Voluntariè operandi: quare à ratione Voluntarij excluduntur actus intellectûs, etiam judicij, & discursûs; actus item phantasiæ; & appetitûs sensitivi. Ly *cum prævia Cognitione intellectiva, perfectâ objecti, & finis* innuit, ad rationem Voluntarij perfecti, & strictè sumpti prærequiri actum intellectûs perfectum, seu deliberatum, exercitum circa bonitatem, vel malitiam attractivam, vel repudiativam objecti, in quod tendit voluntas operans voluntariè; unde à ratione voluntarij perfecti excluduntur operationes brutorum, etsi illæ fiant ob aliquem finem, & ex prævia aliqua phantastica apprehensione ejusdem. Item actus voluntatis primi seu indeliberati; & actus externi inde orti; hæ enim omnes operationes non procedunt ex prævia cognitione perfecta seu deliberata; unde duntaxat voluntariæ imperfectè vocari possunt.

3. *Voluntarium perfectum idem est, quod liberum.*

Dico secundò: Voluntarium perfectum reciprocatur cum libero, seu ratio voluntarij est eadem cum ratione liberi. Ita colligitur ex Scoto. *4. dist. 10.* contra Thomistas.

Probatur primò: Authoritate Scripturæ, quæ unum pro alio usurpat; & unum per aliud explicat; quod est evidens signum, unum cum altero reciprocari; sic Eccl: *15:* exprimitur liberum hominis per illa verba, *reliquit illum in manu Consilij sui, adiecit ei Mandata & præcepta*; & deinde explicat hoc liberum circa mandata, & præcepta DEI per Vuntarium, *si volueris mandata servare, conservabunt te; apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum*: Ergo &c.

4. *Ratio pro conclusione affertur.*

Probatur secundò ratione: Tota definitio Voluntarij perfecti suprà data convenit libero; nam actus liber Voluntatis v. g. amor DEI, procedit à voluntate ex prævia perfecta, seu deliberata cognitione DEI ut objecti, & ultimi finis: Ergo ista duo inter se reciprocantur, ita ut nullum sit discrimen inter ea.

5. *Cur processio S. S sit libera, & tamen non contingens.*

Objiciunt Thomistæ: In Divinis ad intra reperitur voluntarium, & non liberum; quia Spiritus S. procedit voluntariè; & tamen non procedit liberè; quia procedens liberè potest non procedere, estque propterea Contingens: Ergo hæc duo non reciprocantur. Respondeo Neg. Ant. cum sua Ratione utraque; nam non omne liberè procedens contingenter procedit; sicut patet in hoc ipso exemplo de processione Spiritûs S. sed in processionibus attendendum est ad exigentiam objecti, num sit objectum contingens, vel necessarium; nunc autem Spiritus S. est objectum necessarium; adeoque ejus processio, etsi sit libera, non tamen contingens. Circa secundum punctum quæst:

6. *Plures dantur actus perfectè voluntarij.*

Dico tertiò: Dantur de facto complures Actus Humani, perfectè volūtarij Ita colligitur ex Scoto. *4. dist. 6. q. 5.*

Probatur. Tum ex dictis suprà *dist. 1. q. 4. concl. 1.* ubi latè ostensum est, extare in hominibus etiam lapsis verum liberum arbitrium, quod proinde est principium elicitivum Actuum Humanorum voluntariorum. Tum quia Psalm. *53.* dicit David de voluntario actu sui sacrificij, *voluntariè sacrificabo tibi.* Tum quia dantur de facto actus meritorij, & imputabiles ad vitam æternam; ut patet ex varijs Scripturis, & CC: Ergo hi sunt perfectè voluntarij, & in potestate hominis. Conseq. tenet; nam nil est meritorium, vel imputabile, quod non est à potestate merentis, & quod à potentia libera liberè seu voluntariè non procedit; *ab iis enim, quæ naturaliter* (id est non voluntariè, & liberè) *nobis insunt, nec laudamur, nec vituperamur*, inquit Philosophus.

7. *Nequit esse Actus Humanus sine ratione Voluntarij.*

Dico quartò: Actus Humanus ita pendet à ratione perfecti voluntarij, ut nequeat ullo modo poni, quà Humanus, sine ratione voluntarij. Ita Scotus *quodl. 17. art. 1*, cum suis; & communi DD.

Probatur: Tum, quia ut paulò ante dixi ex Philosopho, *ab iis, quæ nobis naturaliter insunt, nec laudamur, nec vituperamur*: Ergo cùm per Actus Humanos laudemur, vel vituperemur, illi nobis debent inesse liberè, seu voluntariè. Tum quia in hoc potissimùm secernuntur Actus Humani ab actibus fortuitis, & casualibus, quòd priores sint voluntarij, & liberi; posteriores verò non; adeoque ratio voluntarij ita imbibita est in Actibus Humanis, ut sine ea nequaquam possint poni. Tum tandem, quia ita patet ex definitione Actûs Humani,

suprà

suprà *dist. 1. q. 1.* data. Circa ultimum punctum hujus quæst:

8. *Quid sit voluntarium interpretativum, & formale.*

Nota secundò: Voluntarium primò dividi in *interpretativum*, & *formale*. *Interpretativum* est omissio, quâ quis voluntariè omittit aliquid sine actu positivo. *Formale* est actus positivus volitionis, aut nolitionis alicujus objecti.

9. *Quid voluntarium perfectum, & imperfectũ.*

Nota tertiò: *Formale* rursus dividi in *Perfectum*, (quod præsupponit cognitionem distinctam intellectualem.) & in *Imperfectum* quod præsupponit vel sensitivam: vel intellectualem confusam tale datur in brutis, & aliquando in hominibus: dicitur *imperfectum*, non quòd ratione voluntarij ùt sic imperfectè includat; sed quia differentia illius cõtrahẽs est imperfectior differẽtiâ alterius perfecti.

10. *Quid voluntarium necessarium & liberum.*

Nota quartò: Voluntarium *perfectum* iterum subdividi in voluntarium *necessarium*; hujusmodi est omnis actus voluntatis rationalis, quò necessariò vult bonum sibi propositum v. g. actus Divinæ voluntatis, quô se ipsum amat, amor Beatorum circa DEUM clarè visum: & in voluntarium *liberum*; hujusmodi est actus, quò voluntas tendit in objectum propositum, cùm tamen possit non tendere; quæ divisio etiam apud Scotistas valet, si per *voluntarium necessarium* intelligatur liberum libertate essentiali; & per *voluntarium liberum* liberũ libertate accidẽtali, seu indifferẽtiæ. Voluntarium liberum libertate proximâ non est perfectio simpliciter respectu cujuscunque objecti; aliàs DEUS deberet se amare libertate differentiæ; quod tamen esset imperfectionis in DEO: ordinariè tamen voluntarium liberum est perfectius perfectione secundùm quid in ratione voluntarij; quia cæteris paribus actus eò magis est voluntarius, quò magis est consentaneus interno appetitui, & inclinationi voluntatis; quia eò magis censetur provenire à principio intrinseco; determinatio autem, & necessitas faciunt actum magis procedere à principio externo determinante contra inclinationem naturalem voluntatis.

11. *Quid voluntarium directum, & indirectum.*

Nota quintò: Voluntarium adhuc aliud esse *directum*, cum quo confundi solet voluntarium explicitum & *in se*; aliud *indirectum*, cum quo confunditur voluntarium implicitum & *in causa*: sic inebriatio volenti se inebriare est directè, & explicitè, ac in se voluntaria; homicidium verò aut alia peccata, quæ ex ebrietate sequuntur, sunt voluntaria indirectè, implicitè, & in causa. Eadem possent dici voluntaria interpretativè; licèt voluntarium interpretativum sumatur subinde pro eo, quod adesse præsumitur ex aliquo signo exteriori sive positivo sive negativo, secundùm illud, *qui tacet, consentire videtur*, ùt ait regula Juris *in 6.* & habet locum in foro externo: subinde etiam non pro voluntario. quod defacto est, sed quod prudẽter conjecturamus futurum, si adesset, vel sciret, vi cujus assensus desideratur; sic religiosus Superiore absente & inscio interdum aliqua facit, vel recipit, sciens gratum fore Superiori, si sciret, & consensus peti posset.

12. *Pura omissio potest dici directè volita.*

Nota sextò: Omissio libera, etsi dixerim suprà, esse etiam actum interpretativum voluntatis, posset tamen etiam dici directè, & in se voluntaria cùm secundùm se sit libera, & ut ita loquar, negativè volita (si sit libera omissio pura) utpote secundùm se pendens à voluntate liberè, non ponente actum oppositum; cùm voluntas etiam liberè non agat.

13. *Quid sit voluntarium propriâ, & alienâ voluntate.*

Nota septimò: Voluntarium rursus aliud esse *voluntate propriâ*; aliud *voluntate alienâ*, quod licèt procedat ab alterius voluntate, moraliter tamen imputatur nostræ voluntati, commissæ alieno arbitrio; quod fit *primò* authoritate Divinâ: sic peccatum originale contrahimus, quia ex pacto Divino voluntas nostra fuit inclusa in voluntate Adæ *Secundò*. authoritate publicâ: sic actus Tutorum sunt quodammodo voluntarij Pupillis, quorum voluntas est per leges translata in voluntatem Tutorum. *Tertiò*, authoritate privatâ; sic actus Procuratoris sunt voluntarij, procurationem committendi ad certa negotia; & hoc etiam posset dici voluntarium voluntate propriâ.

QUÆSTIO II.

De quidditate; existentia; & divisione Involuntarij; & num hoc ex violentia possit causari.

1. *Definitur Involuntarium.*


DICO primò: Involuntarium propriè dictum rectè definitur, quod *fit id, quod procedit ab agente rationali contra voluntatis positivam inclinationem*. Est in re communis DD. sensus.

Probatur: Hâc definitione debitè exprimitur natura involuntarij propriè dicti: Ergo eâ rectè definitur involũtariũ. Per Ly *quod procedit ab agente rationali* datur intelligi, rationem Involuntarij propriè dicti reperiri duntaxat in creaturis intellectualibus; cujusmodi est Homo, & Angelus; nã licèt etiã creaturæ inanimatæ v.g. lapides, quatenus voluntate, & voluntario carent, involuntariæ dicantur; hæc tamen acceptio involuntarij est impropria, & ad præsens institutum impertinens. Per Ly *contra voluntatis inclinationem positivam* insinuatur differentia Involuntarij à voluntario, quod fit secundùm inclinationem voluntatis. Circa existentiam involuntarij.

2. *Dantur aliq involuntarij.* Dico secundò: Dantur quandoq. actus, Involuntariò propriè dictò præditi. Est communis TT.

Probatur: Datur quandoque projectio mercium in mare tempore imminentis naufragij, in ordine ad exonerandam navim, & salutem corporalem projicientis conservandam; hujusmodi autem projectio est involuntaria, saltem secudùm quid; quia projiciens libenter eas retineret, si absque vitæ periculo id posset: sic pariter condemnatus ad triremes involuntariè remigat: Ergo dantur actus, præditi Involuntariô propriè dictô. Circa divisionem involuntarij.

3. *Quid sit Involuntariũ simpliciter, & secundũ quid.* Nota primò: Involuntarium rectè dividi, primò *in involuntarium simpliciter*, & *in involuntarium secundùm quid. Primum* habetur, quando aliquid agitur, quod est absolutè cum inclinatione voluntatis pugnans, quodque propterea voluntas absolutè, & efficaciter respuit; tale esset, si DEUS voluntati Petri nolentis, & efficaciter contranitentis infunderet amorem aliquem, qui amor esset actus involuntarius. *Secundùm*, si Petrus projiceret merces in mare ad salvandum se à naufragio. Circa ultimum articulum quæst.

4. *Quid violentum, coactũ, necessitatũ, impeditum, invitum, & non spontaneum.* Nota secundò: Esse discrimen inter hæc, violentum, coactum, necessitatum, impeditum, invitum, non spontaneum. *Violentum* enim describitur ab Aristotele *3. Ethic. cap. 1. esse illud, cujus principium est extra conferente vim passo*, id est, uti glossat Doct: Subtilis. *2 dist. 18.* contranitente, vel resistente passo. *Coactum* describitur esse illud, quod repugnat inclinationi appetitûs: ex quo patet, coactum competere duntaxat rebus præditis appetitu sensitivô, vel rationali; Violentum verò etiam competere ulterius potest rebus alijs, præditis solo appetitu innatô, seu pondere naturæ v. g. aquæ, cui calefactio censetur esse violenta, & tamen non cogitur propriè: quare violentum est magis latè patens, quàm coactum. *Necessitatum* describitur esse illud, quod determinatur ad aliquam rem, ad quam prius erat indifferens v. g. dum causa secunda determinatur ad hunc effectum per aliquod prius istâ productione, ad quam aliàs erat indifferens. *Impeditum* describitur esse id, quod non permittitur habere operationem suam, quam aliàs habiturum esset, v. g. ignis Babylonicus dicitur impeditus, ut non comburat tres Pueros, DEO subtrahente suum concursum generalem. *Invitum* describitur ex Philosopho *esse id. quòd quidem est ab intrinseco*, (id est à voluntate) *est tamen ob ignorantiam eorum, in quibus est actio*, id est exigentia circumstantiarum) *& cujus gratiâ est actio*; tale Invitum esset, si Petrus vesceretur carnibus die veneris ob ignorantiam circumstantiæ diei veneris, quô casu dicitur illa comestio invita. *Non spontaneum* describitur ab eodem Philosopho *esse id, quod licèt sit ab intrinseco, nec fiat ob ignorantiam eorum, in quibus est actio, est tamen ab ignorante*: (id est, non considerante actu) quomodo agere oporteat, & à quibus sit abstinendum; tale habetur in ebrio, vel irato, qui non videtur ob ignorantiam agere; agit tamen ignorans, id est, non attendens ad id, quod conducit ad pravitatem sui actûs. His ita distinctis.

Dico tertiò: à violento, seu violentia physica causatur in actu secuto involuntarium simpliciter. Ita Scotus. *4. dist. 29. q. 1. §. ad quæst.* & communis DD. 5. *Violentia causat Involuntarium simpliciter.*

Probatur: Ex definitione suprà data Involuntarium simpliciter est, quod est contra inclinationem voluntatis, cum efficaci & absoluta repudiatione ejusdem: sed tale causatur à violento seu violentiâ; cùm hoc procedat à principio extra, seu extrinseco, passo contranitente simpliciter v. g. dum compellitur à Tyranno Eleazarus manducare carnes porcinas contra legem: Ergo à violento seu violentia causatur in actu secutn Involuntarium simpliciter. 6. *Voluntas humana no-*

Dico quartò: In actibus elicitis proprijs quà talibus, neque à creaturis, neque

quit violentari simpliciter in actibus elicitis. neque à DEO potest voluntas humana violentari simpliciter. Ita Scotus. *4. dist. 29. q. 1.* S. Thomas, Alensis noster, D. Bonaventura, & alij; contra P. Vulpem, Oviedo, Arriagam, Salas, &c:

Probatur: Actus elicitus humanæ voluntatis eò ipso, quòd sit elicitus, est à principio intrinseco vitali voluntatis: Ergo quà talis nequit esse violentus; & consequenter voluntas humana in eo eliciendo non potest violentari simpliciter. Conseq: utraque tenet; quia ad rationem violenti, & violentiæ requiritur, ut sit à principio, quòd sit extra, seu extrinsecum ipsi violento.

7. *Limitatio prioris doctrinæ.* Dico quintò: potest tamen à DEO violentari simpliciter voluntas humana in hoc sensu, ita ut non possit elicere suum actum, quem aliàs vellet elicere. Ita S. Bonaventura, Tann: Suar: Bontempo, & communis TT.

Probatur: Tum quia DEUS pollet omnipotentiâ in omnes creaturas, & consequenter etiam in voluntatem humanam: Ergo hâc impedire potest voluntatis actiones; & consequenter tunc violentaretur, ita ut non possit elicere suum actum. Tum quia DEUS est causa universalis prima coagens cum causis secundis volentibus operari, & potens suspendere suum concursum: Ergo in casu suspensionis sui concursûs cum voluntate humana, violentaretur voluntas humana, ita ut non possit operari.

8. *Voluntas humana potest violentari in actibus aliarum potentiarum natis imperari à voluntate.* Dico sextò: Similiter potest humana voluntas à DEO violentari simpliciter in actibus aliarum potentiarum, natis imperari à voluntate. Ita Scotus *cit*: S. Bonavent: S. Thom: & communis DD.

Probatur: Tum quia sic de facto violentatur voluntas damnatorum in motu progressivo à se aliàs nato imperari, ita ut non possit egredi ex inferno. Tum quia plus potest DEUS in voluntatem, quàm homo in brutum: sed homo potest violentare, & cogere brutum: Ergo & DEUS hominem in actibus natis imperari à voluntate. Tum quia voluntas humana est finitæ potentiæ, adeoque superabilis ab agente infinito, Tum tandem, quia in hujusmodi violentia à DEO inferenda nulla apparet implicantia v. g. ut ex compulsu Divino manus palpet aliquid, quod voluntas humana respuit: Ergo potest causari à DEO ejusmodi violentia.

9. *Item in ratione receptivi.* Dico septimò: Potest pariter violentari voluntas humana in ratione receptivi, ita ut cogatur aliquid recipere contra suam inclinationem. Ita Scotus *Dist: 49. q. 2.* Vulpes, Herinx, & alij Scotistæ.

Probatur. DEUS potest humanæ voluntati etiam renitenti infundere aliquam passionem, vel aliquem habitum, vel actum amoris; sicut potest eidem infundere gratiam actualem; in hoc enim nulla videtur implicantia: Ergo tunc in ratione receptivi posset violentari, & cogi.

QUÆSTIO III.

De Involuntario ex metu resultante.



Nota primò: Aristotelem. *2. Physic: cap. 5:* describere metum, quòd *sit animi ægritudo, vel turbatio, orta ex cognitione imminentis mali, quod aut mortem, aut molestiam inferre potest.* Vulpianus *l. 1. ff. de eo, quod metûs causa* sic, quod *sit instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio*; hinc metu fieri dicitur id, quod quis mali declinandi causâ facit, aliàs non facturus: dicitur *mentis trepidatio*; quia metus oritur ex forti imaginatione periculi futuri proximè imminentis: dicitur *instantis*; quia valde remota pericula non timentur, nec mentem perturbant; hinc cùm omnes certò sciamus, nos morituros, mortem ut valde distantem non timemus: dicitur *instantis, vel futuri*; quia periculum nondum evênit. Differt metus à tristitia, & dolore, quia hæ sunt ægritudines causatæ à malo præsenti. 1. *Definitio metûs ex Philosopho,*

Nota secundò: quòd metus alius sit *concussivus*, ut qui per minas infertur; alius *impressivus*, qui dicitur metus facti, ut cùm actu interveniunt verbera & carcer; alius *Suspicionis*, non temerariæ, sed violentæ, qui dicitur *compulsivus potentia*; quia metum incutiens est vir potens in Republica: alius *Tacitus*, *& reverentialis*; talis est Filij erga Patrem, uxoris erga virum; alius *Perfidia*, ut si ægrotus, timens nè perfidè curetur, medico prodigè largiatur, vel cliens Caussidico ex eodem Timore ampliorem det pensionem. 2. *Quid sit metus concussivus, compulsivus, & reverentialis.*

Nota tertiò: Quòd metus iterum alius sit *intrinsecus*, qui provenit à causa intrin- 3. *Quid metus intrinsecus*

intrinseca; puta cum ad avertendum malum, sive ex causis naturalibus, sive ex quovis alio infortunio exortum ultrò metum quis elegit, quod aliàs nollet; item si metu naufragij pecunias abjiciat; vel castitatis votum emittat. Item si, ut mortem inferendam evadat, spondeat matrimonium; vel pecuniam offerat, ut Judicem reconciliet: alius *extrinsecus*, qui ab extrinseca persona directè incutitur ad extorquendum consensum alicujus rei; quod fieri potest vel *justè*, v.g. Si Episcopus excommunicationem minetur Titio, nisi Bertham ducat, cum quâ Sponsalia contraxit; vel Judex cogat illum ad ducendam fœminam ab ipso defloratam: *injustè* ut si quis velit aliquem interficere, nisi pecunias det, in matrimonium consentiat, qui jus in vitam, vel bona illius non habet; unde pecuniam acceptam talis injustus invasor tenetur restituere; & matrimonium eo metu extortum est irritum. Et de hoc metu intelliguntur Jura Canonica, & Civilia, dicentia, *promissiones, & contractus gravi metu invalidari; vel invalidandos esse*. Si autem quis injustè mortem aut grave malum comminaretur alicui, non ad hunc finem, ut in matrimonium consentiat; sed ex odio, vel vindicta; alter verò speret, se offerendo ultrò ad matrimonium, malum comminatum evadere, & ideo ad matrimonium se offert, v.g. si maritus deprehendens Adulterum cum sua uxore minetur mortem, Adulter autem sperans se evasurum mortem, se se offerat ducere aggressoris Filiam, hic metus non invalidaret matrimonium; licèt enim interveniret injustitia; non tamen ad extorquendum consensum matrimonij; qua de re vide plura, quæ dico *tom. 3 tract. de sacram. dist. 17. q. 4.*

& extrinsecus.

4. *Quid sit metus cadens in constantem virum.*

Nota quartò: Metus ab extrinseco maximè incussus, alius est, *cadens in virum constantem*, qui & dicitur metus gravis, probabilis, justus; alius *cadens in virum inconstantem*, qui etiam metus levis, vanus, injustus dicitur. *Prior* causatur à malo prudenter, & honestè, præferendo illi malo, quod ob metum fit; nam vir constans, ùt talis, est vir bonus, & agens secundùm virtutem: sed virtus dictat præferendum malum majus malo minori; hinc metus mali majoris imminentis est metus cadens in virum constantem, id est, metus, ob quem ipse deberet se exponere malo minori, quod aliàs non faceret nec promitteret. *Posterior* est, qui causatur à malo minoris momenti, & facit ut quis se exponat majori malo; talis est omnis ille, ob quem quis peccat.

Nota quintò: Metus cadens in virum constantem aliter explicari debet in ordine ad evitandam culpam; & aliter in ordine ad evitandam obligationem ex promissione aut contractu; licèt enim metus factum aliquod aliàs illicitum, cujus est ipse metus causa, à culpa excuset, oportet tamen ut sit majoris mali, quàm sit illud, quòd metûs causâ fit; hinc metus etiam gravissimi mali v. g. mortis, aut torturæ non censetur justus, si propter eum aliquis in peccatum, etiam veniale consentiat; quia hoc omnibus alijs malis majus est ex S. Augustino *de Civit: DEI cap. 18* unde nec pro defendenda propria, aut aliena vita mentiri licet, ex eodem suprà *Psalm: 5.* Ut autem metus invalidet promissiones, & contractus, qui metûs causâ ineuntur aliàs non ineundi, sufficit, si sit metus gravis mali, & ut vim aut atrocitatem contineat, ut voluntatem humanam plerumque concutiat & inclinet in rem, quam aliàs abhorret. Ita Navarrus, Petrus de Ledesma & alij, quos sequitur, & citat Leyman *lib. 1. Tract. 1. cap. 6.*

5. *Aliter se habet metus reverentialis circa culpā, & aliter circa obligationem.*

Nota sextò: Mala autem atrocia, quorum metus sit justus ac probabilis, censeri à Jure, & DD. sequentia, scilicet, metus mortis, enormis mutilationis, corporis cruciatûs, servitutis, exilij, captivitatis, diurni carceris, gravis Infamiæ, stupri, injustæ excommunicationis, amissionis omnium bonorum aut saltem ex magna parte, si hæc propriæ personæ, vel alij usque ad quartum gradum saltem consanguinitatis, & secundùm aliquos etiam, amicis inferenda sit. Attamen Judicis arbitrio relinquuntur hæc determinanda, utrum in particulari alia sint mala, quorum metus gravis reputandus sit: inspectis diligenter circumstantijs, maximè qualitate personæ, sexu, ætate, fortitudine, & innatâ animi magnanimitate, fragilitate; hinc secundùm communem apud Sanchez *lib. 4. de Matrim. Disp. 3. prope finem*, minor metus desideratur apud feminam, quam in viro, ita ut, dum dicitur metus cadens in virum constantem, nomine viri intelligatur animus non facilè pavidus pro cujuscunque conditione.

6. *Afferuntur mala quæ causant metum justum.*

Nota

7. *Duæ conditiones metûs cadentis in constantem virum* Nota septimò: Secundùm Scotum in. *4. dist. 29. q. un.* duas maximè conditiones esse metûs cadentis in virum constantem; *Prima* est, ut grave sit malum, & ut secundùm rectam rationem à viro forti, & constanti elidi non possit; debetquè hæc gravitas mali attendi ex natura mali, ùt patet ex malis suprà assignatis; non autem ex vana, vel non fundata æstimatione metuentis. *Altera*, ut illa mala certò immineant, id est, secundùm prudentem, & fundatam, seu probabilem æstimationem.
8. *An metus reverentialis cadat in constantem virum.* His conditionibus deficientibus metus censebitur levis.

Quæres primò: An metus Reverentialis censeatur cadens in virum constantem, ut irritet obligationem voluntariam; pro Responsione.

9. *Varia exempla metûs reverentialis* Nota octavò: Ex natura rei Timorem Reverentialem dari *Primò* in Clerico, respectu Episcopi; in Religioso, respectu Prælati; in Sæculari, respectu Magistratûs; in Uxore, respectu Viri; in Filio, respectu Patris. Ita DD. communiter. Et patet; quia cùm hi Superiores sint, & alij ipsis subjecti, suapte naturâ quandam reverentiam, & obsequium eis debent, quæ reverentia timorem incutit. *Secundò*, respectu Soceri; quia Socer obtinet locum Parentis. *Tertiò*, respectu Avi; quia colitur ùt Pater. *Quartò*, respectu curatoris. *Quintò*, (licèt non tam facilè hìc metus præsumatur) respectu Matris, si ipsa sit crudelis, & austera, soleatque minas exequi; quia proles jure naturæ utrique Parenti est subdita. *Sextò*, in Sorore respectu Fratris majoris natu, si cum eo habitet, ab eoquè gubernetur. Idem est in Fratre minori ac in Sorore minori cohabitante majori, à quâ gubernatur. *Septimò*, respectu Atavi. Ita Sanchez *lib. 4. dist. 6.* & alij AA. complures eâ relati.

10. *Non quibis metus reverentialis cadit in constantem virum.* Respondetur nunc: Solum metum Reverentialem, nisi graves minæ, verbera aut gravis sævitia, vel indignatio diuturna Patris, aut alius metus gravis adjungatur, non cadere in virum constantem, consequenter non annullare Matrimonium, ùt dixi *tom. 3. tract. 1. dist. 19. q. 4. conc. 2.* neque annullat professionem Religiosam, aut alios contractus: Ratio est; quia metus Reverentialis solus non videtur tantam habere vim ad cogendum voluntatem, ut vir constans eo debeat terreri. Vide alias probas desumptas ex Textibus Juris, quos allegat Sanchez. Si etiam Pater sub pæna maledictionis præciperet Matrimonium, metus inde secutus non sufficeret ad irritandum illud; quia maledictio illa non est causa necessaria eventûs, Attamen spectatis pluribus circumstantijs particularibus v. g. si Filius sit valde obtemperans, Pater verò valde austerus, &c. Metus reverentialis erit sufficiens ad rescindendos contractus secundùm Suarez, & alios DD.

11. *preces cadentes in constantem virum.* Quæres secundò: An blanditiæ, vel preces importunæ, quales sunt instantissimæ, sæpiùs replicatæ, afferant metum cadentem in virum constantem. Respondeo cum Mastrio *in 4. dist. 7. q. 4. art. 1. num. 125.* Layman, Brugnoli. &c: Quòd si adhibeantur ab æqualibus, vel inferioribus, *negativè*; cùm non sint conjunctæ cum metu reverentiali: si verò adhibeantur à Superioribus, & Majoribus, Respondeo cum Coninck, Lessio & alijs *affirmativè*; consequenter sufficiunt ad irritandum matrimonium; quia prudenter censentur habere annexum periculum gravis indignationis Superioris. Quòd si hujusmodi periculum desit, rationabiliter posset præsumi tenere oppositum. His præmissis ad quæstionem principalem.

12. *Actus ex metu facti sunt per se simpliciter voluntarij.* Dico I. Actus ex metu, sive eliciti, sive imperati, sunt *per se simpliciter voluntarij*; frequenter *secundùm quid involuntarij.* Ita Scotistæ communiter, S. Bonavent. D. Thomas, ac communis DD.

Probatur prima pars: Actus ex metu facti procedunt à voluntate, cum prævia cognitione finis: Ergo sunt voluntarij simpliciter Prob. Ant. projiciens hìc & nūc merces in mare metu naufragij, vel dans pecunias Latroni metu mortis, consideratis omnibus, ac singulis consultù eligit, ut sibi hic, & nunc bonum, dare pecunias, vel merces abjicere: Ergo &c. *Confirm: primò* qui metu quid facit, potest illud facere, vel non facere: Ergo cùm faciat, liberè facit: quia cum indifferentia ad oppositum: sed omne liberum includit vel supponit voluntarium: Ergo &c. *Confirm: secundò;* Illi actus non sunt contra inclinationem elicitam efficacem voluntatis; aliàs idem simul vellet, & nollet efficaciter; quod implicat: Ergo sunt simpliciter voluntarij, hinc patet, metum per se non excusare à peccato; ut constat in eo, qui ex metu mortis, aut tormentorum à Fidei confessione deficit. Dixi *per se*, quia per

per accidens quandoque potest ex consideratione mali imminentis adeò graviter perturbari ratio, ut libertas, maximè perfecta, impediatur.

13. *Aliquando tamen involuntarij secundùm quid.* Probatur secunda pars: Quia actus ex metu factus, ut apprehenditur extra hunc casum, & exclusis his particularibus circumstantijs non poneretur; imò sæpe fit cum formali displicentia, ut quis vellet non facere, si malum non timeret: Ergo tunc est secundùm quid voluntarius. Dixi *frequenter*; non enim semper; nam qui ex metu gehennæ mandata DEI custodit, aut peccatum detestatur, nec inefficaciter ei placet transgressio legis, aut peccatum: aliàs habendo adhuc affectum ad peccatum, peccaret: talis nec secundùm quid involuntariè id facit. In ijs autem casibus, in quibus intervenit subinde renitentia in observantia mandatorum, non provenit ex affectu tali, ut quis habeat hanc voluntatem v. g. nollem restituere, aut aliud opus præceptum facere, nisi esset infernus; talis enim actus malus esset; sed provenit illa renitentia ex affectu, quem quis v. g. habet ad pecunias secundùm se, ratione cujus sentit difficultatem in restituendo; quam tamen vincit, aliàs non victurus, nisi metus gehennæ adesset; & tunc nil adest peccati; sed majoris meriti occasio. Potest etiam fieri, quòd voluntas conditionata, opposita voluntati absolutæ, non adsit ex mera voluntatis libertate, quæ affectum inefficacem (licèt compatibilem cum metu) potest ad libitum rejicere; hinc potest quis ex metu ita projicere merces in mare, ut nec voluntatem conditionatam habeat eas retinendi, idque ex mera libertate, ex qua sicut potest amorem continuare, ita & deponere.

14. *Quando aliquando aliqua ex metu facta sunt involuntaria, metus eorum causa non est.* Nota nonò: Esto subinde ex metu facta sint secundùm quid involuntaria; metum tamen non esse propriè, & per se causam illius involuntarij; metus enim est potiùs causa voluntarij, quia est ratio, ob quam voluntas illud absolutè vult facere. Potest tamen dici causa per accidens involuntarij; quia causat opus, quod aliunde est contra inclinationem voluntatis, quæ actum, qui ex metu fit, retardat, eumque secundùm quid involuntarium reddit.

15. *Glossatur caput Majores.* Objicies primò: *Cap. Majores. §. item quæritur*; is, qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur ad Baptismum; tanquam conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, congendus est ad observantiam Fidei Christianæ: Ergo quod metu fit, absolutè est in voluntarium, & voluntarium tantùm secundùm quid, seu conditionaliter. Respondeo *Caput majores* tantùm velle, esse conditionaliter voluntarium, & absolutè involuntarium quoad apprehensionem, in quantum actio apprehensa extra hunc casum, & has circumstantias, non eligeretur; non verò quoad actionem; quia ut actu geritur, est voluntarium. Similiter explico Philosophum *3. Ethic: cap. 1.* ubi metu facta, absolutè dicit esse invita.

16. *Contractus timore initi sunt validi.* Objicies secundò: Contractus ex timore initi, sunt invalidi. Sed non ex alio capite, quàm ex defectu libertatis, & voluntareitatis: Ergo metus tollit rationem voluntarij. Respondeo cum Sanchez *lib. 4. Disp. 8.* & aliis, quos citat iste. Neg. Maj: quia nec jure naturæ, nec positivo sunt irriti; valent ergo mero jure. Deinde metus justè incussus, non irritat contractus; & tamen tunc non sunt magis voluntarij quàm si metus, injustè sit incussus: sunt tamen remedio Juris invalidandi, & rescindendi ex *L. 1. ff. de eo, quod metûs causa*: Et ex *L. finali Cod. de his, quæ vi*, ubi dicitur *venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari*, Et cap. 2. *de his, quæ, vi*; ubi habetur *quæ metu, & vi fiunt, de Jure debent in irritum revocari*; contractus matrimonij tamen sponsaliorum ob gravem injustum metum sunt ipso Jure Ecclesiastico irriti.

QUÆSTIO IV.

De Involuntario, ex Concupiscentia orto.



1. *Quid hic significat nomine Concupiscentia.* NOTA primò: per Concupiscentiam hic intelligi quamdam passionem, seu motum appetitûs sensitivi, profectivum boni delectabilis, qui ex quadam colligantia potentiarum deinde causat quoque vehementem affectum in voluntate circa idem objectum. Hic motus appetitûs sensitivi quandoq; ita intensus est, *ut* teste D. Augustin: *de Civit: DEI c. 16. penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur*. Et teste Aristotele *7. Ethic: cap. 9. furetur intellectum, etiam sapissimè sapientis.*

Nota

2. *Quid sit Cōcupiscentia Antecedens, & Cōsequēs.*

Nota secundò: Concupiscentiam aliam esse antecedentem, aliam consequentem. *Antecedens* vocatur illa, quæ ordine causalitatis antecedit voluntatem, omnemquè ejus deliberationem; excitat autem, & invitat voluntatem ad consensum; talis est motus ille, qui ex visu primo objecti delectabilis consurgit in appetitu sensitivo, invitans voluntatem ad similem actum. *Consequens* est, quæ ordine causalitatis sequitur actum voluntatis, excitaturquè & imperatur ab eadem ad promptiorem & expeditiorem operationem.

3. *Concupiscētia Consequens non causat Involuntarium.*

Nota tertiò: Extra controversiam esse, concupiscentiam consequentem non posse causare ullo modo involuntarium, neque auferre aut minuere; cùm hæc comparetur ùt effectus voluntaris, & consequenter ùt actus imperatus subsequens; quare est pòtiùs signum causati jam voluntarij, & majoris, vel minoris affectûs voluntatis circa suum objectum, ùt rectè discurrit D. Thomas *pag. 2, q. 77. art. 6.*

4. *Concupiscētia Antecedens causat Voluntariū.*

Dico primò: Concupiscentia antecedens regulariter non causat invoIuntarium simpliciter; sed potius voluntarium. Ita communis Scholasticorum, cum S. Thoma; contra Patrem Vulpem.

Probatur primò: Authoritate Nysseni *lib. 5, Phil: cap. 1. & 3.* Et Damasceni. *2. de fide cap 24.* Et Aristotelis *3. Ethic.* conclusionem asserentium: Ergo &c:

Probatur secundò ratione: Tum quia concupiscentia antecedens per se inclinat, & invitat voluntatem ad idem objectum delectabile prosequendum, ùt *Notab. 2.* hìc animadversum est; adeoque non inpellit voluntatem ad aliquod tristè, aut voluntati adversum, cujusmodi censetur esse involuntarium; sed potius ad aliquod jucundum, & voluntati conveniens, quale est voluntarium: Ergo &c. Tum quia preces, beneficia, & oblationes donorum, ac similia allectamenta suavia, ùt arguit D. Bonaventura hìc non causant involuntarium in Petro, cui exhibentur: Ergo neque concupiscentia, quæ instar suavis allectamenti se habet, quo appetitus sensitivus mediante propositione delectabilitatis & commoditatis objecti allicit, & trahit voluntatem ad consensum voluntarium.

5. *Scotus & Script: recō-*

Objicies cum P. Vulpe: Scotus videtur conclusioni adversari *3. dist, 15.* Et S. Scriptura ad Rom: *7.* ubi Paulus ait, *Ego sum carnalis homo, venundatus sub peccato*, id est, sub concupiscentia. Et infrà conqueritur se *videre aliam legem in membris, repugnantem legi mentis*, id est, concupiscentiam: Ergo &c:

ciliantur pro asserto.

Respondeo Neg: Ant: nam Scotus, & Scriptura solùm volunt, concupiscentiam minuere voluntarium, uti mox dicam; eò quòd sæpe quasi absorbeat usum rationis rectæ, & magno impetu incliner voluntatem, ut prosequatur idem objectum delectabile. Unde

6. *Concupiscētia minuit rationē Voluntarij, & liberi.*

Dico secundò: concupiscentia tamen minuit rationem voluntarij, & liberi, ejusquè perfectionem. Ita S. Bonaventura, D. Thomas, Herincx, & Recentiores communiter, Arriag. Vasq. Pasqual: &c.

Probatur prima pars: Tum quia passio vehemens concupiscentiæ efficit, ut intellectus magis æstimet, & ponderet motiva occurrentia pro parte illa, ad quam inclinat appetitus sensitivus, idque ob naturalem Sympathiam inter potentias sensitivas inferiores, & rationales superiores; stante autem ejusmodi æstimatione & ponderatione ostensivâ ex parte intellectûs, sequitur in voluntate desiderium vehemens prosequendi idem objectum delectabile concupiscentiæ sensitivæ, quâ multùm debilitatur ac minuitur ratio indifferentiæ, & consequenter voluntarij in voluntate: Ergo &c: Tum quia passio concupiscentiæ (ùt suprà *Notab: 1.* ex August: dicebam) quandoque quasi totam aciem mentis absorbet, ita ut attendere nequeat ad illas circumstantias objecti delectabilis, quæ si aliàs attenderentur, omnino averterent voluntatem à consensu subsequenti; stante autem ejusmodi absorptione mentis, quis non videt voluntatem ob naturalem consensum cum appetitu sensitivo magno pondere ferri in objectum ejusdem atque ita minui in sua indifferentia, aliàs causante liberum.

7. *Etsi minuatur ratio Voluntarij; manet tamen sufficiens libertas ad peccatum.*

Nota tamen quartò: In casu diminutionis voluntarij, regulariter adhuc remanere libertatem sufficientem ad peccatum formale; quia regulariter remanet adhuc tantus usus rationis, qui distinguat inter malitiam, & prohibitionem objecti; item remanet tanta indifferentia, ut voluntas saltem, si efficaciter vellet, absolutè possit respuere consensum in objecto delectabili à concupiscentia transmissum; hoc enim spe-

ctat ad substantiam liberi arbitrij, ut positis omnibus prærequisitis ad agendum (utique etiam allectamento, & suavi invitatione concupiscentiæ) possit non agere, ut dixi suprà *dist. 1. q. 5. concl. 1.* Quare meritò in S. litteris instruuntur homines, nè motum concupiscentiæ sequantur, & abeant post carnem alteram; sic dicitur *Eccl. post concupiscentias tuas non eas.* Et similiter vituperantur, qui adhærent concupiscentijs, ut Jacobi. *4. cap: petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentijs vestris insumatis.*

9. *Concupisc. minuit perfectionē Voluntarij.* Probatur secunda pars conclusionis: perfectio voluntarij, & liberi in hoc consistit, ut voluntas cum omni promptitudine uti possit suâ indifferentiâ, atque se determinare à semetipso ab intrinseco ad operandum quodlibet: sed exurgente vehementi aliqua passione concupiscentiæ voluntas non potest cum illa promptitudine uti suâ indifferentiâ; eò quòd vehementer in idem objectum delectabile rapiatur à tali passione, & quodammodo ab extrinseco determinetur ad consensum circa tale objectum: Ergo concupiscentia aliquo modo minuit perfectionem voluntarij, & liberi.

9. *Per accidens Concupiscētia causat Involuntarium secundùm quid.* Dico tertiò etiam per accidens aliquando concupiscentia causat involuntarium secundùm quid. Ita Herincx, Tannerus contra Vasquez &c.

Probatur: patrantur aliquando aliqua opera ab operantibus rationalibus non solùm ardua, difficilia, & molesta; sed etiam cum aperto vitæ discrimine conjuncta, quorum metum etsi nonnihil mitigare soleat concupiscentia; non tamen omnino tollit; tale est, dum fur aliquis effringit domum alienam, & furatur, quæ opera, utpote cum vitæ periculo aut infamiâ conjuncta, aliquam displicentiam in voluntate generant, & consequenter rationem involuntarij secundùm quid; sic similiter ij, qui indulgent diutinæ veneri, magnas molestias, imò & gravissima vitæ incommoda, ac pericula, nec non vehementes remorsus conscientiæ patiuntur, ob quæ desiderant, etiam dum veneri indulgent, aliquando liberari à concupiscentijs; adeoque in his concupiscentia causat per accidens, ratione scilicet præfatorum incommodorum, involuntarium secundùm quid.

QUÆSTIO V.

De Involuntario ex ignorantia consurgente:

NOTA primò: Ignorantiam variè partiri à TT. & JJ. Primò enim alia est quædam ignorantia positiva pravæ dispositionis, alia merè negativa, alia tandem privativa. 1. *Quid sit Ignorantia positiva, negativa, & privativa.*
Ignorantia positiva pravæ dispositionis est error quidam intellectûs circa aliquod objectum, talis est error Hæreticorum, oppositus contrariè veritati. *Ignorantia negativa* est, quædam nescientia de aliquo objecto, in subjecto non apto hic & nunc; talis esset ignorantia Petri adhuc infantis de existentia Indiarum. *Ignorantia* tandem *privativa*, de qua potissimùm hic, est carentia cognitionis debitæ, talis esset ignorantia Pauli, apti hic, & nunc scire Indias existere; eas tamen ignorat existere defectu studij, & indagationis circa earum existentiam.

Nota secundò: Ignorantiam privativam rursus subdividi à Scoto. *4. dist. 13. q. 2.* & Juristis, in ignorantiam Juris, & ignorantiam facti. *Ignorantia Juris* est carentia Notitiæ de ipsomet Jure, seu lege, aliquid præcipiente vel prohibente; talis est in Petro, ex ignorantia portante arma tempore nocturno, supposito, quòd talis portatio lege Principis esse interdicta. *Ignorantia facti* est carentia notitiæ de facto, vel facti particularis conditione seu circumstantia; talis esset in Joanne, sciente quidem extare legem de audienda Missa die festo; ignorat tamen hodie esse diem festum. 2. *Quid Ignorantia Juris, & facti.*

Nota tertiò: Ignorantiam privativam rursus partiri à Scoto *2. dist. 22.* in antecedentem, concomitantem, & consequentem. *Antecedens* describitur, quòd sit carentia notitiæ debitæ, antecedens omnem actum, vel liberum consensum voluntatis; unde est prorsus inculpata, & causa actûs, soletque aliàs vocari à DD. probabilis, & invincibilis; eò quòd non possit ulla morali diligentiâ ab operante superari; talis est in eo, qui tajicit in sylva hominem, invincibiliter putans esse feram, alioquin non interfecisset. *Concomitans* describitur, quòd sit illa, quæ simul naturâ coincidit 3. *Quid Ignorantia Antecedens, Concomitans, & Consequens.*

incidit cum ipso actu, seu libero consensu voluntatis. & quâ non coincidente nihilominus operans id fecisset, quod ignoranter fecit; talis est ignorantia de die festo, quô Petrus laborat manualiter, quâ amotâ adhuc laboraret Petrus. *Consequens* est, quæ sequitur voluntatis consensum liberum; & solet aliàs dici culpabilis, vincibilis, & injusta; quia potuit superari morali, ac humanâ diligentiâ; & tamen ex negligentia superata non fuit; talis esset ignorantia de hodierno die festo, quo Petrus laborat, putans esse ferialem; potuisset tamen scire ex inspectione Kalendarij, vel Directorij Divini officij, eum esse festum.

4. *Quid Affectata & non affectata.* Nota quartò: Ignorantiam Consequentem rursus membrari in affectatam, & non affectatam. *Affectata* habetur, cùm quis directè, & datâ operâ negligit scire ea, ad quæ scienda aliàs obligatur; talis est in eo, qui non vult scire legem DEI, ut liberiùs possit indulgere peccatis; de hac loquitur Psalmista, *noluit intelligere, ut benè ageret*; & Job: *21 cap. Scientiam viarum tuarum noluimus. Non affectata* est quâ quis quidem directè non affectat carentiam notitiæ de aliquo objecto; indirectè tamen affectat, cùm possit, & debeat depellere talem carentiam; & tamen negligit illud facere: quæ negligentia, si fit sinè omni prorsus applicatione, & cura, infert ignorantiam *non affectatam, crassam, latam, & supinam*: si verò sit conjuncta cum aliqua applicatione, & cura, etsi non sufficienti, dicitur *non crassa*, & *non supina*: Exemplum primæ habetur in eo, qui stertit in lecto toto tempore, & negligit ingredi Ecclesiam ad audiendam legem DEI. Exemplum secundæ habetur in illo, qui quidem ingreditur Ecclesiam; sed tempore concionis garrit, aut alio modo voluntàriè distrahitur.

5. *Ignorantia Antecedens privativa causat simpliciter Involuntariũ.* Dicô primò: Ignorantia antecedens privativa in genere moris causat simpliciter Involuntarium. Ita Scotus. *4. dist. 24. q. 1.* S. Bonaventura, Vulpes, Herincx, Bontempo, Suarez &c:

Probatur: Tum quia laborans ejusmodi ignorantiâ communiter censetur immunis à culpa. Hâc etiam excusatur Jacob (ut advertit hîc S. Bonaventura) cum tali ignorantia accedens ad Liam: Ergo talis ignorantia causat simpliciter Involuntarium. Conseq: tenet, tum quia tale est immune à culpa: Tum quia *voluntarium* ex Aristot: *3, Ethic: cap: 3.* est, *cujus principium est in ipso cognoscente singula*; non habetur in eô, quod procedit ex ignorantia antecedenti privativa, utpote afferente carentiam omnis cognitionis debitæ de objecto: Ergo ignorantia antecedens privativa in genere moris causat simpliciter Involuntarium.

6. *Ignorantia Concomitans nec causat Voluntariũ.* Dico secundò: Ignorantia concomitans non causat voluntarium, neque Involuntarium; sed non Voluntarium. Ita S. Bonaventura, D. Thomas, & communiter DD. contra Covar. Gabriel. Gregor. &c:

Probatur prima pars: Causatum ab ignorantia Concomitante non est cognitum: Ergo neque Voluntarium, quod præviæ cognitioni indispensabiliter innititur.

7. *Nec Involuntarium.* Probatur secunda pars: factum cum concomitante ignorantia, adhuc factum fuisset remotâ tali ignorantiâ: Ergo non est censendum Involuntarium. Conseq. tenet; quia non est contra inclinationem voluntatis, neque expressè, uti patet; neque interpretativè, puta in sua causa: adeóque nec involuntarium.

8. *Sed non Voluntarium.* Probatur tertia pars: nam cùm ignorantia concomitans non causet voluntarium, neque Involuntarium, remanet, quòd causet non voluntarium, id est, hic, & nunc procedens ex non voluntate; tale enim defectu scientiæ prævíæ nequit voluntas intendere, & ponere.

9. *Ignorantia Consequens causat quandoq; Voluntarium.* Dico tertiò: Ignorantia consequens causat quandoque Voluntarium in causa, quandoque Involuntarium secundùm quid. Ita S. Bonavent. D. Thomas, Herincx: Tanner: Bontempo. &c.

Probatur prima pars: Tum authoritate S. Scripturæ, quæ damnat ea opera, quæ patrata fuêre ex ignorantia consequenti: quod non faceret, si ejusmodi ignorantia non causaret in illis operibus rationem Voluntarii, sicut videre est ad Ephes: *4.* & Psalm: *24.* Et Levit. *5.* ex hac ignorantia etiam procedit illud Lucæ. *12. qui non cognovit, vapulabit paucis*: Ergo &c: Tum authoritate D. Augustini *lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.* dicentis, *non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores; sed si scire neglexeris*, quod propriè est ignorantiæ consequentis affectatæ; quod autem imputatur, debet esse voluntarium: Ergo ignorantia consequens causat voluntarium. Tum tan-

dem ratione, quia talis ignorantia quandoque est causa, ut ponatur actus v. g. omissionis Missæ die festo, de quo Petrus noluit inquirere: Ergo causat voluntarium in causa.

10. *Quandoq; Involuntarium.* Probatur secunda pars: Quando quis sagittâ trajicit hominem in nemore existentem, putans esse feram, quem non trajecisset, si cognovisset esse hominem, imò nec defactò vult etsi inefficaciter trajicere, adest ignorantia concomitans, sequens, vincibilis: sed hæc in trajiciente causat Involuntarium secundùm quid; quia videlicet non voluisset trajicere hominem, si scivisset esse hominem: Ergo ignorantia consequens causet quandoque Involuntarium secundùm quid.



DISTINCTIO III.

De Bonitate; & Malitia Actuum Humanorum.

PRÆNOTATIO

Præsenti Disputatione ad mentem Doctoris mei Subtilis post trutinationem Conditionum conclusionum voluntarij, & involuntarij explicabo differentias Actuum Humanorum, Bonitatem videlicet, & Malitiam; quas secundùm rationem genericam moralitatis jam suprà *dist:* 1. *q.* 2. elucidavi; nunc verò secundùm rationem specificam moralem easdem explorare oportebit. Quare sit.

QUÆSTIO I.

De Quidditate Bonitatis, & Malitiæ Actuum Humanorum, eorumquè existentia.

1. *Alia est Bonitas naturalis, alia moralis in Actu Humano.*



NOTA primò: Secundùm Scotum. 2. *dist.* 40. *q.* 1. in actu aliquo posse spectari duplicem ·onitatam, unam naturalem, alteram moralem. *Bonitas naturalis* importat integritatem seu aggregationem eorum omnium, quæ ei secundùm rationem physicam actûs competunt. *Moralis Bonitas* importat integritatem, & aggregationem eorum omnium, quæ secundùm rectam rationem eidem inesse debent. Similitèr Malitia, alia est naturalis, alia moralis. *Naturalis* est, quæ importat carentiam eorum, quæ actui secundùm suam entitatem physicam conveniunt. *Moralis* verò est carentia eorum, quæ actui secundùm dictamen rectæ rationis inesse debent. Præsens quæstiò procedit de Bonitate, & Malitia duntaxat morali.

Dico primò: Rectè describitur Bonitas moralis Actûs Humani, quòd *sit integritas, & aggregatio omnium, quæ recta ratio dictat, actui debere inesse:* Malitia verò moralis, quod *sit carentia eorum quæ recta ratio dictat, actui debere inesse.* Ita deducitur ex Scoto *cit:* Et in 1. *dist.* 17. *q.* 3. Et in 2. *dist.* 7. Et *quodl.* 18. *art.* 3. 2. *Descriptiones Bonitatis & Malitia moralis.*

Probatur: Ambæ descriptiones exactè explicant quidditatem, & naturam Bonitatis & malitiæ moralis: Ergo ea rectè describuntur. Ly *aggregatio, & integritas omnium* in prima descriptione est genus reliqua ponuntur pro differentia: dicitur aggregatio omnium & Integritas, id est complexio illarum rerum, quæ requiruntur ad rationem actûs moraliter boni, cujusmodi sunt, potentia, objectum, tempus, locus, modus,

modus, finis, & aliæ circumstantiæ, ùt explicat *cit:* Doctor. Hæc porro complexio omnium; quæ Actui Humano debent inesse, insinuatur illô dictô D. Dionysij *de Divin. nom cap. 4. Bonum est ex integra causa.* Additur *quæ recta ratio dictat, actui debere inesse*; ut ostendatur, quòd actus prædictus Bonitate morali dicat habitudinem ad regulam rectam morum, quæ est ratio recta, dictans quo pactô actus sit eliciendus, ut sit bonus.

In secunda descriptione, Ly *carentia eorum, quæ recta ratio* &c. insinuat malitiam moralem ex opposito consistere in defectu eorum, quæ deberent actum moralem circumstantionare, ut esset bonus.

3. *Præfatæ descriptiones sunt Bonitatis, & malitiæ pro fundamentali.* Nota secundò: præfatam descriptionem Bonitatis moralis, esse descriptionem bonitatis moralis fundamentaliter consideratæ; nam pro formali importat, secundùm Scotum cit. *1. dist. 17.* quemdam decorem illius actûs, qui includit illam integritatem, & aggregationem, seu quod idem est, importat totalem convenientiam, integramquè conformitatem actûs ad rectam rationem, consurgentem ex eorum aggregatione. Similiter descriptio malitiæ est descriptio duntaxat ejus pro fundamentali; nam pro formali importat defectum illius decoris, convenientiæ, seu integræ conformitatis (ùt rectè hìc ad principia Scoti discurrit P. Mastrius) ad rectam rationem, quam præsefert Bonitas.

4. *Bonitas, & Malitia sit formaliter mera denominatio extrinseca.* Dico secundò: Bonitas, & Malitia moralis formaliter non est aliquid reale strictè; sed denominatio extrinseca. Eruitur ex principijs Scoti. *1. dist. 12. q. 1.* ubi air, libertatem Actûs Humani pro formali esse tantùm denominationem extrinsecam, provenientem ex indifferentia proxima potentiæ volitivæ; moralitas autem sive Bonitatis, sive Malitiæ libertatem supponit tamquam proximum fundamentum; unde pariter erit tantùm denominatio extrinseca. Scotum sequitur Mastrius, & alij Scotistæ.

Probatur. Tum quia moralitas generica Actûs Humani (ùt suprà *dist: 1. q. 2. conck 3.* ostendi) non importat pro formali aliquid strictè reale: sed solam denominationem extrinsecam: Ergo idem dicendum de moralitatibus specificis Bonitatis, & Malitiæ. Tum **quia actus dicitur bonus, vel malus per** habitudinem ad objectum, à ratione practicè propositum, ut conveniens vel disconveniens naturæ rationali; cui propositioni practicè si conformetur actus voluntatis, dicitur bonus; si difformetur, dicitur malus, denominatione extrinsecè derelictâ, ex terminatione dictaminis rectè, vel malè dictantis, & derivatâ in ipsum actum, sinè omni prorsus interventu alicujus entitatis strictè realis pro formali, etsi pro fundamentali plura entia realia intervéientia possint considerari.

Dices primò: Decor, convenientia, ac conformitas actûs ad rectam rationem in Bonitate morali concurrentia videntur importare aliquid strictè reale: Ergo &c: Respondeo Neg: Ant: nam cùm memorata omnia in proposito consurgant in Actu Humano per operationem intellectûs practici, proponentis objectum, sub ratione boni, vel mali; non autem à parte rei, ideoque non sunt dicenda entia strictè realia; sed denominationes cogniti, sciti, judicati, & similes, de quibus latiùs ago *in Schola mea Philosophica tract: de Ente Rationis.* Circa alteram partem quæst: 5. *Quædam instantia eliditur.*

Dico tertiò: Dantur à parte rei complures Actus Humani, tam moraliter boni, quàm moraliter mali. Ita communis TT. contra sectarios RR. omnia opera Justorum mala proclamantes. 6. *Dantur plures Actus Humani re aliter boni, & mali*

Probatur primò: Authoritate S. Scripturæ, quæ commemorat utrosque actus; nam Genes: 4. dicitur, *nonnè si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Et in Epist: *ad Rom: 2. cap:* scribitur, *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis, operantis malum; gloria autem honor, & pax omni operanti bonum*; Ergo &c:

Probatur secundò: Specialiter contra Hæreticos *de actibus bonis:* DEUS ipse fatetur, eleemosynas esse bonas, sic Lucæ. *16.* dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Et Danielis *2.* habetur: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Act: *10. Eleemosynæ tuæ acceptæ sunt apud DEUM:* Ergo &c:



QUÆST:

Quæstio II.

Quo pacto Bonitas & Malitia afficiant Actum Humanum.

1. *Bonitas & Malitia non sunt differentiæ essentiales comparata ad actum.*



DICO primò: Bonitas, & Malitia moralis non sunt differentiæ essentiales Actûs Humani, comparatæ ad ipsum actum. Ita Scotus *1 dist: 17. q. 3.* Et *in 2. dist. 40.* cum suis; S. Bonaventura, Major, & plures RR: contra Conradum, Azorium, Capreolum, Ferrar: Occam: Granados, &c:

Probatur: Tum authoritate D. Augustini, *lib. 4. Hipognost. resp. 4.* dicentis, *Peccatum* (in quo est malitia moralis) *non est natura aliqua; sed actus incidens ex defectu boni*; quod autem est incidens, est aliquid accidentale: Ergo &c: Tum ratione: quia Bonitas, & Malitia moralis possunt separari ab Actu Humano, manente ipsâ entitate physicâ; uti patet de actu comestionis carnium inchoato ante mediam noctem diei Jovis, & continuatum post medium noctis, quo casu Bonitas moralis, quæ prius poterat inesse huic actui, supposito quòd Religiosus v. g. ex obedientia illas carnes comedisset, separatur à tali actu, & succedit Malitia moralis: Ergo Bonitas, & Malitia moralis non sunt differentiæ essentiales Actûs Humani. Conseq: tenet; quia formalitates essentiales nequeunt separari à re, cujus sunt formalitates essentiales, v. g. rationalitas ab homine. Sunt itaque hæ duæ differentiæ, accidentia duntaxat moralia Actûs Humani, afficientia, modificantia entitatem physicam actûs, juxta diversitatem conformitatis, vel difformitatis ejusdem ad rationem proponentem objectum, & practicè regulantem, quo pacto ipse Actus Humanus sit ponendus ab operante.

2. *Secus si ad se invicem comparentur.*

Dixi *comparata ad ipsum actum*; quia si Bonitas, & Malitia comparentur ad se invicem, sunt duæ species moralitatis ùt sic, essentialiter sibi oppositæ, incompatibiles simul & semel in eodem actu; ita ut actus Petri internus, affectus Bonitate aliqua morali in sensu composito, seu stante & perseverante ejusmodi Bonitate intrinsecè non possit esse malus, malitiâ tali bonitati oppositâ, v. g. actus amoris DEI, quà talis, nequit esse simul affectus Malitiâ odij. Unde suprà *dist. 1. q. 1.* docui, Actum Humanum ùt sic, rectè primò dividi tanquam in species, in bonum, malum, indifferentem. De altero articulo quæst:

3. *Item actus internus potest successivè esse bonus, & malus.*

Dico secundò: Idem entitativè Actus Humanus tam internus, quàm externus bonus potest successivè affici malitiâ morali. Ita Scotus *quodlib: 18. n. 6.* Vulpes, Herincx, & alij Scotistæ; item Durand: Cajetan: Capre. Major: &c: contra Conradum, Gregor: à Valent: Richard. &c:

Probatur primò utraque pars simul: Bonitas & Malitia non sunt differentiæ essentiales Actûs Humani, *ut priori Concl: ostendi*: Ergo ijs successivè affici potest idem entitativè Actus Humanus, sive internus, & elicitus voluntatis, sive externus seu imperatus à voluntate.

Probatur deinde specialiter prima pars: demus aliquem Actum Humanum voluntatis exerceri per ignorantiam seu inadvertentiam invincibilem pro instanti A. circa objectum in se malum, & eundem continuari per instans B. accedente jam ignorantiâ vincibili, uti de facili fieri potest, v. g. dum vult Sacerdos celebrare Missam, ignorans hanc Ecclesiam esse interdictam; postea verò aliquid audit de interdicto, negligit tamen de eo inquirere, & perseverat in eadem volitione prima; tunc idem numerò actus pro instanti A. est bonus moraliter; pro instanti verò B. est malus moraliter: Ergo idem encitativè Actus Humanus bonus, internus elicitus voluntatis potest successivè affici malitiâ morali.

4. *Imo & externus.*

Probatur secunda pars: Demus Platonem ponere actum externum visionis circa aliquam pecuniam, sinè ullâ prorsus intentione mala, illumquè continuare, sed postea addere intentionem malam stante tali continuatione, de ea furto auferenda; hôc casu idem actus externus visionis bonus, successivè fit malus: Ergo &c:

5. *Non tamen simul & semel.*

Dico tertiò: Non tamen potest idem entitativè Actus Humanus internus, seu elicitus voluntatis simul & semel affici Bonitate, & malitiâ morali intrinsecâ. Ita S. Thomas, Herincx, Cajetan: Gregor: à Valent: Zumel, Medina, Tannerus &c: contra Bellomonte, Alamainum, & nonnullos RR.

Probatur:

Probatur. Tum quia ita colligitur ex illo D. Dionysij *cap. 4. de Divin. nom. Bonum est ex integra causa*; ac si diceret hic S. Pater, bonum actum debere totaliter, & undequaque esse bonum; quod non contingeret, si præter bonitatem moralem, esset simul affectus Malitiâ morali: Ergo non potest idem entitativè Actus Humanus internus voluntatis simul affici bonitate, & Malitiâ morali intrinsecâ.

6. *Nisi respectu diversorum.* Dico quartò: potest autem eidem Actui externo Humano, seu imperato à voluntate simul competere Bonitas, & Malitia respectu diversorum operantium. Ita S. Thomas, Herincx, Vasquez, Tannerus, &c.

Probatur: Tum exemplô Passionis Christi, à Christo, & simul à Judæis tanquam à duobus operantibus procedente; Tum famuli, qui ex mandato Domini, intentionem vanæ gloriæ habentis, elargitur eleemosynam ad succurrendum egestati proximi; ubi elargitio eleemosynæ, quatenus imperativè procedit à Domino, est mala; quatenus verò executivè à famulo est simul bona: Ergo &c.

Quæstio III.

Qua ratione Bonitas, & Malitia ex objecto deriventur in Actum Humanum.

1. *Ex triplici cap. oritur Bonitas, & Malitia in actu.* OTA primò: Secundùm Scotum. *2. dist. 40.* ex triplici capite, Bonitatem & Malitiam Moralem derivari in Actum Humanum videlicet ex objecto, ex fine extrinseco, qui dicitur finis operantis, & ex circumstantiis: rationem reddit Scotus, quia bonitas moralis consistit in integritate eorum omnium, quæ recta ratio dictat, debere inesse actui: sed recta ratio dictat Actum Humanum circa objectum honestum, propter finem honestum, & cum circumstantiis honestis; unde si in aliquo horum adsit aliqua turpitudo, jam actus non erit honestus, sed turpis; *malum enim*, inquit D. Dionysius, *cap. 4. de Divin. nom. est ex quocunque defectu.*

2. *Bonitas objectiva consistit in honestate objecti.* Nota secundò: Bonitatem objectivam, seu ex objecto derivatam in Actum Humanum non consistere in utilitate aliqua, nec in delectabilitate; sed in honestate ipsius ut objecti; unde illud objectum dicendum est moraliter bonum, quod est honestum; & illud moraliter malum, quod est inhonestum: & ut utile vel delectabile fit quoque moraliter bonum, ad honestum revocari debet in moralibus. Idem itaque in proposito erit Bonitas moralis objectiva, ac honestas moralis objectiva; & Malitia objectiva, idem quod turpitudo objectiva.

3. *Honestatis objectivæ fundamentum immediatum est conformitas ad legem.* Nota tertiò: Honestatis istius, & malitiæ spectantis formaliter ad genus moris fundamentum primum, & immediatum esse conformitatem, vel difformitatem ad legem propriè dictam, vel naturalem, vel positivam, Divinam aut Humanam: ideo enim dicitur homo in genere moris aliquid honestè appetere; quia vult aliquid conforme regulis morum, puta legi, vel præcipienti, vel prohibenti, vel consulenti sibi propositum per rationis dictamen; & econtra dicitur inhonestè appetere, quando vult aliquid eidem legi non consonum; sicut in genere artis illud dicitur rectum, quod est conforme regulis directivis artis; & illud irrectum, quod est difforme ijsdem regulis.

Nota quartò: Regulas morum esse legem, & rationem proponentem; Lex sive naturalis, sive positiva, Divina, aut humana in genere moris dicitur primaria & mediata regula morum per ordinem ad quam conformitas præfata habetur: Ratio verò proponens legem, sive naturalem, sive positivam, dicitur regula secundaria, immediata, & proxima.

4. *Actus Humanus sumit Bonitatem, vel Malitiã ab objecto.* Dico primò: Quivis Actus Humanus sumit Bonitatem, vel Malitiam moralem ab objecto, in quod tendit: Ita Scotus. *quodl. 18 art. 1.* unde immeritò eum in oppositum citant quidam Thomistæ; Scotum præter suos sequuntur S. Thomas, S. Bonaventura, Vasquez, Tanner. Caspens. Morand. &c.

Probatur primò: Authoritate Scripturæ; nam de Malitia morali, derivata ab objecto in Actum Humanum intelligitur illud. *Oseæ 9. facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*: Ergo Actus humanus sumit Malitiam ab objecto malo, in quod tendit: sed est eadem ratio de objecto bono: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia secundùm Philosoph. *ex 2. de anima*; Omnis actus specificatur ab objecto in genere naturæ: Ergo & in genere

nere moris, à paritate: specificari autem ab objecto in genere moris est sumere Bonitatem, vel Malitiam ab objecto: Ergo &c. Tum quia in genere artis actus sumit rectitudinem, vel irrectitudinem ab objecto conformi, vel difformi regulis artificialibus: Ergo pariter in genere moris actus sumet Bonitatem, vel malitiam ab objecto, conformi vel difformi regulis morum. Tum tandem quia objectum etiam in genere est mensura actûs: Ergo refundit in eum Bonitatem, vel Malitiam moralem

5. *Bonitas & Malitia objectiva est prima.* Dico secundò: Bonitas, & Malitia moralis, quam Actus Humanus sumit ab objecto, est prima bonitas. Ita Scotus *quodl. 18. art. 1.* & Communis TT.

Probatur: Tum quia bonitas, & Malitia moralis, ab objecto derivatà in Actum Humanum, non supponunt aliam, sed immediatè ipsum afficiunt: Ergo est prima. Tum quia Bonitas, & Malitia moralis objectiva, ùt paulò antè dixi, sunt specificativum Actûs Humani; Ergo sunt primæ rationes afficientes talem actum. Conseq. tenet; quia ratio specificativa alicujus rei, est prima ratio ejus.

6. *Actus etiam Bonitatem, & Malitiam specificā sumit ab objecto.* Dico tertiò: Actus Humanus nedum Bonitatem genericam; sed etiam specificam specie infimâ sumit ab objecto. Ita Scotus *q. ult. prol. in solut. tert. Henrici*; quem proinde iterum falsò pro opposito allegat Valentia: Magistrum sequuntur sui Discipuli; & D. Thomas, S. Bonavent: Cajetan. Valent. &c. contra Vulpem, &c.

Probatur: Tum quia in genere naturæ actus nedum Bonitatem genericam; sed etiam specificam specie atomâ sumit ab objecto suo, ùt docet Aristoteles, *2. de anima tract. 33.* Ergo idem dicendum de actu in genere moris, seu de Actu Humano. Tum quia ratio objectiva propriæ vel alienæ Uxoris non solùm dat bonitatem, vel Malitiam genericam actui copulationis carnalis cum femina, ut sit bonus, si sit cum propria uxore; Malus si sit cum aliena; sed etiam dat Bonitatem, vel Malitiam specificam infimam actûs Matrimonialis, vel adulterij: Ergo Actus Humanus nedum Bonitatem genericam; sed etiam specificam specie infimâ sumit ab objecto.

7. *Scotus glossatur de Bonitate generica.* Objicies: Scotus *2. dist. 40.* docet, Bonitatem ex objeclo derivatam esse genericam; sumptam verò ex circumstantijs esse specificam: Ergo tota Bonitas specifica oritur à circumstantiis. Respondeo glossando Scotū,& dico eum *loc. cit.* per *genericam* non intelligere genus Logicum; sed genus Physicum; unde in *2. dist. 7.* hanc bonitatem appellat *quasi genericam*, cum diminutione. Itàque quia bonitas objecti respectu Bonitatis circumstantiarum se habet ùt subjectum accidentaliter perfectibile, potentiale, & formabile per circumstantias, quasi per differentias; ideo quasi generica appellatur: Et quia Bonitas à circumstantiis perficit accidentaliter subjectum; ideo vocatur specifica: cum quo tamen stat, quòd & ipsum objectum suam propriam Bonitatem specificam communicet Actui Humano.

Dico quartò: ut in Actum Humanum debitè derivetur honestas objecti, debet ipsa honestas esse cognita, & expresè volita, ac amata; & non sufficit solùm voluntarium virtuale, vel interpretativum. Ita elicitur ex Scoto. *dist. 17. quæst. 2. §. ad illas authoritates. Et 2. dist. 41.* quem sequuntur sui; & Suar. Vasq. Averla, Ouiedo aliiquè RR. contra Medinam, Hacquet. &c. 8. *Honestas objecti ut Actum moralem afficiat debet esse cognita.*

Probatur utraque pars simul: quia ita colligitur ex Philosoph. *2. Ethic. cap. 4.* dicente, *ut quis rectè agat* (idest honestè) *requiritur, ut agat Sciens, & eligens. & ultrò*, hoc est, ut cognoscat honestatem, & expresè eam velit: Ergo ut in Actum Humanum debitè derivetur honestas objecti, debet ipsa honestas esse cognita, & expresè volita, ac amata.

Probatur secundò specialiter prima pars: juxta illud receptum axioma *nil volitum nisi præcognitum*: Et illud *ignoti nulla est cupido*: Ergo honestas objecti, ut possit appeti à voluntate, & consequenter refundi in Actum humanum voluntatis, debet esse priùs cognita.

Probatur secunda pars: Tum quia alioquin sequeretur, quòd volens subvenire pauperi ob finem indifferentem, poneret actum bonum; cùm tendat in objectum reverà honestum; & tali volitioni nil desit, nisi quod Bonitatem, seu honestatem objecti non amet expresè: sed sequela apparet ex se falsa: Ergo ut ponatur Actus Humanus bonus debet expresè velle, & amari ipsa honestas objecti. Tum quia idem objectum potest appeti ob varias rationes: Ergo, ut tribuat honestatem actui, debet expresè velle, & amari ipsa ratio honestatis. 9. *Insuper debet esse volita & amata.*

Dico

10\. *Non tamen debet semper esse ipsa ratio appetendi.*

Dico quintò: Nnn tamen in positione actûs moraliter boni debet ipsa honestas objecti ita semper amari, ut sit ratio formalis, aut formale motivum appetendi. Ita Herincx, Mastrius, Salas, Morandus, Alvarez, & alij R.R. contra Suarez, Amicum, Tannerum &c:

Probatur: ponimus actum moraliter bonum amando scientiam, etsi pro formali ratione motiva non habeamus ipsam honestatem scientiæ; sed potiùs naturalem intrinsecam bonitatem, seu rationem commodi, ac utilis, quam habet in se scientia: Ergo in positione Actûs Humani non debet semper ipsa honestas objecti esse ratio formalis appetendi: etsi debeat adesse ùt conditio volendi, & amendi, & ut in positione amoris scientiæ ex motivo commodi, ac utilis servetur mensura, à ratione præscripta. Dixi *non semper*; quia quandoque ipsa honestas debet esse ratio formalis motiva appetendi, seu volendi; puta in objectis indifferentibus, quæ in esse moris nullam habent Bonitatem vel Malitiam objectivam, cujusmodi est v. g. cibus, vel potus sumendus, circa quæ ut eliciatur Actus moraliter bonus, necesse est, ut à sumente, tanquam ratio formalis motiva intendatur honestas cibi, & finis; ut nimirum assumatur ad sustentationem vitæ, vel aliam rationem. Pro sequenti conclusione.

11\. *Status sequentis conclusionis.*

Nota quintò: quòd sæpe soleant duo actus præditi Bonitate vel Malitiâ simul concurrere, internus videlicet, seu elicitus voluntatis, & externus, seu imperatus à voluntate; v. g. interna volitio Iudæ volentis prodere Christum; & ipsa actualis prodictio: quærltur ergo hic, quisnam horum actuum priùs afficiatur Malitiâ.

12\. *Tam in Actu interno, quàm externo Humano est Malitia, vel Bonitas.*

Nota sextò: Certùm esse, tam in actu interno, quàm in externo cubare Malitiam vel Bonitatem. De interno patet ex illo Matth. 5. *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*, ubi mæchatio cordis est actus internus voluntatis perversæ. De externo patet ex varijs legibus Divinis veteris, & novi testamenti, prohibentibus tamquam malos complures actus externos, ejusmodi sunt: fornicatio, adulterium, mollities, occisio, &c.

13\. *Bonitas & Malitia primariò inest Actui interno.*

Dico sextò: Omnis Bonitas, & Malitia moralis primariò inest Actui interno Humano; secundariò autem, & per participationem demũ derivatur in Actum externum. Ita Scotus 2. *dist.* 24. *q.* 4. S. Bonav. Occam, Richardus, Gabriel, Durandus, Montes, &c. contra Valent. Vasquez, Caspens, &c.

Probarur *primò*: Ratio voluntatij, & liberi primariò inest Actui Humano interno; secundariò autem actui externo: Ergo similiter Bonitas & Malitia moralis. *Secundò*: eatenus Actus Humanus dicitur bonus, vel malus, quatenus versatur circa objectum, præditum honestate, vel turpitudine: sed ratio honestatis, & turpitudinis primariò competit actui interno: Ergo & Bonitas ac Malitia moralis. *Tertiò*, si malitia moralis priùs inesset actui externo, sequeretur multiplicatô actu externô etiam multiplicari Malitiam, v. g. multiplicatis ictibus globi, quibus occiditur unicus Plato, multiplicari homicidia; quia multiplicatô subjectô multiplicantur accidentia, v. g. multiplicatô pariete multiplicantur albedines: sed sequela apparet ex se falsa: Ergo Malitia (quæ est accidens actûs.) non prius inest actui externo, quàm interno.

Remanet itaque, quòd Bonitas & Malitia moralis primo, primariò, & per se insit actui interno voluntatis; secundariò verò, & per participationem actui externo, qui est conjunctus, & exequitur internum, quatenus scilicet externus ab interno quodammodo informatur, ac afficitur.

QUÆSTIO IV.

Num actus externus supperaddat interno distinctam Bonitatem, vel Malitiam.

1\. *Status hujus quæstionis aperitur.*



OTA primò: Statum hujus celebris quæstionis esse istum, an quando in eodem Platone v. g. actus externus sequitur actum internum circa idem objectum v.g. elargitio eleemosynæ volitionem dandi eleemosynam, vel actualis fornicatio ejus efficacem volitionem, num addat propriam & distinctam Bonitatem, vel Malitiam super illam, quæ jam supponitur esse in actu interno. Insuptr status quæstionis secundùm Scotum *quodl.* 18. non est de additione distinctæ Bonitatis, vel Malitiæ Intensivæ; sed de extensiva; nam de intensiva omnes DD. conveniunt;

unt, actum externum regulariter addere aliquid Bonitatis vel Malitiæ actui interno causaliter vel occasionaliter; quia eô positô intenditur internus, ût docet S. Augustinus *9. de Trinit. cap. ult.* Et est Ratio; quia qui reipsâ patitur Martyrium, regulariter ex hoc capite plus meretur, elicitquê novos, & novos intensiores actus, quàm qui illud solum efficaciter exoptat.

2. *Varietas sententiarum circa Malitiam Actûs externi.* Nota secundò: Duas hic reperiri sententias: unam *negativam*, quam tuentur Schola imprimis Thomistica; deinde complures RR. Suar: Vasq: Oviedo, Arriaga, Hacquetus, Lezana, Palavic. Salamanticenses, & ex nostris Herincx, nimium in hoc Thomizans, &c, Alteram *affirmativam*, quam amplexatur Scotus *2. dist. 42. q. 4. §. quantùm ad secundum.* Et ex professo *quodl. 18. art. 3.* Alensis, S. Bonav. Scotistæ omnes veteres, ût Basolius, Tartaretus, Lichetus, Gratianus, Rubion; & recentiorês Herrera, Anglus, Mastrius, Pontius, Vulpes, Faber &c. eandem sequuntur plures Neutristæ juniores, ût Amicus, Granado, Ripalda &c.

3. *Actus externus superaddit interno distinctam Malitiam & Bonitatem juxta Scripturâ.* Dico primò: Actus externus superaddit interno distinctam Malitiam, & Bonitatem.

Probatur primò *de Malitia* Authoritate S. Scripturæ; in S. Litteris actus internus, & externus prohibentur distinctis præceptis; uti patet de actu externo furti, *non furtum facies*; & de interno, *non concupisces rem proximi tui*, registratis in Decalogo: Ergo hi duo actus habent distinctas Malitias. Conseq. tenet; quia ex eo, quòd adulterium, & homicidium prohibeantur distinctis præceptis rectè colligitur, hos duos actus habere distinctas Malitias: Ergo idem dicendum de actu interno circa idem objectum.

Probatur secundò authoritate Glossæ receptæ communiter: quæ ad illud *non mœchaberis* dicit, *quia prohibitum est malam voluntatem in opus producere, ideo contra prohibitionem faciens, plus peccat*: & concludit, *qui opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*: Ergo externus actus malus addit distinctam Malitiam interno, quia novam iniquitatem.

4. *SS. Patres.* Probatur tertiò authoritate SS. PP. conclusionem adstruentium, quo ad malitiam; unde D. Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 5.* ait, *mala enim voluntate vel solâ quisque miser efficitur; sed miserior potestate, quâ desiderium [mala voluntatis impletur*: hoc autem, inquit Scotus, non potest intelligi de miseria pœnæ; nam implere suum appetitum non est pœna sed culpa: Ergo intelligendum est de miseria culpæ; adeoque externus adimpletivus malo desiderio, seu actui interno voluntatis addit novam culpam; & consequenter distinctam Malitiam.

Probatur quartò ratione: Ex opposita sententia sequeretur, actum externum moraliter malum v. g. occisionem non esse confitendam; sed sufficere allegare solam voluntatem efficacem occidendi: sed hoc est contra communem Ecclesiæ praxim: Ergo actus externus occisionis affert distinctam malitiam actui interno volitionis de occisione. Patet sequela Maj. quia solos actus malos, in quibus reperitur malitia, tenemur confiteri.

Probatur præterea etiam specialiter conclusio *de Bonitate* primò authoritat S. Bernardi; qui Epist. 77. docet, actibus bonis externis, martyrij, virginitatis servatæ, & instructionis Doctorum correspondere speciale præmium, quod vocatur *Aureola*: Ergo hi habent distinctam Bonitatem ab actibus internis. Conseq. patet; quia præmium debetur Bonitati actûs: Ergo distinctum, seu speciale præmium distinctæ, & speciali Bonitati. 5. *Ostenditur in statu externo adesse distinctam Bonitatem.*

Probatur eadem pars secundò ratione: Tum quia Christus meruit aliquid externâ suâ Passione, quod non meruit internis actibus circa eandem Passionem acceptandam: Ergo ejus externa Passio habuit distinctam bonitatem à bonitate actuum internorum. Conseq. tenet; quia novo merito correspondet nova bonitas in actu. Tum quia si actus extetnus non adderet novam bonitatem, & meritum, frustra Martyr jugulum præberet, frustra Confessor tot laboriosis actibus se exercitaret, & probaret; quia sufficeret bona intentio interna circa hæc objecta. Tum quia si intentio interna bona tantùm valeret sine actu externo, quantùm cum eo, sequeretur Petrum intendendo internè opera omnium Sanctorum, uno actu interno posse mereri Gloriam omnium Sanctorum, Beatissimæ Virginis MARIÆ, & Angelorum: sed sequela videtur falsa: Ergo, *&c.*

7. *Argumentum aliud pro distincta* Probatur tandem utraque pars simul ratione Scoti: Bonitas moralis ex suprà dictis *dist. 3. q. 1.* est integritas omnium eorum, quæ recta ratio dictat, debere

Bonitate & Malitia Actûs externi. debere in esse actui; & Malitia è contra est carentia alicujus eorũ: sed alia est integritas actûs externi, & alia interni; quia actus externi sunt subordinati legi, & regulis morum quibus conformari possunt, vel difformari, non minùs quàm actus interni: Ergò actus externi habent distinctam bonitatem, & Malitiam ab internis. Præterea in sententia Adversariorum sequeretur, Fidem, Hæresim, & omnes alios actus intellectûs nullam habere intrinsecam bonitatem, vel malitiam (& idem est de actibus virtutum in irascibili, & concupiscibili) sed sequela est falsa: Ergo, &c. Prob. sequela Maj. intellectus, potentiæ irascibilis ac concupiscibilis nullam habent libertatẽ immediatam, plus quàm potentiæ externæ: ergo cùm potentiis externis, ob defectum libertatis, secundùm Adversarios denegentur ratio bonitatis, & Malitiæ propriæ, pariter dicendum erit, actus intellectûs, & potentiarum irascibilis, ac concupiscibilis nullam habere bonitatem, vel Malitiam.

7. *P. Herincx obycit scripturam.* Objicit primò P. Herincx authoritatem S. Scripturæ: Genes. 22. *dicitur*, *quia fecisti* (id est facere paratus fuisti) *hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, benedicam tibi*: quibus verbis DEUS voluntatem Abrahæ pro facto non minus gratam habet, quàm si opere (quòd DEUS impediebat) complevisset. Et 2 *ad Corinth.* 8. *dicitur*, *si voluntas prompta est, secundùm id quòd habet, accepta est; non secundùm id, quod non habet*: ubi (uti Patres Theodoretus, & Anselmus volunt) Apostolus videtur docere, quòd voluntas efficax sit ejusdem meriti apud Deum meriti, ac cum opere conjuncta: Ergo, &c.

8. *Quæ explanatur in favorem conclusionis.* Respondeo quoad *primum*; ex illa authoritate solùm haberi, quòd Abraham suâ bonâ voluntate, quâ voluit immolare Isaac sufficienter promeruerit prœmium aliquod, sibi à DEO conferendum, ac si eum actu externo immolâsset; non tamen habetur, quòd prœmium tam excellens, & perfectum sibi promeruerit, quale accepisset, si actum externum immolationis addidisset. *Ad secundùm* dico similiter; ex hoc textu tantùm deduci, quòd voluntas efficax sit ejusdem meriti quoad sufficientiam, ut ei videlicet retribuatur prœmium essentiale; non autem quòd sit ejusdem meriti quoad excellentiam, ut nimirum ei tam excellens prœmium conferatur, sicut si actus externus additus fuisset.

Objicit secundò: SS. PP. voluntatem pro facto reputant; sic dicit Augustinus *lib.* 1. *de lib. arbit. cap.* 3. de eo, qui cupit adulterari, & solùm omittit defectu occasionis; vel facultatis, *non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Et Bernardus *epist.* 77. *quid planiùs, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas*: similia habet Leo Papa *serm.* 4. *de jejunio decimi Mensis*: Ergo, &c. 9. *Idem Auctor adducit pro se Patres.*

Respondeo glossando Patres; & dico has, & similes SS. PP. authoritates intelligendas esse, quòd voluntas reputetur pro facto, quoad culpam; non verò quoad quantitatem culpæ; hoc est dicere, quòd solùm cupiens cubare cum aliena uxore, non minùs peccet, quàm qui cupit, & cubat actu, non verò quòd solùm cupiens cubare cum aliena uxore tantam culpam committat, quantam cupiens, & actu cubans cum eâ. 10. *Sed benè conciliantur pro conclusione.*

Objicit idem Scotista tertiò à ratione *primò*: actus externus est tantùm bonus, vel malus denominatione extrinsecâ, desumptâ à Bonitate, vel Malitia actûs interni imperantis: Ergo non potest actui interno superaddere distinctam Bonitatem vel Malitiam. *Secundò*: alioquin sequeretur, quòd minùs peccaret, qui jam jam elevaturus manum ad alterum occidendum divinitùs impediretur quàm si impeditus non fuisset. *Tertiò*: Similiter sequeretur, quòd minùs mereturis, cui se paranti ad dandam eleemosynam ligarentur manus, vel qui non reperit nummos in sacculo: sed sequelæ istæ videntur falsæ: Ergo &c. 11. *Rationes P. Herincx.*

Respondeo *ad Primum* Neg: Ant: nam ùt rectè docet Scotus *quodl.* 18. *litt. T.* non solùm actus internus est natus habere Convenientiam, vel disconvenientiam ad dictamen rectum; sed etiam actus imperatus exterior est natus mediante tamen interiori, habere suam propriam Convenientiam, vel disconvenientiam, & consequenter intrinsecam propriam Bonitatem, vel Malitiam dependenter ab illo; unde non est dicendus bonus, vel malus solâ denominatione extrinsecâ, desumptâ à Bonitate vel Malitia actûs interni. Ad *Secundum*, & *Tertium* Conc: sequelas; & Neg: Min: intelligendo per ly *minus* minorem quantitatem peccati, & meriti; cum qua tamen stet substantia ipsa peccati, & meriti, ita nimirum, ut elevaturus manum ad occidendum, & daturus eleemosynam stante impedimento quidem 12. *Dissolvuntur.*

quidem peccet mortaliter, & mereatur prœmium eleemosynarij; non tamen in tanta quantitate, ac cui si actum externum apposuisset.

13. *Thomistarum fundamentum.*
Objiciunt quartò Thomistæ principale suum fundamentum: ubi non est nova, & distincta libertas, neque est nova, & distincta Bonitas, vel Malitia, meritum, vel demeritum; quia hæc in libertate fundantur: sed in actu externo non est distincta libertas ab interno; quia externa necessario sequitur ex efficaci voluntate: Ergo &c.

14. *Enervatur triplici responso.*
Respondeo *primò* retorquendo argumentum in actibus imperatis ipsiusmet voluntatis; v. g. in imperata pœnitentia non est nova libertas, distincta à libertate actûs eliciti voluntatis imperantis sibi pœnitentiam; quia pœnitentia ponitur eodem libertatis usu, quo ponitur actus eam imperans. Et tamen hi duo actus habent distinctas Bonitates, & Malitias secundùm Thomistas. Respondeo *Secundò* cum S. Bonaventura Neg: Maj: quia libertas non est tota ratio moralitatis, uti suprà ostendi *dist. 1. q. 2.* sed solùm fundamentum prævium totius generis moris, ad cujus positionem sequitur moralitas; quare plures Bonitates, & Malitiæ distinctæ v. g. actûs interioris, & exterioris in eadem libertate poterunt fundari. Respondeo *Tertiò* cum Scotistis Neg: Min: & dico, moraliter posse dici distinctas esse libertates in actu interno, & externo conjuncto, quatenus voluntas distinctum habet dominium, & imperium revocatorium in utrumque, quousque perfectus sit, ùt significat Scotus *quodl. 18. ad 1. princip.* Quando ergo libertas actûs eliciti, seu interni se extendit ad externum eum imperando, quamdam libertatem novam participatam in eum refundere censetur, quæ sufficiens est ad inducendam novam Bonitatem, vel Malitiam.

QUÆSTIO V.

De Actibus indifferentibus, carentibus Bonitate, & Malitiâ morali.



NOTA primò: quæstionem hic institui de actibus liberis, & deliberatis, num aliqui dentur, nullâ Bonitate, vel Malitiâ morali præditi; non verò de actibus, qui ex defectu libertatis, & deliberationis carent Bonitate, & Malitiâ morali. 1. *Status quæstionis.*

2. *Quid sit actus indifferens in specie; & in individuo.*
Nota *secundò*: Actum indifferentem alium esse talem secundùm speciem, ùt suprà *dist. 1. q. 2. notab. 3.* docui; alium indifferentem in individuo. *Actus indifferens secundùm speciem* est ille, qui ex objecto, seu fine intrinseco (à quo actus specificatur, seu speciem sumit) nec est bonus, nec malus moraliter, tales sunt ambulare, spuere, & similes actus naturæ, ex objecto nec honesti, nec inhonesti. *Actus indifferens in individuo* dicitur, qui hic & nunc elicitus spectatis etiam circumstantijs (quæ dicuntur accidentia Actûs Humani, à quibus saltèm extrinsecè individuatur, quatenus à parte rei nullus datur Actus Humanus nisi cum his, vel illis circumstantijs) nec est bonus, nec malus.

3. *Diversitas opinionum circa Actus indifferentes.*
Nota *tertiò*: In hac pariter solemni quæstione esse varietatem magnam sententiarum circa actus memoratos indifferentes: nam *primò* complures Authores docent, dari quidem actus indifferentes secundùm speciem, seu ex suo immediato objecto; non tamen in individuo; ita Schola Thomistica; & ex RR. Tannerus, Granado, Amicus, Saurez, Morat. Lezana, Palavicin, &c. *Secundò* quidam Scotistæ (ex quibus Vulpes, qui & Scotum ad suam mentem trahere conatur) docent dari actus indifferentes in individuo; non tamen in specie, seu ex objecto. *Tertiò* tandem alij tenent, dari actus indifferentes, tam quoad speciem, quàm quoad individuum: ita expressè Scotus *2 dist. 41.* ubi ait, *sunt ergo multi actus indifferentes, non tantùm secundùm esse, quod habent in specie natura; sed etiam secundùm esse, quod habent in esse morali*; & paulò post, *multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes qui nec sunt tales, nec tales*, id est, nec boni, nec mali. Eandem doctrinam habet *4. dist. 6. q. 10.* & *quodlib. 18. infra N.* perperam proinde Bontempo eum pro contraria opinione citat, eidemque inconsideratè impingit insufficientiam, quasi ob accessum ad secundam opinionem non *satis se defendere possit à censura Concilij Constant. sess. 15. ubi inter alios articulos Joannis Hus ponit hunc damnatum:*

Nulla

Nulla sunt opera indifferentia; quam censuram, quis non eruditus Scholasticus videt esse indiscretam, & absque fundamento? cùm Concilium non intenderit Scholasticorum opiniones circa actus indifferentes componere; sed memoratam propositionem ad meotem duntaxat Hæresiarchæ Husi damoare, qui (ùt ex sequentibus verbis patet) censebat non dari opera media inter bona & mala, ratione status operantium, existimans omnia opera Justorum esse opera viva, & bona; & omnia opera Peccatorum esse peccata, quod est erroneum.

4. *Dantur actus indifferentes secundùm speciem.* Dico primò: Dantur actus indifferentes secundùm speciem in genere moris. Ita Scotus *citatus* pro tertia opinione; quem sequuntur tum vetustiores Scotistæ, Rabion, Bassol: Tataret: Lychet: Gratian: Herrere &c. tum recentiores, ùt Mastrius, Pont. Faber, Hetincx; item S. Bonavent. S. Thomas cum suis; & Neutristis Amico, Tanner, Suarez, Arriag: Vasquez, &c.

Probatur primò authoritate S. Hieronymi; *Epist. 89. ad Augustinum* dicentis, *bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere; hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*: Ergo &c.

5. *Ratio pro indifferentia Actuum.* Probatur secundò ratione: dantur actus io genere moris circa objecta ex se indifferentia, seu quæ non important ordinem ad ratiooem nec convenientiæ nec discoovenientiæ, ejusmodi sunt ambulare & alij citati ex S. Hieronymo; hi enim si in nullum finem bonum, vel malum referantur, oec erunt boni, nec mali, sed in sua intrinseca indifferentia, neutralitate manebuot: Ergo dantur actus indifferentes secundùm speciem in genere moris.

6. *P. Vulpi satisfit.* Objicit P. Vulpes: Scotus. *2. dist. 7. in solut. quæst.* negat dari actum indifferentem ex genere suo, seu ex specie sua, quam Scotus hic synonimizat cum genere; ait enim, quòd bonum ex genere & malum ex geoere sint contraria immediatè; atque ita, sicut ioter privationem, & habitum nullum datur medium, ita & hic. Respondeo glossando Scotum; & dico, eum *loc. cit.* loqui de bono latè sumpto, & malo eidem opposito; inter quæ non mediat aliquid; bonum autem latè sumptum est id, quòd excludit malum; sub bono autem latè sumpto etiam comprehenditur actus indifferens, ita ut dicatur hôc sensu bonus, quia nimirum actus indifferens quà talis noo est malus; & quia potest fieri bonus ex circumstantiis boni finis. Itaque loquendo de bono latè sumpto, & malo eidem opposito hæc duo sunt immediatè contraria, & inter ea non mediat aliquis actus indifferens; quia hic reducitur ad primum membrum, puta ad bonum; mediat tamen talis actus inter bonum strictè sumptum, prout importat conformitatem actûs ad rectam rationem, quæ proponit legem præcipientem vel prohibentem; & inter malum strictè sumptum, id est, prout importat carentiam talis conformitatis; quia actus indifferens oec importat conformitatem actûs ad rectam rationem, quæ proponit legem præcipientem vel prohibentem; nec carentiam talis conformitatis; sed indifferentiam, & omissionem utriusque.

7. *Dantur etiam Actus indifferentes in individuo.* Dico secundò: Dantur pariter actus indifferentes in individuo. Ita rursus Scotus *citatus notab: 3.* cum suis; & S. Bonavent: P. de Ales, cum Gabriele, Almaino, Bontempo, Angelo, &c. Contra Thomistas; & plures RR. *eodem notab:* relatos, pro prima opinione.

Probatur primò authoritate SS. PP. conclusionem affirmantium? uti patet ex S. Gregorio *Homil. 27. in Evangelia* Ex auctore Hypognostici apud August. *lib. 3.* Ex D. Gregor. Nazianzeno *orat. 3. §. ad hæc quomodo.* Et clarè ex D. Hieronymo, pro *priori quæst.* relato; his verbis, *sive illa feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*, quæ dicta significant actus indifferentes oon tantùm ex objecto, seu quoad speciem; sed etiam in individuo; quid quid enim fit, utique fit in individuo; cùm actiones sint singularium ex *2. Metaph.* unde *ly feceris* secundùm Philosophos semper denotat actum singularem, seu in individuo: Ergo &c.

8. *Variæ rationes ad idem.* Probatur secundò ratione: Tum quia omni naturæ specificæ correspondet aliquis actus in iodividuo, in quo petit coosevari: sed ex priori conclusione dantur actus secundùm speciem indifferentes: Ergo etiam dari debent aliqui indifferentes in individuo. Tum quia si ponatur v. g hæc fricatio barbæ, vel hæc ambulatio præcisè ob aliquam naturæ indigentiam, vel commodita-

moditatem, quæ tamen levis fit, & modica, út fuppono, vel etiam propter aliquam delectationem non prohibitam; in tali cafu fricatio barbæ, & deambulatio neque eft bona; quia caret honeftate morali; neque mala; quia caret inhoneftate morali: Ergo erit indifferens in individuo, mediáque inter bonam, & malam moraliter actionem. Tum quia nufquam invenitur regiftrata aliqua lex Divina obligans hominem, ut omnes fuos actus liberos referat in finem honeftum; & propterea nemo in Confeffione fe accufat de fimili referentia omiffa, dum v. gr. fputa ejicit, vel nares emungit; nec Confeffarij, etiam circumfpectiffimi, & Zelantiffimi fuos Pœnitentes de fimili intentione, & referentia ad finem honeftum examinant in Confeffione: Ergo poteft homo aliquos actus facere indifferentes, & præfcindentes à Bonitate, fimúlque carentes malitiâ morali. Tum quia demus aliquem Thomiftam neglecto fuo Doctore Angelico fequi opinionem Scotifticam de actu indifferenti, atque ponere aliquos actus indifferentes fine appofitione ulterioris finis honefti; talis nec actum moraliter bonum, nec moraliter malum poneret: Ergo indifferentem. Non malum; quia accommodans fe opinioni verè probabili (qualis eft opinio hæc Scotiftica) non ponit actum malum: nec etiam poneret bonum; quia nullam honeftatem, út fuppono, in objecto attenderet, nec agnofceret.

8. *Scriptura quædam exponitur.* Objiciunt primò Thomiftæ S. Scripturam; S. Literæ mandant, ut omnes actus noftros liberos referamus ad finem honeftum, nimirum ad gloriam DEI, juxta illud Apoftoli. *1. ad Corinth. 10. Omnia in gloriam DEI facite*: Ergo omnes actus noftri liberi, aut funt relati ad finem honeftum juxta hoc præceptum, & fic erunt boni; aut non funt relati, & fic erunt mali, & nequaquam indifferentes. Refpondeo ex Scoto, & S. Bonav. Neg. Ant. nam illa verba Apoftoli non habent rationem mandati, feu formalis præcepti pofitivi; fed tantùm Confilij. Infuper tantùm volunt, ut nil faciamus, quod effet oppofitivè contra DEI gloriam: cum quo ftat, ut poffint poni actus indifferentes, DEI gloriam non lædentes.

9. *Ille Actus eft otiofus, qui caret omni prorfus fine.* Objiciunt fecundò: Omnis actus moralis otiofus eft malus: fed omnis actus carens fine honefto, feu bono [qualis eft actio indifferens] eft otiofus: Ergo talis eft malus, & nequaquam indifferens. Maj: eft JESU Chrifti *Matth. 12.* dicentis, *Amen dico vobis, omne verbum otiofum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicij*; in quo textu, etfi fit fermo tantùm de verbis; tamen à pari eadem eft ratio de factis otiofis. Refpondeo Neg. Min. nam ille actus folus cenfetur effe otiofus, qui caret omni prorfus fine, etiam utilitatis; quales non funt actus indifferentes, qui ad finem faltem utilem ordinantur, eò quòd ad aliquod levamen naturæ deferviant, etfi modicum, vel commoditatem temporalem, vel delectationem non prohibitam, qualis eft in mufica v.g. ad delectandas aures; in olfactione ad oblectandos nares, &c.

10. *Actus indifferentes in judicio, etiam erunt judicandi.* Objiciunt tertiò: Apoftolus dicit, nos ftatuendos in die judicij ante tribunal Chrifti, ut quisque reddat rationem cunctorum, quæ geffit in corpore fuo, five bonum, five malum: Ergo omnes noftri actus funt præmiandi, vel puniendi; & confequenter nullus datur indifferens. Refpondeo Neg. Confeq. nam Apoftolus non dicit abfolutè, nos reddituros rationem de omnibus actibus; fed de bonis, & malis duntaxat; cum quo ftat, nos poffe elicere indifferentes, in judicio non adducendos. Poffet etiam concedi, quòd ipfi etiam actus indifferentes in judicio fint examinandi, ut videatur, an fuerint facti juxta regulam rationis, illos permittentis, puta fine aliquo exceffu, & temporis difpendio, vel aliâ malâ circumftantiâ; vel utrum fuerint relati ad finem bonum; tunc enim, & hi judicabuntur in ordine ad præmium, vel pœnam; & fic erunt de numero bonorum, vel malorum.

11. *Quædam Thomiftarū argumenta.* Objiciunt quartò: Homo debet fuas actiones dirigere in finem confentaneum rectæ rationi [cùm recta ratio fit regula actuum humanorum] quòd fi faciat, elicit actum bonum; fi non, elicit malum: Ergo nullus datur indifferens in individuo. *Præterea* non dantur habitus indifferentes, ex actibus indifferentibus geniti; quia horum nulla eft experientia; & Ariftoteles *cap. de qualit.* docet, omnes habitus voluntatis, vel effe virtutes, vel vitia, afficeréque bene, vel malè objectum: Ergo &c. *Tandem* D. Auguftinus excludit omnes indifferentes actus in individuo, dum ait *lib. 2. de pecc. meritis, & remiff. cap. 18.* quam-

quamquam voluntas mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: Ergo &c.

12. *Resolvuntur.* Respondeo *ad Primum* dist: Ant: homo debet suas actiones dirigere in finem consentaneum rectæ rationi, semper præcipienti, vel prohibenti Neg: Ant: rectæ rationi permittenti Conc: Ant. Itaq; dum quis ponit actum indifferentem, dirigit eum in finem consentaneum rectæ rationi, quæ hic & nunc ob indifferentiam objecti permittit ejus positionem ob commodum aliquod, utilitatem, vel delectationem naturalem, non prohibitam. *Ad secundum* Neg: Ant: nam ut rectè docet Scotus 2. *dist.* 41. & *in* 4. *dist.* 6. *q.* 10. revera gignuntur habitus quidam ex repetitis actibus indifferentibus; nam quidam assueti talibus actibus vix possunt deinde ab eis abstinere; quod est signum evidens inducti habitûs. *Ad Aristotelem* dico; cùm hujusmodi habitus sint rari, eum non multùm curasse horum actuum considerationem Philosophicam; & eos duntaxat *loc: cit:* assignasse, qui frequentes, & communes sunt, puta habitus virtutum, & vitiorum. *Ad Tertium* glosso S. Patrem, & dico; eum non loqui de voluntate, ut substat volitioni seu actui, sed prout est potentia, quæ utique, vel est bona, vel est mala, & non indifferens; cum quo bene stat, quòd ejus actus aliqui sint nec boni, nec mali; sed indifferentes.



DISTINCTIO IV.

De Circumstantijs moralibus Actuum Humanorum.

QUÆSTIO I.

An, & quô pactô Actus Humani afficiantur à circumstantijs moralibus.

1. *Definitio Circumstantia ut fic.* OTA primò: nomine *circumstantiæ moralis* hic intelligi id, *quod instar accidentis moralis circumstat objectū actûs, & actum ipsum jam in suo esse specifico moris constitutum afficit*: quod contingere potest dupliciter, vel ita ut *impertinenter* se habeant circumstantiæ ad actum moralem, & nullo modo varient ejus moralitatem; taliter se habet tempus antemeridianum v. g. vel postmeridianum in ordine ad actum homicidij, quo Plato interimitur: vel *pertinenter* se habent ad actum moralem, eò quòd afficiant eum in genere moris, dando aliquam bonitatem vel malitiam secundariam; taliter se habet conditio loci sacri, in quo committitur furtum: & de circumstantijs in hac acceptione procedit hæc Distinctio.

Nota secundò: secundùm communem doctrinam TT. septem assignari circumstantias morales, ActusHumanos afficientes, quæ continentur sequenti Versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo quando.

Dico primò: quilibet Actus Humanus, sive sit interior, sive exterior habet aliquas Circumstantias morales, ab eisque sumit aliquam bonitatem vel malitiam, diversam ab eo, quam ab objecto haurit. Ita Scotus. 2. *dist.* 7. *q. un.* §. *ad solut.* Et *quodl.* 18. §. *de primo.* Cum suis & S. Bonavent. S. Thoma & Thomistis, ac communi DD.

2. *Circumstantiæ dant bonitatem, & malitiam actibus.* Probatur primò: auctoritate Conc: Trident: quod *sess:* 14. *cap.* 5. definit, in Confessione Sacramentali esse aperiendas Circumstantias quæ peccati speciem mutant: unde *eâdem sess: Can.* 7. damnat doctrinam oppositam dicens, *si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino confiteri omnia & singula Peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra ultima duo Decalogi præcepta, & Circumstantias quæ peccati speciem mutant &c. Anathema sit*: Ergo &c.

Probatur secundò: Tum communi totius Ecclesiæ Romanæ doctrinâ. Tum unanimi omnium Scholasticorum Consensu. Tum quia, ut bene arguit S. Thomas, ita se habent Circumstantiæ morales ad ens morale, sicut accidentia physica ad

ad ens naturale: sed ens naturale sumit bonitatē aliquam naturalem, vel imperfectionem ab aceideotibos physicis: Ergo & ens morale seu Actus Humanus à Circumstantijs. Tum tandem, quia, ut eruditè discurrit S. Bonaventura, id dat bonitatem, & malitiam aliquam moralem, quod dat actibus moralibus laudem & vituperium; sed circumstantiæ dant actibus moralibus laudem & vituperium: Ergo & bonitatem aliquam, & malitiam. Maj: patet ex Philosopho, *3. Ethic: cap. 1.* Et ex Nysseno *lib: 5. Philos: cap: 1.* Min: probatur, quia vituperabilius est, lasciveè osculari fœminam in Ecclesia (ratione videlicet Circumstantiæ loci sacri) quàm extra; item eam osculari, quàm manu tangere, ut ex S. Bonaventura arguit Bontempus: Ergo Circumstantiæ dant actibus moralibus vituperium, & laudem. Pro sequenti Conclusione.

3. *Circumstantiæ mutantes speciem; & solùm aggravantes quid?*

Nota secundò: ex Circumstantijs, alias esse speciem mutantes, alias duntaxat aggravantes. *Circumstantiæ speciem mutantes*, ut dixi *tom. 3. tract. de Sacrament. dist. 10. q. 4.* sunt illæ, quæ actum moralem mutant, & transferunt de specie venialis peccati ad speciem mortalis; vel de una specie peccati mortalis, ad aliam speciem mortalis; talis circumstantia est in actu copulationis carnalis cum conjugata, vel persona DEO consecrata. *Circumstantiæ* duntaxat *aggravantes* sunt, quæ aggravant taotùm, seu augent malitiam v. g. in actu peccaminoso; talis habetur in actu occisionis Petri, qui necatur magna crudelitate, & repetitis compluribus ictibus.

4. *Quid sint Circumstantiæ formales, & objectivæ.*

Nota tertiò: ex circumstantijs aggravatibus alias esse formales; alias objectivas. *Formales* sunt, quæ se tenent ex parte actûs; ejusmodi sunt intensio, & remissio actûs, major vel minor libertas, facilitas vel difficultas in operando, duratio, &c. *Objectivæ* sunt, quæ se tenent ex parte objecti; tales sunt, qualitas, conditio, & quantitas objecti, v. g. major, vel minor quantitas eleemosynæ, major vel minor indigentia subjecti, circumstantia, loci, temporis, personæ, &c.

5. *Aliquæ Circumstantiæ aggravant tantùm.*

Dico secundò: Circumstantiæ quædam sunt tantùm aggravantes, seu augentes bonitatem, vel malitiam actûs intra eandem speciem. Ita communis TT.

Probatur: Circumstantiæ formales actûs boni non afferunt actui motivum virtutis specie diversum; uti patet in actu interiori isto Religionis, *volo colere DEUM*, cui si addatur Circumstantia intensionis hæc, *volo colere DEUM omni conatu*, actus prior Religionis est, & duntaxat melior gradualiter in eadem specie virtutis Religionis: Ergo Circumstantiæ quædam sunt tantùm aggravantes, seu augentes bonitatem, vel malitiam actûs intra eandem speciem.

Dico tertiò, quædam verò Circumstantiæ morales etiam addunt novam bonitatem, vel malitiam specificam, distinctam à bonitate, & malitia objectiva. Ita Scotus, *4. dist. 17. q. 1.* S. Thomas, S. Bonavent: &c. 6. *Aliqua verò etiam mutant speciem.*

Probatur: Tum authoritate Tridentini supra pro *Conc. 1*, relati. Tum quia quædam Circumstantiæ transferunt actum moralem de una specie in aliam, v. g. Circumstantia copulæ carnalis cum persona sacrata transfert actum fornicationis de sua specie (quam actus habet ex objecto, & adhuc retinet) ad speciem sacrilegij: Ergo quædam Circumstantiæ morales addunt novam malitiam, vel bonitatem specificam, distinctam à malitia, & bonitate objectiva. Qualiter autem cognoscantur hujusmodi Circumstantiæ, vide quæ dico *tom:* meo, *3. cit: n: 6.*

Dico quarto: ut Circumstantiæ objectivæ addant novam bonitatem, vel malitiam specificam distinctam à bonitate, & malitia objectiva, debent esse præcognitæ, & insuper volitæ directè. Ita Mastrius, Poncius, Herincx, Curiel, Aversa, &c. Contra Salas, Medinam quoad secundam partem. 7. *Circumstantiæ objectivæ debent esse cognitæ.*

Probatur prima pars: Tum quia ut bonitas, & malitia objectiva influat in actum moralem, & eum afficiat, debet præcognosci: Ergo idem dicendum de bonitate, & malitia Circumstantiarum. Tum quia præcognitio est conditio necessaria ad voluntarium, quod necessariò ad bonitatem, & malitiam requiritur: Ergo, &c. Tum tandem, quia aliàs committens fornicationem cum persona conjugata, quam omnino arbitrabatur esse liberam, committeret adulterium; quod tamen negant communiter Moralistæ: Ergo ut Circumstantiæ addant novam bonitatem, vel malitiam specificam distinctam ab objectivà, debent esse præcognitæ.

Probatur secunda pars: bonitas objecti debet esse directè volita, & intenta, ut censeatur verè afficere actum moralem: Ergo idem à paritate asserendum de bonitate Circumstantiarum. 8. *Insuper volitæ & amatæ.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

De Circumstantia *Cur* in particulari, seu de Fine.

1. *Quid sit finis intrinsecus, & extrinsecus.*

NOTA primò: à DD. duplicem assignari Finem, unum intrinsecum, seu proximũ, qui & Finis operis vocatur; alterum extrinsecum, seu remotum, qui & Finis operantis appellatur. *Primus* coincidit cum objecto; & dicitur *intrinsecus*, quia ab intrinseco convenit operi; dicitur etiam *proximus*, quia immediatè respicitur ab operatione; dicitur tandem *Finis operis*, quia competit ei ex natura rei, & non ex intrinseca intentione operantis, sic sublevatio miseriæ pauperis dicitur Finis eleemosynæ. *Secundus* vocatur *extrinsecus*, quia non competit ex natura rei ipsi operi; merè enim accidit eleemosynæ, quòd ordinetur in Finem pœnitentiæ v, g.; vocatur etiam *remotus*, quia operatio proximè ex natura sua respicit proprium objectum, tanquam Finem intrinsecum, remotè verò tantùm Finem, in quem dirigitur, vel refertur ab ipso operante. Præsens porrò quæstio procedit de Fine extrinseco, qui à Scoto, 2. *dist*: 40. vocatur prima Circumstantia ActûsHumani; & est idem quod motivum, ob quod quis operatur moraliter.

2. *Finis extrinsecus dat bonitatem & malitiam actibus.*

Dico primò: Actus Humanus sumit bonitatem, & malitiam specialem à Fine extrinseco, Ita Scotus, 2. *dist*: 40. Scotistæ communiter; & S. Bonavent: S. Thomas, &c.

Probatur primò: authoritate Scripturæ; nam *Matth.* 6. dicitur, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, ubi oculus significat intentionem Finis secundùm interpretationẽ Augustini *lib. 4. contra Julianũ c: 3.* & rursus *lib: 2. de sermone Dom: in monte cap:* 21. & nomine Corporis intelligitur operatio: Ergo Actus Humanus sumit lucem seu bonitatem specialem à fine extrinseco.

Probatur secundò authoritate D. Augustini, & Aristotelis: nam Augustinus 10. *de Trin:* dicit, *rectæ sunt omnes voluntates, si bona est illa*, (scilicet Finis) *ad quam cuncta ordinantur*, Et Aristoteles *in Topicis* ait, *cujus Finis bonum est, ipsum quoq;* (opus.) *bonum est*: Ergo ex Fine extrinseco desumitur bonitas moralis.

Probatur tertiò ratione: Tum quia ita se habet actio moralis ad finem suum extrinsecum, sicut se habet actio naturalis ad suum finem; sed actio naturalis sumit bonitatem & malitiam peculiarem à suo fine, v. g. generatio, vel alia physica operatio: Ergo & moralis, Tum quia aliæ Circumstantiæ refundunt aliquam bonitatem, vel malitiam specialem in Actum Humanum: Ergo & Circumstantia Finis, quæ est prima, & præcipua; unde de ea canit rectè Poëta,

Quidquid agunt homines, intentio (Finis) *judicat omnes*. Itaquè si Finis pravus intendatur ab operante, Actus Humanus subsequens afficietur novà Circumstantià malitiæ; si verò Finis rectus, à recta ratione præscriptus ab operante respiciatur, vestietur novà bonitate, quantùm est ex hoc capite.

3. *Unus Actus Humanus potest habere plures Fines.*

Dico secundò: potest unus Actus Humanus habere plures Fines partiales, à quibus distinctas sumat bonitates, & malitias. Ita Mastrius, Oviedo, Arriaga, &c.

Probatur: Tum quia una tractio navis potest habere plures causas partiales, concurrentes in genere causæ efficientis v, g. duos nautas, vel duos equos: Ergo & unus Actus Humanus plures Fines partiales, in genere causæ finalis concurrentes cum refusione bonitatis, & malitiæ finalis in eundem actum, Tum quia experientià constat, aliquem posse moveri ad actum elargitionis eleemosynæ ex motivo, seu fine liberalitatis, & misericordiæ, ut succurratur pauperi: qui duo fines, cùm distinctas habeant honestates, consequenter & bonitates diversas, quas refundunt in Actum Humanum.

4. *Solus Finis bonus non tollit malitiam Actûs.*

Dico tertiò: Solus finis bonus non tollit simpliciter malitiam actûs aliàs prohibiti, neque refundit aliquam bonitatem in eum, etsi aliquando minuat ejus malitiam. Ita communis TT. contra Eustrac: Cassian: & alios DD.

Probatur prima pars: Tum quia ita colligitur *ex cap: super, de usuris*, ubi dicitur, quòd S. Scriptura prohibeat mentiri, etiam cum bona intentione finis, ut videlicet salvetur vita, aut, etiam pro vitandis quibusdam alijs malis, & peccatis. Idem habetur *in cap: primum*. Et *cap: nè quis* 22. *q.* 2. Et patet ex 1. *Reg. cap:* 15. ubi Saul Rex reprehensus fuit, eo quòd quædam spolia contra DEI præceptum asservaverat, licèt ob honestum, & bonum finem DEO Sacrificandi id fecerit: unde Apostolus ad Rom: 3. tradit generalem regulam, *non esse facienda mala, ut eveniant bona* Ergo &c, Tum tandem,

quia bonitas, & malitia moralis consurgit ex integritate omnium, quæ ad actionem moralem requiruntur, & à recta ratione dictantur, ut suprà dixi *dist. 3. q. Concl. 1.* Ergo, si actus aliàs prohibitus ratione prohibitionis sit malus, non habebit ejusmodi integritatem, neque bonificabitur sufficienter à fine bono; atque ita finis bonus non tollet ejus malitiam.

5. *Eam tamen minuit.* Probatur secunda pars: quia ita in praxi tolerata sentiunt communiter DD. & judicant Platonem minus peccare, qui (ut discurrit P. Mastrius hic,) mendacium committit ob finem bonum v. g. ad impediendam interfectionem insignis viri, Reipublicæ summè necessarij; quam qui mentitur ad eludendum Socium: Ergo bonus finis minuit aliquando malitiā actûs alias prohibiti. Huic resolutioni favet etiam dictum Augustini *lib. contra mendacium cap: 8. in suo genere alijs ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti.* Ratio etiam est; quia mentiens ad salvandum insignem virum Reipub: ostendit se multò minus interpretativè affici malitiæ, sed potius quodammodò honestati; cùm ideo præcisè committat mendacium, quatenus apprehendit rem malam, ut utilem ad bonum finem: Ergo &c.

Quæstio III.

De Circumstantijs, *quis*, *quid*, *ubi*.

1. *Quid sit Circumstantia Quis.* OTA primò: per ly *Quis* significari Circumstantiam qualitatis Personæ operantis, dum v. g. Rex deditus est operibus humilitatis; vel dum summus Pontifex lacessitus injurijs non sumit ultionem, sed bene facit inimicis, &c.

2. *Ex Circumstantia quis crescit quandoque bonitas, & malitia Actûs.* Nota secundò: ex Circumstantia *Quis* seu Personæ operantis quandoque crescere bonitatem, vel malitiam operis moralis. Ratio est; Tum quia ex conditione Personæ crescit operis laudabilitas; uti patet exemplis mox allegatis de Rege & summo Pontifice: Tum quia exempla Majorum movent alios ad imitationem bonorum operum, quæ rationes si prævideantur ab operante, & intendantur, actus morales exinde fœnti sortiuntur majorem bonitatem. Dixi *quandoque*: quia per se & regulariter loquendo parum conducit qualitas Personæ ad bonitatem intendendam seu augendam operis moralis v. g. castitatis, amoris DEI, orationis &c. sive enim Rex, sive summus Pontifex, sive plebejus homo sit qui castè vivit, orat, Deum diligit, non ponitur melior actus moralis coram DEO. Idem judicium esto de malitia actûs moralis.

3. *Aliquando etiam nova species resultat.* Nota tertiò: attamen Circumstantiam *Quis* seu qualitatis Personæ aliquando addere actui morali planè novam speciem, necessariò in confessione Sacramentali allegandam, si v. g. fornicator concumbat cum maritata, vel moniali, vel alia habente votum; aut si ipsemet sit ligatus votò, vel initiatus S. Ordine; uti tenet Bonacina, Layman, Herincx, Mastrius, & communis Moralistarum.

4. *Author se remittit ad varias solutiones Circumstantia quis.* Nota quartò: varias in particulari Circumstantias *Quis* seu Personæ operantis à DD. hic ventilari, quas ego in alijs Tomis, & Tractatibus meis uberiùs discussi cum suis resolutionibus, uti est *primò* illa, an defloratio Virginis sit circumstantia addens novam malitiam specificam fornicationi simplici, distinctam à malitia fornicationis, ego respondi *tom. 3. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 8. q. 6.* negativè: rationem vide ibi. *secundo* an Circumstantia Sponsi fornicantis; *tertio* Circumstantia Personæ habentis votum castitatis, & insuper sacro jam ordine initiatæ. *Quartò*: Circumstantia voti solemnis, & simplicis afferant actui novam speciem moralem, de quibus vide solutiones, suis locis opportunis allatas. Circa Circumstantiam *quid*.

5. *Quid per Circumstantiam quid designetur.* Nota quintò: per Circumstantiam *quid* designari conditionem objecti, seu materiæ, circa quam versatur Actus Humanus signanter verò quantitas, & qualitas materiæ denotatur: v.g. quantitas pecuniæ furtò sublatæ, & qualitas v. g. argenti DEO consecrati furtò surrepti: Ad qualitatem hic etiam reducitur qualitas Personæ, circa quam quis versatur aliquo Actu Humano v. g. dum quis carnaliter copulatur fœminæ DEo consecratæ.

6. *Circumstantia quid facit quantitate quandoque novam speciem mortalem Actus peccaminosi.* Nota sextò: Circumstantiam *quid* quoad notabilem quantitatem materiæ malæ transferre actum moralem aliàs venialiter peccaminosum ad speciem mortaliter peccaminosam, adeòque dare novam malitiam; v. g. Circumstantia furti, 100. aureorum, læsio gravis in bonis, honoris, famæ, fortunarum, corporis,

ris &c. Item circumstantia notabilis intemperantiæ, puta cumsanitatis dispendio, & usûs rationis sopimento: quare similes Circumstantiæ in confessione Sacramentali necessariò erunt detegendæ, ut habet communis Casuistarum: Circumstantia verò quanti notabilis materiæ bonæ, si non afferat novam speciem bonitatis saltem bonitatem specificam actus gradualiter multùm auget; v. g. elargitio eleemosynæ in notabili quantitate, spectatis facultatibus.

7. *Similiter in qualitate.* Nota septimò: Circumstantiam *quid* quoad qualitatem in materia mala pariter sæpius transferre actum moralem ad novam speciem; v. g. Circumstantia furti in rebus sacris, in quo resultat nova malitia Sacrilegij; Circumstantia fornicationis cum Conjugata, ubi resultat adulterium; & cum sanguine juncta, ubi consurgit incestus; Percussionis Clerici, ubi oritur rursus sacrilegium; contumeliæ in Patrem, ubi nascitur peccatum, contra Pietatem: unde & tales Circumstantiæ erunt explicandæ in Sacramento Pœnitentiæ, uti cum communi DD. docui suis locis in alijs Tomis, circa *Ubi*

8. *Circumstantia ubi explanatur.* Nota octavò per Ly *Ubi* exprimi Circumstantiam loci, in quo perficitur Actus Humanus v. g. furtum in Ecclesia. Hæc Circumstantia, si denotet locum sacrum, tribuit Actui Humano novam malitiam sacrilegij, necessariò confitendam, uti tenet communis Canonistarum; Ratio est, quia infert irreverentiam gravem loco sacro; atque ita committitur peccatum contra Religionem loci: Talis est in actione peccaminosa effusionis notabilis sanguinis in Ecclesia: Item in actione homicidij injuriosi, in eadem perpetrati. Item in actione effusionis illicitæ seminis humani in eadem; Item in sepultura hominis excommunicati, vel infidelis, Pagani, seu non Baptizati, quibus actionibus violatur Ecclesia secundùm jura Cannonica, quæ vide registrata *Tom: meo. 3. tract. de Sacrament: dist. 5. q. 10. notab. 8.* Talis Circumstantia sacrilegij etiam est in furto rerum sacrarum, vel etiam profanarum ex loco sacro. Item exercitio actionum forensium in Ecclesia. Item in abductione violenta rei à loco &c. De quibus egi alibi. Similiter Circumstantia loci profani, comparata ad actionem sacram sacrificij, quod fieret in loco profano, dat actioni tali novam speciem malitiæ, ut habet Herincx, & alij DD.

QUÆSTIO IV.

De Circumstantijs *quibus Auxilijs*, *Quomodo*, *Quando*.



1. *Quid per Ly quibus Auxilijs significetur.* NOTA primò: per Ly *quibus Auxilijs* denotari Circumstantiam Mediorum, quæ moraliter operans applicat ad attingendum finem a se intentum, v. g. applicatio sclopi vel gladij ad occidendum Platonem. Si media ad actum v. g. malum perficiendum electa non sint speciali lege prohibita, non refundunt specialem novam malitiam in Actum Humanum, neque consequenter Circumstantia similium mediorum erit necessariò explicanda in Sacramento Pœnitentiæ. Ita Herincx cum communi DD. Ratio est; Tum quia in concursu talium Mediorum sola malitia finis attenditur: Tum quia neque ex scriptura, neque ex Concilijs, neque ex Ecclesiæ ordinationibus constat, ab ejusmodi Medijs sumi specialem aliquam malitiam, in Confessione Sacramentali exprimendam: neque Confessarij etiam Zelantissimi; & prudentissimi de talibus Medijs, tanquam Circumstautijs necessariò exprimendis indagant in actu Sacramentali Pœnitentiæ: Ergo Media speciali lege non prohibita non refundunt specialem novam malitiam in Actum Humanum. Talia forent hæc & similia, occidere Plautum baculò, vel ense, vel glandulà sclopetarià, vel sagittà; item complere actum fornicationis, excitando prius naturam impudicis attactibus, vel aspectibus, vel osculis, habentibus moralem connexionem cum ipso actu formalis fornicationis, aut ordinationem expressam ad eundem.

2. *Media speciali lege prohibita dant distinctam malitiam.* Nota secundò: si verò Media ad actum aliquem malum consummandum sint peculiari lege vetita, addunt actui distinctam malitiam à malitia finis Ita P. Herincx, communis Moralistarum, Ratio est; quia ad specialem prohibitionem induunt novam speciem mali. Talia media forent, mediantibus incantationibus, præstigijs, alijsq; artibus à Dæmone invocato mendicatis perimere Plautum; applicare alium hominem tanquam instrumentum interfectionis Platonis; quo modo se habent sicarius, & assasinus pretio conducti ad inferendam alteri mortem, qui cùm ad peccandum à Petro

sint

sint inducti, necessariò sunt exprimendi in Confessione Sacramentali Petri.

3. *Per Media prava vitiatur intentio bona.*

Nota tertiò, per Media prava vitiari intentionem etiam bonam finis; sic v. g. vitiatur bona intentio finis, quâ quis intendit dare eleemosynam per nummos ex furto acquirendos; item illa, quâ meretrix intendit intrare Ordinem vigore dotis ex meretricio congregandæ; item illa, quâ Petrus intendit fieri Sacerdos, per procurationem Bullæ dispensatoriæ super ætatem Canonicam, subreptivè obtinendam.

4. *In Actibus externis prima malitia est ex Medio.*

Nota quartò: tametsi in actibus internis prima malitia desumatur à fine, hic enim à DD. communiter dicitur specificare actum, in externis tamen malitia principalior desumitur ex Medio, uti docet Herincx, & alij DD: Ratio est; Tum quia talis malitia est actibus externis velut intrinseca, & per se connexa. Tum quia in communi æstimatione malitia furti in furto patrato ad postea adulterandum censetur principalior, quàm ipsa malitia ab adulterio ut fine intento desumpta. Hactenus de Medijs malis.

5. *Media bona dant Actui bonitatem suam.*

Nota quintò circa Media bona: si in actu moraliter bono applicentur Media specialem bonitatem habentia, eandem bonitatem refundunt in Actum Humanum aliàs moraliter bonum ex fine; atque ita actus distinctam sortitur bonitatem à Medijs & distinctam à fine. Ita Wiggers, Herincx, Curil, Præpositus, &c. Contra Vasq: & alios RR. Ratio est; Tum quia aliæ Circumstantiæ habentes speciales bonitates refundunt eandem in Actum Humanum; Ergo idem concedendum Circumstantiæ Medij boni. Tum quia Martyrium, quod ut medium assumitur ad colendum, vel amandum DEUM tribuit actui suam bonitatem: Ergo, &c. Circa Circumstantiam, *Quomodo*.

6. *Quid intelligatur per Ly Quomodo.*

Nota sextò: Per ly *Quomodò* designari communiter Modum, quò Actus Humanus elicitur, signanter verò Modum intensionis, vehementiam, extensionem, & durationem ejusdem. v. g. dum actus dilectionis Dei elicitur cum graduali intensione amoris ut octo; item *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima*, ut loquitur Scriptura *Deut: 6.*; item cum mora, & protractione ejusdem ad talem vel talem temporis differentiam.

7. *Circumstantia Modi auget tantùm bonitatem, & malitiam.*

Nota septimò: Circumstantia Modi intensionis, vehementiæ, fervoris, extensionis, & durationis, auget quidem bonitatem vel malitiam Actûs Humani; non tamen affert novam speciem bonitatis, vel malitiæ. Ita P. Herincx, Bonac: Diana, &c. Ratio primi est; Tum quia stante tali circumstantiâ plus voluntarij est in Actu Humano: Ergo & plus bonitatis, vel malitiæ. Tum quia singuli gradus intensionis, durationis, &c. Sunt boni vel mali juxta qualitatem actûs: Ergo Circumstantia Modi intensionis, durationis, &c. auget bonitatem vel malitiam actûs intra eandem speciem. Quare gradualiter erit perfectior amor Dei elicitus cum intensione ut octo, fervore, & vehementiâ summâ physicâ, & diu durans, quàm remissus ut duo, & carens insigni fervore, ac conamine: Similiter gradualiter erit majus odium proximi, procedens cum intensione graduali ut octo, & impetu vehementi passionis; quàm carens istâ circumstantiâ. Ratio secundi est; quia intensio, remissio, & duratio in physicis non variant rationem specificam, uti patet in calore ut duo, & calore ut octo; durante uno quadrante horæ, & durante integrâ horâ; item in albedine ut duo: Ergo idem in moralibus; adeòque Circumstantia Modi intensionis, remissionis, & durationis actui non affert novam speciem bonitatis, vel malitiæ, in Confessione detegendam.

Nota octavò: ad Circomstantiam Modi etiam reduci Efficaciam, & Inefficaciam operis; v. g. an Brutus efficaciter intenderit occidere Cæsarem, an verò inefficaciter. Item huc reducitur Modus simplicis complacentiæ, & desiderij absoluti v. g. an Plato habuerit simplicem complacentiam tantùm circa venerea; an verò etiam absolutum desiderium exerendi ipsum actum venereum fornicationis. Item Modus violentiæ in furto, qui inducit rationem rapinæ: Item Modus peccandi ex ignorantia vincibili, vel invincibili, qui & similes exprimendi sunt in foro sacramentali, ut Confessarius debitum possit ferre judicium, & sententiam de peccatis confessis. Circa ultimum punctum quæst: 8. *Quinam Modi sub Circumstantia Quomodo continentur.*

Nota nonò: per ly *quando* importari Temporis differentiam, in qua ponitur Actus Humanus v. g. si die festo exerceatur aliquis actus peccaminosus. 9. *Quid importet Ly Quando.* Hæc Circumstantia non addit actui aliàs moraliter bono specificam novam bonitatem; sic elargitio eleemosynæ die Dominico non sortitur specialem bonitatem præ ea, quæ die feriato contingit: constituit tamen sæpe specialia peccata; quale est, tempore diei festæ non audire missam

missam, laborare opus servile, non confiteri & communicare tempore Paschali; non jejunare diebus ab Ecclesia statutis, celebrare Divina tempore Interdicti, &c. ob peculiares leges Ecclesiæ desuper latas. Aliàs ipsis actibus aliunde malis non puto afferre novam malitiam, v. g. fornicationi, vel occisioni, vel usuræ, vel symoniæ die festo perpetratis, seclusô scandalô proximi, & formali contemptu diei festæ; etsi nonnulli DD. contrarium opinentur. Ratio est; Tum quia praxis probatiorum Confessariorum hanc Circumstantiam nec attendit, nec examinat. Tum quia non videtur, quâ lege speciali prohibita sit hæc specialis malitia, ex Circumstantiâ diei festæ in dictis actibus resultans: Ergo, &c.



DISTINCTIO V.
De Regulis Actuum Humanorum.
PRÆNOTATIO.

DUæ ex Scoto. *3. dist: 26. q: un. Et in 4. dist: 14. q: 3.* sunt Regulæ principales seu mensuræ, quibus rectificantur, mensurantur, & regulantur Actiones Morales, ut rectè in genere moris eliciantur, Divina videlicet voluntas, & recta ratio, seu conscientia; prima dicitur regula suprema, extrinseca, & remota Actionum Moralium, seu Actuum Humanorum; Secunda verò dicitur regula interna, & proxima earumdem: de prima agetur in hac quæst: de secunda in alijs.

QUÆSTIO I.
An, & qua ratione bonitas moralis Actuum Humanorum dependeat à Conformitate cum regula Divina, DEI scilicet Voluntate.

1. *Divina Voluntas est tantùm terminativè multiplex.*



NOTA primò: quòd voluntas DEI, uti notavi *Tom. 1. Tract: 2. de DEO, dist: 2. q: 2. notab: 1.* Etsi in se sit unica simplicissima formalitas; penes tamen diversam terminationem, quâ respicit objecta, variè dividitur à TT: Quare alia est voluntas DEI præcipiens, alia prohibens, alia permittens, & alia consulens; alia efficax, & alia inefficax; alia absoluta, & alia conditionata, quas vide *loc. cit.* explicatas.

Nota secundò: voluntatem humanam (ut observat P. Herincx hìc post Suarium) posse triplici ratione conformari cum Divinâ, tamquam regulâ supremâ; puta vel in volito materiali, volendo idem objectum; vel in volito formali, volendo aliquid sub eodem motivo, fine, & ratione, quâ DEUS idem vult; vel tandem volendo id, quod Deus cupit nos velle; cupit autem Deus nos aliquid velle, sive illud approbando, sive præcipiendo, sive consulendo. 2. *Conformitas voluntatis humanæ cum Divina tribus modis fieri potest.*

Dico primò: bonitas Moralis Actûs Humani dependet necessariò à conformitate aliqua cum regula Divina, quæ est voluntas DEI. Ita colligitur ex Scoto. *3. dist: 13. q: 1. §. ad argum: alterius quæst:* ubi docet, nec quidem voluntatem Beati in patria esse bonam, vel rectam, nisi ex conformitate ad voluntatem Dei; quod à fortiori dicendum de voluntate Viatoris, ejúsque actibus. 3. *Bonitas moralis dependet à conformitate cum Divina Voluntate.*

Proba-

Probatur. Tum quia ita colligitur ex illo dicto Chriſti, Matth: 26. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu vis;* quæ ultima verba conformitatem indicant. Tum quia bonitas artificialis operis alicujus artefacti neceſſariò dependet à conformitate cum regulis artis: Ergo bonitas moralis dependebit à conformitate cum regula primaria, id eſt, Voluntate Dei. Tum tandem, quia Dei voluntas eſt primum efficiens, ideò neceſſariò dependet ab eo in ratione effectûs omne opus creatum: Ergo quia eadem voluntas eſt prima regula, dependebit neceſſariò ab ea omne opus morale, quoad ſuam bonitatem.

4. *Actus debet omni Voluntati Divinæ præcipienti ſe conformare.*

Dico ſecundò: ut ponatur Actus moraliter bonus, debet ſe voluntas humana conformare regulæ Divinæ, ſeu voluntate Dei præcipienti, ita ut velit omne illud, quod Deus mandat ut faciamus. Ita S. Thomas, Herinex, Suarez, Tanner, & Communis TT.

Probatur. Tum rationibus poſitis *pro priori concluſione;* quæ vel maximè militant pro voluntate præceptiva DEI. Tum quia ita patet ex S. Scriptura, obligante nos ad Decalogum, & alia mandata, à Divina voluntate præcipiente conſtituta. Tum quia voluntas DEI præcipiens naturâ ſuâ eſt ſuperior, habetque jus & virtutem inducendi obligationem; & voluntas humana, quâ inferior tenetur eam acceptare: Ergo conſeqenter tenetur etiam ſe eidem præcipienti conformare, ſi velit ponere Actum moraliter bonum.

5. *Eſt laudabile in omni volito materiali conformare ſe Dei Voluntati.*

Dico tertiò: Tametſi valde laudabile ſit in omni volito materiali, quod DEUS vult, ſe ſe conformare Divinæ voluntati; attamen voluntas humana non tenetur in omni ejuſmodi volito ſe conformare tanquam regulæ, dum moraliter operatur. Ita S. Thomas, S. Bonavent: Occam, Alenſis &c.

Probatur prima pars: nam ita complures Sancti laudabiliter practicàrunt, qui ut aſſequerentur interiorem pacem, in omnibus ſe ſe conformàrunt, & ſubmiſerunt Divinæ voluntati, ac providentiæ: & ipſe Salvatnr ut homo in volito Divino ſe ſe conformavit juxta illud, *non veni, ut faciam voluntatem meam; ſed ejus qui miſit me Patris:* Ergo laudabile eſt in omni volito materiali ſe ſe conformare Divinæ voluntati.

6. *Non tamen eſt neceſſitas*

Probatur ſecunda pars: Paſſio Chriſti exhibenda, fuit quoddam materiale volitum à Divina voluntate; & tamen Judæi non tenebantur ſe ſe huic voluntati conformare idem volendo; imò ſe conformando & procurando eamdem Paſſionem peccarunt: Similiter intemperies aëris, contagia, & aliæ pœnæ hujus vitæ ſunt ſæpe volita materialia à DEO; quibus tamen homo non tenetur ſe conformare, eadem volendo: Ergo voluntas humana non tenetur omni volito Divino ſe conformare, dum moraliter operatur.

7. *Eſt etiam laudabile conformare ſe in omni volito formali cum Deo.*

Dico quartò: ſimiliter etſi ſit laudabile, conformare ſe Divinæ voluntati in omni volitu formali; non tamen ſemper humana voluntas obligatur ad ejuſmodi conformationem in omni ſua actione. Prima pars eſt S. Bonavent: Gabriel: Marſil: &c. ſecunda eſt Herinex, Abulenſis &c.

Probatur prima pars: Tum quia motivum, & ratio formalis, ob quam DEUS vult aliquid, eſt æquiſſima & juſtiſſima: Ergo ex eadem poterit quoquè humana voluntas velle aliquid; & conſequenter eſt laudabile in volito formali ſe ſe conformare Deo. Tum quia Beati in patria de facto ſe conformant Divinæ voluntati in volito formali, ut tenet Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap. 63.* Et in eandem conformitatem dixit David Pſalm. 18. *erubeſcant impij, & deducantur ad infernum:* Ergo laudabile eſt ſe conformare Divinæ voluntati in volito formali.

8. *Non tamen ſemper eſt obligatio.*

Probatur ſecunda pars: Tum quia motiva, & rationes, ob quas Deus habet quædam volita, ſæpe nos latent: Ergo non ſemper obligatur humana voluntas ad ſe conformandum volito formali, volendo aliquid ſub illa ratione, ſub qua DEUS illud vult. Tum quia poſſum velle Martyrium ob honeſtatem aliquam objectivam, quam tamen DEUS non habet pro motivo ſui voliti circa idem martyrium, ſed aliquam aliam rationem motivam inſigniorem; Ergo &c. Tum quia motivum & ratio formalis potiſſima, ob quam DEUS vult aliqua, eſt ſua bonitas; & tamen non ſtatim peccat homo; licèt non operetur ex motivo charitatis. Tum tandem, quia nullibi extat aliquod præceptum obligans humanum voluntatem ad velle omne volitum DEI ſub eodem motivo: Ergo &c.

9. *Voluntas humana nõ*

Dico quintò: voluntas humana non poteſt diſcordare à Divina voluntate, quotieſcunque hæc aliquid vult efficaciter

potest à Divina efficaciter volente discrepare. citer & independenter ab arbitrio hominis. Ita Tanner, Vasquez, Herincx.

Probatur: quia voluntas humana discordans in tali casu foret stulta, irrationabilis, & impossibilis supposito Divino Decreto: tale porro volitum Divinæ voluntatis est creatio Mundi, variatio temporum anni, prima vocatin, & similia; quæ DEUS operatur independenter à causa secunda: similiter illa, quæ quidem vult occasione ex creaturis accepta; hac tamen supposita, vult ea absolutè & inevitabiliter, v. g. mortem hominis corporalem, resurrectionem mortuorum, æternitatem pœnæ &c: Quare nequit humana voluntas discordare ab hac Divina, volente pœnam æternam, precan-

10. *Nisi credatur Divinâ velle conditionatè.* do pro salute damnatorum.

Nota autem tertiò: si tamen hujusmodi voluntas DEI efficaciter aliquid volens v. g. contagionem in hac regione, devastationem regnorum, ægritudines, egestatem, & similia flagella imminentia, non sit nobis nota, possumus orare pro aversione similium malorum, præsumendo DEUM tantùm velle ea conditionatè, videlicet nisi precibus, emendatione vitæ, aut industriâ hominum avertantur.

11. *Voluntas humana benefacit conformando se Divinæ consulenti.* Dico sextò: volontas humana potest quidem laudabiliter; non tamen tenetur se conformare DEI voluntati, duntaxat consulenti, vel approbanti. Ita communis TT.

Probatur prima pars: Tum quia Divina voluntas duntaxat consulens est certissima, & rectissima regula: Ergo voluntas creata potest ejus ductum sequi. Tum quia ita in praxi sanctissimi quique viri, ut D. Franciscus, & alij se se conformârunt Divinæ voluntati, consilia Evangelica proponenti; & exinde summoperè laudantur: Ergo &c:

12. *Non tamen ad hoc tenetur.* Probatur secunda pars: Tum quia volontas Divina duntaxat consulens non intendit injicere ullam obligationem voluntati humanæ, sed libertatem ei relinquit, solùmque ad majorem perfectionem in suis actibus moralibus eam stimulat, puta ad Evangelicam paupertatem sectandam, & similia perfectionis opera: Similiter voluntas Dei approbans non intendit humanam constringere ad id, quod approbat, v. g. dum approbat Matrimonium, non intendit obligare homines, ut omnes nubant deserta Virginitate, quæ majus bonum censetur: Ergo voluntas humana non tenetur se conformare Divinæ consulenti, vel approbanti.

Dico septimò: possunt humanæ voluntati licitè, inefficaciter tamen, displicere aliqua objecta materialia volita à Deo, quatenus hæc sunt naturæ humanæ molesta, & disconvenientia. Ita Magist: Sent: S: Bonav: Occam, Alensis & alij veteres. 13. *Possunt aliqua volita Dei nobis esse à homini licitè.*

Probatur: Tum exemplò Sanctorum, quibus displicuêre mala aliqua, ut ærumnæ, & mortes suorum Dilectorum, etsi à Deo volitæ; & propterea de ijs fuère contristati; sic David displicuit Mors Saulis, Jonathæ & Absolonis; sic eidem David displicuit quoque sua vita protracta, etsi sciret eam protrahi à Deo, unde dixit *Psalm: 119. heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; sic & Paulo, dum dixit *ad Philipp: 1. coarctor autem à duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Sic tandem & ipse Christus tristatus est de sua morte imminente, quando dixit Matth: 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et *transeat a me Calix iste.* Tum, quia talis displicentia inefficax in nulla Scriptura legitur nobis vetita: Tum quia hujusmodi displicentia de aliquo objecto sub alia ratione ab humana voluntate ponitur, puta sub ratione disconvenientiæ naturæ; & sub alia à Deo est volitum illud objectum; unde hæ duæ voluntates non sibi contrariantur.

QUÆSTIO II.

De existentia; quidditate; & divisione conscientiæ, quæ est proxima regula Actûs Humani.



DICO primò: Extat in homine Conscientia veluti regula proxima Actuum Humanorum. Ita communis DD. 1. *In homine reperitur Conscientia, regula agendorum.*

Probatur. Tum authoritate Scripturæ, quæ varijs in locis mentionem facit Conscientiæ; sic dicitor. 2. *ad Corinth. 1. gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ.* Et *Sap: 17. præoccupant pessimâ redarguente Conscientiâ*: Tum authoritate SS: PP: eandem passim adstruentium, ut videre est apud Basilium *initio Comm. in Proverb.* Et apud Justinianum *Serm: S. Marci.* Et Augustinum *contra Secundinum Manich: cap. 1.* dicentem,

Senti de Augustino quod libet, sola me Conscientia in oculis Dei non accuset. Tum ratione; quia decebat Sapientiam Authoris naturæ, ut implantaret homini à se condito regulam dirigentem, & ostendentem, qualiter se gerere deberet in tot innumeris occurrentijs, ne peccaret; & num peccaret hac vel illa sua actione morali; talis regula est Conscientia, seu ratio proponens nobis, quid fugiendum, & quid prosequendum; de quo proinde procedit illud *Psalm. 4. signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Circa alterum artic: quæst:

2. *Arbitria AA. circa rationem Conscientiæ.*

Nota primò: Circa quidditatem Conscientiæ varia esse DD: placita; nam Henricus putat eam esse inclinationem quamdam voluntatis ad bonum, aut ad malum. Durandus ait, eam coalescere ex duobus habitibus, uno intellectûs, altero voluntatis. Alij cum S. Bonaventura docent esse habitum unicum intellectûs. Alij tandem asserunt, Conscientiam importare actum intellectûs.

3. *Conscientia consistit in actu intellectûs.*

Dico secundò: Conscientia quidditativè importat actum intellectûs, puta judicium practicum intellectûs, seu rationis proponentis aliquid ut bonum, aut malum, aut indifferens. Ita deducitur ex Scoto, 1. *dist*: 17. *q*: 2. tenentque communiter Scotistæ; & *S.* Thomas, *S*ylvius, Bannez, *S*uar: Tanner: Sayrus, &c.

4. *Conscientia sumi quoque solet pro habitu, & actu præteritorum.*

Probatur primò authoritate *SS: PP:* conclusionem asserentium; unde Bernardus *lib: de Conscient: cap: 8.* vim nominis hujus expendens vocat Conscientiam *quasi Cordis Scientiam.* Et Damascenus *lib. 4. de fide. 23.* ait, Conscientiam *esse nostri intellectûs legem.* Et Basilius eam appellat *naturale judicatorium*; quæ omnia dicta ostendunt, Conscientiam importare actum intellectûs: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Munus Conscientiæ est, proximè regulare Actus Humanos in genere moris, ostendendo bonitatem, malitiam, & indifferentiam eorum: sed hoc proprijssimè convenit actui intellectûs judicativo, & practicè dictanti quid sit licitum, & illicitum, faciendum, & omittendum: Ergo Conscientia importat actum intellectûs, seu rationis.

Nota tamen secundò: quòd etsi Conscientia potissimè sumatur pro actu intellectûs; attamen à DD. etiam Scoto. 2. *dist*: 39. *q*: 2. *n*: 4. quandoque sumitur pro dictamine habituali intellectûs; quo sensu dicuntur rectæ Conscientiæ habitualiter justi, & timentes Deum. Similiter sumitur Conscientia non tantùm pro actu regulativo actionum humanarum ponendarum; sed etiam pro actu dictante actiones jam præteritas fuisse bonas, vel malas, quibus proinde præbet testimonium approbationis, vel reprobationis: hoc sensu dicimus, quòd Petrum remordeat, accuset, condemnet, vel excuset sua Conscientia. Et in eodem sensu procedit illud Ecclis. 7. *Scit enim Conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs.* Et illud ad Rom: 2. *Testimonium reddente illis Conscientia ipsorum.*

5. *Descriptio Conscientiæ.*

Dico tertiò: bene describitur Conscientia, ut est regula Actuum Humanorum, quòd *sit Dictamen practicum intellectûs humani, quo intellectus judicat Actum Humanum hìc & nunc esse exercendum, vel omittendum.* Hæc descriptio elicitur, & probatur ex hactenus dictis *ista quæst*: nec eget ulteriori elucidatione.

6. *Quid Conscientia Recta & Erronea.*

Nota tertiò circa divisionem Conscientiæ: eam primò dividi in Rectam, & Erroneam *Conscientia recta* est, quæ dictat ex indubitatis principijs, puta ex honestate, vel turpitudine, prohibitione, vel non prohibitione objecti, sicut à parte rei est, Actum Humanum hìc & nunc esse ponendum, vel omittendum: hac tanquam securissimâ regulâ regulari possunt omnes operationes morales; talis est hoc dictamen, Deus est super omnia diligendus. *Conscientia Erronea* est, quæ ex principijs alijs, quàm à parte rei reperiuntur, dictat Actum Humanum ponendum, vel non ponendum; unde dicitur *Erronea*, quia errorem intellectûs continet, ex quo procedit Actus Humanus; talis Conscientia est in hoc dictamine, quo quis firmiter judicaret, usum legalium defactò esse licitum, & propterea sentiret Circumcisionem adhuc esse practicandam in Christianismo; carnes porcinas, & suffocatorum non manducandas, &c.

7. *Quid Probabilis, Dubia, Scrupulosa, & Fatua.*

Nota quartò: Conscientiam prætera dividi in Probabilem, Dubiam, Scrupulosam, & Fatuam *Probabilis* est, judicium determinatum intellectûs de aliqua re agenda ex opinione probabili; talis est hoc dictamen, Circumstantiæ aggravantes duntaxat malitiam actûs peccaminosi non sunt necessariò explicandæ in Confessione. *Dubia, est* suspensio judicij intellectûs, ita ut neutri parti determinatum præstet assensum, nec quidem probabile; sed fluctuet inter utramque

que; talis est in Petro, qui io æquilibrio quasi positus hæret, an sequi debeat opinionem Pauli, vel potius Platonis circa aliquod operabile. *Conscientia Scrupulosa* est judicium intellectûs quo ex frivola, & inani quadam ratione quis suspicatur, & formidat hìc adesse malum atque peccatum, ubi revera noo est; talis est in Plauto, putante omnem motum à carne etiam naturaliter suscitatum sinè ulla occasione data, aut deliberato consensu apposito, esse eo ipso peccatum. *Fatua* est, quæ meris nititur delirijs, & manijs circa agibilia.

8. *Conscientia distinguitur à Synderesi.* Nota quiotò: Conscientiam, ut in præsentiarum usurpatur, non cbi ocidere cum Synderesi, ut nonnulli arbitrantur; nam Synderesis ex Scoto *3. dist. 39. q. 1. & 2.* & D. Thoma, vel est habitus intellectûs practici circa universalissima principia moralia, videlicet, quod bonum sit faciendum; & malum fugiendum; vel est dictamen actuale, generale, ab hujusmodi habitu proficiscens; unde Synderesis habitualiter considerata se habet ad Conscientiam, sicut habitus principiorum ad Scientiam Conclusionum, nam Conscieotia infert ex practicis priocipijs, quid in particulari hìc & nunc est agendum. Quare etiam Synderesis non potest esse sufficiens regula ac mensura actionum moralium particularium sicut est Conscientia; cùm sit ex se indeterminata, & generalis nimis.

QUÆSTIO III.

Num Conscientia Probabilis sit regula Actûs Humani: ubi Doctrina de Probabilitatibus expeditur.



1. *Quid sit Opinio, Probabilitas, & conditiones sententiæ Probabilis.* NOTA primò: Conscientiam Probabilem, ut dixi suprà, quà talem, esse judicium intellectûs applicans, & sequens aliquam opinionem probabilem, à quo proinde etiam dicitur Conscientia opinans, seu opinativa, & probabilis. Est autem *Opinio* in se *assensus cum formidine aliqua de opposito.* Opinio verò verè Probabilis est illa sola, quæ sequeotes habet cooditiones, nimirum ut *probabilibus nitatur rationibus*, sufficienti gravium Doctorum authoritate fulciatur juxta id, quod Aristoteles dicit. *1. Topic: cap: 1. probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, vel sapientibus omnibus, aut plurimis*: Et quæ non adversaotur S. litteris, Ecclesiæ definitioni, traditioni PP: & Communi DD: consensui. Probabilitas ex rationibus resultans vocatur *intrinseca*; resultans verò ex authoritate, & sequela DD: *extrinseca*.

Nota secundò: unam opinioo em esse alterâ probabiliorem, illa porro censetur esse probabilior opinio, quæ firmiori fulcitur fundamentò, & efficacioribus stabilitur rationibus, atque sapientiorum graviorumquè Doctorum (cujusmodi suot Classici, & fundatè ex professo, & intimiùs scrutaotes veritatem alicujus propositionis) authoritate roboratur; noo quæ à pluribus Doctoribus sustinetur, qui ejus fundamenta non discutiuot; sed in bona fide Majorum eamdem amplexantur, ut moris est apud Summistas, maximè modernos. Tutior taodem opinio est illa, quæ à periculis culpæ est securior, atque liberior. 2. *Quid sit opinio Probabilior, & Tutior.*

Nota tertiò: hôc nostrô tempore in delectu opioionum pro formaoda Conscientia Probabili; accuratâ circumspectione, & piâ ac prudeoti investigatione opus esse, nè aliquæ assumantur in sequelam, ut probabiles, quæ tamen non habeot sufficientem probabilitatem; plurimæ eteoim sententiæ omoino improbabiles, pro probabilibus à qnibusdam luxuriantis ingenij scriptoribus evulgatæ fuot typis, quarum 45. Alexaoder VII. duobus decretis ano: 1665. & ann. 1666. emanatis; & alias 65. Innoc. XI. Modernus summ: Pootifex suô quoque decretô ano: 1679. editô tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas meritò damnâruot. 3. *Cautè seligendæ sunt opiniones hoc tempore.*

Nota quartò circa usum probabilitatum, seu opinionum Probabilium, qui hoc sæculo celeberrimè Controvertitur, tres esse sententias: *prima* negat iodefinitè in ullo casu, vel materia hujusmodi usum licitum esse in concursu opioioois probabilioris, & tutioris; ac proinde ex opinione Probabili non posse formari Conscientiam Probabilem tanquam legitimam regulam operationis moralis, neglectâ probabiliori & tutiori. Ita Prosper. Fagnanus celebris Iurisconsultus Romanus, Sinnich, Cajetao; Navarr: Vincentius, Baronius, Merenda, Gonet, Comitolus, Mercorus, & alij RR; qui & quosdam veteres pro hac sententia; ut Adrian: Henric. Gerson; & Gabriel allegant. 4. *Varietas sententiarũ circa usum opinionis probabilis.*

 Secun-

Secunda sententia priori è diametro opposita est, & concedit licitum esse usum, & sequelam Opinionis Probabilis in omni casu, & materia, etsi adsit altera opinio probabilior, & tutior. Ita Marcus Vidalis, Ouviedo &c. *Tertia* tandem verior permittit quidem usum probabilitatum, & concedit posse quem sequi opinionem verè Probabilem relictâ probabiliori, & tutiori; non tamen in omni casu & materia; quare excipit casus valde graves, & materias valde graves, cujusmodi sunt casus administrationis Sacramentorum in sacerdote; casus applicationis medicinæ homini periculosè ægroto in Medico; casus ferendæ sententiæ in Judice; Casus advocationis in Advocato; casus belli gerendi in Rege, & similes. Ita ex nostris Vulpes, Mastrius, Herincx, Poncius &c. ex alienis Arragon. Suarez, Serra, Pasqual: Lezana, Sanchez, estque communissima sententia, pro qua Teryllus ultra 130. insignes refert Authores, ostendes omni sæculo fuisse hanc sententiam à gravissimis viris omnis gradûs, & nationis frequentatam in celebrioribus Orbis Universitatibus. Fuitquè in praxi hæc eadem sententia etiam apud illustriores veteres Scholarum Principes, D. Thomam, S. Bonaventuram, Alensem, Scotum, Richardum, Henricum, Antonin: &c. ut infrà ostendam, ut proinde falsò confingat Merenda, vix 30. abhinc annis introductum esse usum probabilitatum. Minùs verùm est, quòd quidam alij recentissimi ajunt, sententiam hanc esse revocatam per novissimum decretum Innocentij XI. condemnatorium quarundam propositionum, emanatum ann: 1679. nam in dicto Decreto solummodò limitatur in quibusdam Casibus, & inhibetur usus opinionis Probabilis, puta in collatione Sacramentorum & pronunciatione sententiæ Judicialis; & in casu opinionis, habentis valde tenuem probabilitatem practicam; quas limitationes quoque adhibet sententia communis tertia, mox relata. Cum qua proinde

5. *Licitus est usus opinionis probabilis.* Dico primò regulariter in plurimis casibus licitus est usus, & sequela opinionis verè Probabilis, etiam in concursu probabilioris, & tutioris, relictâ probabiliori, tutiori; non tamen in omnibus; & consequenter ex opinione verè probabili formari potest Conscientia Probabilis, tanquam sufficiens regula Actûs Humani.

6. *Non tamen in omni casu.* Secunda pars de casibus exceptis infrà ex professo probabitur. Tertia verò sequitur ex prima; unde illâ probatâ, hæc quoque stabilita manebit; illa enim Conscientia censetur esse regula sufficiens Actûs Humani, quæ dictare & regulare potest praxim seu positionem operationis moralis; quod convenit Conscientiæ formatæ ex opinione verè Probabili.

7. *Licitus usus opinionis probabilis suadetur facto sum: Pontificum.* Probatur ergo prima pars conclusionis: *primo* factò Vicariorum Christi in terris; Summi Pontifices practicârunt usum, & sequelam opinionis Probabilis in concursu probabilioris, & tutioris, relictâ probabiliori, & tutiori: Ergo ejusmodi usus est licitus in quibusdam casibus, Probatur Ant: summi Pontifices sequentes opinionem duntaxat Probabilem Ricchardi, & aliorum, dispensârunt in votis, per Professionem Religiosam solemnizatis in ordine ad contrahendum matrimonium; uti patet de Honorio II. Clemente II. & constat de dispensatione Justiniani Monachi, ex quo postea refertur progenitus B. Laurentius Justinianus; etsi circa dispensationem talium votorum esset sententia probabilior, & tutior D. Thomæ, D. Bonaventuræ, & aliorum, ea non posse ab Ecclesia dispensari. Similiter inhærendo opinioni tantùm Probabili dispensârunt Gregorius VII. Martinus V. Eugenius IV. Gregorius XIII. & alij in Matrimonio rato extra casum Professionis solennis; & tamen communis opinio, Scoti, S. Bonaventuræ, & aliorum Theolog: est probabilior, & tutior, non posse fieri ejusmodi dispensationem Item Clemens VIII. in Persona Francisci Estensis, Ducis Mutinæ; & tamen est celebrior, & tutior sententia TT. non posse fieri dispensationem in primo gradu affinitatis lineæ rectæ; eò quòd tale matrimonium videatur naturali jure vetitum: Ergo summi Pontifices practicârunt usum, & sequelam opinionis Probabilis.

8. *Permissione eorundem.* Probatur secundò permissione Vicariorum Christi: Summi Pontifices in controversijs quibusdam exortis, Probabili unâ, & probabiliori ac tutiori alterâ opinione constantibus permiserunt usum & sequelam utriusque opinionis; & consequenter etiam illius, quæ erat tantùm Probabilis; sic in controversia de unione Sanguinis Christi cum

Verbo

Verbo seu Divinitate in triduo mortis Christi excitata inter Prædicatores, & Minores Pius II. *Bulla ineffabili*, edita 1454. permisit, utramque opinionem posse sustineri absque peccato, quousque à Sede Apostolica aliter fuerit declaratum. Sic etiam Clemens VIII. post acres disceptationes DD. de auxilijs, ubi opiniones Probabiles, & probabiliores, ac tutiores collidebantur, reliquit utrique parti libertatem opinandi secundùm allegatas opiniones, quousque Ecclesia aliud ordinaret, aut certum quid determinaret. Sic quoque Innocentius III. relatis responsis Lucij III. & Clementis III. super opiniones quasdam Probabiles, & probabiliores ac tutiores *Cap. ad litteras de restit. Spoliat*: easdem permittendo dicit, *nos autem ad præsens nullam de prædictis sententijs reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari*: Ergo licitus est usus, & sequela Opinionis Probabilis, relictâ probabiliori, & tutiori.

9. *Item authoritate SS. PP.* Probatur tertiò authoritate SS: PP: & signanter D. Augustini; nam hic S. Doctor in multis usus est opinione duntaxat Porbabili, & cum tali operantes non reprehendit, unde *lib. 1. de adult. Conjug. cap. 26.* ubi ex sua sententia resolvit Catechumenos jam jam agonizantes, & sensibus destitutos posse licitè baptizari; & tamen postea addit de aliorum opposita opinione, *non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere &c, sunt enim, qui in his, vel etiam alijs observandum putant, quod dixisse Dominum legimus; Nolite sanctum dare canibus &c. & ista Salvatoris verba referentes, baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant libertatis arbitrium*: Sic etiam alij SS. PP. tum in exponendis Scripturis, tum in materia doctrinali alia, & morali sæpe solis opinionibus probabilibus innituntur, quas proinde etiam alio tempore retractant; ùt videre est in Augustini retractationib⁹; & propterea potest quivis à simili eorum opinione sine peccato recedere, audi August: *Lib. de bono Persev. cap. 21.* dicentem: *Neminem vellem sic amplecti omnia mea, ut me sequatur &c. nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscipio, ut nec meipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem*: Ergo licitus est usus opinionis Probabilis.

10. *Illustriores* Probatur quartò exemplo illustriorum veterum TT. Classicorum, quorum opera ab Ecclesia sunt approbata: S. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus, trium Scholarum Angelicæ scilicet, Bonaventuristicæ, & Scotisticæ fundatores (ut omittam Alensem, Hugonem de *S.* Victore, Petrum Lombardum, Richardum de S. Victore, Guilielmum Parisiensem Episcopum, Guilielmum Antisiodorensem Episcopum, Albertum Magnum Teutonicum, Ægidium Romanum, Petrum Tarantas; postea Innocentium V. Henricum Gandav: & Richardum de media villa, quos Azorius omnes Classicos primæ classis esse scribit; & Aurelium Occam, Durandum, Palud. Arimin. Argent. Baccon, & Marsilium, quos in secunda classe idem scriptor reponit) illi inquam tres celebres Principes Theologi in suis operibus sæpiùs in varijs materijs sequuntur sententias Probabiles, relictis probabilioribus, & magis tutis; sed hi ab Ecclesia non sunt reprehensi: Ergo licitus est usus opinionis Probabilis. *DD. stant pro usu opinionis probabilis.*

11. *Signanter S. Thomas.* Probatur Maj: *de S. Thoma*, cujus doctrina in Ecclesia magnam habet authoritatem; Doctor iste Angelicus in pluribus casibus, quorum Matthæus de Moga *in quæst: selectis tract: 1. q. 5.* adducit 20. resolutiones format secundùm sententiam, quæ sibi videbatur valde Probabilis, etsi minus tuta, quasdam etiam commemorat S. Antoninus *p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.* Ergo &c.

12. *S. Bonaventura.* Probatur eadem Maj: *de S. Bonavent*: (cujus doctrinam Summ: Pontif: Sixtus V. Epistolà decretali *Triumphantis Ecclesiæ &c.* quæ præmittitur Tomo primo Operum ejusdem summè extollit, & publicè in gymnasijs, academijs, Scholis, lectionibus & Concionibus &c. citandam, & adhibendam suadet, & decernit, pro eàque Romæ peculiarem Cathedram instituit) hic inquam Seraphicus Doctor quandoque procedit in suis resolutionibus ex fundamento opinionis Probabilis relictà tutiori; signanter in casu de circumstantijs aggravantibus non necessariò confitendis. *4. dist. 17.* Et *p. 3. art. 2. q. 3.* in casu juramenti dolosi non obligantis in foro DEI. *4. dist. 39. art. 2. q. 1. & 3.* & in pluribus alijs, quos vide apud Mastrium *disp. 5. de actibus humanis. q. 2. n. 35.*

14. *Et Doctor subtilis.* Probatur eadem Maj: *de Scoto* (cujus textus nunquam fuit ab Ecclesia in minimo censuratus; imò decreto solemni Romano demandatum Magistro S. Palatij, ut eò ipsò, quòd Scoti esse constet, imprimi

imprimi permittatur) hic Doctor eximius, & subtilis pariter utitur opinione Probabili, relictâ tutiori, dum concedit, Confessarium posse declinare insidias paratas, etsi alijs appareat, id fieri ex scientia in Confessione accepta. Item dum ait, circumstantias intra eandem speciem aggravantes non oportere necessariò confiteri, 4. *dist.* 17. *q. un. n.* 20. cujus oppositum est tutius: Ergo D. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus sequuntur sententias Probabiles, relictis probabilioribus, & tutioribus,

15. *Roboratur conclusio de licito usu probabilitatum.* Probatur quintò: Sententia in conclusione asserta, magis consonat legi Divinæ, & Humanæ: Humanæ quidem, quia Juristæ, & alij DD, affirmant in rebus humanis præferendas opiniones benigniores, juxta *L. benignum, ff. de legibus.* Et juxta *cap. finale de transact.* Divinæ verò, quia benigna est illa lex Christi apud S. Matth, 11. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et 1. Joann: 5. *Mandata ejus gravia non sunt*: Ergo sententia in conclusione asserta de usu probabilitatis est vera.

16. *Alia rationes ad idem.* Probatur sextò: remotò Probabilitatum usu condemnandi essent innumeri veteres, & novi celebres DD. fundatè docentes in suis operibus opiniones complures Probabiles; non tamen Christianæ disciplinæ relaxativas. Item sequeretur non teneri subditos Religiosos dubios obedire suo Prælato, præcipienti aliquid probabiliter licitum, cujus tamen contrarium patet ex summis Pontificibus, qui remittunt subditos Minores in dubijs Regulam Seraphicam concernentibus ad suorum Superiorum judicium; unde ait noster Doctor Alensis *p.* 2. *q.* 120, *p.* 3. *a.* 2. *ad* 1. *Conscientia subditi debet formari secundùm discretionem Prælati in dubijs.* Tandem pro assertione posita stat tum majus pondus rationum; tum major numerus illustriorum Doctorum omnis sæculi,& nationis: Ergo licitus est usus, & sequela opinionis Probabilis in concursu etiam probabilioris,& tutioris.

17. *Non licet sequi opinionem probabilem in administratione Sacramentorum.* Dico secundò: non est tamen licitus usus, & sequela opinionis Probabilis relictâ probabiliori, & tutiori in casibus gravioribus circa Sacramentorum administrationem validam, circa ferendam sententiam judicialem importantem; circa porrectionem medicinæ tantùm probabilis; circa advocationem in causa notabili; circa belli plantationem, & prosecutionem; & similia maximi momenti opera; sed tutior opinio semper est amplectenda. Ita DD. relati pro tertia sententia; præter quos 1. partem etiam tenent Vasq: Caspens: Bontempo &c. Secundam verò Layman, Ledesma, Bannez, Sotus &c. Tertiam Faventin: Portel, Beccanus, Sylvester, &c. Quartam Mastrius, Salonius, Mercado &c. Quintam Villalobos, Montesinus, Vasquez &c.

Probatur prima pars *de administratione Sacramentorum*, quia oppositam sententiam tanquam scandalosam, & perniciosam damnavit nuper Innocentius XI. *propositione* 1, quæ sic sonat, *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem Probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiori &c.*

Probatur secunda pars de sententia ferenda; quia & hujus partis oppositum est tanquam scandalosa, & perniciosa doctrina damnata à præfato Papa *propositione* 2, illis verbis, *probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs Probabilem.* 18. *Neque in sententia judiciali ferenda.*

Probantur deinde præfatæ, & reliquæ conclusionis partes simul; ex usu, & sequela opinionis Probabilis, relictâ tutiori, in casibus & materijs specificatis assertionis circa proximum possunt oriri gravissima nocumenta tum spiritualia animæ, tum temporalia corporis; puta in ipsa animæ salute ex invalida Sacramenti Baptismi vel Pœnitentiæ collatione; in facultatibus corporalibus ex pronuntiatione sententiæ, atque advocatione Judiciali; in salute corporali ex porrectione medicinæ minùs tutæ; & tandem in publica tranquillitate, emolumentis temporalibus publicis, & privatis, & morte corporali proximorum ex indictione, & prosecutione belli: Ergo ad ea præcavenda operandum est cum opinione tutiori, ex qua allegata nocumenta non sequerentur. Accedit alia ratio nervosior, quòd valor Sacramentorum, jus tertij in res liti substratas, expulsio morbi, & vita ac facultates subditorum in regno, non pendeant ex judicio magis, vel minùs Probabili; sed aliunde, puta ex institutione Christi quoad Sacramenta; ex legum dispositione, & justitia causæ publicæ in actis deducta quoad Judicem, ex efficacia medicinæ quoad Medicum; ex majori Juris apparentia, quoad Advocatum, & ex dominio intrinseco vitæ ac facultatum quoad Regem; adeoque in his casibus non licet uti opinione Probabili, relictâ tutiori. 19. *Neque in porrectione Medicinæ probabilis; neque in plantatione, & prosecutione belli, &c.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Solvuntur Objectiones contra usum Probabilis Opinionis.

1. *Impugnatur ex Scriptura usus opinionis Probabilis.*



Bjiciunt primò impugnatores omnium probabilitatum contra 1. conclusionem ex Sriptura: *Primò* Deut: 4. habetur, *non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, quod intelligendum est etiam de additione probabili. *Secundo* Ecclesiast. 37. dicitur, *ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, quibus dictis significatur, anteomnem actionem moralem debere præcedere judicium omnimodè certum de rectitudine actionis, & non probabile taotùm. *Tertiò* ad Ephes: 4. dicitur, *ut non simus parvuli fluctuantes, & non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*; circumferuotur autem Probabilistæ ventô doctrinæ Probabilis: Ergo &c. *Quartò* de opinioue Probabili procedit illud Prov: 14. *est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* *Quintò* illud Isaiæ 5. quadrat *Magistris* Probabilitatum; *væ, qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* *Sextò* Matth. 7. habetur, *quam angusta porta & via est, quæ ducit ad vitam*: via autem Probabilitatum est laxissima: Ergo &c.

2. *Sed singuli textus objecti reconciliantur.*

Respondeo: allegatos, & similes textus Scripturæ, quos acervatim congeruot adversarij, parùm aut nihil favere impugnatoribus Probabilitatum; neque tangere Probabilistas, minùs eorum doctrinam evacuare. Non *primus*; quia loquitur de præceptis Decalogi, & alijs in S. Scriptura clarè expressis, circa quæ nec opiniones Probabiles, oec probabiliores habent locum; neque à Probabilistis circa hujusmodi adhibentur; sed solùm circa alia, in Scriptura non contenta expresse; sed implicitè & virtualiter, sicut conclusiones in principijs, circa quorum expositionem utilis fuit labor Expositorum, & DD. ut ait Scotus *q. 2. Prol. in fine*, probabiliter magis, vel minùs discurrentium. Nec *Secundus*; Tum quia idem textus potest allegari cootra usum probabilioris opinionis; quem tamen adversarij admittont; nam & opinionem probabiliorem non præcedit judicium certum omnimodè moraliter; cùm tali opinioni sit conjuncta quædam formido, etsi minor, quàm Probabili tantùm. Tum quia etiam judicium probabile est verbum verax, & consilium stabile, id est, moraliter certum, eò quòd innitatur rationibus firmis, & authoritati gravi, prudenti ac sufficienti DD. excludatque omnem dubitationem ab animu operantis juxta tale judicium. Nec *tertius*; quia locus iste non agit contra Probabilistas; sed contra eos, qui circumferuntur ventó falsorum dogmatum, adversantium ijs, quæ in S. Scriptura continentur expresse; uti liquet ex glossis Expositorum omnium hujus passûs. Nec *quartus* quia illa authoritas solùm quadrare potest opinioni practicè non probabili sed relaxanti disciplinam Christianam atque ita mortem animæ inducenti, quales sunt complures nuper ab Alexandro VII. & Iunocentio XI. meritò condemnatæ; uon verò accommodari potest opinioni verè Probabili. Nec *quintus* textus Doctoribus probabiles opiniones foventibus cum veritate magis applicari potest, quam adversarijs probabiliores tuentibus, cùm opinio probabilior quoque careat motivis evidentibus, ac consequenter vanitati, seu falsitati exponatur. Deinde iste locus Scripturæ loquitur solùm de ijs, qui firmiter adstruunt malum bonum; cùm tamen non habeant certitudinem moralem de bonitate, ut patet ex glossa Canonis. 57. *Si quis dixerit justum injustum &c.* ubi Glossa textûs ait, *Si quis dixerit, id est, firmiter affirmaverit, cùm non sit certus*: nunc autem Magistri probabilitatum asserendo opiniones Probabiles, habent certitudinem aliquam moralem de earum veritate. Nec tandem ad propositum est *textus sextus*; quia falsum est, quòd via Probabilitatum sit via laxissima; cùm eá non in omni materia & casu utantur Probabilistæ; uti patet *ex secunda conclusione prioris quæst*:

3. *Idem usus impugnatur ex Canonibus.*

Objiciunt secundò Probabilioristæ ex S. Caoonibus: *cap. juven. de spons.* Et *cap. illud de Cleric. excom.* Et *cap. ad audientiam.* Et *cap. significâsti. 2. de homic.* Et *cap. si quis autem, de pænit. dist. 7.* statuitur quædam regula generalis ista, *in dubijs tutiorem partem esse eligendam.* Et Clement. *exivi, de verborum signif*: dicit Papa, *nos itaque qui in sinceris horum* (scilicet FF. Minorum, pro quibus hic edidit declarationem super Regulam) *conscientijs delectamur, attendentes, quod in ijs, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves*

ves

vel remorsus conscientiæ pars securior est tenenda dicimus &c. Ergo in concursu opinionis Probabilis & tutioris tutior & securior semper est sequenda.

4. *Sed glossantur.* Respondeo: allegata capita Juris Canonici, & Clementinæ solùm statuere regulam, qualis opinio stantibus dubijs sit amplexanda, nempe tutior; nam cum dubio non licet operari; non verò qualis stantibus Probabilitatibus sit applicanda; uti patet legenti textus *Capitum citatorum*. Itaque quando operans habet opinionem verè Probabilem, illa omnem dubitationem practicam aufert ab animo operantis; tum ob gravitatem rationis, & authoritatis; tum ob judicium reflexum hoc, quòd licitum sit operari cum opinione Probabili; unde non est necesse, ut tunc eligat aliam opinionem tutiorem.

5. *Infstatur ex Patribus.* Objiciunt tertiò ex SS. PP. D. Augustinus *lib. de utilit. credendi cap. 11.* dicit, *tria sunt velut finitima sibimet in animis distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari; quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio*: Ergo opinio Probabilis est vitiosa, & consequenter non licita in praxi. *Secundo* D. Gregorius *lib. 16. Moral. cap. 16.* dicit, hæc est sollicitudo justorum, ut actus suos quotidie juxta vias veritatis examinent: hujusmodi sollicitudo non adhibetur in sequela opinionis duntaxat Probabilis: Ergo &c. *Tertiò* Basilius *de instit. Monach.* & Nazianzenus ejus Discipulus *Orat. 1. apolog.* super illud Proverb. 4. *neque declines ad dextram, neque ad sinistram*, dicunt, virtutem in medio consistere, & in extremis vitium esse, nempe excessum, per dextram significatum; & defectum per sinistram indigitatum: sed via Probabilitatis declinat ad extrema; quia in moralibus agendis tenet ultimum locum: Ergo est vitiosa, & non practicabilis. Plurima alia dicta PP. obtrudit Merenda, Sinnich, Wendroch, Mercorus, & alij Probabilioristæ: Sed quia non sunt ad propositum, aut parum omnino probantes, consultò ea omitto.

6. *Sed reconciliantur in favorem.* Respondeo primò: hæc & similia PP. testimonia etiam militare contra Probabilioristas, admittentes usum opinionum probabiliorum. Respondeo secundò ad singula in particulari; *ad Primum* glosso S. Augustinum, & dico, eum per opinionem *loc. cit.* intelligere falsam persuasionem scientiæ de re, quæ non scitur, uti patet ex eodem sub initium *cit. cap.* dicente, *tria sunt hominum genera, profectò improbanda, ac detestanda; primum est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire, quod nesciunt &c.* *Ad secundum*, Neg. Min, nam revera etiam in usu, & sequela opinionis verè Probabilis adhibetur sollicitudo, & diligentia moralis, quantùm sufficit ad actus morales rectè eliciendos, & examinantur actus juxta vias veritatis; etsi non eum sollicitudine summa, quam allegata authoritas non postulat. *Ad Tertium* Neg. Min. licèt enim Probabilitas sit infima ratio agendi in moralibus; tamen lineam vel viam virtutis non egreditur, quia utens Probabilitate reverà ponit conformitatem operationis ad rectam rationem, quod virtus postulat; unde talis Probabilitas non censetur declinare ad extremum aliquod vitiosum; sed intra sphæram medij (quæ quandam patitur latitudinem) adhuc subsistere.

Objicit quartò carptoriè Sinnich Lovaniensis Professor plura argumenta: 7. *Argumenta Sinnichij.* Primò Christus nequaquam dixisse perhibetur, Ego sum probabilitas; sed *ego sum veritas* Joann. 14. *Secundo* in judicio DEI non quæretur à judicandis quid dixerit Diana, quid Caramuel, aut alius quispiam talium; sed quid Christus. *Tertio*, Lactantius dehortatur nos à sequela Probabilitatis, nam lib. 2. *Divin. Instit. cap. 13. ait ne trahamur authoritate cujusquam; sed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit*: Ergo &c.

Respondeo *ad Primum* retorquendo argumentum; Christus etiam non perhibetur dixisse, *Ego sum probabilior opinio*; nec *ego sum evidentia*; & tamen Sinnich utitur probabiliori opinione, & evidenti sententia. 8. *Reprimuntur.* Deinde etiam opinio Probabilis suam habet veritatem, ex pondere rationum & authoritatis PP. desumptam; quæ proinde ad vocem Christi veritatem enunciatem potest reduci. *Ad secundum*, retorqueo quoque argumentum; nec quæretur in judicio DEI, quid dixerit Sinnich; aut alius similis Probabiliorista; sed quid Christus. Præterea cùm opinio verè Probabilis suam habeat veritatem, & certitudinem moralem, ita ut possit esse sufficiens regula actionum humanarum, ideircò secundùm eam operantes, in judicio DEI interrogati respondere poterunt, se operatos esse non tam secun-

secundùm opinionem Dianæ, & Caramuelis; quàm secundùm veritatem, quam docuit Christus. *Ad Tertium* explico Lactantium, & dico, eum loqui in casu veritatis infallibilis, certissimæ, & evidentissimæ, in quo utique non debet operans trahi authoritate cujusquam, aut opinione Probabili: cum quo stat, quod in eo casu, quo veritas non est infallibilis, certissima, & evidentissima, sed latens, possit trahi authoritate DD. & rationibus probabilibus, veris tamen.

9. *Variæ objectiones contra usum Probabilis opinionis.* Objiciunt quintò alij adversarij varias rationes: *Primò* in moralibus requiritur maxima inquisitio veritatis; qualis non præstatur per adhæsionem opinioni Probabili: Ergo &c. *Secundò*, ideo tutior opinio est eligenda in dubijs, quia subest periculum violandi legem Divinam: sed idem periculum est in Probabilibus: Ergo etiam in Probabilibus est tutior opinio eligenda. *Tertiò* ex conclusione sequeretur positum esse in arbitrio cujuscunque operari quomodocunque voluerit; eò quòd in rebus moralibus ferè omnia sint posita sub opinione Probabili DD. Sequeretur etiam nobis esse liberum opinari, sicut nobis liberum est imaginari; quod est contra Arist: 2. *de anima text: 153.* quisque enim pro libitu invenire potest opiniones Probabiles; atque ita relaxabitur disciplina Christiana cum ingenti animarum dispendio. *Quartò* in quibusdam casibus, & materijs, *priori quæstio: conclusione*, 2. relatis non est licitus usus Probabilis opinionis: sed eædem, aut aliæ æquipollentes rationes suadent in omnibus alijs quoque casibus, & materijs non esse licitum ejusmodi usum: Ergo &c. Innumeras alias rationes minoris momenti contra opinionis Probabilis licitam sequelam, obtrudunt Merenda, Comitolus, Philaletus, Mercorus, Sinnichius, Gonet, Fagnanus, & alij, quas vide solutas partim apud P. Mastrium, partim apud Bardinum, Herincx, &c.

10. *Diluuntur.* Respondeo *ad Primum*, Neg. Ant. & sanè si maxima inquisitio in moralibus requireretur, non esset scrupulorum finis. Itaque quando pervenimus ad certitudinem moralem, (qualis est in opere verè Probabili) quæ prudenter sufficere censetur in rebus humanis etiam gravissimis, esto non sit summa, ad ulteriorem inquisitionem non tenemur. *Ad secundum* Neg. Min. nam operans cum Probabili opinione habet judicium firmum de honestate actûs, & consequenter de conformitate ejusdem cum lege Divina; eò quòd innitatur rationibus, & authoritati DD: hujusmodi bonitatem, ac conformitatem docentium; atque ita non laborat aliquo periculo formali violandæ legis Divinæ. Etsi autem periculum materiale inhonestatis objectivæ, & consequenter violationis legis Divinæ subesset; illud tamen stante tali judicio non est curandum; modò nullum formale, & manifestum periculum talis inhonestatis atque violationis adsit; posset etiam negari causalitas Maj. sed ideo potiùs tutior est eligenda in dubijs; quia operans cum dubio non habet determinatum sufficiens motivum ad operandum sic vel sic; unde tenetur tutiorem sequi, in qua motiva sufficientia adsunt. Ad *Tertium* Neg. sequelam Ant. nam non quæcuoque sub opinione DD. hodie posita sunt, in praxi tuta sunt; cùm multæ invectæ fiot opiniones relaxatæ; & ideo prohibitæ à Sede Apostolica; ùt ostendi suprà. Itaque in praxi sola illa opinio, vel sententia inservire poterit pro operando, quæ revera Probabilis est, id est, innixa firmis rationibus, & authoritati DD. illustriorum, nec est difformis diffinitioni Ecclesiæ, communi SS.PP. & TT. consensui. Unde etiam Neg. alteram sequelam de paritate imaginationis, cum sua Ratione; nam verè Probabilem modò jam dictò opinionem non tam facilè quis invenire poterit, ut sit sufficiens motivum operandi. *Ad quartum* Neg. Min. in alijs namque casibus, & materijs, distinctis ab ijs, quæ *Conc: 2. prioris quæst:* relatæ sunt, agitur tantùm de honestate actûs, honestas autem actûs, & conformitas ad legem præcipientem totaliter pendet ex prudenti judicio, & æstimatione operantis, per quam ei proximè proponitur lex præcipiens: at in casibus in eadem *Conc:* 2. specificatis agitur de valore actûs, qui non dependet à judicio nostro; sed aliunde, nimirum ex institutione; uti patet, de valore Sacramentorum & alijs, ut dixi *in probat: ejusdem Conclus:* quare nec eædem, nec aliæ æquipollentes rationes possunt adduci, quæ in omni prorsus casu illicitum facerent usum Probabilitatum.

QUÆSTIO V.

De Conscientia Dubia; an sit regula sufficiens Actûs Humani.

1. *Definitio Dubij ut sic; & negativi, ac positivi.*



OTA primò: Dubium (à quo affecta Conscientia formatur, & denominatur Dubia) a DD. describitor, quòd *sit animi suspensio, quâ neutri parti determinatè assentitur.* si hujusmodi suspensio contingat per meram carentiam omnis actûs, vocatur *Dubium negativum*; si per actum positivum hæsitationis, & perplexitatis inter duas partes, vocatur *Dubium positivum*, v. g. si actu hæsitem, an hodie sit jejunandum.

2. *Describitur speculativum, & practicum.* Nota secundò: Dubium positivum rursus aliud esse speculativum; aliud practicum. *Dubium speculativum* est hæsitatio de re aliqua secundùm se considerata, abstrahendo à circumstantiis; ut si hæsitem simpliciter, an liceat die festo venari, piscari &c. Dubium hoc est sine omni exercitio operationis. *Dubium practicum* est hæsitatio de re considerata, pro ut hic & nunc est cum omnibus suis circumstantijs, & in ordine ad operationem; v. g. si hæsitem an hodie sit jejunandum propter aliquas circumstantias, jejunium excusantes. Hoc dubium est semper in ipso exercitio operationis.

3. *Quid Dubium Juris, & Facti.* Nota tertiò: iterum utrumque præfatum dubium dividitur in dubium juris; & dubium facti. *Dubium juris* est hæsitatio de aliqua lege, an ipsa sit lata, & acceptata, ex qua proinde pendeat, quòd actio aliqua moralis licitè, vel illicitè ponatur; v. g. si hæsitem, an extet lex jejunij Ecclesiastici pro hodierno die. *Dubium facti* est hæsitatio de opere perpetrato; v. g. si hæsitem an hodie actu fregerim jejunium; vel an actu occiderim Platonem. Ex his facilè patet, quid sit Conscientia positivè dubia, speculativè dubia, practicè dubia, dubia circa jus, vel circa factum; nam talis erit Conscientia, quale est dubium, quod hic & nunc afficit Conscientiam, eamque format, & informat.

4. *Non est licitum operari cum Conscientia practicè Dubia.* Dico primò: non est licitum operari ex Conscientia practicè dubia, seu stante dubio practico, sive juris; sive facti; atque ita talis Conscientia non est regula sufficiens Actûs Humani. Ita Scotus *quæst*: 2. *Prol*: in fine, cum Suis; & Adriano, Angelo, Navarro, Azorio, Valentia, atque communi DD.

Probatur. Tum authoritate S. Scripturæ; nam de hujusmodi Conscientia procedit illud, ad Rom. 14. *quod non est ex fide, peccatum est*; id est, ùt glossant PP. signanter Theophylactus quod non est secundùm judicium Conscientiæ, peccatum est; quia ibi fides pro Conscientia usurpatur. Tum quia contra tale dubium practicum potissimè procedit illa regula Juris, quæ habetur *cap. ad audientiam.* Et *cap. significasti.* Ex *cap. juvenis de sponsal. in dubijs tutior pars est eligenda.* Tum ratione; quia operans ex Conscientia practicè Dubia exponit se manifesto periculo errandi; quod non est licitum; nam *qui amat periculum, peribit in eo*, teste Eccles: 3. *cap.* Tum quia sic operans ex modo procedendi convincitur interpretativè tam affici malitiæ, quàm non malitiæ, neque curare, esto foret peccatum: sed hoc est illicitum: Ergo non est licitum operari ex Conscientia practicè Dubia, tanquam regula sufficienti Actûs Humani.

Dico secundò: licitum tamen est ex Conscientia speculativè duntaxat Dubia operari; modò operans practicè judicet ob rationes justas, tale opus esse sibi licitum. Ita Mastrius, Herincx, Bonacina Moraudus, Caspen. Ovuiedo. &c. 5. *Bene tamen cum speculativè Dubia.*

Probatur; nam ùt bene arguit P. Mastrius hic, regula nostrarum actionum non est notitia speculativa, quæ in sola objecti veritate cognoscenda sistit: sed notitia practica, quæ omnium circumstantiarum qualitatem, & conditionem perpendit: sed potest ex aliqua occurrente Circumstantia objectum, quod secundùm se & speculativè consideratum apparet dubium, reddi practicè certum; ùt patet pluribus exemplis, ita ut stante ejusmodi circumstantiâ sit licitum operari: Ergo licitum est operari ex Conscientia speculativè duntaxat Dubia. Probatur Min: *primò*, exemplò Platonis possessoris alicujus castelli, qui potest speculativè dubitare, an ejusmodi Castellum revera sit suum; hic si aliàs practicè judicet, sibi licere retinere ejusmodi Castellum, eò quòd *in dubijs melior sit conditio possidentis* juxta regulam Juris receptam, licitè operari potest actum retentionis. Secundò exemplò militis, qui speculativè dubitat de justitia alicujus belli; hic si aliàs sibi persuadeat licere militare in ejusmodi bello, eò quòd sibi demandetur à suo Rege, ut militet; & quia in dubijs standò est judicio Superioris, tunc licitè poterit militare: Ergo &c.

Nota

6. *Speculativè dubitans tenetur indagare veritatem.*

Nota autem quartò: quòd speculativè dubitans debeat diligentiam proportionatam gravitati materiæ, & circumstantiæ loci, ac temporis adhibere in veritate inquirendà, ne imprudenter dubium depooat & operetur; debetque res singulas examinare, juxta earum naturam & conditionem. Hinc si res pendeat à dispositione Juris, non est examinanda meris rationibus naturalibus, sed Jura consulenda sunt, aut Jurisperiti, vel Authores de ea tractantes: si spectet ad Jus particulare loci, inquirenda sunt Jura, & consuetndines locorum ab ijs, qui in his creduntur versati.

7. *Duæ Regulæ Juris Canonici afferuntur pro Conscientia Dubia.*

Nota quintò: ad ritè procedendum in dubijs, & rectè formandam Conscientiam duas notandas esse Regulas Juris; *Prima* est; *in dubijs tutior pars est eligenda*: Secunda, *in dubijs melior est conditio possidentis. Secunda* non contrariatur primæ; quia ratio possessionis indicat partem tutiorem cæteris paribus; aliàs non esset melior conditin possidentis. Insuper ly *tutior* non respicit tutum (quia potest quis sequi tutam, & bonam Conscientiam relictâ tutiori) sed respicit periculosum, etiam non tutum; hinc dum dicitur, *tutior pars est eligenda*, idem est, ac sententia tuta, vel impericulosa est eligenda. Ex secunda autem regula possessio quandoque stat ex parte legis, dum scilicet hæc censetur habere vim obligandi; quandoque verò ex parte operantis, quando scilicet cessat obligatin legis. Pro eujus dilucidatione accipe sequentes regulas, utiles ad plures casos resolvendos

8. *Quando possessio sit adjudicanda in favorem dubitantis.*

Regula prima: Quando rationabiliter dubitatur de legitima institutione, promulgatione, receptione legis, vel authoritate legislatoris, vel de ipsa transgressione præcepti, manente dubio inculpabili, possessio adjudicanda est in favorem dubitantis. Ita Suarez, Scotus, Barbosa &c. Ratio est; quia lex, & præceptum sunt quoddam gravamen respectu hominis; sed quisque est liber à gravamioe, antequam constet de onere imposito: Ergo &c. Item Judex in foro externo nequit obligare ant condemnare dubitans, an sit obligandus, & condemnandus: Ergo etiam cùm quis sit Judex suarum actionum in foro interno, non debet se obligatum judicare in dubio, an sit obligatio, vel an factum contra obligationem posuerit; quia *in dubijs favendum est Reo*, ex regula Juris, in Sexto. Hinc.

Collige primò: si dubites an extet præceptum hodie audiendi Missam, jejunandi &c, Item an voveris, juraveris &c; item percussisti Clericum, nesciens esse talem, sed nôsti postea, dubitas an sis excommunicatus; item dubitas, an legem quamcunque in genere vel in specie violaveris; possessin stat pro te; liber es à lege. Excipe dubium commissi homicidij, v. g. vulneràsti cum alijs, vel suasisti, occisus est, dubitas an ex tua vulneratione, vel aliorum, debes te gerere irregularem; Ita habetur *cap: audientiam.* Et *cap: significâsti.* Et *cap: pen: de Homicidio*, secùs dicendum: si dubitetes, an homicidium positum sit, In alijs dubijs Facti non teneris te gerere ut irregularem, excommunicatum, vel alijs censuris innodatum. Ita Layman, & alij DD. apud ipsum.

Secunda Regula: cùm constat de acceptatione, vel valore legis vel de transgressione legis; & tantùm dubitatur, an lex sit abrogata, vel cessaverit, vel an transgressio fuerit ex indeliberatione in materia gravi, vel levi &c. tunc possessio stat ex parte legis. Ratio est; quia lex semel legitimè obligans est in possessione contra libertatem obligati; unde donec probetur legem noo obligare, homo censetur spoliatus libertate agendi contra illam; si agat contra legem, & dubitet de circumstantia aliqua, in hoc dubio debet favor exhiberi legi offensæ. Hinc. 9. *Et quando in favorem legis.*

Collige secundò: si scias te vovisse, sed dubitas an deliberatè, an validè, vel iovalidè; item scis te possidere rem alienam; dubitas tamen an restituere tenearis ob præscriptionem, vel aliam circumstantiam; item scis te peccàsse; dubitas; autem an mortale sit, vel leve; teneris votum implere, restituere, examen de quantitate peccati subire. Item constat jejunium Ecclesiasticum, vel abstinentiam obligare die Sabbati usque ad mediam noctem; sed dubitas, an medium noctis pertransierit; teneris abstinere: è contrà die Jovis scis abstinentiam non obligare nisi à medio noctis; sed dubitas an sit ultra medium; potes vesci carnibus; quia possessio stat ex parte tua; cùm non constet adhuc legem obligare. Ita Sanchez, Layman &c.

Sed quæris: an Sacerdos dubitans, num noctis medium cœnando, vel bibendo excesserit, Missam poterit alterà die dicere? negat Sanchez lib. 7. Matr. Disp: 41. Affirmat Diana de Castyllo, Layman, 10. *Sacerdos dubitans an post mediam noctem comederit possit celebrare.*

Layman, & ooster Boscus, etiam ob solam devotionem nullà cogente necessitate. Ratio est; quia lex Ecclesiastica de jejunio Communicaturis servando non videtur tam artè constringere conscientiam in casu dubio, cessante autem obligatione legis Ecclesiasticæ nulla est irreverentia com tali dubio communicare. Alia ratio est, si dubitetur de eo, quod ad Sacramenti substantiam pertinens ab Ecclesiæ voluntate non dependet.

Collige tertiò: si scias, te peccatum mortale commisisse; sed dubitas an confessus sis; teneris confiteri. Sed numquid etiam si post diligens examen rationabiliter (quod dico propter scrupulosos, quorum dubia non sunt rationabilia) dubites, an mortaliter peccaveris, teneris ut dubium confiteri? Negat Connick, quia inquit dubium est de lege, obligante ad confessionem dubiorum; & in dubio non est præsumendum delictum ex Regula Juris. Affirmant tamen communiter DD. cum Alensi, D. Bonaventura, D. Thoma &c. & favet praxis, ac persuasio fidelium recepta. Deinde Sacramentum Pœnitentiæ est salutaris vindicta ex Trid: *sess. 14. cap. 18.* id est non tantùm in punitionem criminum; sed etiam animarum salutem institutum: sed in dubio de salute animæ tutior pars est sequenda; idq; cedit in favorem pœnitentis: Ergo &c. Vide circa dubium plures alias regulas, pro particularibus casibus datas à me in decursu aliarum materiarum moralium *in tom. 3. & 4.*

II. *Documenta pro tollendis dubijs.* Nota ultimò: stante dubio, & perplexitate de re aliqua agenda, à dubitante servanda esse sequentia salutaria documenta. *Primo*, ut ad Deum recurrat per orationes, supplicando ut ipse mentem dubiam sufficienter illuminare dignetur circa agibilia, juxta illud 2. *Paralip. 20. cap. cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habeamus refugij, ut oculos nostros ad te dirigamus. Secundò*; ut dubitans allaboret, vel per studium, vel per doctorum virorum consilium veritatem assequi; quà post adhibitam sufficientem diligentiam assecutà deponat conscientiam, & operetur cum determinatione ad unam partem. *Tertiò*; ut diligenter attendat ad citatas duas regulas Juris, *in dubijs tutior pars est eligenda*; Et *melior est conditio possidentis*; Et illas alias, *ex duobus malis minus eligendum*; Et *tene certum, dimitte incertum.*

QUÆSTIO VI.

De Conscientia Scrupulosa; an sit sufficiens Regula moralis.



I. *Quid sit scrupulus.* OTA primò: Conscientiam Scrupulosam nasci, & dici talem à Scrupulo; describitur autem a DD. *Scrupulus*, quòd sit *levis quædam suspicio, & formido, causata ex frivolis, & inanibus rationibus, quâ putatur adesse malitiam aliquam moralem, quæ revera non adest.* Talis est in Petro, putante omnes suas cogitationes obscœnas, vel alias ex suggestione Dæmonis immissas, eo ipsò esse peccata; etsi illis assensum non præbeat. Differt porrò Scrupulus à dubio, quòd dubium teneat animum ab utraque parte suspensum, & ancipitem; Scrupulus verò determinat animum ad unam partem, licèt ex levibus motivis, & fundamentis. Ex quo patet Scrupulum esse judicium quoddam falsum, atque ita Conscientiam scrupulosam esse quamdam speciem Conscientiæ errantis.

2. *Unde oriantur scrupuli.* Nota secundò: Scrupulos ex varijs capitibus oriri; *Primo* ex dispositione naturali, quando scilicet natura hominis abundat nimiâ melancholiâ, & frigiditate, facilè causativis timiditatis cujusdam, quæ animum occupat, eumquè continuò formidolosum, suspiciosum, ac ancipitem reddit, ita ut quavis inani ratione moveatur, & velut arundo inflectatur. *Secundò*, si intellectus laboret ignorantiâ, modicâque acie, & judiciò tenui sit prædictus à natura. *Tertiò*, si voluntas affecta sit nimiò amore propriò, & excessivò timore in peccata labendi, qui usum rationis vehementer confundit, ac perturbat. *Quartò*, si lateat interna quædam elatio, & superbia, quà avertitur scrupulosus, nè suum judicium submittat alieno prudentiori dictamini, sed suum sequatur arbitrium. *Quinto*, intensa ac continuata applicatio intellectûs circa res scrupulosas. *Sextò*, causa est sæpe protractum commercium, communicatio & negotiatio cum scrupulosis. *Septimò*, hoc malum in judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, referri posset, qui vel in pœnam, & expurgationem priorum criminum; vel ad majorem profectum specialem permittit

mittit in quibusdam conflictum scrupulorum ingentem. *Octavo*, tandem, oriuntur sæpe scrupuli ex suggestione Diaboli, in ordine ad confundendos, retardandos, & perturbandos homines in pietatis operibus exercendis.

3. *Conscientia Scrupulosa licitè potest excuti.* Dico primò: licitè excuti potest Conscientia Scrupulosa, & contra eandem operari; atque adeò non est regula sufficiens moralis actionis. Ita Bonac: Laym: Azor: Herincx, Mastrius, & Communis Casuistarum.

Probatur: Tum quia Conscientia Scrupulosa, ut eam descripsi suprà *q*: *1. notab.* 4. est judicium intellectûs, frivolis, & inanibus innixum rationibus: sed hujusmodi judicium licitè excutitur, tanquam imprudens, & imperfectum dictamen, ac veluti opinionem improbabilem continens; impediens insuper operantem à majori bono prosequendo; insuper sæpe inducens ad varia incommoda, & periculosas inflexiones animæ: Ergo &c. Tum quia sapientiores, discreti, & timorati DD. suadent infundatos scrupulos esse excutiendos, variaquè remedia (de quibus infrà) præscribunt contra eorum agitationem: Ergo licitè excuti potest Conscientia scrupulosa, in scrupulis indiscretis fundata; atque adeò non est regula sufficiens actionis moralis.

Dicu secundò: imò sæpe scrupulosus tenetur, & obligatur excutere Conscientiam scrupulosam, contraquè eam operari. Ita Herincx, Layman, Sanchez, Bonacina, Navarrus &c.

4. *Et obligatio excutiendi scrupulosam Conscientiam.* Probatur: sæpè ita ingravescunt, & crescunt scrupuli, ut quovis penè momento animum scrupulosi mirum in modum exagitent, compluraquè mala, tum corporalia, tum spiritualia causent, quæ fanè sufficientem contineut obligationem excutiendi scrupulos, & agendi contra Conscientiam similibus imperfectionibus affectam: Ergo &c. Probatur Antecedens, ut ex praxi fundatè discurrit hic P. Herincx, ex scrupulis nascitur gravis anxietas; ex anxietate autem oritur in operando tarditas spiritûs, & tædium in exercitijs bonorum operum; postea sequuntur frequenter motus desperationis & pusillanimitatis de operibus ritè, & bene præstandis; & tandem bonorum operum contemptus. Atque ita per hujusmodi inquietudines, in principio quidem sub specie pietatis, & timoris Domini suggestas, machinatur Dæmon mentem hominis, continuâ Conscientiæ torturâ jam jam debilitatam, ac tandem superatam, à Deo quasi duro exactore alienare. Accedit, quòd ex conflictu continuò scrupulorum vehementer debilitetur caput hominis; reddaturquè scrupulosus finaliter penitùs indispositus ad exercenda sua officia; & tandem gravi symptomati periculosi morbi subjiciatur: Ergo scrupulosa Conscientia plura mala tum spiritualia, tum corporalia causat.

Objicies pro scrupulosis *Primò*; secundùm commune axioma Canonistarum; *in dubijs tutior pars est eligenda*: Ergo licitum est scrupulizare, ut ita eliciatur & eligatur tutior pars. *Secundo*, S. Gregorius ad August: Episc. Angliæ scribit, & refertur *cap. 4. dist. 5. bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa non est*, quod facit Conscientia Scrupulosa; Ergo &c. 5. *Scrupulosorum fundamenta refelluntur.* Respondeo Neg. Conseq. ad *primum allegatum axioma*, dico illud non habere locum in scrupulis; nam per eorum praxim nec inquiritur nec invenitur tutior pars; sed hæretur in meris inanibus, & frivolis rationibus, inflectentibus animum, ut ad alterutram partem levi fundamento nixam se determinet. *Ad secundum* glosso S. Gregorium, & dico, eum *loc. cit.* agere non de Conscientia scrupulosa; sed de discretè timorata, vera, & rationali, quo sensu etiam intelligitur illud Proverb. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Et illud Eccles. 5. *de propitiato peccato noli esse sine metu.*

6. *Signa colligendi scrupulosi veri.* Nota secundò: signa quædam esse, ex quibus quis colligere potest, se revera esse scrupulosum. *Primò* si rarò, aut nunquam certò affirmare, vel jurare possit, se ea commisisse, quæ continuò mentem vexant. *Secundo*, si de innocentia alicujus facti certus sit, & propterea in alio illud excuset, in se verò damnet. *Tertio*, si quis turbetur contra communem sententiam, *Quarto*, si in Majoribus præceptis cum communi vivat, v. g. in charitate, obedientia, jejunio, in alijs verò supra communitatem sit anxius v. g. in Divino officio recitando, & similibus

7. *Peculiaris instructio pro Confessario gubernandi scrupulosos.* Nota tertiò instructionem sequentem Confessarij cum scrupulosis. ante omnia Confessarius non facilè debet fidem adhibere scrupulosis, affirmantibus se habuisse dictamen practicum de malitia actûs: hujusmodi enim homines etiam tunc quando arbitrantur se habere

habere perfectum dictamen cum omni certitudine circa aliquid, vix judicium speculativum habuerunt; sed meras apprehensiones inanes, quæ ita animum occupant,& conturbant,ut nequeant cudere perfecta judica practica. Itaq; Confessarius *inprimis* diligenter exploret naturam, conditionem, qualitatem, seu statum scrupulosi, in quo positus est, an nimirum procedat in operando ex perturbatione animi; quâ observatâ non credat narrationi scrupulosæ; cū fluctuatio, & perturbatio animū possidens valde inficiat similes narrationes; dicunt enim & affirmant frequenter, se varia pati in voluntate & corpore, quæ sunt tantùm in imaginatione; se consentire, cùm tamen in re dissentiant constanter. Contingit autem hoc iodè, quia quæ in potentia imaginativa, & appetitiva animali fiunt, sunt similia ijs, quæ in intellectu, & voluntate fiunt; ac proinde scrupulosi accipiunt actus potentiarum animalium pro actibus intellectûs, & voluntatis, ut bene advertit noster P. Marchantius, Vir in praxi exercitatissimus *tom. 1. Tribunal. Sacram: trat. 5. q. 4.* oritur etiam sæpe hujusmodi error in scrupulosis ab impugnatione Dæmonis, implantantis adeò fortes imaginationes, ut credant se ijs præbere assensum; quem tamen non præbent. Consurgit etiam quanduque ista falsa opinio à spiritu melancholico vehementi, vim imaginativam afficiente, & commovente; quòd si huic spiritui simul Dæmon se se immisceat, versatur scrupulus in summo periculo deceptionis, & fatuitatis.

Secundò: Confessarius applicet scrupulosis unum, vel plura ex remedijs, infrà recensen lis pro curanda scrupulosa Conscientia.

Tertiò: declaret ijsdem, scrupulos esse duntaxat actus imperfectos, & illusiones, quæ ex naturali corrupta complexione per melancholiam causata; ex suggestione itidem Dæmonis; & alijs capitibus *notab. 2.* suprà registratis proveniunt; qui proinde sunt generosè excutiendi, & contemnendi.

Quartò: non concedat scrupulosis, ne minutim allegare, & confiteri possint singulas suas phantasias; sed tantùm in genere dicendo, sui afflictus tentationibus carnis, hæresis, blasphemiæ &c. Non tamen mihi constat de præstito consensu.

Quinto: proponat efficaciter scrupulosos, se, & alios, etiam sanctos viros, sanctasquè mulieres sæpius varijs scrupulis divexatos, & turbatos fuisse; sed Dei gratiâ, & obedientiâ exactâ circa agibilia Confessario præstitâ liberatos fuisse, hâc viâ plures curati fuêre, utpotè erecti in spem, quòd hic morbus animi sit in se curabilis, quia communis.

Sextò: Confessarius in dandis responsis sit cordatus, resolutus, & generosus; meticulosa enim responsio non elidit, sed auget angores scrupulosos in Scrupulizante.

Septimò: abstineat Confessarius à protractis, morosis, & fusis discursibus, ac probationibus; in similibus enim facilè potest subministrari nova seges novorum scrupulorum.

Octavò: non præstet Confessarius benignas aures rationibus scrupulosorum; sed instet opportunè, importunè, ut sibi potius simpliciter obediant, & stent regulæ ipsis semel traditæ, captivando suum turbatum intellectum: similiter ut non recurrant toties propter quemvis scrupulum de novo exurgentem ad Confessarium; sed ipsimet audacterum explodant, reputando indignū, talibus nugis occupari.

Nonò: Confessarius non examinet varias, & curiosas circumstantias actionum, quas scrupulosi allegant; neque meditationes, vigilias, jejunia, & similes austeritates ipsis injungat; similibus enim humor melancholicus fovetur, cerebrum enervatur, & inducitur in scrupulosis dispositio ad fatuitatem, atque phrænesim; sed potiùs præcipiat eis, ut exerceant opera recreativa licita, labores honestos manuales, ut ita mens scrupulosi ad talia objecta distrahatur, & phantasia læsa cum merito obedientiæ curetur.

8. *Varia remedia curandi scrupulos.*

Nota quartò remedia contra scrupulos: *Primum* generale & optimum remedium est, conscientiam scrupulosam deponere; quod ut præstare valeant scrupulosi disponant omnimodè, & obedientissimè conscientiam suam juxta Consilium docti, prudentis, & probati Confessarij; & ejus sententiæ omninò acquiescant, ut suadet S. Bonaventura *2. dist. 39. art. 2. q. 3.*

Secundò: Scrupulosi indefessis precibus implorent Divinum auxilium, quò è scrupulorum Labyrintho educantur per viam à Deo notificandam:

Tertiò; exerceant sæpe humilem submis-

submissionem, & plenam resignationem, eàque ejusmodi angores, & perturbationes mentis hilariter acceptent de manu Domini, reputando se indignos oh molem gravissimam peccatorum præteritorum, & gratiæ Divinæ repudiationem, qui limpiditate illâ, & serenitate Conscientiæ fruantur, qua fruiti fuere complures sancti, pacatissimam mentem in omni agibili possidentes: simul etiam tales torturas animi Deo offerant in satisfactionem commissarum iniquitatum: quibus artibus Dæmon (si ab eo proveniant scrupuli) non tanto impetu suggestionum pravarum collidet mentem scrupulosi; videns se frustrari intentò fructu; atque ita sensim rursus sereuabitur intellectus scrupulosus.

Quartò: distrahat scrupulosus, & applicet se ad varia opera extrinseca, ut ita phantasia occupetur alijs motibus, requisitis ad talia opera; quocasu sensim elidentur imaginationes priores, scrupulos generantes; & sanabitur ipsa imaginativa.

Quintò: animet se scrupulosus, & cordatè sentiat de Domino in bonitate, atque ex misericordiæ illius consideratione generosè explodat scrupulos quosvis, animum pulsantes.

Sexto: si varij angores animi consurgant circà confessiones præteritorum peccatorum; elidat ex eo (quantùm humanitùs fieri potest) eorum recordationem, omittatquè reconfessiones, sive generales, sive speciales ejusmodi peccatorum, suppositô, quòd semel cum morali diligentiâ, examine, & dispositione talia peccata expiaverit.

Septimo: si constet scrupulos nasci ex prædominio humoris melancholici, subtrahenda sunt scrupuloso omnia objecta melancholica, & tristia; præterea corpus erit commodè agitandum, & purgandum tum honestis exercitationibus, tum medicamentis proportionatis, &c.

Octavò: si verò deprehendatur eos oriri ex communicatione & conversatione cum scrupulosis, sequestratione opùs erit, & dissipanda ac impedienda omnino talis conversatio, quæ fuit origo, & fomentum istius miseriæ.

QUÆSTIO VII.

De Conscientia Recta; Erronea; & Fatua; utrum sint regulæ moralium.



DICO primò: licitum, imò obligatorium est operari ex Conscientia recta, præcipiente aliquam operationem, tanquam regulâ securissimâ Actûs Humani. Ita Bassolius, de Nisse, Mastrius, Bonac: Filliucius, Merolla, & communis. 1. *Licitum imo obligatorium est operari ex Conscientia Recta.*

Probatur: Tum quia ex suprà dictis. *q. 2. notab. 3.* Conscientia Recta est illa, quæ dictat ex indubitatis principijs, puta ex honestate, vel turpitudine, prohibitione, vel non prohibitione objecti, sicuti à parte rei est, ponendum esse actum, vel non ponendum: sed licitum, imò obligatorium est operari ex ejusmodi Conscientia, maximè si præcipiatur operatio: Ergo &c. Tum quia Conscientia Recta conformatur cum primis regulis moris, scilicet lege æterna, naturali &c. v. g. dum dictat honorandos esse parentes, ita præcipiente lege Decalogi, &c. Tum tandem, quia si ulla Conscientia, haud dubiè recta est regula proxima nostrarum actionum; utpote applicans alias regulas, puta legem æternam, naturalem &c. Ergo licitum est, imò obligatorium cum tali Conscientia, tanquam regula securissima operari, maximè si sit præcipiens. Pro altero artic: quæst:

Nota primò: quòd Conscientia Erronea ortum ducat, & denominetur ab Errore intellectûs: Error autem provenit ex ignorantia, quæ ad propositum (ùt alias ejus divisiones taceam suprà explicatas *dist. 2. q. 5. notab. 3.*) duplex est; Invincibilis, & Vincibilis. *Ignorantia Invincibilis* est, quæ nullâ morali diligentiâ vinci, aut superari potest; quia videlicet vel nunquam suborta est in mente aliqua dubitatio de re, quæ ignoratur; vel tametsi subortum sit aliquod dubium de ea; adhibitâ tamen sufficienti & diligenti investigatione, illa ignorantia tolli non potuit. *Vincibilis* est, quæ adhibitâ morali diligentiâ potuisset vinci, & debuit; superata tamen non fuit. Ex præfata duplici ignorantia consurgit quoque duplex Conscientia Erronea, puta Conscientia Erronea ex ignorantia invincibili, & Conscientia ex ignorantia vincibili. 2. *Quid sit Conscientia Erronea, ignorantia invincibilis, & vincibilis.*

Dico secundò: Est obligatio sequendi Conscientiam Erroneam, quæ talis est ex ignorantia invincibili; unde qui contra ejus dictamen operatur, peccat. Ita Scotus *2. sent.* Et *in Reportatis dist. 39. §. ad 3. quæst.* Bassolius, Tartaretus, Vulpes, & commu- 3. *Conscientia Erronea est sequenda quando oritur ex ignorantia invincibili.*

communis Scotistarum; ac RR. qui Conclusionem putant esse de fide; est contra Martinum de Magistris.

Probatur primò authoritate Scripturæ: ad Roman. 14. dicitur, *omne quod non est ex fide; peccatum est*, id est ut glossant PP: & refertur *cap. litteris de restit, spoliat*, Et *cap. ult. de præscript.* omne quod fit contra Conscientiam; peccatum est: in quibus textibus, & decisionibus Innoc. III. ait esse sermonem de Conscientia recta, & Erronea. Idem colligitur ex illo ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ*, scilicet ex Conscientia Erronea, quâ putaret quis, se adhuc debere observare cæremonias legis veteris: Ergo est obligatio sequendi Conscientiam Erroneam, errantem ex ignorantia invincibili; atque adeò agens contra ejusmodi obligationem peccat.

Probatur secundò: Tum quia est obligatio sequendi Conscientiam rectam; eò quòd ipsa objectum proponat sub honestate objectiva, & præcedenti ratione: sed hoc etiam præstat Conscientia Erronea, errans ex ignorantia invincibili; nam etsi objectum in se honestum non sit, & præceptum; tamen hic & nunc per errorem invincibilis ignorantia sic illud apprehendit, & proponit: Ergo est obligatio hujusmodi Conscientiam sequendi. Tum quia si non esset talis obligatio, sequeretur quòd quis posset agere contra Conscientiam Errroneam ex invincibili ignorantia: sed hoc est falsum: Ergo &c. Probatur Min: quia aliàs posset quis velle malum quà tale ejudicatum, & Consequenter amplecti malitiam; quia etsi objectum in se malum non sit, quia tamen ùt malum repræsentatur, voluntas in illud tendens per recessum à Conscientia Erronea, errante ex ignorantia invincibili convincitur affici malitiæ: Ergo non potest quis agere contra Conscientiam Erroneam ex ignorantia invincibili. Ex dictis constat, Conscientiam Erroneam invincibilem quà talem esse regulam sufficientem Actûs Humani. Sed,

4. *Quædam objecta expediuntur.* Objicies *primò* contra, 2. conclusionem; nemo potest obligari ad malū: Ergo si Conscientia Erronea judicet aliquid esse bonum, vel præceptum, quod revera malum est, & prohibitum v. g. esse mentiendum ad salvandum vitam, non potest hominem obligare ad id faciendum. *Secundo*, nulla potestas inferior potest obligare contra legem Superioris; sed est lex DEI quà superioris, ut non faciamus mala: Ergo Conscientia Erronea ad hoc non potest obligare. Respondeo *ad Primum* dist: Ant: nemo potest obligari ad malum sub ratione mali propositum Conc: Ant: sub ratione boni propositum Neg: Ant. Itaque quando Conscientia Erronea ex invincibili ignorantia obligat ad aliquod malum faciendum, proponit illud sub ratione boni, ita ut invincibiliter nesciat illud esse malum; unde si ponatur deinde opus vi ejusmodi propositionis, & dictaminis, non est peccatum; sed actus bonus; ùt patet in exemplo Jacob, accedentis ad Liam, quam ex Conscientia Erronea invincibili putabat esse suam uxorem; qui actus fuit malus, & peccaminosus solùm materialiter, formaliter autem bonus. *Ad Secundum* distinguo pariter Mai: nulla potestas inferior potest obligare contra legem superioris, quando proponit aliquid, quod scitur esse contra legem superioris Conc. Maj. quando proponit aliquid, quod non scitur Neg. Maj. Itaque dum Conscientia Erronea obligat contra legem superioris, nescit invincibiliter tunc, id esse lege superioris prohibitum.

5. *Cum Conscientia Erronea, nata ex ignorantia vincibili; non licet operari.* Dico tertiò: Conscientia tamen Erronea errans ex vincibili duntaxat ignorantia, non obligat ad sui sequelam imò est peccatum eam sequi. Ita Scotus *in Reportat: ad 3. quæst:* S. Thomas, Bassolius, Mastrius &c. contra Caspens: Granado: Morandum, Malderum, &c.

Probatur ratione Scoti *cit:* actus cum Conscientia Erronea vincibili elicitus est voluntariè & formaliter malus; quia contra legem Divinam, quam operans post scire; & quia est procedens ex errore, quem potest operans superare, & vincere; talis est v. g. actus transgressionis jejunij Ecclesiastici in quatuor temporibus, quæ quidem Petrus hic & nunc ignorat esse, poterat tamen vincere talem ignorantiam aspiciendo Calendarium, vel interrogando alios, vel frequentando concionem, sub qua fit promulgatio talis jejunij: Ergo Conscientia Erronea ex vincibili ignorantia duntaxat errans non obligat ad sui sequelam; sed est peccatum eam sequi. Consequentia tenet; quia aliàs obligaret ad actum formaliter malum, & peccaminosum.

6. *Laborans Conscientiâ Erroneâ tenetur eam deponere.* Dico quartò: laborans Conscientiâ Erroneâ vincibili; tenetur eam deponere, tanquam regulam falsam, & insufficien-


sufficientem Actûs Humani, Ita ex nostris Herinex, & Mastrins; ac Salas, Martinez communisque RR:

Probatur: quia laborans tali conscientiâ, sive sequatur eam, sive non sequatur, peccat: Ergo tenetur se liberare ab ea, per depositinuem ejusdem. Consequentia tenet; quia quivis tenetur se liberare à statn peccati. Probatnr ergo Ant. Ponamns Petrum habere talem Conscientiam Erroneam vincibilem, legalia defactò sunt servanda; tunc si eam seqnatur, practicando legalia, transgreditur legem Divinam; nec excnsat illins mali ignorantia; qnia vincibilis & proinde voluntaria est: si nnn sequatur, sed agat contra eam, agit contra dictamen sibi visum justum, & sic contemnit bonum, & justum hic & nunc sic æstimatum; quod est qnoqne peccatum: Ergo laborans Conscientiâ Erroneà vincibili sive eam sequatur, sive non sequatur, peccat.

7. *Modus deponendi Conscientiâ Erroneam.* Nota autem secundò: ut ritè deponatur Conscientia Erronea vincibilis, adhibere debet Errans debitam diligentiam, applicando intellectum ad intentiùs considerandum, in quo se falli suspicatur, & discurrendo ex primis principijs per se notis agibilium ad suum errorem agnnscendnm. Ut antem ritè deponatur Conscientia invincibiliter Errans, non sufficit arbitrium operantis, uti opinatur Cajetanus. Ratio est, quia ejusmodi modus deponendi est cæcus, & expositus manifesto periculo peccati. Deinde sicut arbitrium non est regula sufficiens nperandi, sic nec conscientiam deponendi, Itaque nt legitimè fiat depositio talis Conscientiæ Erroneæ, debet Errans moveri aliqua ratione certà, vel saltem verè probabili, vel authoritate prudentis viri, contrarium snadentis tanquam verum, ob quam nnnc fundamentaliter & prudenter judicet contrarium illius, quod antea judicavit: quare salutariter monet Sapiens *Prov: 13. qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ.* Et *Eccli: 32. cap: fili; sine consilio nihil facias.* Circa ultimum artic: quæst:

Nota tertiò: Coosciențiam fatuam, quam Hypocondriacam alij vocant, esse illam, quæ meris delirijs, manijs innitur. Hæc oritur ex pravis dispnsitionibus corporalibus, puta ex humoribus melancholicis, ita pertnrbantibus mentem, ut nullis rationibus veris duci possit; sed obvijs phantasmatibus obruatur, ac proinde exeat in actiones stolidas, stultas, & penitùs irrationabiles: unde claret, talem Conscientiam non esse regulam moralium operationum. Cum laborantibus Conscientiâ Fatuâ non est agendnm rationibus; sed medicinis, & habenda patientia, donec malignus ille humnr cansativus ejusmodi mali digeratur in Fatuo. Fatni non peccant nlterius. Horum conditio & status colligitur ex discursibus, alijsque actionibus eorum; quas proinde prudens Confessarius exactè debet observare. 8. *Quid sit Conscientia Fatua; unde oriatur, & qualiter curanda.*

Finit Tractatus de Actibus Humanis, censuræ S. R. Ecclesiæ plenarie ab Authore substratus





TRACTATUS VIII.

DE PECCATIS.

PROOEMIUM.

SS. PP. Peccatum ob ſui fœditatem, imperfectionem, & jacturam, quam affert naturæ rationali, varijs perſtringunt prædicatis & ſimilitudinibus; D. Auguſtinus *lib. 1. de lib. arb. cap. 16.* illud appellat *averſionem à bono incommutabili.* Et *lib. de Chriſt. Rel. tenebram mentis.* Et Ambroſius *lib. de Parad: cap. 8. prævaricationem legis Divinæ, & cæleſtium inobedientiam mandatorum.* Et S. Bonaventura *in diæta ſalutis tit. 1.* & alibi, idem aſſimilat putredini in pomo, quæ aufert animæ decorem, famæ odorem, gratiæ valorem, & gloriæ ſaporem. Item ait, illud habere analogiam cum vinculo ducente porcum ad macellum, bovem ad victimam; & cum rete involvente incautos piſces, atque cum virga inviſcante colludentes aves &c. De hujuſmodi univerſali, & enormi malo morali, quod in natura rationali non obſtante ſui ſucciſione frequenti per Sacramentum Pœnitentiæ, indies rurſus ſuccreſcit velut Hydra quædam Lernæa, in iſto Tractatu agetur. Unde ſit.



DISTINCTIO I.

De Peccato in genere.

QUÆSTIO I.

1. *Varia uſurpatio nominis peccati.*



NOTA primò Ly *Peccatum* varias pati acceptiones: *Primò*, enim ſumitur pro quocunque defectu ſive naturæ, ſive artis ſive moris: hoc ſenſu uſurpatur à Philoſopho 2. *Phys. text. 82*, & ab eodem monſtra vocantur Peccata naturæ; errores artis alicujus v, g. Grammatices Peccata artis. *Secundò*, capitur à S. Litteris pro victima olim ſolita offerri pro peccatis, quæ ſunt talia in genere moris; hoc ſenſu procedit illud Oſeæ 4. *Peccata populi mei comedent*, ſub intellige Sacerdotes. *Tertiò*, uſurpatur ibidem pro cauſa, & occaſione

casinne peccati moralis : in hoc significato aureus vitulus, qui fuit Israëli occasin peccati idolatriæ Dev, 9. dicitur Peccatum, *peccatum vestrum, quod feceratis, arripiens igne combussi.* Et similiter concupiscentia, quæ est sæpe inclinans causa Peccati ab Apostolo, & Trident. *sess.* S. *in decreto de peccato originali*, Peccatum appellatur. *Quartè*, accipitur similiter à scriptura pro effectu peccati propriè dicti, ùt ad Rom. 7, *non ego operer illud; sed quod habitat in me peccatum*, id est concupiscentia ex peccato originali ducens ortum, ùt glossat D. Augustinus *lib.* 1. *retract. cap.* 15. *Quintè*, sumitur pro defectu à regulis moris non concernentibus ultimum finem supernaturalem; seu cujus malitia independenter ab aliqua revelatione Divina cognoscitur; hàc significatione veniunt Peccata Philosophica, seu Ethica, quibus operans deficit, & exorbitat à regulis, morali conversationi purè naturali præfixis, & naturali cognitione cognitis; ut si agat contra virtutes purè philosophicas prudentiæ, fortitudinis &c. *Sextò* tandem, & prout de eo hic instituitur Tractatus, capitur pro prævaricatione alicujus legis concernentis ultimum finem supernaturalem hominis immediatè, vel mediatè, quà offenditur Deus, & cujus malitia cognoscitur dependenter à revelatione Divina in scripturis contenta: hujusmodi vocatur Peccatum Theologicum; circa hoc.

2. *SS. PP. variè describunt Peccatum Theologicum.* Nota secundó: Peccatum Theologicum variè à DD. definiri; S. Bonaventura 2. *dist.* 35. *in* 4. *exposit. textûs Magistri dub.* 6. affert viginti, potissimè ex S. Augustino collectas: inter quas illa receptior apud TT. est quam dat *lib*, 22. *contra Faustum*, *cap.* 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* S. Damascenus illud sic definit *lib.* 4. *de fide cap.* 21. *Peccatum est ab eo, quod est secundùm naturam, ad id quod est præter naturam conversio.* S. Anselmus *lib. de concept. Virg. & pec. orig. cap.* 6. sic, *peccatum est carentia debitæ justitiæ*: sed expressiùs

3. *Descriptio Authoris proponitur.* Dico primò: rectè definitur peccatum Theologicum ut sic, quòd *sit violatio voluntaria legis Divinæ, vel humanæ ordinantis ad finem supernaturalem.* Est ad mentem D. Augustini *lib.* 2. *de consensu Evang. cap.* 4. & S. Ambrosij *lib.* 8. *Parad. cap.* 8.

Probatur: in hac definitione adsunt omnes desideratæ conditiones ad rectam definitionem: Ergo eâ rectè definitur peccatum Theologicum ut sic. Explicatur ista definitio ly *violatio* est genus; reliqua statuuntur pro differentia. Dicitur *violatio*, ut ostendatur omne peccatum esse legis alicujus transgressionem, & prævaricationem, ut pluribus ostendam *q. sequenti conc.* 3. potest autem ejusmodi violatio contingere vel actu positivo de præsenti; quô pactô se habet peccatum actuale commissionis v. g. homicidij, idolatriæ, hæresis &c & multa peccata omissionis, quando quis per actum expressum ponit omissionem obviæ alicujus legis; vel actu interpretativo, sicut fit in pura omissione peccaminosa; vel actu positivò de præsenti necdum retractato; quò modò peccatum habituale necdum expiatum censetur violatio; alicujus legis; vel etiam actu alieno, in quo tamen moraliter voluntas peccatum habentis includitur; qualiter contingit in peccato originali, quod contrahunt omnes posteri Adæ, eò quòd eorum voluntas moraliter esset inclusa in voluntate Adæ violante legem primordialem, ratione cujus inclusionis censeotur & ipsi posteri violare illam legem. Dicitur *voluntaria*; nam ad peccatum tanquam conditio necessaria omnino requiritur ratio voluntatis; unde S. Augustinus *lib.* 1 *retract. cap.* 13. ait, *usque adeo peccatum voluntarium est ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: sufficit autem ad originalem violationem posterorum Adæ, quòd illa sit voluntaria in primo capite totius generis humani. Additur *legis Divinæ, vel humanæ*; ut ostendatur peccatum committi posse tam prævaricando legem Dei, quàm præcepta quædam hominum circa sectandas aliquas virtutes, conducentes ad beatitudinem, qui præpositi sunt alijs, ut superiores, & veri legislatores, de quibus scriptum est ad Hebræ: 13. *obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Apponitur tandem ly *ordinantis ad finem supernaturalem*; ut significetur, non quamlibet violationem, & transgressionem legis humanæ esse peccatum Theologicum; sed tantùm illam quà committitur prævaricatio contra legem constitutam, & dirigentem homines ad finem ultimum; unde qui transgreditur legem aliquam purè politicam, vel civilem, ad finem aliquem præcisè temporalem Reip. conditam, cujus trangressio non nocet proximo,

 nec

nec vetatur ullomodo lege Divinâ, non committitur peccatum Theologicum; sed purè Ethicum, circa secundum articulum quæstionis.

4. *Dari Peccata constat ex S. Scriptura.* Dico secundò: possunt existere varia peccata Theologica gravia, & levia, ab homine viatore commissa; & defacto talia existunt proh dolor. Ita Scotus 2. *dist. 35. & 37. & 4. dist. 14. q. 3.* quibus locis aut supponit, aut probat peccati existentiam; Scotum sequitur communis TT. & SS. consentiunt uno ore.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ varia commemorat peccata Theologica, quæ jam olim extiterunt actu, adeóque etiam possibilitatem eorundem ostendunt; sic narratur peccatum Adæ, & Evæ Gen. 3. sic peccatum multiplex habitantium in Sodoma Gen. 18. *clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Et varia peccata Pharaonis in Exodo. Et varia peccata populi Israëlitici in libris Exodi, & Numeri. Et peccata Saul, David, Salomonis, Jeroboam, ac aliorum Regum in libris Regum: unde de suo peccato gravi dicit ipsemet David Psal. 50. *tibi soli peccavi: & malum coram te feci*: Ergo &c.

5. *Ex CC. Oecumenicis.* Probatur secundò authoritate CC. idem dogma fidei passim asserentium, & Sacramentum Pænitentiæ in expiationem peccatorum, quæ in dies existunt, & committuntur, institutum à Deo asserentium; unde Tridentinum *Sess. 14. cap. 1. quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se se postea in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pænitentiæ*, &c. Ergo possunt existere Peccata Theologica; imò actu existunt.

6. *Ex SS. quoque Patribus, & Ratione.* Probatur tertiò authoritate SS. PP. existentiam peccatorum possibilem, & actualem pariter confitentium; ut videre est apud Damascenum *lib. 4. de fide cap. 21.* Et Anselmum *lib. de Concept. Virg.* Et Ambrosium *lib. de Parad. cap. 8.* Et Basilium *Orat. de virt. & vit.* Et Augustinum pluries, signanter *lib. 22. contra Faustum cap. 27.* Et *lib. de nat. boni contra Manich. cap 4.* ubi peccati effectus recenset, & consequenter ejus possibilitatem adstruit; *Peccatum est defectus, inquit, & corruptela, quâ scilicet corrumpitur modus, species, & ordo in voluntate. Quartò* accedit Ratio; tum quia Viator est agens liberô arbitriô, & intellectu cognoscitivô præditum: Ergo potest violare legem aliquam Divinam, vel humanam ordinantem ad beatitudinem supernaturalem; & sic ponere peccatum Theologicum. Tum quia Viator potest ponere meritum Theologicum; ut ostendi *Tractatu de Merito dist. 1. q. 1. con.* Ergo etiam demeritum seu peccatum. Tum tandem experientiâ constat, quemlibet nostrûm sæpius violare aliquas leges Divinas, vel humanas: unde Scriptura etiam de Justis dicit *Justus septies de die cadit*: Ergo &c. Circa ultimum articulum quæst:

7. *Quid sit Peccatum Actuale, & Habituale.* Nota tertiò: Peccatum Theologicum ut sic primò dividi in Actuale, & Habituale. *Actuale* describitur, quòd sit violatio voluntaria legis Divinæ, vel humanæ ordinantis ad finem supernaturalem actu positivo consummata; tale est actualis occisio innocentis; actualo furtum rei alienæ &c. Huc etiam refertur voluntaria omissio operis præcepti, actu positivo imperata, v. g. omissio auditionis Missæ die festo. Habituale est eadem violatio legis Divinæ, vel humanæ jam præterita, adhuc tamen moraliter permanens instar habitualis effectûs, quia necdum per Sacramentum Pœnitentiæ, vel aliud remedium est expiatum; tale est adulterium heri à Sempronio commissum, & hodie necdum expiatum, sed habitualiter moraliter perseverans.

8. *Quid Originale, & Personale.* Nota quartò: Peccatum habituale subdividi in Originale, & Personale. *Originale* est illud, quod tota posteritas Adæ (unicâ Matre Dei exceptâ) contraxit origine, & propagatione naturali, eòquòd violatio Adæ circa legem primordialem commissa, etiam censeatur esse nostra, ob continentiam moralem nostrarum voluntatum in voluntate primi Parentis. *Personale* est, propria cujusvis hominis violatio, quam patrat in legem aliquam moraliter durans donec remittatur à Deo.

9. *Quid mortale, & Veniale.* Nota quintò: ulteriùs partitur Peccatum in Mortale, & Veniale. *Mortale* est violatio voluntaria legis Divinæ, vel humanæ graviter obligantis, constituens Viatorem inimicum Dei, mancipium Diaboli, reum gehennæ, & æternæ mortis; tale est adulterium, Idololatria, hæresis formalis, homicidium, &c. *Veniale* est violatio legis non graviter obligantis; tale est verbum otiosum, levis indignatio, levis excessus in cibo, & potu &c.

Nota

10. *Quid Peccatum cordis, oris, & operis.* Nota Sextò: rursus secundùm PP, signanter Hieronymum *super Ezech. 43.* aliud esse Peccatum cordis, aliud Peccatum oris, & operis. *Peccatò cordis* venit omnis violatio, & prævaricatio legis Divinæ, vel humanæ, nata in solo corde, seu ad intra consummari; hujusmodi sunt odium Dei, & proximi, quamdiu solo actu elicito voluntatis peragitur; item hæresis mentalis, desperatio &c. *Peccatò oris* intelligitur omnis actio peccaminosa, quæ mediante instrumento linguæ perficitur; tales sunt blasphemia vocalis, infamatio naturalis, perjurium vocale, hæresis vocalis &c. *Peccatò* tandem *operis* comprehenditur omne peccatum, quod opere aliquo prohibito consumatur; v. g. fornicatio, occisio innocentis, &c.

11. *Quid Commissionis, & Omissionis.* Nota septimò: Peccatum præterea vel esse Commissionis vel Omissionis. *Peccatum Commissionis* est, quod fit contra prohibitionem aliquam; tale est furtum, commissum contra illud Decalogi, *non furtum facies*. *Omissionis* est, quò non impletur aliqua lex; tale est neglectus S. Missæ die festo.

12. *Quid Peccatum contra Deum, contra proximum, & contra seipsum.* Nota octavò: iterum peccatum dismembrari in illud quod est contra Deum; & illud quod est contra Proximum; & illud quod est contra nosmetipsos. *Primum* est, quò directè Deo infertur irreverentia & contemptus; tale est idolatria, blasphemia, hæresis, odium Dei &c. *Secundum* quò affertur Proximo damnum sive corporale, sive spirituale; tale est infamatio, scandalum activum, variæ injustitiæ furti, rapinæ, judicij temerarij &c. *Tertium* est quò operans sibi ipsi affert nocumentum corporale, vèl spirituale, ejusmodi censetur esse suicidium, seu internecio sui ipsius, intemperantia &c.

13. *Quid sit Peccatum Spirituale, & Carnale.* Nota nonò: Peccatum præterea partiri in Spirituale & Carnale, secundùm S. Gregorium *31. moral.* & Apostolum *2. ad Cor. 7. mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritûs, Spirituale* est, quod versatur circa objecta merè spiritualia; tale est philaucia, seu luxuria spiritualis, quà peccavit Lucifer nimium, & inordinatè diligendo suas perfectiones spirituales; & tale etiam est, quà viri ascetici, & devoti contemplabundi quandoque sibi nimium complacent in suis profectibus, atque gratijs supernaturalibus cum contemptu proximi; item docti in suis scientijs &c. *Carnale* est, quod versatur circa objecta carnalia, & sensibilia; talia sunt ebrietas, gula, luxuria, &c.

Nota decimò: Peccatum ut sic quoque ramificari in illud quod est ex passione, seu infirmitate, & illud quod est ex malitia. *Peccatum ex ignorantia* est, quod proficiscitur ex ignorantia culpabili, seu invincibili; tale est esus carnis die ab Ecclesia prohibitò; qui ab edente poterat sciri ex Calendario vel concione frequentata, quam tamen scientiam spontè neglexit habere. *Peccatum ex passione, seu infirmitate* est, quod procedit ex vehementi motu appetitûs sensitivi, contrario rectæ rationi, de quo Apostolus, ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; tale est opus carnale vehementi stimulo carnis perpetratum. *Peccatum ex malitia* est, quod absque prævio aliquo motu sensitivo, vel ignorantia, sed liberrimè resoluta voluntatis pravitate consummatur; tale est proprio motu, & nullà datà causà homicidium perficere; Deum blasphemare ex mera petulantia; incendere castrum proximi ex mera nequitia, &c. 14. *Quid Peccatum ex ignorantia, & malitia.*

Nota undecimò: trivialem, & communissimam tandem esse divisionem peccati Theologici in septem peccata Capitalia, puta Superbiam, Invidiam, Avaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Acediam, quas species peccatorum inferiùs explanabo. Hæc dicuntur *Capitalia* peccata, quia ex eis omnia alia ceu ex quodam fonte, & capite dimanant. 15. *Quid tandem Peccata Capitalia.*

QUÆSTIO II.

De subjecto Peccati; & ejus oppositione cum lege.



DICO primò: subjectum immediatum peccaminosæ privationis rectitudinis debitæ, seu conformitatis ad legem non est voluntas, sed est actus, vel omissio actûs. Ita Scotus *2. dist. 37. q. 1. §. concedo igitur*, ubi ait, peccatum esse corruptionem rectitudinis in actu. Et *in 3. dist. 18. q. unic.* ubi dicit, peccatum esse privationem boni, quod deberet inesse actui elicito quando elicitur. Et *4. dist. 14. q. 1.* ubi negat animam esse immediatum subjectum, 1. *Ipse actus vel omissio est immediatum Peccati subjectum.*

jectum , & dicit actum secundum esse ejusmodi subjectum. Et tandem quodli 18. appellat actum secundum magis esse immediatum subjectum rectitudinis, & privationis oppositæ, quàm voluntatem : mirum proinde quà ratione Faber Scotista Scotum pro sua opposita sententia adducere valeat: Doctorem sequuntur communiter Discipuli subtiles;

Probatur : Tum quia actus est id, quô immediatè violatur lex & prohibitio ad cujus positionem resultat privatio rectitudinis , & conformitatis ad eandem legem , constituens peccatum commissionis ; similiter omissio est id quo rectitudinis seu conformitatis ad legem præcipientem constituens peccatum omissionis : Et aliunde actus , & omissio sunt capaces recipiendi privationem rectitudinis : Ergo immediatè in actu, & omissione subjectatur privatio peccaminosa rectitudinis debitæ, seu conformitatis ad legem : Consequentia tenet , quia in eo subjectatur privatio quo tollitur immediatiùs opposita moralis forma. Tum quia actus bonus moraliter est immediatum subjectum rectitudinis debitæ, & conformitatis : Ergo & actus malus immediatum subjectum privationis rectitudinis, seu conformitatis; Itaque voluntas peccans est subjectum duntaxat mediatum malitiæ formalis seu privationis rectitudinis debitæ ; quatenus nimirum immediatè in se recipit actum peccaminosum , vel omissionem actûs præcepti, qui immediatè subjectat formalem malitiam seu privationem rectitudinis debitæ. Unde.

2. *Voluntas verò primarium.*

Dico secundò : voluntas tamen creata est verum , & primarium subjectum ipsiusmet actûs peccaminosi ; aliæ verò potentiæ imperio voluntatis subjectæ secundarium duntaxat, Ita Scotus 2. *dist.* 42. §. *ad quæstiones* ; cum suis, & communi TT.

Probatur prima pars primò authoritate D. Augustini ; nam *lib.* 1. *retract. cap.* 9. ait , *voluntas est , quâ peccatur, & rectè vivitur*. Et *lib.* 3. *de lib. arb.* dicit, *causa primò peccandi est voluntas* : Ergo peccatum in voluntate tanquam in vero , & primario subjecto reperitur. Secundò ratione ; omnis actus peccaminosus necessariò est liber, ut infrà ostendam, id est dependens à libero consensu voluntatis : sed assensus liber est actus elicitus voluntatis, & ab eadem immediatè rursus receptus , & subjectatus : Ergo omnis actus peccaminosus eâ ratione, quâ liber est, subjectatur in voluntate. Præterea sola voluntas est causa libera activa , reliquæ vero omnes sunt naturaliter activæ: Ergo sola voluntas est primariò vituperabilis , & peccans ; adeoque etiam primarium subjectum actûs peccaminosi. Tandem libertas ad peccatum requisita est primariò in voluntate: Ergo & ipse actus peccaminosus quà talis.

3. *Secundarium verò aliæ potentiæ.*

Probatur secunda pars: aliæ potentiæ, puta intellectus, appetitus sensitivus , visus, tactus, censentur ponere veros actus peccaminosos ; sic intellectus peccat committendo hæresim ; appetitus sensitivus concupiscentiam carnalem; visus turpem aspectum objecti prohibiti &c. Ergo & hæ potentiæ sunt subjectum actûs peccaminosi : non autem primarium ; quia non habent libertatem primariò , & primariam ; ex eo, quod habeant libertatem participatam, dum ex imperio voluntatis operantur. Circa alterum punctum quæstionis.

4. *Omne Peccatum essentialiter adversatur legi.*

Dico tertiò omne peccatum quà tale necessariò , & essentialiter est contra aliquam legem. Ita Scotus 4. *dist.* 50. *q.* 1. § *de secundo* ; cum suis ; item *S.* Bonavent. D. Thomas , & communior ; contra Svarez. Amicum, Arriagam, & alios RR. qui frustra conantur Doct. Subt. in suam pellicere opinionem ; tenent autem hi AA. odium, blasphemiam , & mendacium seclusâ omni lege esse peccata suaptè naturâ.

Probatur primò ; Tum ex dicendis *infra dist.* 2. *q.* 1. quibus ostendetur peccatum pro formali importare privationem conformitatis ad legem ; adeoque omne tale esse necessariò contra aliquam legem. Tum ex definitione peccati Theologici ut sic, suprà *q.* 1. *conc.* 1. data, in qua dicitur, peccatum esse voluntariam violationem alicujus legis.

Probatur *Secundò* authoritate S. Scripturæ : nam ad Rom. 3. dicitur, *per legem cognitio peccati.* Et *cap.* 4. *ubi non est lex, neque prævaricatio.* Et *cap.* 7. *peccatum non cognovi nisi per legem.* Et 1. *ad Cor.* 7. *virtus peccati lex*: ex quibus, & similibus passibus Scripturæ colligitur, nulla existente lege nullum fore peccatum ; adeoque quodvis peccatum esse essentialiter contra legem. *Tertiò* authoritate SS. PP. docentium esse transgressionem legis; esse contra legem;

gem ; esse inobedieotiam maodatorum Dei , &c. unde S. Augustious *lib. 2. de consensu Evangelist cap. 4.* ait *peccatum est legis transgressio.* Et *lib. 22. contra Faust. cap. 27. peccatum est dictum, vel factum , vel concupitum contra legem æternam.* Et S. Ambrosius *lib. de Parad. cap. 8.* peccatum est *prævaricatio legis Divinæ, & cælestium inobedientia mandatorum* ; Ergo &c.

Probatur etiam ratione ; Tum quia omnia alia mala ; ideo mala censeotur , quia sunt contra aliqoam legem , vel regulam ; sic v. g. malum physicum pota nostrum aliquid natoræ ideo est malum in genere naturæ physicæ , quia est productum contra regulam naturæ poscentis homines integros, & cum debita simetria corporis humani procreatos ; sic pariter pictura vel sculptora aliqua dicitur malum artificiale , quia est efformata contra regulas debitas artis pictoriæ, & sculptoriæ; & ita de alijs malis discurrendum : Ergo etiam mala moralia , seu peccatum ideo sunt mala essentialiter, quia contra aliqoam legem superioris , Tum quia discurrenti per singula peccata patebit: nullum defecto reperiri peccatum, quod non sit contra aliquam legem, vel Divinam , vel humaoam : Ergo &c.

5. *Varia objecta adversariorum.*

Objiciont Adversarij *primo* : odium Dei , blasphemia, & mendacium essent actus intrinsecè mali , etiamsi nulla foret lex Divina , vel humana ; Ergo non ad quudvis peccatum requiritur, ut sit necessariò contra legem aliquam. *Secundò ad Rom. 2.* dicitur, *qui sine lege , peccaverunt , sine lege peribunt* : Ergo dantur aliqua peccata sinè lege. *Tertio* Augustinus *de lib. arb. cap. 3.* consentit Evodio asserenti adulterium noo esse malom , quia prohibitum à lege ; sed è contra. *Quartò* Scotus docet *3. d. 37. q. 1.* præcepta primæ tabolæ esse iodispeosabilia, & nonnulla esse prohibita, quia mala : Et *2. dist. 21. q. 1. ad 2.* ait , peccatum veniale esse propriè peccatum ; & tamen non esse cootra legem : Ergo &c.

6. *Quæ refelluntur.*

Respondeo *ad primum* , Dist. Ant. odiom Dei, blasphemia, & mendacium etiamsi nulla lex foret , esseot actus intriosecè mali in natura Coo. Aot. in esse moris Neg, Aot. Itaque præfati actus seclusâ omni lege essent quidem mali naturaliter , & physicè , non tamen moraliter ; adeoque oon essent peccata propriè dicta, quæ talia per defectum ad legem dicuntur. *Ad Secundum* Glosso Scripturam, & dico, Apostolum loqui de sola lege Mosayca ; unde sensos est, quod Gentes, quæ non habent legem Mosaycam ipsos obligantem, adhuc peccaverunt contra legem naturæ ; adeoque peribunt propter ejusmodi peccata sola, sinè legis Mosaycæ violatione. *Ad tertium* dico , vel D. Augustinum *loc. cit.* hoc non asserere taoqoam de sua mente ; cùm ibidem *cap. 6.* expressè dicat, adulterium, & omne aliud peccatum esse formaliter tale , qoia contra legem ; vel si id asserat, iotelligendus est de prohibitione juris positivi ; non aotem naturalis. *Ad quartum* eodem modo exponu Scotum *in 3. cit.* ita ut velit, ideo non nulla esse prohibita, jure scilicet positivô, quia mala , malitiâ desumptâ à privatione conformitatis ad legem naturæ. *Ad alterum locum* ejusdem Doctoris Neg. Scotum *loc. cit.* asserere peccatum veniale non esse contra legem.

7. *Peccatum quoque est contra naturam peccantis.*

Dico quartò : quodvis peccatum similiter est contra naturam peccantis. Ita Scotus *3. dist. 15. §. quantum ad primum* ; quem sequuntur sui ; & D. Thomas, ac communis TT.

Probatur : Tum aothoritate SS. PP. conclusionem asserentium ; unde Augustinus *lib. 3. de lib. arb. cap. 13.* ait. *omne vitium, eò ipsò quod vitium est, contra naturam est.* Tum ratione ; quodvis peccatum lædit naturam peccantis, dum animam privat gratiâ , & alijs donis supernaturalibus, ac perfectionibus debitis io ordine ad finem suum: sed quod lædit naturam , est contra naturam ; ut patet in physicis de igne frigore &c. lædentibus corpus hominis; & est eadem ratio in moralibus : Ergo &c. præterea quia virtus perficit naturam hominis, ideo censetur esse juxta naturam hominis: Ergo quia peccatum deteriorat naturam hominis , censebitur esse cootra naturam homiois. Tandem omne peccatum adversator rectæ rationi : Ergo &c.

8. *Quibusdam objectionibus.*

Objicies *primò*: S. litteræ testantur , malitiam Chaoanæorum esse naturalem ipsis , unde Sap. 12. dicitur *quoniam nequam est ratio eorum , & naturalis malitia ipsorum* : Ergo &c. *Secundò* : aliqui homines habeot inclinationes , & propeosionem naturalem ad quædam peccata , v. g. ad venerem , ad ebrietatem, & commessationem &c. Ergo hæc peccata non sunt contra naturam. Tertiò: homo

mo habet capacitatem naturalem respectu omnis actûs secundi; & consequenter etiam respectu actûs peccaminosi: Ergo hic non est contrarius naturæ.

9. *Respondetur.* Respondeo *ad primum*: glossando Scripturam, & dico, eam solùm velle, quòd malitia Chananæorum procedat ex inveterata consuetudine peccandi, quæ quasi est altera natura; eò quòd Juvenes illius nationis statim à teneris parentum pessimô exemplô ruant in peccata, in ijsque adolescant, & senescant, & quasi naturam ad peccandum perpetuò instructam contrahant; *Ad secundum* Neg. Conseq. nam cum illa inclinatio, & propensio vel sit vitiosa quædam complexio ex temperamento tali proveniens, vel ex rebellione portionis inferioris; vel corrupta quadam duntaxat consuetudine peccandi orta; insuper cùm repugnet rectæ rationi hominis, idcirco actus ab ea procedentes sunt revera contra naturam rationalem. *Ad tertium* Neg. pariter Conseq: nam etiam aqua habet capacitatem naturalem ad calorem recipiendum: & tamen calor est contrarius naturæ ejusdem.

QUÆSTIO III.

De ratione injustitiæ; & gravitate peccatorum; eorùmque inæqualitate.

1. *Quodlibet Peccatum injustitiam continet.* ICO primò: quodvis peccatum Theologicum includit rationem injustitiæ rigorosæ in Deum, ratione cujus nascitur obligatio in Peccatore ad satisfaciendum Deo pro illata injuria. Ita communis Scotistarum, & RR. contra Lugon, Vasquez, &c.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ passim peccata hominum appellat injustitias, ut Psal. 106. *propter injustitias enim suas humiliati sunt* id est, propter peccata varia. Et *Ecclesiastici* 17. *avertere ab injustitia tua.* Et Ioan: 1. *& injustitia in illo non est* Et ad Rom 1. *revelatur enim ira Dei de cælo super omnem iniquitatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Eodem modo loquuntur SS. PP. Ergo &c.

Probatur secundò ratione: secundùm communem Legistarum & TT. doctrinam, ille censetur committere injuriam rigorosam, qui utitur re alienâ invitò Dominò: sed peccator peccando utitur naturâ rationali, quâ constat, & alijs creaturis peccato deservientibus, invitò Dominò, scilicet Deò, qui harum omnium habet altum dominium, & non vult ut peccator illis utatur usu peccaminoso: Ergo committit tunc rigorosam injustitiam, ratione cujus nascitur obligatio ad satisfaciendum Deo.

Probatur tertiò aliâ ratione: servus obligatur ex justitia impendere obsequia suo Domino; sed quivis homo est servus Dei juxta illud 6 *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et illud Augustini *serm.* 3. *de verbis Domini*, *magna bonitas Dei, cui pro conditione debeamus reddere obsequia, ut servi Domino, famuli Deo subjecti potenti, mancipia redemptori*: Ergo obligatur impendere obsequia Deo. Subsumo; sed servus committit injustitiam rigorosam denegando obsequia constituta: Ergo & peccator denegando obsequia, à legibus constituta, quod fit peccando; atque adeò ex omni ejus peccato nascitur obligatio ad satisfaciendum pro mensura injuriæ illatæ.

Objicies primò: Deus non damnificatur per peccata hominum, sicut nec redditur perfectior, aut beatior eorum laudibus, juxta illud Job. 22. *quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* Ergo peccatum non continet rationem alicujus injustitiæ. *Secundo*, non potest Deo æquivalens reddi à peccatore pro injuria illata: Ergo ex ejus peccato non nascitur obligatio Deo satisfaciendi pro injuria illata. *Tertiò* scienti, & non impedienti malum damnificativum, cùm possit, non censetur fieri injustitia: sed Deus scit peccata hominum, & ea non impedit, cùm tamen possit: Ergo &c. 2. *Argumenta objecta RR.*

Respondeo *ad primum* Dist. Ant. Deus per peccata hominum non damnificatur in bonis suis intrinsecis, sicut nec redditur perfectior, vel beatior in ijsdem, quod tantùm vult allegata Scriptura, Con. Ant. non damnificatur in bonis extrinsecis Neg. Ant. & Conseq. Itaque per peccatum Deus damnificatur in bonis extrinsecis, puta in æstimatione honoris sibi debiti, & gloriæ, quam à nobis exigit, & ita appetit, ut dicat *gloriam meam alteri non dabo* Isa. 42. adeoque injuria in præfatis bonis 3. *Eliduntur.*

Deo

Deo illata per peccatum arguit rationem rigorosam injustitiæ, & exigit satisfactinnem. *Ad Secundum*, Dist. Ant. non potest Den pro injuria illata æquivalens reddi solis viribus naturæ, Cnu. Ant. suppositis gratiæ auxilijs supernaturalibus, quæ à Den ad satisfaciendum tribuuntur peccatori, & supposita etiam Divinâ acceptatione, quâ opera pænitentialia à Deo aeceptantur ut æquivalentia Neg. Ant. *Ad tertium* dico illud axioma solùm locum habere in creatis; non in Diviais; nam Deus etsi sciat peroptimè nniversa peccata nostra, eàque possit impedire; non tamen impedit ob altius motivum, ut nimirum permittat, & conservet usum liberi arbitrij in causis secundis, juxta illud Augustini, *res quas Deus coudidit, ita administrat; ut eas suos motus* (& maximè liberos in homine) *agere sinat*: quæ permissio, & conservatio usûs liberi arbitrij est quidam usus Divini sui dominij super creaturam rationalem. Accedit, quod in creatis sciens, & non impediens malum damnificativum, cùm possit, censeatur censentire in actum damnificativum; non sic autem Deus sciens, & permittens peccata. Circa alteram partem quæstionis.

4\. *Non omnia Peccata esse æqualia malitia docet Scriptura.*

DICO secundò: de fide est, non omnia peccata Theologica esse æqualia in mensura malitiæ, & gravitate. Ita communis TT. contra Stoicos, docentes teste Tullio *parad.* 3. non minùs delinquere eum, qui gallum gallinaceum occidit sine necessitate, quam qui Patrem suffocat. Hos secuti sunt Jovinianos, & alij veteres quidam Hæretici, æqualitatem peccatnrum omnium adstruentes, qnos refotat D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovin.*

Probatur primò authoritate *S.* Scripturæ; apertis terminis inæqualitatem peccatorum asserentis varijs in locis; ut Jerem. 7. *pejùs operati sunt, quàm Patres eorum.* Et Thren. 4. *major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccatô Sodomorum.* Et 1. Reg. 2. de majori gravitate peccati filiorum Heli respectivè ad alia dicit sacer textus, *erat peccatum pueorum grande nimis coram Domino.* Et de peccato traditoris Judæ ait Salvator Joan. 19. *propterea qui me tradidit tibi, majus Peccatum habet*: in quibus, & pluribus alijs locis ly *pejus, major, majus*, & *nimis*, denotant inæqualitatem peccati in mensura malitiæ, ac gravitate: Ergo &c.

5\. *SS. Patres astruunt.*

Probatur secundò authoritate Conc. Tridentini, eandem inæqualitatem peccatorum dngmatizantis; nam *sess.* 14. *cap.* 7. ponit provisionem de Casuum graviorum reservatione, inquiens, *magnopere verò ad Christianam populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; unde meritò Pontifices Maximi pro supremæ potestate sibi in Ecclesia universali tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare*; ut videre est *cap. si quis suadente 17. q. 4.* Et *cap. ita quorundam de jud. cap. conquest. de sent. excom.* ac alibi: Ergo &c.

6\. *Et ratio Theologica confirmat.*

Probatur tertiò ratione Theologicâ: Tum quia virtutes non sunt omnes æquales: Ergo nec omnia vitia eis opposita; seu peccata æqualia. Tum quia ipsum lumen naturæ dictat, gravius esse malum, Platonem interficere; quàm ei aureum, vel equum auferre: Item blasphemare Deum, vel infamare Cæsarem, vel Papam; quàm plebæum homuncionem: item damnificare mendicum spoliando unicâ veste, vel illô nummô, quo ali debuit hac die, quàm furando Regi aliquod aureos: Ergo &c. Tum quia non omnia peccata habent eadem objecta, & circumstantias, quæ actui morali peculiares afferunt malitias vel bonitates; ut ostendi *tract. de Actibus dist. 3. q. 3. & dist. 4. q. 1.* Ergo nec eandem æqualitatem in malitia.

7\. *Hæreticorum instantia repelluntur.*

Objiciunt Hæretici *primò*: *cap.* 2. *in Epist. D. Iacobi* dicitur, *quicunque offendit in uno, factus est omnium reus*: Ergo &c. *Secundò*, S. Basilius *in Reg. brevior. resp.* 293. docet, *differentiam hanc minorum, & majorum*: sub intellige Peccatorum: *nusquam in Novo Testamento reperiri*: Ergo &c. Respondeo *ad primum* glossando Scripturam, & dico, eà solùm significari, quòd ad damnationem justè à Deo inferendam sufficiat tam bene unicum peccatum mortale committere quàm multa committere. *Ad secundum* dico, hunc S. Patrem expressè docere conclusionem *Resp 43. in ijsdem Reg. brevior.* Et rursus *hom. in Psal. 61.* Itaque *resp. 293. cit.* Solùm vult, quòd hæc doctrina quorundam hominum *majora peccata declinare, minora verò perinde, acsi nihil referret, committere*, nunquam in *S.* Scriptura reperiatur.

8\. *Peccato-*

DICO tertiò: inæqualitas peccato-

rum inæqualitas oritur tum ex oppositione cum nobiliori, vel minus nobili virtute.

rum quoad mensuram malitiæ, seu gravitatis quandoque oritur ex oppositione cum nobiliori, vel minus nobili virtute; quandoque ex objecto præstantiori; quandoque ex legibus obligantibus; quandoque ex connexis circumstantijs peculiaribus. Ita Scotus 2. *dist.* 21. *q.* 2. *n.* 3. & Scotistæ passim.

Probatur prima pars: nam gravius peccatum est secundùm omnes TT. odium Dei, quam furtum; quia odium opponitur nobiliori virtuti, puta charitati Dei, quàm furtum, quod est vitium oppositum justitiæ erga proximum: Ergo inæqualitas peccatorum quoad mensuram malitiæ quandoque oritur ex oppositione cum nobiliori, vel minùs nobili virtute.

9. *Tum ex objecto præstantiori.*

Probatur secunda pars: gravius quoque peccator ponit peccatum, dum blasphemat Deum; quàm dum contemnit vilem mendicum, vel aliam abjectam creaturam injuriâ; quia Deus est objectum summô cultu, ac reverentiâ venerandum, ob sui infinitam præcellentiam; summam perfectionem, ac Divinitatis dignitatem: Ergo ex objecto quoque præstantiori oritur inæqualitas peccatorum.

10. *Tum ex lege obligante.*

Probatur tertia pars: Deus quandoque unâ lege intendit magis obligare creaturam, quàm aliâ v. g. magis intendit obligare Petrum Sacerdotem, ut Paulo gravi peccatori jamjam agonizanti succurrat, administrando Sacramentum Pœnitentiæ, quod est necessitatis summæ; quàm ut legat Missam die festo: Ergo peccans contra priorem legem gravius ponit peccatum; quàm peccans contra secundam; & consequenter ex legibus magis, minúsve obligantibus oritur inæqualitas peccatorum.

11. *Tum ex circumstantijs.*

Probatur quarta pars: gravius quis peccat furando in Ecclesia, vel fornicando cum Moniali; quàm furando ex domo civica, vel fornicans cum soluta sæculari, propter circumstantiam Sacrilegij, ut docui tract. *de Actib. Human. dist.* 4. *q.* 1. Ergo ex connexis circumstantijs peculiaribus quandoque oritur inæqualitas peccatorum.

12. *S. Bonaventura varias causas assignat inæqualitatis peccatorū.*

Nota primò: D. Bonaventuram præter assignata quatuor capita, alias quoque afferre causas, ob quas quædam majoritas, vel minoritas, seu inæqualitas invehitur in actus peccaminosos; uti habet *lib.* 2. *compend. Theol. cap.* 5. primò *ob causalitatem*; ex hac causa gravius fuit peccatum Luciferi, quàm peccata aliorum Angelorum. Secundò *ob generalitatem*; hac ratione gravius fuit peccatum Adæ; quàm posterorum ejus. Tertiò *ob deformitatem*; hâc viâ gravius censetur peccatum Judæ. Quartò *ob difficultatem remittendi*; hinc gravius est peccatum, commissum in Spiritum Sanctum. Quintò *ob periculositatem*; ex isto capite gravius est peccatum ex ignorantia. Sextò *ob inseparabilitatem, & pronitatem*; per hanc causam minuitur gravitas peccati ex cupiditate, & carne ortum. Septimò *ob expurgandi difficultatem, & mentis cæcitatem*; ex istis motivis difformatur peccatum superbiæ, & iræ.

QUÆSTIO IV.

De distinctione specifica peccatorum, unde sumenda.



Præsens quæstio investigat, unde discrimen specificum peccatorum, id est secundùm difformitatem, & disconvenientiam ad objectum, præceptum, finem, circumstantias, & regulas bene vivendi petendum; nam si peccata secundùm esse materiale, seu entitatem actûs, aut quasi actûs vitiosi expendantur, distinctio eorum specifica ex natura talis actûs colligitur, puta quia unus actus peccaminosus est commissionis, alter omissionis, unus internus, alter externus &c.

1. *Distinctio specifica Peccatorū ab objectis rectè sumitur.*

DICO primò: rectè desumitur distinctio specifica moralis peccatorum ab objectis; peculiarem moralem indecentiam refundentibus & à circumstantijs specie diversis, ac tandem à difformitate seu disconvenientia cum lege, sive à privatione rectitudinis debitæ inesse. Est ad principia Scoti.

Probatur prima pars: Tum quia distinctio specifica actuum in genere naturæ rectè sumitur ab objectis, secundùm Aristot. 2. *de anima* ubi ait, actus specificari ab objectis in genere naturæ: Ergo à pari etiam distinctio specifica moralis peccatorum rectè sumitur ab objectis peccatorum peculiariter prohibitis, quale est vita proximi non adimenda, & facultates ejusdem non tollendæ, Deus colendus, non blasphemandus, &c. Tum quia actus humanus sumit ab objecto specialem bonitatem,

tatem, vel malitiam moralem; ut docui, & ostendi *Tract. 7. de Actibus Human. dist 3. q. 3. conc. 1.* Ergo & peccatum, quod est actus humanus malus, sumit rectè distinctionem specificam ab eodem objecto.

2. *Item à circumstantijs*

Probatur secunda pars primò authoritate Tridentini; quod *sess. 14. cap. 5.* dogmatizat, in Confessione Sacramentali esse aperiendas circumstantias peccatorum, quæ speciem mutant, dicens, *colligitur præterea etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*: Ergo sentit à circumstantijs specie diversis in peccatis resultare mutationem specificam: Ergo consequenter etiam distinctionem specificam.

Probatur eadem pars authoritate, SS. PP. asserentium varias circumstantias, puta personæ, loci, &c. quæ specialem malitiam, & consequenter specificam distinctionem inducunt in peccata; sic ex circumstantia personæ aliàs valde perfectæ, & gratiâ uberiori Dei præditæ Isidorus *lib. sent. cap. 18.* exaggerat peccatum dicens, *tanto enim graviùs cognoscitur esse peccatum, quantò major, qui peccat, habetur.* Et ex circumstantia loci sacri D. Hieronymus Sacrilegium Sabiniani Diaconi in Monasterio Bethlehemitico Sanctimonialis cum Virgine Deo Sacrata acerrimè perstringit dicens, *infelicissimè mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei Filius natus est, & Veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? non times ne de præsepi Infans vagiat, ne Puerpera Virgo te videat, ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Jerosolyma conturbatur, & tu cubiculum Virginis decepturus ad Virginem irrepis?* Ergo &c.

Probatur eadem pars ratione: à circumstantijs specie diversis rectè desumitur bonitas, vel malitia specie diversa actûs, ùt ostendi Tractat. *de Actibus Human. dist. 4. q. 1.* Et patet præterea, quia aliam habet malitiam specificam, puta Sacrilegij, ablatio rei alienæ ex Ecclesia; quàm ex domo profana; Item aliam copula carnalis cum Sanctimoniali; quàm cum fœmina sæculari: Ergo etiam ab ijsdem rectè sumitur distinctio specifica.

3. *Item à dif-* *formitate ad legem.*

Probatur tertia pars: à formali constitutivo actûs rectè sumitur distinctio specifica ejusdem; eadem enim formalitas, quæ est rei alicujus constitutiva formaliter, etiam est distinctiva specificè; ùt patet de rationalitate in homine: sed difformitas, seu disconvenientia ad legem, sive privatio rectitudinis debitæ inesse (quæ in præsentiarum sunt synonima) est formale constitutivum peccati Theologici; ùt ostendo infrà *dist. 2. q. 1. conc. 4.* Ergo ab eadem rectè sumitur distinctio specifica peccatorum.

4. *Objectum materiale non specificat Peccatum.*

DICO secundò: diversitas tamen objecti materialis non semper inducit distinctionem specificam in peccata; neque diversitas præceptorum respicientium eandem virtutem; secus est si hæc respiciant diversas virtutes; neque tandem materiæ gravitas, & levitas diversificat specie. Ita elicitur ex Scoto 2. *dist. 37.* Et habet P. Herinex, Frassen, & alij Scotistæ.

Probatur prima pars: unicus actus peccaminosus potest quandoque tendere in plura diversa objecta materialia; sic unicum furtum potest tendere in res specie diversas v. g. aurum, vestes, libros, panem, &c. à quibus nullam sortitur specificam distinctionem: Ergo diversitas objecti materialis non semper inducit distinctionem specificam in peccata.

5. *Neque diversitas præceptorum.*

Probatur secunda pars: de furto non committendo dantur defacto diversa præcepta, puta Divinum Decalogi, & humanum cujusvis Regni, atque Reipublicæ: & tamen ab hac diversitate nullam inducit distinctionem specificam |, & multiplicationem: Ergo diversitas præceptorum respicientium eandem virtutem non inducit distinctionem specificam in Peccata. Ex his

6. *Corollariū præfata doctrina.*

Sequitur corollarium primum Religiosum Professum, & in Sacris constitutum non ponere duo distincta specie peccata, dum omittit recitare Breviarium, etsi transgrediatur præcepta duo diversa obligantia ad recitationem Divini officij; ùt in simili doceo *Tomo 4. Tract. de Relig. dist. 2. q. 1. conc. 10.* Ratio est; quia illa duo præcepta diversa respiciunt unicam virtutem Religionis. Idem esto judicium de Franciscano frangente jejunium die Veneris, in quem simul incidunt quatuor tempora, vel vigilia. Item de Regulari, qui delinquit in eadem materia contra Bullam aliquam Pontificiam, & statutum ordinis. Item de eo, qui

violat legem Ecclesiasticam, & Civilem simul idem prohibentes.

7. *Præcepta diversas virtutes respicientia specificant Peccatum.* Probatur tertia pars: specie diversæ virtutes habent motiva formalia specie diversa, quæ sunt specificativa actuum; sic aliud est motivum formale virtutis justitiæ, & aliud virtutis Religionis, aliud temperantiæ in cibo, & aliud castitatis &c. Ergo si præcepta respiciant hujusmodi diversas virtutes, inducunt haud dubie distinctionem specificam in peccata. Ex his

8. *Corollariū hujus doctrinæ.* Sequitur corollarium secundum: esse multiplices, & specie distinctas malitias in actu percussionis Clerici, duplici præcepto justitiæ, & Religionis prohibitam. Ratio est; quia hujusmodi actu percussionis violatur unum præceptum de non lædendo proximum, & alterum de non inhonorando statum Clericalem; quæ duo præcepta respiciunt duas specie distinctas virtutes justitiæ, & Religionis, habentes fines, & motiva intrinseca formalia specie distincta. Idem esto judicium de Religioso Professo fornicante; hic namque agit contra virtutem castitatis, & Religionis. Et de eodem in vigilia frangente votum peculiare, quod aliàs habuit de jejunando die præceptô ab Ecclesia; talis enim impingit in duas virtutes specie diversas, obedientiæ scilicet Ecclesiæ, & religionis ratione voti peculiaris,

9. *Materia gravitas nō inducit semper distinctionem specificam.* Probatur quarta pars: potest quis intra eandem speciem peccati ponere actum gravem, & levem; sic v. g. potest quis intra eandem speciem injustitiæ furari unum grossum Cæsareum, & aliquot aureos: Ergo gravitas, & levitas materiæ non semper diversificat specie Peccata.

QUÆSTIO V.

De distinctione numerica peccatorum, unde petenda.

1. *Distincta numerò malitia inducunt distinctionem numeralem.* DICO primò: rectè petitur distinctio numerica peccatorum à distinctis numerò malitijs moralibus actuū peccaminosorum. Ita P. Herincx, P. Marchant, & alij Recentiores Scotistæ.

Probatur Tum quia à distinctis specie malitijs moralibus actuum peccaminosorum rectè petitur distinctio specifica peccatorum; ut *priori quæst.* docui: Ergo similiter à distinctis numerò malitijs moralibus actuum peccaminosorum rectè petitur distinctio numerica peccatorum, Tum quia quisque prudens tunc judicat esse aliud, & aliud numerò peccatum, quando ponitur alius, & alius actus, affectus privatione morali conformitatis ad legem, seu rectitudinis debitæ inesse: v. g. dum Joannes occidit Petrum; & dum occidit Paulum, quæ duæ occisiones sunt affectæ distinctis malitijs, seu privationibus conformitatis ad legem prohibentem illam Decalogi *non occides*: Ergo &c, Tum tandem quia opera meritoria numerantur, & distinguntur numerò per ordinem ad diversas numerò honestates morales, quibus pollent; Ergo & peccata per ordinem ad diversas numerò malitias morales. Ut autem clariùs pateat, quando adsint distinctæ malitiæ morales numerizantes peccata, & distinctionem numericam invehentes in ea, pono sequentes conclusiones: &

DICO secundò: tunc censentur adesse in actibus peccaminosis dictæ numerò malitiæ, invehentes distinctionem numericam peccatorum, quando actus sunt opere completi, & consummati; tametsi unus post alterum cum immediata connexione ponatur. Ita relati DD. & alij. 2. *Quando actus sunt completi adsunt distincta numerò malitia.*

Probatur: Tum quia ita sentiunt communiter Moralistæ, Tum quia immediata connexio, seu successio plurium actuum peccaminosorum, in morali æstimatione non conflat moraliter plures numerò actûs, alias ex se jam consummatos, in unum numerò actum v. g. duas copulas carnales completas immediatè se sequentes in unicam duntaxat copulam; Ergo tunc censentur in actibus peccaminosis adesse distinctæ numerò malitiæ, invehentes distinctionem numericam, quando actus sunt opere completi & consummati; etsi unus post alterum cum immediata connexione ponatur. Itaque suppositâ completione operis peccaminosi, per accidens & impertinenter se habet ad distinctionem numericam successio, & immediata connexio plurium actuum immediatorum; sed distinctio ipsa oritur eò ipsò, quòd actus prohibitus completè, & consummatè ponatur. Ex his

Sequitur Corollarium primum: Platonem adulterum committere tot distin- 3. *Varij casus resolvuntur.*

distincta numerò adulteria, in Confessione numericè explicanda, quot habet cum ligata fœmina commixtiones carnales cum fœminis decisione completa; etsi hæ continuentur, & sine interruptione fiant. Item Joannem Confessarium ponere tot numerò peccata, quot pœnitentes in statu peccati mortalis existens absolvit Sacramentaliter, durante etiam unicà sessione; similiter Parochum, qui plures successivè infantes baptizat, aut celebrat sæpius in statu disgratiæ. Item Plautum homicidam plura numerò patrare homicidia, si in unica etiam rixa trucidet plures homines. Item pluries peccare contra castitatem; si duas fœminas simul turpiter tangat, unam unà manu, alteram alterâ. Ratio horum omnium est; quia interveniunt in præfatis casibus plures actus completi, & consequenter plures distinctæ numerò malitiæ morales; ac tantem distinctio numerica peccatorum, in Confessione necessariò exprimenda, juxta dogma Tridentini *sess. 14. cap. 5.*

4. *In unico actu possunt esse diversæ malitiæ numerò.* DICO tertiò: etiam in unico actu quandoque censentur adesse distinctæ numerò malitiæ morales, sufficienter causantes pluralitatem, & distinctionem numericam peccatorum. Ita Diana, Dicastillo, Herincx, & communior AA. contra Lugonem.

Probatur: Tum quia in unico actu quandoque censentur adesse distinctæ speciæ malitiæ morales, causantes pluralitatem distinctam specificam peccatorum v. g. in unica copula carnali commissa cum persona Deo sacrata adest malitia fornicationis, & sacrilegij: Ergo pariter quandoque in unico actu censentur adesse distinctæ numerò malitiæ morales, sufficienter causantes pluralitatem, & distinctionem numericam peccatorum. Tum quia in morali communi hominum æstimatione unicus actus quandoq; æquipollet pluribus numerò actibus, v. g. unica occisio quà tres homines deliberatè, & injustè privantur vitâ. Ergo in ejusmodi actu censentur adesse distinctæ numerò malitiæ morales, sufficienter fundantes distinctionem numericam plurium peccatorum. Ex his

5. *Variorum casuum decisio.* Sequitur corollarium secundum: Platonem unicà actu concupiscentem simul plures fœminas; aut intendentem pluries carnaliter copulari cum eadem; aut unicà detractione graviter lædentem famam plurium personarum; aut unicà contumeliâ perstringentem diversos homines; aut unico opere scandalizantem plures aut unicà pravâ intentiune volentem damnificare integram cognationem, seu familiam, ponere plures distinctas malitias morales, numericam distinctionem causantes; quare Plato exactum numerum personarum, quantùm fieri potest, ad quas se extendebat ille actus unicus, in Confessione Sacramentali allegare tenetur dicendo, concupivi unicò actu tres fœminas, intendi unicà volitione fornicari eum Berta sexies, &c. Ratio est; quia unicus talis actus judiciò prudentum censetur æquipollere pluribus; adeoque quà talis est explicandus in Confessione, in qua juxta *citat. Trid.* explicari debent singula peccata.

6. *Quædam instantia diluitur.* DICES: in unico furto mille aureorum est unica malitia moralis, quæ sufficienter exprimitur in Confessione dicendo, furatus, sum quantitatem sufficientem ad unum peccatum mortale: Ergo idem de actibus in Corollario adductis dicendum. Resp. Neg. Conseq. disparitas est; quia in furto plures quantitates aliàs divisim sufficientes ad mortale, puta omnes mille aurei coalescunt in unam totalem, etsi majorem quantitatem, & consequenter sunt unicum objectum totale majoris furti: at plures malitiæ in actibus in Corollario adductis in æstimatione communi non coalescunt in unam totalem malitiam majorem, sed manent numerò distinctæ.

7. *Plures actus physicè distincti, habentes se instar partium, non numerizant malitias.* DICO quartò: non sunt æstimandæ adesse plures numerò malitiæ morales, fundantes distinctionem numeralem, aut pluralitatem peccatorum, in pluribus actibus physicè distinctis, qui se habent instar partium duntaxat, integrantium unum peccatum completum totale. Ita Castro Palao, P. Herincx, Diana, Lugo, &c. DD.

Probatur: Tum quia ita patet ex *cap. cum pro causa 27. de sent excom.* ubi unica excommunicatio assignatur percussori Clerici, quem tamen pluribus actibus physicè distinctis verberavit, in dormitorio scilicet, & Claustro: Ergo æstimanda est in similibus pluribus actibus etiam adesse una duntaxat malitia moralis (ob quam fertur excommunicatio) unicam fundans distinctionem numeralem peccati percussionis. Tum quia in S. Scriptura Petrus asseritur ter tantùm negâsse Christum, tametsi unà vice negaverit pluribus phy-

sicè

ficè distinctis propositionibus, ut colligitur ex *cap.* 26. Matt. ubi in tertia negatione dicitur detestationem, & juramentum edidisse, quòd non novisset Christum; quæ tamen propositiones moraliter se habuerunt instar unius numerò peccati: Ergo &c. Tum quia communi prudentum judiciò, ac æstimatione ejusmodi actus etsi sint physicè distincti; moraliter tamen censentur esse unum quid: Ergo in eis non nisi una moralis malitia adesse censenda est. Ex his

8. *Corollarium Casuisticum ex adducta doctrina.* Sequitur tertium Corollarium: Petrum pluribus physicè distinctis propositionibus blasphemantem Deum eodem impetu; item pluribus contumelijs aut infamationibus uno veluti impetu percellentem personam aliquam; item pluribus ictibus interficientem eodem quasi motu furiæ hominem, non committere nisi unum numerò peccatum blasphemiæ, contumeliæ, infamationis, & homicidij. Ratio est; quia plures illi actus physici se habent tunc instar partium duntaxat integrantium unum completum, & totale Peccatum blasphemiæ, contumeliæ, infamationis, & homicidij.

9. *Præmissæ doctrina ampliatio.* NOTA primò; hanc doctrinam etiam verificari, etsi illi actus plures physicè distincti modicà aliquà morà physicà inter se interrumpantur; uti rectè observat P. Herincx v. g. si factò primò ictu aliquantula quies interponatur; vel si reus sub juramento de pluribus articulis per quamdam interpolationem interrogatus in examine, & eàdem causà repetitim mentiatur; vel Sacerdos in mortali constitutus sacrificans sacrum cantatum interrumpat Concione; item si frangens jejunium inter comedendum interponat colloquia, aut alia modica negotia; in quibus omnibus, & similibus casibus unicum duntaxat peccatum homicidij perjurij, sacrilegij, & violationis jejunij committit. Ratio est; quia modica illa interruptio actuum judiciò prudentum pro nihilo reputatur, & censetur adhuc adesse moralis continuatio voluntatis.

10. *Actus inchoati quoque non numerant malitias.* DICO quintò: similiter non sunt adstruendæ distinctæ malitiæ morales, inferentes distinctionem numericam in pluribus actibus physicè distinctis, quibus in eadem materia, & specie Peccati incohatur duntaxat aliquod Peccatum; modò revera ordinentur ad actum principalem. Ita P. Marchant, Herincx, Azorius, Diana, Bonacinna, & communis Moralistarum.

Probatur: Tum quia ita habet communis DD. sensus. Tum quia actus modò in conclusione positò inchoati habent se instar dispositionum præviarum, & præambularum quarundam actionum ordinatarum ad actum principalem sufficienterque intelliguntur in actu principali, v. g. actus illi, quibus Petrus jam determinatus ad furandum conquirit instrumenta apta ad perpetrandum furtum, accedit domum, effringit portam &c. Ergo in his non sunt adstruendæ distinctæ malitiæ morales, inferentes distinctionem numericam. Ex his

Sequitur Corollarium quartum: Paulum homicidam non obligari in Confessione Sacramentali ad exprimendos varios prævios actus, tanquam peccata numerò distincta, quibus inchoavit homicidium Joannis, emendo gladium, conducendo vecturam pro dicessu ad eum, accingendo se itineri, investigando Joannem alibi commorantem, in ordine ad consummandum intentum homicidium; sed sufficit dicere, commisi homicidium. Item neque tenetur Plato, qui fornicationem complevit cum Berta, explicare prævias sollicitationes, oscula, amplexus, & impudicos tactus, ad copulam carnalem præmissos; sed sufficit allegare solum actum consummatum fornicationis. Ratio est; quia similes prævij inchoati actus sufficienter exprimuntur quo ad suam malitiam indistinctam in allegatione actûs principalis homicidij & fornicationis. 11. *Varij Casus eliciti ex Conclusione.*

NOTA secundò: hanc doctrinam quoque locum habere in actibus actum particularem concomitantibus, v. g. in tactibus, colloquijs, & osculis durante actu particulari copulæ carnalibus factis. Ratio est; quia & hi sufficienter intelliguntur & declarantur Confessario in allegatione actûs particularis copulæ; eadem continuatâ voluntate procedunt. Imò & in actibus turpibus, qui peractâ jam copulâ carnali adhuc circa feminam in eodem statu permanentem continuantur v. g. turpiloquiò, osculis, & amplexibus, delectatione de commisso peccato censent Diana, Lugo, Azorius, Bassæus, Navarrus, & alij DD. contra Vasquez, Coninck, Suarez &c. non oriri novam distinctam numerò malitiam, necessariò explicandam in Tribunali Sacramentali. Ratio est; quia ejusmodi actus in communi mo- 12. *Similiter actus concomitantes, & subsequentes immediatè non inferunt distinctionem numericam.*

rali

rali æstimatione, & prudentum judicio seclusò animò, & periculò novæ copulæ attentandæ, censentur se habere tanquam ordinarium præhabitæ copulæ [illegible]nalis (postquam valde connaturaliter sequuntur) complementum; unde non sunt reputandi inchoatio novæ copulæ, ut volunt oppositi DD.

13. *Debent autem hi esse continuati moraliter.* DICO sextò: ut autem actus plures physicè distincti, tam inchoati, quàm concomitantes, & subsequentes actum [illegible] non sortiantur distinctam malitiam, sufficientem ad distinctionem numericam peccatorum, debent habere moralem quamdam continuationem internæ voluntatis. Ita Diana, Herinex, Bonacinna, & communis Casuistarum.

Probatur: Tum quia ita habet communior sensus illustriorum TT. Tum quia peccatum necessariò quoad sui existentiam dependet à voluntate interna, ita ut actus aliquis peccatum non sit, si à voluntate deliberata non procedat: Ergo etiam quoad unitatem dependet ab eàdem: Ergo consequenter ut plures illi actus in Conclusione allati censeantur unicam habere malitiam moralem, debet eadem interna voluntas moraliter continuari, & nequaquam interrumpi. Ut autem cognoscatur quando interrumpatur moralis continuatio internæ voluntatis & resultet in actibus distincta numerò malitia, numeralem invehens distinctionem peccatorum.

14. *Qua sit æstimanda moralis interruptio.* NOTA tertiò: tunc fieri moralem interruptionem internæ voluntatis, quando realiter cessatur ab actu interno per moram notabilem; v. g. si voluntariè cessetur per quadrantem horæ, vel medium quadrantem, etiam minorem temporis mensuram aliquando, à volitione occidendi Platonem, vel ab intentione fornicandi cum Berta, vel ab animo furandi, &c. modò non sit mensura minima temporis, quæ morali æstimatione prudentum, & in praxi censetur nulla. Item eadem voluntas interna interrumpitur per interpositam pænitentiam, realem retractationem efficacem propositi; v. g. si volens fornicari pio motu compunctus resiliat ab illa volitione, etsi statim post iterum reasumat prius pravum propositum. Item censetur interrumpi si peccator interponat somnum, vel negotium ad tempus notabile, elidens hic & nunc physicè pravam voluntatis operationem circa peccatum.

QUÆSTIO VI.

De causis; & effectibus peccati.



NOTA primò: causas peccati sub duplici differentia posse attendi, ita nimirum, ut aliæ sint interiores, aliæ exteriores; & ex his aliæ formales, aliæ materiales, aliæ efficientes. *Interior* est, quæ exercet causalitatem internam in peccatum. *Exterior* est, quæ externam. *Formalis* est, quæ intrinsecè, & essentialiter constituit peccatum; & talis est carentia conformitatis ad legem, seu privatio rectitudinis debitæ in esse; de qua abundè suprà *dist. 2. q. 1. Materialis* est ipsa physica entitas actûs peccaminosi substrati formali rationi, seu morali difformitati peccati. *Efficiens* est illa, cui imputatur effectivè, vel quasi effectivè peccatum. 1. *Quid sit causa interior, & exterior, formalis, materialis, & efficiens peccati.*

NOTA secundò: Peccatum nullam habere causam efficientem propriè dictam, & in rigore physico; sed potiùs deficientem; cui tamen peccatum verè adscribitur ut causæ quasi efficienti; eò quòd is, qui peccat, ponat entitatem physicam actûs, quæ per accidens causat malitiam moralem, seu formalem peccati, per quam deficit homo à regula præfixa in operationibus, & quasi efficit peccatum; unde rectè D. Augustinus *lib. 12. de Civ. cap. 7. nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis* (quæ hic usurpatur pro peccato) *non enim est efficiens; sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio; deficere namque ab illo, quod summè est, ad id quod minus est, hic est incipere habere malam voluntatem. Causas porro istarum defectionum cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est, acsi velit quisquam videre tenebras, vel audire silentium.* 2. *Peccatum non habere propriè dictam causam efficientem.*

DICO primò: Deus non est causa moralis interior, vel exterior quasi efficiens peccati. Ita communis TT. adversus Melancthonem, Calvinum, aliósque complures Hæreticos. 3. *Deum neque exterior, neque interior causa quasi efficiens Peccati esse secundum Scripturam.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: quæ apertè proscribit à Deo omnem efficientiam, vel quasi efficientiam peccati, aut influxum imperativum in illud, aut in voluntatem creatam peccantem; unde dicitur Psal. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Habac,

bac 1. *mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poterit.* Et Eccl. 15. *nemini mandavit impiè agere.* Et Jerem. 19. *Ædificaverunt excelsa Bâalim, quæ non præcipi nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*: Ergn &c,

4. *Oecumenica Concilia.* Probatur secundò authoritate CC. contrariam conclusionem anathematizantium; ut videre est in Arausicano *cap.* 23. Et Tridentino *sess. 6. can 6.* dicente, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum; sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit*: Ergo &c.

5. *SS. Patres.* Probatur tertiò authoritate SS. PP. assereotium, Deum tantùm permissivè se habere ad peccata, & ea nequaquam ab ipso procedere; unde D. Damascenus *lib. 2. de fide cap. 29. Deus mala neque antecedenter, neque consequenter vult: sinit tamen arbitrium ad illa liberum.* Et D. Prosper. *resp. ad 10. object. Vincentian.* dicit, *detestanda, & abominanda opinio, quæ Deum cujuscunque malæ voluntatis, aut actionis credit auctorem.* Et D. Augustinus *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 28.* ait, *malam voluntatem ad auctorem Deum esse referendum, nefas est dicere.* Idem docet Chrisostomus *hom. 8. in Epist. 2. ad Tim.* Et Tertulianus *adversus Hermogenem.* Et Fulgeotius *lib. 8. ad Monimum cap. 13.* Ergo Deus non est causa moralis exterior, vel interior quasi efficiens peccati.

6. *Et rationem.* Probatur quartò ratione Theologicâ; ut aliquis censeatur esse verè moralis causa, vel quasi efficieos peccati, & peccare, debent tria io ejus actione reperiri, *primum* est, ut ipsa actio sit contra aliquam legem obligaotem; cùm peccatum formaliter sit difformitas ad legem; *secundum*, ut illa actio oriatur à principio libero; ut docui fusiùs in *Tract. de Actib. Human. dist. 1. q. 1. & 4. tertium*, tandem est, ut actio eadem procedat à peccante tanquam à causa particulari; nam causa universalis, cùm sit indifferens ad hanc, & illam actionem, non potest dici, quòd hæc actio specialiter ab ea procedat; sicut monstra physica non in solem, vel cælum; quà causæ sunt universales; sed io particulares alias referuntur: sed primum, & tertium de Deo non verificatur: Ergo ipse non est causa moralis interior, vel exterior quasi efficieos peccati Prob. Min. Deus imprimis rigorosè nullis obstringitur legibus; cùm sit supremus Legislator, & Dominus universi eminentissimus, nullum super se habens Superiorem, potentem sibi præcipere: Ergo nulla ipsius actio est contra legem. Deinde idem Deus est causa universalis respectu omoiū actioonum creatarum, nullatenus determioaos creatam voluntatem hominis ad pooendum peccatum: Ergo ei non debet imputari actio particularis peccaminosa.

Probatur quintó aliâ ratione: nequit assignari, quà ratione Deus exerceat efficieotiam aliquam moralem circa Peccatum; non euim oecessitat physicè, vel muraliter voluntatem humanam ac peccandam; cùm S. Litteræ dicant penes hominem esse libertatem eligendi bonum, vel malum Jos. 24. *optio vobis datur, eligite quod placet.* Et Eeclæs. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui*; neque eandem voluntatem creatam laudibus, vel præceptis, vel consilijs inducit ad Peccatum; cùm eædem S. litteræ asserant Sap. 14 *odio est Deo impius, & impietas ejus.* Et Eccles. 15. *nemini mandavit impiè agere.* Et Oseæ. 13. *perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum*: Ergo Deus non est causa moralis quasi efficiens Peccati. 7. *Alia ratio ad idem.*

Objiciuut Hæretici *primo*: decernens peccatum, ordioans peccatum, & excæcans homines, ot malè agant, censetur causa efficiens peccati: sed Deus decernit, præcipit, & ordinat peccatum: Ergo est causa efficiens peccati. Probat. Min. *de primo*; nam Gen. 45. de peccato proditoriæ venditioois Fratrum Joseph dicit ipse S. Patriarcha Joseph, *non vestrô consiliô, sed Dei voluntate huc missus sum*: Ergo Deus deceroit peccatum. Prub. Min. *de secundo* 2. *Reg. 16. cap.* de Semei maledicente David dicit David, *Dominus præcepit ei, ut malediceret David*: Ergo Deus præcipit peccatum. Prob. Min *de tertio*, de odio quorundam peccatorum dicit Scriptura Psal. 104. *convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*: Ergo ordioat peccata. Prob. tandem eadem Min. *quarto*; Joan. 12. habetur, *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: Ergo Deus excæcat homines, ut male agaut. *secundo*: Augustinus docet, Deum ad peccatum inducere: Ergo est 8. *Hæreticorum argumenta pro causalitate peccati ex parte Dei.*

causa

causa efficiens peccati. Probat. Ant. nam *lib de grat. & lib. arbit. cap. 21.* ait. *satis quantùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum:* Ergo &c. *Tertiò:* Deus est causa entitatis peccaminosæ; cùm ad omnes actus causarum secundarum concurrat; Ergo est causa efficiens peccati.

9. *Qua retunduntur.* Respondeo ad *primum* Neg. Min. & ad Scripturas objectas jam respondi *Tom. 1. Tract. 2. dist. 3. ad quartum.* Et hìc iterum breviter *ad primam probat.* ejusdem Min. allati dico, ly *Dei voluntate* esse intelligendum de voluntate Dei permissiva, quâ proditoriam venditionem Joseph permisit evenire, & fieri à fratribus Joseph. *Ad secundam probat.* dico, ly *Dominus præcepit*, quoque juxta phrasim, & morem S. scripturæ idem sonare, quod permisit eò modò, quô usurpatur Mar. 10. *ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud* (scilicet de libello repudij) id est permisit vobis libellum repudij, juxta illud Matt. 19. *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* *Ad tertiam probat.* ejusdem Min. dico, allatam Scripturam de conversione cordis ad odium pariter in sensu permissivo esse intelligendam. *Ad quartam* tandem dico, *excæcare* ex parte Dei nil aliud importare, quàm privationem, seu subtractionem auxiliorum gratiæ, quam Deus justè ob præterita peccata non expiata exercet circa peccatores quosdam, sinè eò quòd se participem reddat alicujus causalitatis effectivæ peccati.

10. *Sola voluntas creata est causa interior effectiva peccati.* DICO secundò: causa moralis quasi effectiva interior peccati propriè est sola voluntas humana creata, deficiens à regulis sibi præfixis in operando moraliter Ita communis TT.

Probatur. Tum quia Deus, ut *priori con.* ostensum est, non est causa moralis quasi effectiva peccati: Ergo remanet, quòd ipse homo, seu ejus voluntas sit causa ipsius interior moralis. Tum quia voluntas humana est illud principium propriè liberum cum defectibilitate ad actionem pravam, ùt ostendi *Tract. de Act. Human. dist. 1. q. 1.* Ergo ipsa sola est causa moralis quasi efficiens. Tum quia ita constat ex *S.* Scriptura. CC. & SS. PP. soli voluntati humanæ causalitatem quasi effectivam peccati attribuentibus, ùt patet ex illo Oseæ. 13. *perditio tua ex te Israël* Et illo Tridentini *sess. 6. can. 6. si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malefacere* &c. *Anathema sit.* Et illo Chrysostomi *hom. 8. in epist. 2. ad Tim. in 2. parte morali, mala omnia ex nostra voluntate tantummode:* Ergo &c.

11. *Quasi causa ejusdem etiam dici potest ignorantia vincibilis.* DICO tertiò: causæ aliquomodo interiores peccati etiam censentur esse ignorantia vincibilis; & concupiscentia. Ita communis TT.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; supponentis quædam peccata posse procedere ab ignorantia vincibili, ùt causa interna indirecta eorundem; sic dicitur Levit. 4. *si peccaverint Principes per ignorantiam.* Et rursus, *si peccaverit anima per ignorantiam.* Et propterea etiam affirmat Apostolus ad Heb. 9. *cap.* quòd olim Summus Pontifex Hebræorum semel in anno Sancta Sanctorum non sine sanguine introibat, quem offerret *pro sua, & populi ignorantia:* Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS. PP. idem asserentium; unde D. Bernardus *quæst. 77. ad Hug. de S. Vict.* ait, *si peccatum ignorantia nullum est; non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei; quoniam quidem hoc fecit manens in incredulitate.* Lege etiam Augustinum *lib. 83. qq. quæst. 26.* Et Gregor. Mag. *citatum* apud Gratianum *dist. 2. de pænit. cap. 22.* Tertiò, accedit discursus Scoti 2. *dist. 33. q. 2.* ubi ait, *quod voluntas agat per cognitionem intellectualem; & ideo ratione errante ipsa rectè non vult, & peccatum ejus ex errore rationis dicitur peccatum ex ignorantia:* Ergo ignorantia vincibilis est causa interior saltem indirecta peccati.

DIXI notanter in Conclusione *aliquo modo*; quia enim ignorantia est tantùm carentia quædam necessariæ cognitionis; hinc nequit habere ullum influxum positivum proprium, seu directum in peccatum; carentia namque, seu privatio cùm sit non ens, nullâ prorsus activitate, nullóque influxu est donatum. Concupiscentia verò caret libertate proxima, unde pariter in rigore nequit dici causa peccati.

12. *Item concupiscentia.* Probatur secunda pars Conclusionis: Tum quia ita constat ex S. Scriptura, prohibente concupiscentiam, utique quia mala est, & aliquo modo. causa peccati; sic dicitur Eccles. 18. *post concupiscentias tuas non eas.* Tum quia concupiscentiæ eadem Scriptura adscribit

adscribit aliquam causalitatem Dan. 13. *species te decepit, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Tum quia ita colligitur à pari de ignorantia tenente se ex parte intellectûs, quæ cùm causa indirecta interior peccati sit, à fortiori concupiscentia, quæ se tenet ex parte appetitûs.

13. *Similiter unum Peccatum occasionat aliud Peccatum.* DICO quartò, unum peccatum quandoque etiam censetur esse aliquomodo causa, aut potius occasio alterius peccati; idem dicendum de quinque sensibus, & illecebris mundi, carnis, alijsque objectis delectabilibus; Ita quoque communis TT.

Probatur prima pars: unum peccatum quandoque generat habitum vitiosum, qui deinde voluntatem inclinat ad peccatum operandum. Item unum peccatum est quandoque alteri valde affine, ùt patet de turpi osculo, & turpi morosa cogitatione quà proinde, nisi statim expientur, disponunt, & incitant voluntatem ad consensum in fornicationem, vel pollutionem. Item unum est quandoque origo alterius, ut ebrietas rixarum; avaritia litium, & peccata capitalia sunt quasi matres plurima alia peccata gignentia: Ergo unum peccatum quandoque censetur aliquomodo esse causa, vel occasio alterius peccati.


14. *Uti & sensus quinque hominis, illecebra carnis, & objecta delectabilia.* Probantur aliæ partes: quinque sensus, illecebræ mundi, carnis, aliaque objecta delectabilia immittunt in phantasiam species sui, & hàc mediante in intellectum, & voluntatem, quibus voluntas nata est condelectari; atque ita finaliter peccaminosè consentire: Ergo hæc sunt quandoque causa, seu potius occasio peccati.

15. *Diabolus quoque provocat ad peccandum.* DICO quintò: Diabolus quoque, & unus homo alteri homini solet quandoque esse causa peccati. Ita pariter communis TT.

Probatur prima pars: Tum authoritate S. Scripturæ; nam Gen. 3. cap. Dæmon in forma serpentis tentavit Evam, eandemque induxit tanquam causa moralis ad peccatum transgressionis legis primordialis; unde de eo ait Eva *loc. citat. serpens decepit me*: Ergo &c. Tum quia ita sentiunt CC. & SS. PP. constatque experientià, & lapsu frequenti hominum, qui Diaboli suggestionibus tanquam causis inducentibus, allicientibus, suadentibus, instigantibus, &c. consentiunt, & variè peccant: Ergo Diabolus solet quandoque esse causa peccati.

Probatur secunda pars: Tum authoritate S. Scripturæ; in qua legitur, unum hominem induxisse alium ad peccatum; sic Gen. *cap. cit:* Eva induxit Adam ad comestionem fructûs vetiti. Et Jeroboam erigendo vitulos aureos fuit causa idolatrandi filijs Israël 3. *Reg. cap.* 12. Et mali socij sæpissimè suis consocijs sunt causa plurimorum peccatorum, uti experimentò constat: Ergo unus homo alteri quandoque est causa peccati. Hæc de primo articulo quæstionis. Circa secundum, 16. *Imò & homo hominem.*

NOTA tertiò: tres communiter à TT. assignantur effectus peccati, corruptio scilicet, seu violatio naturæ, macula in anima relicta, & reatus pœnæ. 17. *Quinam sint effectus Peccati.* *Primum* effectum quòd peccatum maximè mortale personale operetur, inde patet; quia minuit, & impedit naturalem inclinationem ad virtutem, & per modus pravorum habituum naturâ inclinat ad vitia; qua de causa etiam hebetatur intellectus, induratur voluntas, accenditur concupiscentia, & mentis robur enervatur. *Secundum* quoque quòd operetur, liquet ex illo Scripturæ Eccl. 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula.* Et illo Jerem. 2. *maculata es in iniquitate tua coram me. Tertius* tandem ejus effectus colligitur ex illo Psal. 36. *injusti* (idest reatu pœnæ obnoxij) *punientur.* Et illo *D. Augustini in Psalm.* 58. *iniquitas omnis, parva, magnáve sit, puniatur necesse est.*



DI-

DISTINCTIO II.

De peccato Commissionis; Omissionis; & Habituali in specie.

QUÆSTIO I.

De ratione formali privativa peccati Actualis Commissionis.

1. *Varietas sententiarū circa formalem rationem peccati Comissionis.*

NOTA primò: Circa formale constitutivum peccati commissionis. (de peccato enim omissionis omnes conveniunt consistere formaliter in privatione actûs honesti, quem quis potuit, & teoebatur elicere, & non elicuit) varias esse opioiones Scholasticorom; quæ tameo omnes ad duas revocari possunt classes; ita nimirum, ut *in prima* sint ij, qui docent peccatum actuale commissionis coosistere formaliter in positivo, etsi diversimodè à varijs DD. explicato; ita commuoior Thomistarum Caietanos, Medina, Bannes, Zumel, Curiel, Cornexo, Salamant, Vasquez, Arriaga, Amicus &c. *In secunda* sint illi, qui rationem formalem peccati commissionis ponunt io privatione alicujus perfectionis debitæ, variè etiam ab AA. explicatæ. Ita Scotus 2. *dist.* 37. §. *ista quæstiones*. Et *dist.* 40. Et quodl. 18. cum tota sua Schola, à qua usqoe modò solus P. Poncius recessit; Eandem Scoti doctrinam habet P. Aleosis. D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Henricus, Nominales communiter, & plures Thomistæ, ut Granado, Aravio, Molina, Valentia, Lorca, &c. & plurimi RR. Suarez, Pasqual. Lezana, Moraodus, Meraeius, &c.

2. *Peccatum actuale Commissionis consistit formaliter in privativo.*

DICO primò: ratio formalis peccati actualis commissionis consistit in privativo.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; quæ peccatum appellat *nihil*; quod privativum quid importat; dicit enim Joan: 1. *sine ipso factum est nihil*; id est *peccatum*, ut glossant communiter SS. PP. signanter Augustinus *tract.* 1. in Joannem inquiens, *manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cùm peccant.* Et Anselmus *lib. de Conc. Virg. cap.* 5. Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS. PP. qui dum peccatum actuale commissionis secundùm essentiam, seu rationem formalem explicare volunt, illud exprimuot terminis importantibus privativum; unde S. Anselmus ille vocat *nihil lib. de Concep. Virg. cap.* 3. *injustitia omnino nihil est, sicut cæcitas*. Et D. Dionysius *cap.* 4. *de Div. Nom.* appellat *defectum*, & *privationem*, uode ait, *atque ut summatim dicam, malum quemadmodum sæpè dicimus infirmitas. imbecillitas. & privatio est, aut scientia, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bona.* Et ibidem dicitur *declinatio. privatio boni, & defectus.* Et S. Augustinus nominat *absentiam boni* 11. *de Civ. cap.* 9. *Peccatum est absentia boni, ubi debet esse.* Item *corruptelam boni vocat lib. de natura boni contra Man. cap.* 4. *Peccatum non est essentia aliqua; sed defectus, & corruptela.* Et *lib.* 2. *contra epist. fund. cap.* 25. *quod dicimus malum. nihil aliud est. quam corruptio boni*; Ergo ratio formalis Peccati actualis commissioois consistit io privativo.

Probatur tertiò ratione: Tum quia, ut arguit Scotus 2. *dist.* 37. positâ voluntariâ, ac liberâ privatione conformitatis ad legem, & regulas morom io voluotate Petri, vel ejus acto, & præcisò quôcunque aliò positivò superadditô, quod adversarij assignant, intelligitur peccatum actuale commissionis: sicut positâ solâ animalitate, & rationalitate intelligitur homo: Ergo in ejusmodi privatione consistit ratio formalis peccati actualis commissionis. Tum quia malum physicum v.g. claudítas tibiæ, cæcitas oculi, &c. consistit formaliter in privatinne alicujus boni, puta rectitudinis tibiæ, & visûs: Ergo & malom morale, qoale est peccatum actuale commissionis. Tum quia si peccatum actuale commissionis formaliter consisteretur io positivo, maximè in physico, ut vult Gajetauus, & alij Thomistæ, sequeretur Deum esse directè causam peccati formaliter sumpti: sed seqoela est falsa, & contra Trid. *sess.* 6. *can.* 6. Ergo &c, Prob. sequela Maj. Deus est author, & causa 3. *Rationes Theologicæ pro sententia Scotistarum.*

causa omnis entitatis positivæ: Ergo &c.

4. *Peccatum actuale non consistit in relatione dissonantia ad legem.*

Probatur quartò impugnando singulas opiniones Adversariorum: *Primò* peccatum actuale commissionis non consistit in positivo morali, quod dicitur relatio dissonantiæ, vel disconvenientiæ ad legem, vel rationem eam proponentem, ut volunt Oviedo, Amicus, & alij RR. *Contra* enim est; quia talis dissonantia, & disconvenientia præsupponit necessariò carentiam, seu privationem rectitudinis, & conformitatis ad legem; sicut relatio inæqualitatis inter duas quantitates palmarem, & bipalmarem supponit in uno extremo defectum alicujus qualitatis: Ergo in tali relatione dissonantiæ, vel disconvenientiæ nequit consistere ratio formalis peccati actualis commissionis; sed potiùs in illa carentia, ut priori. Consequentia tenet, quia ratio formalis alicujus rei debet esse primum in illa re nullum aliud supponens.

5. *Neque in libera positiva tendentia in objectum.*

Secundò: neque consistit in libera positiva tendentia in objectum prohibitum, ut priori omni privatione conformitatis ad legem, ut vult P. Poncius. *Contra* namque est; Tum quia actus tendens in objectum prohibitum non potest concipi ut talis, & ut malus, nisi quatenus existens sub privatione conformitatis ad legem cùm actus v. g. nequeat concipi ut talis, nisi quatenus substat privationi conformitatis ad legem illam negativam Decalogi, *non furaberis*: siquidem actus furti ideo dicitur furtum; quia est actus privatus conformitatis ad legem furtum vetantem; unde privatio se habet instar alicujus formæ actuantis, & informantis moraliter talem actum in ratione furti: Ergo non à tendentia, sed à privatione conformitatis ut priori ad legem habet, quòd sit formaliter peccaminosus. Tum quia potest esse unica entitas, & unica tendentia actûs, & tamen diversæ malitiæ morales: Ergo à tendentia actûs non provenit ratio formalis malitiæ moralis, seu peccati actualis commissionis, Prob, Ant, potest esse unica entitas, & unica tendentia actûs Petri, quando committit homicidium Pauli in Ecclesia; ubi tamen adest duplex malitia, homicidij, & sacrilegij, quæ proveniunt à duplici privatione legis illius, *non occides*, & illius, de honorando templo Dei: Ergo &c.

6. *Neque in positivo & negativo simul.*

Tertiò: neque consistit essentia peccati in positivo, & negativo simul, ut vult Victoria, Soto, Aversa, &c. *Contra* enim est; quia ex positiva entitate, & privatione nequit constitui essentialiter ens unum per se, quale censetur esse peccatum actuale commissionis; cùm sint diversorum prædicamentorum: partes autem essentiales constitutivæ alicujus rei, puta genus, & differentia debeant esse sub uno prædicamento, & genere, ut docet Aristoteles 1. *de partibus anim.* Ergo in positivo, & negativo simul non consistit essentia peccati actualis commissionis.

7. *Varia objectiones adversariorum.*

Objiciunt Adversarij *primò*: Philosophus in *post prædicam. cap. de oppositis*; & Scotus *Quodl.* 18, docent, bonum, & malum (sub quo etiam comprehenditur malum morale, seu peccatum) non privativè, sed contrariè opponi; id est secundùm rationes positivas: Ergo &c. *Secundo*; actui odij Dei v. g. secundùm entitatem positivam spectatæ conveniunt prædicata omnia, quæ conveniunt malitiæ formaliter; puta quòd sit punibilis, imputabilis, vituperabilis, demeritorius, &c. Ergo hujusmodi actus secundùm suum esse positivum erit peccatum. *Tertiò*; peccata, sive mala physica, consistunt formaliter in positivo: Ergo & peccata, seu mala moralia. Prob. Ant. error intellectûs, & dolor physicus consistunt in positivo; Ergo &c. *Quartò*: lex prohibens odium Dei non exigit à me aliud, quàm ut carentiam odij Dei habeam: Sed hanc tollo peccaminosè per ipsum positivum actûs odij, sicut omnis carentia, & negatio tollitur per aliquid positivum; sic tolluntur tenebræ, quæ sunt carentia lucis per positivam formam lucis: Ergo peccatum consistit in positivo.

8. *Resolvuntur.*

Respondeo *ad primum* interpretando Philosophum & Scotum; dicóque eos loqui de bono, & malo pro materiali, & substrato, acsi vellent dicere, quòd actus ille, qui dicitur bonus, & actus qui dicitur malus materialiter, & in esse physico considerati opponantur duntaxat contrariè; seu secundùm rationes positivas; non autem formaliter considerati, prout nimirum substant formali bonitati, & malitiæ, quæ in actu malo oritur à privatione conformitatis ad legem. *Ad secundum*, Dist, Ant. actui odij Dei secundùm entitatem positivam fundamentaliter, & radicaliter conveniunt prædicata, quæ malitiæ formaliter conveniunt Conc. Ant. conveniunt ei formaliter

maliter Neg. Ant. Itaque illa prædicata punibile, imputabile, vituperabile, &c, quæ sunt proprietates, & passiones moralitatem formalem sequentes conveniunt actui odij Dei secundùm entitatem positivam considerato solùm pro fundamentali; quatenus nimirum talis actus est fundamentum sufficiens, in quo privatio conformitatis ad legem secundùm suam moralitatem recipiatur, cujus memorata prædicata sunt proprietates; unde hæc prædicata ratione privationis dictæ, in actu odij, repertæ tantùm verificantur. *Ad tertium* Neg. Ant. cum Ant. Probat. ejusdem loquendo pro formali; nam tam error, quàm dolor formaliter important carentiam voluptatis, etsi pro substrato, seu materiali dicant entitatem quandam positivam; quod etiam verum est de peccato actuali commissionis, quod pro substrato, seu materiali dicit entitatem positivam actûs, pro formali verò privationem perfectionis alicujus moralis. *Ad quartum* Dist. Min. tollo carentiam odij Dei per ipsum positivum actûs nudè sumpti Neg. Min. per positivum actûs affectum privatione conformitatis ad legem illam Decalogi, *diliges Dominum Deum tuum*, &c. Con. Min. & Neg. Consеq. Itaque illud positivum actûs odij Dei, quò peccaminosè tollitur carentia odij, quam homo vigore Divini præcepti debet habere in tantùm tollit illam carentiam odij peccaminosi, in quantùm est affectùm formaliter privatione conformitatis ad illud præceptum; unde ab ejusmodi privatione oritur formaliter ratio formalis odij peccaminosi.

9. *Privatio constituens peccatum actuale non est corruptio naturæ rationalis.*

DICO secundò: privativum quod est ratio formalis peccati actualis commissionis non est aliqua privatio, seu corruptio naturæ rationalis. Ita Scotus *3. d. 37. §. ista quæstiones*; & communis Scotistarum.

Probatur: Tum quia secundùm S. Dionysium *lib. de Div. nom.* naturalia in Dæmonibus peccantibus non fuerunt destructa, vel corrupta, sed manserunt integra: Ergo etiam in hominibus peccantibus non corrumpuntur à Peccato: Ergo &c. Tum quia natura hominis peccantis est finitæ molis; adeòque posset tandem in sæpissimè peccantibus totaliter corrumpi: hujus autem corruptelæ nullum extat indicium: Ergo ratio formalis privativa peccati non est aliqua privatio, vel corruptio naturæ rationalis. Tum quia aliàs peccata non differrent specie inter se; quia natura rationalis, quam privant, & quam corrumperent, est ejusdem speciei.

10. *Quibusdam objecta satisfit.*

Objicies primò: Conc. Arausicanum dicit, liberum hominis arbitrium esse peccatô vulneratum, infirmatum, & attenuatum: Ergo corruptum aliquo modo. *Secundo*; D. Augustinus dicit *lib. 3. de lib. arb. cap. 13. omne vitium eo ipsò, quò vitium est, contra naturam est.* Et *lib. de nat. boni cap. 4.* appellat peccatum *corruptelam*: Ergo &c. Respondeo *ad primum* glossando Arausicanum; & dico illud non velle, quòd liberum arbitrium quoad substantiam sit vulneratum, aut corruptum; sed tantùm quòd non habeat tantas vires in ordine ad exercitium boni; defectu justitiæ originalis, & aliorum spiritualium, quibus caret post peccatum, & propter rebellionem carnis exortam, quà potentiæ naturæ quasi sunt vulneratæ, *Ad secundum* glosso quoque primum dictum Augustini, & dico, quòd in tantum vitium est contra naturam, in quantum est contra dictamen rectæ rationis; & quia privat perfectionibus debitis in ordine ad finem supernaturalem. Ad alterum dictum ejusdem S. Patris dico, ipsum ideo duntaxat peccatum appellare corruptelam, quia moraliter disordinat harmoniam perfectinoum moralium, & spiritualium, unde *loc. citat.* ipsemet se explicat dicens, quòd peccatum sit *corruptela, quâ corrumpitur modus, species, & ordo in voluntate creata.*

11. *Neque eadem privatio est alicujus habitûs privatio.*

DICO tertiò: similiter privativum constituens formaliter peccatum actuale commissionis, non est privatio alicujus habitûs virtuosi acquisiti naturalis, vel gratiæ habitualis. Ita Scotus *2. dist. 37. cit.* & ejus Discipuli.

Probatur prima pars: potest contingere, ut homo committat novum peccatum pro instanti A. quò nullum habeat habitum materialem acquisitum virtutis: Tum quia supponamus Petrum habere habitum temperantiæ intensum ut 4. & deinde peccet; non eò ipsò, quò peccat peccatò intemperantiæ privat se illo habitu naturali acquisitò; uti experientià constat: Ergo privativum constituens formaliter peccatum non est privatio habitûs naturalis virtuosi acquisiti.

Probatur secunda pars: Tum quia

ex

ex opposita sententia sequeretur omnia peccata esse ejusdem speciei; quia gratia habitualis, quâ privarent peccata, est eiusdem speciei in omnibus hominibus; & quia privationes specificantur ab habitibus: sed sequela est contra Trident: *ses 14. cap. 5.* Ergo &c. Tum quia sequeretur secundum, tertium, & quartum peccatum commissionis post furtum primum mortale, non esse peccata; quia non privant ampliùs ullâ gratiâ habituali; cùm tota gratiæ entitas jam sit expulsa per primum furtum: sed sequela est falsa: Ergo &c.

12. *Sed rectitudinis debitæ in se.* DICO quartò: privativum, quod est formale constitutivum peccati actualis commissionis, est privatio debitæ rectitudinis, seu conformatitatis ad legem, quam voluntas procurare tenetur in suo actu. Ita Scotus 2. *dist.* 37. *§ concedo igitur.* Et *in 4. dist. 14. q. 1. art. 1.* & cum eo universitas Scotistarum.

Probatur: Tum quia ex hactenus dictis habetur formale constitutivum peccati actualis esse aliquid privativum: sed nullum privativum congruentius assignari potest (ut patet ex mox impugnatis opinionibus) quam privatio rectitudinis debitæ, quam Doct. Subtilis appellat rectè conformitatem ad legem, quam voluntas procurare tenetur in suo actu: Ergo &c. Tum quia ita patet ex explicatione ipsius rectitudinis debitæ: est enim *rectitudo*, quâ privat peccatum actuale commissionis, quadam perfectio, seu honestas moralis rectificans actum in genere moris, & ab eo obliquitatem, & curvitatem moralem, seu defectibilitatem excludens; verbò eum ita afficiens, ut conformiter ad legem hanc, vel illam eliciatur; unde etiam vocatur *conformitas ad legem*: hujusmodi rectitudo stante lege hac, vel illâ semper debet inesse actui quotiescunque elicitur; hoc enim postulat lex, quamdiu stat in suo vigore; quare ab ejusmodi debito dicitur *rectitudo* debita inesse: Ergo positâ tali rectitudine debitâ, seu conformitate in actu aliquo morali, habetur actus bonus; & positâ privatione ejus præcisò quocunque aliô formali, habetur actus malus: Et consequenter formale constitutivum peccati actualis commissionis est privatio rectitudinis debitæ, inesse seu conformitatis ad legem.

13. *Adversantia argumenta.* Objicies *primò*: ex hac sententia sequeretur, peccatum commissionis, & omissionis contra eandem virtutem v. g. odium Dei, & omissionem amoris Dei, dum obligat, esse ejusdem speciei; quia pro formali important privationem honestatis, seu rectitudinis unius virtutis: sed sequela est falsa: Ergo &c. *Secundò*: sequeretur duo vitia extrema, opposita eidem virtuti, v. g. avaritiam, & prodigalitatem, esse quoque ejusdem speciei; quia dicunt privationem ejusdem rectitudinis virtutis liberalitatis; sed sequela rursus est falsa: Ergo &c. *Tertiò*: sequeretur iterum adulterium, detractionem, & furtum esse ejusdem speciei; quia important privationem rectitudinis unius virtutis, puta justitiæ: sed & hæc sequela est falsa: Ergo &c. *Quartò*: saltem odium, blasphemia, & mendacium non dicunt pro formali privationem rectitudinis debitæ: Ergo &c. Prob. Ant. privatio connotat subjectum aptum habere formam quâ privat: sed hi actus non sunt apti habere rectitudinem aliquam; cum sint ab intrinseco mali: Ergo &c.

14. *Dissolvuntur.* Respondeo *ad primum* Neg. Sequel. Maj. ad ejus rationem dico, quia eadem virtus potest fundare præcepta, & dictamina specie diversa, unum scilicet affirmativum, alterum negativum, quæ licet sint circa idem objectum materiale; non tamen circa idem formale; & consequenter licèt in allegato exemplo peccatum commissionis odij, & peccatum omissionis amoris, sint contra eandem rectitudinem habitualem virtutis; sunt tamen privationes diversarum rectitudinum actualium, debitarum secundùm diversa dictamina: nam lex affirmativa de amando Deo habet pro formali objecto malitiam odij, atque adeò odium, & omissio amoris quando obligant, non sunt ejusdem speciei. *Ad secundum* Neg. quoque Sequel. Maj. & ad ejus rationem rursus dico, quòd cùm liberalitas consistat in medio, negans utrumque extremum includit formaliter duo præcepta, & dictamina diversæ rationis, per quorum unum prohibetur excessus, per alterum defectus; unde consequenter etiam includit duas rectitudines speciales, specie morali diversas; atque ita vitia extrema opposita avaritia scilicet, & prodigalitas dicunt duas privationes specie diversas; & consequenter non sunt ejusdem speciei. *Ad tertium* Neg. rursus Sequel. Maj. ad cujus rationem dico iterum, quòd licèt

licèt sit una unitate generica virtus justitiæ, contra quam peccatur peccatò adulterij; quò violatur jus in thorum tertij, & peccatò detractionis, quò violatur jus in famam tertij, & peccatò furti, quò violatur jus in facultates tertij; attamen est specie multiplex; quia bona thori, famæ, & fortunæ &c. sunt specie diversa, quorum jus læditur per adulterium, detractionem, & furtum; & consequenter per ista peccata importantur privationes rectitudinum specie diversarum *Ad quartum.* Neg. Ant. & Dist. Probat. ejus Min. hi actus non sunt apti habere rectitudinem aliquam physicam, & subjectivam Con. Min. rectitudinem Logicam, seu objectivam, & moralem Neg. Min. Itaque odium, blasphemia, & mendacium, suppositò quòd sint intrinsecè mali actus, saltem objectivam seu moralem (de qua sola his agitur) rectitudinem possunt habere; quatenus scilicet ratione suæ indifferentiæ passivæ possunt non elici, & habent debitum secundùm legem Divinam, ut non eliciantur.

QUÆSTIO II.

De pura omissione peccaminosa.

1. *Dari potest omissio pura libera.*



DICO primò: potest absolutè loquendo fieri aliqua omissio peccaminosa absque ullo actu positivo voluntatis. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 42. q. 4. in fine §. ad quest. quartam.* Et *1. dist. 41. §. primum istorum.* Doctorem suum sequitur tota Schola, Fabrô exceptô; & Nominales, ac RR. complures Amicus, Salas &c; Contra P. Alensem, Cajetan. Capreol. Vasq. Suar. &c.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; Luc. 12. dicitur, *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui & non preparavit & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Et Jacobi 4. *scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*: quibus verbis adstruitur pura omissio peccaminosa adimpletionis voluntatis Domini, & operationis bonæ: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Philosophi: qui *5. Ethic. cap. 3.* docet, non minùs esse immediatè in potestate voluntatis creatæ non agere, quam agere, id est habere omissionem puram actûs, quàm ipsum actum positivum, utrumque enim est de ratione libertatis exercitij, & contradictionis: Ergo absolutè loquendo potest fieri omissio pura peccaminosa absque ullo actu positivo voluntatis.

Probatur tertiò rationibus Theologicis: *primò* potest in Petro aliqua pura omissio fieri difformis legi alicui, per rectam rationem propositæ, v. g. omissio Sacri die ab Ecclesia præcepto, absque eo, quòd Petrus concurrat actu aliquo positivo voluntatis ad ponendam ejusmodi omissionem: in hoc enim nulla apparet implicantia: deinde sufficit ut quis prævideat se omissurum sacrum ob assumptum grave negotium, incompatibile cum auditione Missæ, quod tamen non removet, sed io eo detinetur, licèt nullam positivam volitionem auditionis Missæ ponat: Ergo potest fieri aliqua pura omissio peccaminosa sine ullo actu positivo voluntatis. *Secundo*; potest Paulus sine ullo actu positivo cessare ab omni actu amoris Dei, vel honoris Parentum eò tempore, quò obligatus est ad ponendos ejusmodi actus: Ergo tunc fiet omissio pura peccaminosa. *Tertio*, si quid impediret, quò minùs posset fieri pura omissio peccaminosa, forsitan ideo, ut arbitrantur Adversarij, quia omne peccatum debet esse voluntarium, & liberum; talis autem pura omissio peccaminosa non sit voluntaria, & libera; sed ex hoc cap. non sequitur, non posse fieri puram omissionem peccaminosam: Ergo &c. Prob. Min. pura omissio peccaminosa adhuc esset sufficienter voluntaria, & libera, quia ut aliquid censeatur esse verè voluntarium & liberum non est necesse ut voluntas circa illud operetur positivè sed satis est, quod sit in voluntatis potestate illud facere, vel non facere: est autem in voluntatis potestate ponere actum positivum, vel ejus omissionem: Ergo &c. Eadem Min. patet à pari, potest dari pura omissio meritoria sufficienter voluntaria, & libera; ut ostendi *Tract. de Actib. Human. dist. 1. q. 11.* Ergo & peccaminosa. *Quarto*, si non posset fieri pura omissio libera sine omni actu positivo voluntatis, sequeretur, quòd nullus actus sit in potestate voluntatis, ut sit, vel non sit; sed hoc est falsum; Ergo &c. Prob. sequel. Maj. ille actus est in potestate, & dominio voluntatis quem pro arbitrio suo potest ponere:

sed

sed si voluntas non posset habere puram omissionem, seu omittere aliquem actum, nisi ponendo alium actum imperantem (ut volunt Adversarij) quo impediatur actus omissus, nullus erit actus, quem voluntas posset ponere, & non ponere pro suo arbitrio; & consequenter nullus erit in ejus potestate.

2. *Rationes impugnantes omissionem liberam.* Objiciunt varia Adversarij *primo* non potest dari peccatum sine exercitio libertatis: sed libertas per puram omissionem propriè non exercetur: Ergo &c. Prob. Min. libertas debet exerceri per aliquid vitale; sed pura omissio non est vitalis; quia per eam voluntas se non movet intrinsecè, quod proprium est vitalitatis: Ergo per eam propriè non exercetur libertas. *Secundo* videtur implicantia, quòd voluntas omissionem liberam exerceat, quin moveatur ab aliquo bono amabili, aut avertatur ab aliquo malo; quia dum motivum movet voluntatem, voluntas eò ipsò movetur: sed talis motus volontatis nequit contingere sine aliquo actu positivo: Ergo &c. *Tertio*: peccatum omissionis recensetur inter peccata actualia; cùm non sit quid habituale eò tempore quò committitur; sed primò redditur tale postea sui perseverantiâ quousque expietur: Ergo includit necessariò aliquem actum. *Quarto* debet dari aliquid, per quod voluntas transeat à statu indifferentiæ, in quo potuit omittere actum, vel non omittere, ad statum determinatum, in quo revera omittit illum sed in pura omissione nil datur hujusmodi: Ergo voluntas remanet in statu indifferentiæ: & consequenter non habet omissionem peccaminosam. *Quinto*, S. Augustinus definit peccatum, quòd *sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*: sed hæc omnia indicant positivum quid: Ergo &c.

3. *Eliduntur.* Respondeo *ad primum* Neg. Min. ad ejus Probat. Dist. Maj. libertas debet exerceri per aliquid vitale formale semper Neg. Maj. per aliquid vitale virtuale, seu interpretativum Con. Maj. & distinctâ sic Min. Neg Conf. Itaque ut dicatur exercitium libertatis ... vitale, sufficit quòd sit vitale virtualiter, seu interpretativè; id est, quòd voluntas habeat virtutem vitalem hìc & nunc liberè ponendi peccatum, vel non ponendi, etsi actu positivo libertatem talem non exerceat, sed negativò, qui dicitur actus interpretativus. *Ad secundum* Dist. similiter Maj. quin voluntas moveatur positivè Neg. Maj. quin moveatur interpretativè Conc. Maj. Itaque voluntas exercens puram omissionem peccaminosam movetur motu interpretativo ab amabili bono, aut avertitur à malo, qui motus interpretativus in hoc consistit, quòd voluntas in sua potestate habeat agere, vel non agere, & tamen nun agat; sed suspendat omnem actum circa objectum, & motivum positivum. *Ad tertium* Neg. Conseq. & dico, peccatum omissionis ideo non dici habituale; sed recenseri potiùs inter peccata actualia; quia constat actuali privatione rectitudinis debitæ: vel quia est quidam actus virtualis, & interpretativus: vel quia regulariter, etsi non semper, involvit aliquem actum secum, per accidens connexum. *Ad quartum* Dist. Maj. debet dari aliquod positivum, per quod voluntas transeat à stato indifferentiæ Neg. Maj. aliquod negativum, & interpretativum Con. Maj. Et distinctâ sic Min. Neg. Conseq. Itaque sicut determinatur, & tollitur voluntatis indifferentia ad agendum positivè per ipsum actum, quem ponit, nec requiritur alius actus; aliàs daretur actus ad actum, & sic processus in infinitum; ita pariter determinatur ad omittendum peccaminosè per nun actum, seu per actum negativum hoc ipsò, quòd talis actus, seu omissio sit in ejus potestate. *Ad quintum* explico S. Augustinum, & dico eum loqui regulariter; cum quo stat, quòd absolutè loquendo fieri possit peccatum per puram omissionem. Posset etiam dici, puram omissionem esse quid actuale in hoc sensu, quòd privationem actualem rectitudinis debitæ in esse includat, quæ reducitur ad actum, cujus est privatio; sicut privatio cæcitatis dicitur quid actuale, reducibile ad visum, cujus est privatio.

DICO secundò: si adsit impedimentum libertatis propter ebrietatem v. g. vel somnum, eo tempore, quò urget præceptum positionem actûs positivi, tunc ejus omissio non censetur esse peccaminosa; sed tantùm eò tempore quò fuit liberè data causa talis subsecutæ omissionis. Ita colligitur ex Scoto 2. *dist.* 40. & 42. Et *quodl*, 18. Et S. Bonaventura, Gabriel, Adrianus, Vasq. Ariaga, &c. contra D. Thomam, Marsil. Palat. Altiosig. &c. 4. *Quando omissio pura liberè non sit peccaminosa.*

Probatur prima pars: Tum quia omne

omne peccatum debet esse voluntarium, & liberum; cùm libertas sit fundamentum totius generis moris; sed si adsit impedimentum libertatis, resultans ex ebrietate, vel somno v. g. eo tempore quò urget aliquod præceptum positionem actûs positivi, tunc ejus omissio non censetur esse voluntaria, & libera: v. g. omissio missæ die festo in ebrio; Ergo neque est peccaminosa. Tum quia ad rationem peccati requiritur, ut peccans agat contra aliquam legem: sed si contingat in aliquo impediri libertatem propter ebrietatem, vel somnum v. g. & desuper omitti aliquem actum præceptum, tunc non censetur agi contra aliquam legem; propter impotentiam causatam ex somno, vel ebrietate: Ergo tunc omissio non censetur esse peccaminosa. Tum quia ille non peccat, qui facit id, quod evitare non potest secundùm D. Augustinum; sed impeditus in vi libertatis, propter ebrietatem, vel somnum, ponit omissionem, quam hic & nunc evitare non potest: Ergo non peccat.

5. *Et quando peccaminosa.* Probatur secunda pars: eò tempore, quò fuit liberè data causa subsecutæ deinde omissionis, censetur omissio esse in potestate omittentis; quia positio causæ tunc est in potestate omittentis: & quia volendo causam indirectè vult effectum omittentis, Ergo tunc contrahit malitiam omissionis secuturæ.

QUÆSTIO III.

De peccato Habituali.

1. *Quid sit peccatum Habituale.* NOTA primò: per *peccatum Habituale* a TT. intelligi aliquam maculam transacti jam peccati, quæ se habet instar habitûs, à quo homo adhuc dicitur peccator, quousque ei remittatur virtute clavium, vel contritionis; de hoc.

2. *Dantur Peccata Habitualia.* DICO primò: Omnino fatendum est, transactô peccatô actuali in homine remanere maculam aliquam, quæ peccatum Habituale vocatur; Ita communis TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ, hujusmodi maculam habitualem adstruentis; unde dicitur Jerem. 2. *maculatus es in iniquitate tua coram me.* Et Ezech. 36. *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris* (id est maculis moralibus) Et Eccl. 31. *beatus vir qui inventus est sine macula.* Et Jos. 22. *usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet*: Ergo &c. Similiter eadem Scriptura docet, homines transactô peccatô actuali adhuc denominari peccatores, quousque expientur; unde ad Rom. 5. *cùm adhuc essemus peccatores*: Ergo inest ijs aliqua macula habitualis denominans.

3. *Peccatum Habituale non est formaliter privatio nitoris animæ.* DICO secundò; macula ista, seu peccatum habituale non consistit formaliter in privatione nitoris, & pulchritudinis animæ, seu gratiæ sanctificantis, Ita Scotus 4. *dist.* 14. *q.* 1. cum sua Schola; contra D. Thomam, ejúsque sequaces, Cajetan. Medin, Alvar, Suar, Amicum, &c.

Probat *primò* ratione Scoti, quam habet 2. *dist.* 37. privatio nitoris, pulchritudinis, seu gratiæ sanctificantis est æqualis in omnibus, qui sunt in peccato mortali; cùm sit privatio in facto esse: sed macula, seu peccatum Habituale non est in omnibus æquale: Ergo macula seu peccatum Habituale non consistit formaliter in tali privatione. *Secundò*, ex opposita sententia sequeretur omnia peccata Habitualia esse ejusdem speciei; quia omnis privatio nitoris pulchritudinis, seu gratiæ sanctificantis est ejusdem speciei, cùm privationes specificam distinctionem, & unitatem sumant ab habitibus: sed sequela est falsa: Ergo &c. *Tertiò*, sequeretur ex eadem Doctrina Adversariorum secundùm peccatum Habituale, homicidium v. g. non esse peccatum; quia non privaret hominem gratiâ sanctificante, quæ per primum supponitur totaliter ablata: sed etiam hæc sequela est falsa: Ergo &c. *Quartò*, si quis in puris naturalibus constitutus peccaret, haud dubiè contraheret maculam aliquam, seu peccatum Habituale: sed tale tunc non consisteret in privatione gratiæ sanctificantis; quia supponitur in tali statu nulla adfuisse in peccante: Ergo macula, seu peccatum Habituale non consistit formaliter in privatione gratiæ sanctificantis.

4. *Thomistarum argumenta proponuntur.* Objiciunt Thomistæ *primò*: ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. justificatio impij consistit in translatione animæ à statu peccati ad statum gratiæ: sed talis translatio fit à privatione gratiæ sanctificantis ad ipsam gratiam: Ergo in tali privatione formaliter consistit peccatum Habituale. *Secundo*, peccatum Habitua-

le tollitur per gratiam ſanctificantem: Ergo ipſum conſiſtit ſurmaliter in ejus privatione. *Tertio*: macula peccati Origioalis conſiſtit formaliter in privatione juſtitiæ Originalis: Ergn & macula peccati Habitualis io privatiooe gratiæ.

5. *Eadem diſſolvuntur.*

Reſpondeo *ad primum* Neg. Conſeq. quæ ex his præmiſſis noo ſequitur; ſed ſulùm ex ijs inferri poteſt, quòd in juſtificatinne impij præſuppooatur privatin gratiæ ſanctificantis, non ut ratiu formalis peccati Habitualis; ſed ut eſſectus duntaxat, demeritoriè ab eodem peccato cauſatus, aut ut aliquid concomitans. Ad *ſecundum* Diſt. Ant. peccatum Habituale tollitur ſurmaliter immediatè, & ex natura rei per gratiam ſanctificantem Neg. Ant. ex ordinatione Divina Cooc. Aot. Et Neg. Cnoſeq. Itaque gratia ſanctificaos ſulùm ex Dei decretn opponitur peccato Habituali, & illud expellit ab humine; unde etiam ipſum peccatum Habituale, ſeu reatus ex Dei ordinatione, & determinatione ſolùm inſert privationem gratiæ; adeoque formaliter in tali privatione nnn conſiſtit. *Ad Tertium* Neg. Cnnſeq. diſparitatem aſſignat Scotus *4. diſt. 14. q. 1.* quia cùm privatin gratiæ in umni peccatn Habituali murtali reperiatur, & ſit ejuſdem rationis, ono poteſt per ipſam conſtitui peccatum Habituale; quia aliàs non diſceroeretur ſpecificè unum peccatum murtale Habituale ab alio; & unum eſſet æquale alteri; at de peccato urigioali etſi coocedatur illud formaliter conſtitui privatione juſtitiæ urigioalis, non ſequitur hoc incommodum; quia ipſum revera eſt ejuſdem rationis; & æquale in umoibus poſteris Adæ.

6. *Peccatum Habituale non conſiſtit in ſolo actuali præterito peccato.*

DICO tertiò; peccatum Habituale neque conſiſtit formaliter in peccatn actuali præterito ſulo; neque in eo, & carentia Divinæ cundunatinnis, ac retractationis ejusdem. Ita P. Vulpes, Maſtrius, Ouviedo, Gavatius &c. contra Ariag. Sallas, Tanner, Lugnn. Granad. & alios RR.

Probatur prima pars; humo etiam poſt juſtificationem puteſt ab actuali præteritn peccatn denominari peccatur; nam tunc verum eſt dicere, quòd peccaverit; & tamen poſt juſtificatinnem acceptam non eſt ampliùs maculatus peccatô habituali: Ergn peccatum habituale non conſiſtit in ſoln peccato actuali præterito.

7. *Neque in*

Probatur ſecunda pars: Tum quia carentia Divinæ condonatinnis, modificans peccatum actuale præteritum, jam ſupponit in peccatore peccatum habituale muraliter permanens: Ergo nequit ingredi ratinnem ejus formalem. Ant. patet; quia jam adeſt in anima pro aliquo priori aliquid habituale, qund eſt Deu odibile, & formale objectum Divinæ condonatinuis: ſed nbjectum oon præponitur actui, ejusque negationi: Ergn &c. Tum quia explicandu rationem ſormalem peccati Habitualis per peccatum actuale præteritum, ut modificatum carentià condonationis Divinæ, nequit explicari qualis ſit ille actus condonatinnis Divinæ, & quodnam ejus nbjectum; non enim poteſt eſſe volitio deſtruendi peccatum; qnia hoc noo poteſt deſtrui, niſi ratinne privatinnis talis actûs; & ſi hanc vellet deſtruere, vellet ſe ipſum deſtruere, unde hic actus eſſet reſlexivus ſuper ſe ipſum, & vuluntas, quam Deus haberet condonandi peccatnm, haberet ſe ipſum pro formali objecto: Ergo peccatum Habituale nnn conſiſtit formaliter in peccato actuali præteritn, ut modificatu carentià condunatinnis ejus.

[… *& carentia Divinæ condonationis.*]

8. *Neque in actuali præterito, & carentia retractationis.*

Probatur tertia pars: Tum quia ſi peccatum Habituale cnnſiſteret formaliter in peccato actuali præterito, ut modificato carentià retractationis, ſequeretur quòd nunquam poſſet auferri ſine actu prævin retractatinnis, ſeu pænitentia, & ſatisſactinne; ſicut teoebræ non poſſunt auferri ſine luce: ſed ſequela eſt falſa; quia peccatum auferri poteſt ſulà extrinſecà Dei condonatione de potentia abſnluta; ut eruditè oſtendit Scotus *4. diſt. 14. q. 1.* Ergo &c. Tum quia carentia retractatiooia præſupponit peccatum Habituale, muraliter jam in anima manentem; quia præſupponit jam adeſſe aliquid habituale uffeoſivum Dei, quod eſt objectum retractatinnis: Ergo nequit in ea conſtitui etiam partialiter ratin ſurmalis peccati Habitualis.

9. *Neque in duabus negationibus conformitatis ad legem juſtam in actu præterito, & juſtificatricem in futuro.*

DICO tertiò: ſimiliter nnn conſtit formaliter peccatum Habituale in duabus negatinnibus ſimul, conformitatis ſcilicet ad legem juſtam in actu præterito, quam prævaricatus eſt peccator; & conformitatis ad legem juſtificatricem in actu futuro, cui conſurmari tenetur eliciendo poſt actum commiſſum, actum debitum ſatisfactinnis. Eſt contra RR. quosdam Scotiſtas. quos affert Gavatius *diſt. 1. cap. 1. ſect. 9.*

Probatur; ſi peccatum Habitnale conſi-

consisteret in duplici illa negatione, sequeretur ratione primæ negationis illud nunquam, etiam de potentia absoluta posse deleri ab anima; item ratione secundæ sequeretur, omnia peccata Habitualia esse ejusdem rationis specificæ: sed hæ sequelæ sunt falsæ: Ergo &c. Prob. prima seqnela; negatio non tollitur à suo subjecto, nisi positâ formâ oppositâ, quâ privat; sed conformitas ad legem justam est forma opposita primæ negationi, & hæc ampliùs non potest recuperari, etiam de potentia absoluta; quia fieri nequit, quin peccator non peccaverit: Ergo sequeretur ratione primæ negationis, quòd non posset deleri ab anima peccatum Habituale. Probatur etiam secunda sequela, privationes distinguuntur per habitus: sed conformitas per contritionem, & pœnitentiam ad legem justificatricem est ejusdem rationis specificæ in omnibus; uti patet: Ergo etiam hujusmodi negationes erunt ejusdem rationis specificæ; consequenter sequeretur ratione talium negationum omnia peccata Habitualia esse ejusdem rationis specificæ. Præterea ex nullo textu Scoti colligi potest hæc doctrina Scotistarum; sed benè alia de qua infrà: Ergo ab eis non asserenda.

10. *Nonne in quodam ordine particulari ad jus Dei.*

DICO quartò peccatum Habituale non consistit formaliter in ordine quodam particulari ad jus ex parte Dei acquisitum puniendi peccatorem, durans usquedum satisfaciat pro peccato actuali præterito. Est rursus contra quosdam recentiores Scotistas.

Probatur: prius est hominem esse peccatorem, & habere peccatum Habituale; quàm Deum habere jus ad puniendum ipsum; quia in tantum Deus habet jus puniendi peccatorem, in quantum peccator ex actu præterito contrahit reatum, seu obligationem passivam, & debitum ad pœnam: Ergo in ordine particulari ad jus ex parte Dei acquisitum puniendi peccatorem, non consistit peccatum Habituale. Unde.

11. *Sed in reatu seu obligatione contracta ex peccato actuali præterito.*

DICO quintò: peccatum Habituale formaliter consistit in reatu quodam, seu obligatione, ex actu præterito peccaminoso contracta, quâ statim ac homo peccat, realiter tam diu obligatur ad pœnam, peccato correspondentem, quousque pœna illa fuerit persoluta, vel satisfactum. Ita Scotus 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 1. Magistrum intrepidè secuti fuêre antiquiores Discipuli Bassol. Ant. Andreas. De Orbellis, Tartaret. De Nisse, Aogles, Aretinus &c. Et Occam, Rubion, compluresque alij Nominales; mirum proinde cur novissimi Scotistæ trepidaverint ad clamores non fundatos recentiorum Thomistarum quorumdam, in hanc Scoti opinionem acriter invehentium, & falsò omnino atque indiscretè docentium; eam damnatam esse ab Ecclesia inter quasdam propositiones Michaelis Baij; ac ideo ineptè recesserint à genuina Scoti doctrina.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, peccatum Habituale sub nomine reatûs & obligationis satisfaciendi, seu sustinendi pœnam pro peccato exprimentis; sub nomine quidem reatûs enunciatur Exodi. 32. *percussit Dominus populum pro reatu vituli.* Et Deut. 21. *& auferetur ab eis reatus sanguinis.* Et Matt. 5. *reus erit judiciò, reus erit gehennâ.* Sub nomine verò obligationis Act. 8. *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Et Matt. 8. *oblatus est ei unus, qui debebat ei* (id est obligabatur) *decem millia talenta*: Ergo &c. 12. *Authoritates Scripturæ pro Doctrina Scoti.*

Probatur secundò authoritate SS. PP. similiter peccatum Habituale formaliter per reatum explicantium; quos fusè adducit Gavatius noster, ex quibus cape saltem Augustini testimonia, qui *lib.* 1. *de nupt. cap.* 26. ait *manent ergo* (scilicet peccata) *nisi remittantur; sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt in actu; manent reatu*, seu obligatione, dignitate, & debitò ad pœnam, resultante ex actu peccati. Et *lib.* 6. *contra julian. cap.* 8. dicit, quòd sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat, præterijt actu, sed manet reatu: idem habet in *enarrat. Psalm.* 13. & alibi: Ergo &c. 13. *SS. PP. testimonia pro eadem.*

Probatur tertiò ratione: Tum quia peccatum veniale, quod in purgatorio expiatur, dimittitur per pœnæ solutionem: Ergo tale peccatum habitualiter consideratum consistit in reatu, seu obligatione ad pœnam peccato correspondentem; sed eadem est ratio de alijs mortalibus: Ergo &c. Tum quia meritum habituale in merente ex opere bono jam facto relictum importat formaliter quoddam jus, seu condignitatem ad præmium: Ergo & demeritum habituale, seu peccatum Habituale in demerente, seu peccatore importat 14. *Rationes quoq. Theologicæ.*

portat formaliter jus, seu condignitatem ad pœnam: hæc autem idem est quod reatus, seu obligatio quædam ad pœnam: Ergo peccatum Habituale consistit formaliter in reatu quodam, seu obligatione & condignitate ad pœnam. Tum quia, ut eruditè exemplificat Scotus in humanis, actus quò quis injuriam fecit alteri tam diu censetur habitualiter moraliter permanere, quàm diu permanet obligatio satisfaciendi pro tali injuria: Ergo idem dicendum de peccato, quò quis infert injuriam Deo Legislatori. Tum tandem, quia voluntas vovendi castitatem v. g. vel celebrandi contractus, ferendi leges &c. etsi physicè transeat, tamen censetur moraliter permanere in obligationibus, quæ ex voto, contractibus, legibus &c. oriuntur: Ergo à pari etiam peccatum etsi jam physicè præteritum, adhuc censetur moraliter habitualiter permanere in obligatione, quâ peccator censetur remanere obligatus ad pœnam solvendam, seu satisfaciendum.

15. *Scoti doctrina de peccato Habituali nequaquam coincidit cum errore Bajano.* Objiciunt Thomistæ, & Vasquez: Conclusio, atque Doctrina allata Scoti adversatur definitionibus Sum: Pontificum; Ergo &c. Prob. Ant. Gregorius XIII. & Pius V. in Bulla contra Mich. Bajum edita damnant propositionem illam Bajanam, *in peccato duo sunt actus, & reatus, transeunte actu nihil remanet nisi reatus, seu obligatio ad pœnam;* sed hoc ipsum videtur adstruere conclusio, & Scotus, dum docent peccatum Habituale, quod præterito actu remanet, consistere in solo reatu: Ergo &c. Respondeo, Neg. Ant. cum Min. Probat. ejusdem; nam longè alium intellectum habet doctrina conclusionis, & Scoti, quæ expressè est desumpta ex D. Augustino *lib. 6. contra Julian.* quàm allata propositio Baij; Bajus enim, ut rectè advertit Turrianus in explicatione allegatæ Bullæ, posuit reatum talia naturæ, qui est compossibilis cum charitate, seu gratia sanctificante, uti colligitur ex propositione 70. ejusdem, quæ est, *homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem:* Conclusio autem & Scotus hoc negant. Item Bajus voluit reatum illum esse præcisè solitarium, & transacto peccatò nil prorsus remanere præter talem reatum, quod est hæreticum; quia remanet etiam moraliter actio peccaminosa secundùm eandem malitiam, quam habuit peccatum actuale in instanti, dum poneretur; Conclusio autem, & Scotus adstruit reatum illum non esse solitarium; sed etiam adesse moralem permanentiam actionis peccaminosæ.



DISTINCTIO III.
De Peccato Veniali; & Mortali.

QUÆSTIO I.
De natura, & existentia peccati Venialis.

1. *Quid nominis peccati Veniale.* OTA primò: Peccatum Veniale ideo dici tale à CC. & SS. PP. quia quantùm est ex se, non excludit veniam; sed facilè obtinetur pro eodem; eò quòd stet cum gratia sanctificante seu charitate, quæ est basis amicitiæ cum DEO; & quia peccatori non affert condignitatem ad pœnam æternam; neque infert mortem animæ.

2. *Definitio peccati Venialis.* DICO primò rectè describitur peccatum Veniale, quòd *sit violatio voluntaria alicujus legis, non graviter obligantis, ordinantis ad finem supernaturalem.* Desumitur ex S. Augustino *lib. 2. de consensu Evang. cap. 4.* Et S. Ambrosio *lib. 8. de Parad cap. 8.*

Probatur: hâc descriptione aptè exprimitur natura peccati Venialis: Ergo &c. Ly *violatio* est genus: reliqua statuuntur pro differentia. Dicitur *violatio voluntaria;* quia ratio voluntarij est conditio omnino necessaria omnis peccati, & consequenter etiam Venialis; unde Augustinus *lib. 1. retract. cap. 13.* ait, *usque adeò peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Additur *alicujus legis non graviter obligantis,* ut assignetur differentia peccati Venialis à Mortali, quod est prævaricatio, transgressio, & viola-

violatio legis graviter obligantis, ùt dicetur infrà. Reliquæ particulæ sunt explicatæ suprà *dist. 1. q. 1. conc. 1.* in definitiona peccati Theologici ut sic.

3. *Dantur omnino peccata duntaxat Venialia.* DICO secundò: dantur quædam peccata, quæ revera tantùm sunt Venialia, & nequaquam inductiva mortis æternæ. Ita communis TT. contra complures Hæreticos, signanter Wielefum docentem, omnia peccata esse ex se inductiva mortis æternæ (ac consequenter mortalia) etsi defacto in solis reprobis illam induant. Et contra Calviuum *lib. Instit. ca. 4.* dicentem, *Fidelium peccata Venialia esse, non quia non mereantur mortem; sed quia Dei misericordiâ non imputantur.* Eandem farinam corruptam passim inspersit suis depravatis libris Lutherus, ejúsque asseclæ amplexati sunt. Imo & quidam Doctores Catholici referuntur sensisse, omnia peccata esse suâpte naturâ mortalia, & morte æternâ digna in actu primo; defacto tamen sive ob levitatem materiæ, sive ob imperfectam deliberationem, eam non mereri ex benigna, atque generali Dei dispositione, volentis ut reatum pœnæ æternæ inducant.

4. *Quod claret ex S. litteris.* Probatur primò authoritate S. Scripturæ, varijs metaphoris significantis, dari quædam Peccata ex natura sua levia, seu venialia; & quædam gravia; unde Luc. 6. Venialia exprimit sub metaphora festucæ; & mortalia sub metaphora trabis, quæ est gravior festucâ, dum Salvator interpellat hypocritam dicens *quid vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem qua in oculo tuo est, non consideras?* Et Matt. 23. Venialia designat sub metaphora culicis; Mortalia verò sub metaphora cameli. Et 1. ad Cor. 3. Venialia comparantur ligno, fœno, & stipulis, quæ ex natura sua facilè absumuntur; adeóque ex se sunt minuta, & levia: Et tandem Prov. 27. dicitur, *septies in die cadit justus* (scilicet venialiter) *& resurget*: Ergo dantur revera aliqua peccata, quæ tantùm sunt venialia.

5. *Concilijs, & Sum: Pontificibus.* Probatur secundò authoritate CC. & Sum. Pontificum: nam Con. Trident. Venialium noxarum expressam facit mentionem *sess. 6. cap. 11.* dicens, *licèt in hac mortali vita, quamtumvis Sancti & Justi, in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam Venialia dicuntur peccata, quotidie cadant, non propterea desinunt esse justi.* Et tres summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. reprobàrunt hanc propositionem, *nullum est peccatum ex natura sua Veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam*: Ergo revera dantur peccata Venialia.

Probatur tertiò authoritate SS PP. qui concordi sententiâ dogmatizant conclusionem; ùt videre est apud D. Gregorium *lib. 4. Dial cap. 39.* Et Ambrosium *serm. 20. in Psalm. 118.* Et Augustinum *lib. de nat. & grat. cap. 36.* ubi docet, omnes sanctos habnisse peccata cum sanctitate compatibilia, quod solis Venialibus competit; unde ait, *nam exceptâ Virgine Mariâ, si omnes Sanctos, & sanctas cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrùm essent sine peccato; quantâlibet denati fuerint excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: Ergo dantur peccata Venialia. 6. *SS. quoque Patribus.*

Probatur quartò ratione: Tum quia ipsum lumen naturæ bene instituta ostendit cuilibet credenti verbum otiosum, furtum unius oboli, & similes defectus mortales ex objecto, lege & circumstantijs leves non importare gravem offensam Dei; adeoque non esse peccata mortalia; sed Venialia. Tum quia neque ex *S.* Scriptura, ex CC. aut SS. PP. constat, omnem actionem peccaminosam esse eo ipso mortalem, ut mox patebit ex solutione objectionum; Ergo &c. Tum quia sæpe actiones nostræ morales defectuosæ procedunt ex imperfecta deliberatione, & passione aliqua naturali, adimente usum libertatis perfectæ; insuper versantur circa materiam parvam: Ergo tales non statim condemnandæ sunt culpæ mortalis, dissolventis amicitiam Dei. Tum tandem quia respectu hominum sæpe intercedunt offensæ veniales duntaxat: Ergo etiam respectu Dei. 7. *Et rationibus Theologicis.*

Objiciunt Hæretici primò: ex S. Litteris constat omne peccatum esse mortale; nam ad Rom. 6. imputatur ei mors, illis verbis, *stipendium peccati mors.* Et Deut. 27. improperatur homini peccanti maledictio, *maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus.* Et Jac. 2. censetur fieri reus omnium pœnarum inferni; *qui in uno deliquit, factus est omnium reus*: quæ omnia testimonia indicant quodvis peccatum ex natura 8. *Hæreticorum probationes contra Venialia.*

natura mortale: Ergo &c. *Secundo*: S. Basilius in quæstionibus compendio explicatis *interrog. 4.* dicit, *de omni peccato dictum est, quod sit mortis stimulus*: & consequenter culpa mortalis. Et Augustinus *Tract. 11. in Joan.* docet, minuta peccata, si negligantur, occidere: Ergo hæc sunt ex natura sua mortalia. *Tertiò*: Peccatum Veniale est offensa Dei Infiniti: Ergo ex natura sua est offensa infinita; & consequenter mortalis. *Quarto*: Ecclesia orat pro Animabus fidelium defunctorum in hunc modum, *ne absorbeat eas Tartarus*: Ergo videtur sentire, quòd possint absorberi; & consequenter, quòd eorum peccata sint pœnâ æternâ digna; quod propriè convenit peccatis mortalibus.

9. *Reselluntur.* Respondeo *Ad primum* interpretando Scripturam, & dicta allegata ejus testimonia non esse intelligenda generaliter de quavis specie peccati; sed solùm de mortalibus, quæ sola inferunt mortem æternam, causant maledictionem, & reatum æternæ pœnæ. *Ad secundum*, glosso D. Basilium, quòd tantùm velit, peccatum veniale esse stimulum mortis, eò quòd disponat ad mortem animæ, seu mortale peccatum, quando frequentiùs iteratur & negligitur atque contemnitur. Eodem sensu loquitur D. Augustinus; qui, ut rectè Gregorius *lib. 10. moral. cap. 14.* dicit, *curare parva negligimus, insensibiliter seducti audacter etiam majora perpetramus*. *Ad tertium* Neg. Conseq. nam infinitas Dei non redundat in malitiam offensæ; sicut enim persona aliqua, etsi peculiari aliqua gravitate polleat v. g. Sum. Pontifex, potest nihilominus offendi leviter; ita persona infinita potest offendi finitè; & consequenter leviter; quemadmodum eadem persona infinita potest finitè à viatore amari, & honorari. *Ad Quartum* dico, Ecclesiam in illa oratione considerare animas fidelium defunctorum ut adhuc migrantes ex corpore, & necdum judicatas; pro quibus proinde rectè orat, ne adjudicentur Tartaro.

QUÆSTIO II.

De differentia essentiali, & specifica peccati Venialis à Mortali; eorúmque notis, & regulis.



DICO primò: Peccatum Veniale primariò essentialiter, & specificè non discriminatur per hoc à Mortali, quòd Mortale sit deordinatio ab ultimo fine; Veniale verò ab ijs, quæ sunt ad finem, seu à medijs. Ita Scotus 2. *dist. 21. q. 1.* cum suis; contra D. Thomam, ejusque Asseclas. 1. *Mortale non differt primò à Veniali per hoc, quòd unum sit deordinatio ab ultimo fine, aliud à medijs.*

Probatur: potest quis non tantùm deordinari ab ultimo fine, & peccare mortaliter circa ipsum; sed etiam potest deordinari à medijs, & contra ea peccare mortaliter; sic potest Plato committere peccatum mortale injustitiæ, & castitatis, quæ sunt media necessaria ad ultimum finem consequendum: Præterea potest quis etiam venialiter tantùm deordinari ab ultimo fine, & contra eum peccare, ponendo v. g. odium Dei indeliberatum, vel actum infidelitatis indeliberatum: Ergo peccatum Veniale primariò, & essentialiter, ac specificè non discriminatur per hoc à mortali, quòd mortale sit deordinatio ab ultimo fine, Veniale verò à medijs.

DICO secundò: neque pro specifico essentiali, & primario discrimine Venialis à Mortali bene assignatur, quòd mortale sit offensa Dei; veniale non. Est contra Amic. Montes. &c. 2. *Neque per hoc quòd unum sit offensa Dei aliud non.*

Probatur: etiam peccatum Veniale est offensa, uti patet tum ex illo Jac. 3. *in multis offendimus omnes*, quod de solo Veniali intelligendum est; cùm multi sancti Deum mortaliter nunquam offenderint: tum quia etiam Veniale displicet Deo; & Deus venialiter peccantibus irascitur, eò quòd pro ijs quoque pœnas statuerit: Ergo pro specifico essentiali, & primario discrimine Venialis à Mortali non bene assignatur, quòd Mortale sit offensa Dei; non verò Veniale.

DICO tertiò: similiter non rectè pro primaria: & essentiali differentia Venialis à Mortali statuitur, quòd Mortale sit contra legem; Veniale verò præter legem. Est contra P. Alens. P. Richard. Medin. Conrad. & alios DD. 3. *Neque per hoc quòd unum sit contra legem aliud præter legem.*

Probatur: Etiam peccatum Veniale est propriè contra legem; cùm sit actus malus lege prohibitus, & adversatur rectæ rationi, quod autem est lege prohibitum, est contra legem; ut patet de mendacio officioso, furto minuto &c. Ergo &c.

sentia-

4. *Neque tandem per hoc, quòd Mortale sit contra præceptum; Veniale contra consilium.*

DICO quartò: neque tandem essentialiter specificè, & primariò differentiatur Mortale à Veniali per hoc, quòd Mortale sit contra præceptum; Veniale autem contra consilium. Est contra quosdam Scotistas, qui etiam Scotum pro se conantur trahere; etsi irritò conatu.

Probatur: ex hoc præcisè quòd aliquid sit contra consilium, non sequitur, quòd sit peccatum Veniale; nam qui agit contra illud consilium Apostoli, 1. *Cor* 7. *de Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem de* &c. non peccat ullo modo. Et Viri timoratæ conscientiæ non arbitrantur se venialiter peccare, etsi consilia quædam Evangelica non amplexantur, & adimplent v. g. voluntariam paupertatem, & similia: Ergo essentialiter, specificè & primariò non differentiatur Veniale à mortali per hoc, quòd Mortale sit contra præceptum; Veniale autem contra consilium.

5. *Scotus explanatur, & reconciliatur Conclusioni.*

Quando autem Scotus 2. *dist.* 21. dicit peccatum Veniale esse deordinationem quamdam oppositam ordinationi Divinæ, quæ est de consilio, accipit ly *consilium* non in sensu proprio, prout illud est totaliter liberum ab omni legis obligatione, qualiter se habet v. g. Evangelica seu voluntaria paupertas & virginitatis conservatio, sed in sensu minùs proprio, prout non est totaliter liberum ab omni obligatione legis; sed spectat ad legem saltem obligantem ut ad aliquid utile ad finem legis, cui consilio si contrarietur homo, venialiter peccat; qui sensus coincidit cum sequenti conclusione; unde.

6. *Legitimum primarium discrimen Mortalis à Veniali asseritur.*

DICO quintò: legitima, essentialis, primaria, ac specifica differentia Venialis à Mortali est, quòd Veniale sit contra legem non graviter obligantem, seu ad aliquid, quod utile tantùm est ad salutem; Mortale verò quòd sit contra legem graviter obligantem, seu ad aliquid quod necessarium ad salutem. Ita Scotus 2. *dist.* 21. & insigniores Scotistæ; contra Thomistas, & Neutristas.

Probatur: Tum quia post rejectas priores quatuor sententias non remanet alius modus verior assignandi differentiam legitimam, essentialem, primariam, & specificam Venialis peccati à Mortali, quàm expressus in ista conclusione quinta: Ergo &c. Tum quia differentiæ omnes solitæ tum ab AA. relatis supra, tum ab alijs referri, sunt tantùm vel differentiæ à posteriori, & accidentales; vel si fiant à priori, tamen non sunt primariæ; sed omnes tandem ad hanc Scoti reducuntur: Ergo &c. Probat. Ant. *de prima*; nam ideo peccatum Mortale censetur deordinari ab ultimo fine, Veniale verò non; quia Mortale est contra legem obligantem graviter, seu ad aliquid quod est necessarium ad salutem; Veniale verò non: Ergo &c. Prob. Ant. *de secunda*, ideo similiter Mortale est gravis offensa Dei, & Veniale levis; quia Mortale est contra legem graviter præcipientem, seu mandatum aliquod, quod est necessarium ad salutem; Veniale verò non; & sic dicendum de reliquis differentijs ab AA. solitis assignari: Ergo omnes illæ differentiæ, vel sunt accidentales, vel non sunt primariæ; sed reductibiles ad differentiam Scoti *conc.* 5. assignatam. Circa alterum articulum quæstionis.

7. *Difficilè est discernere in quavis materia quænam sint Mortalia.*

NOTA primò; operosæ, & multum difficilis esse discretionis in qualibet materia dignoscere, quænam peccata Mortalem & quæ tantùm Venialem culpam contineant; unde & D. Augustinus 21. *de Civ. cap. ult.* circa hoc punctum dixit, *ego usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem ad eorum indaginem pervenire, non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata vitanda pigrescat.* Nihilominus Scholastici, & Moralistæ quasdam longò studiò invenerunt notas, & characteres proprios dignoscendi Mortalia à Venialibus, quas sequentibus regulis pro praxi complectar.

8. *Prima regula dignoscendi mortales culpas.*

Regula prima; quando S. Litteræ quasdam actiones morales perstringunt gravi aliqua interminatione, vel pœnâ, v. g. mortis, abominationis, exclusionis à cælo, reatûs gehennæ, execrationis, verbô væ, aut simili, tunc censentur esse peccata mortalia; quando verò similibus perstrictionibus Scriptura non utitur, sed alijs levioribus tunc Venialia censenda sunt; exemplum, primi 1. *ad Cor.* 6. habetur *neque fornicarij, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, Et Luc. 11. *Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham, & rutham, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem*, Et ad Rom. 1. *qui talia agunt digni sunt morte*. Exemplum

emplum secundi habetur ad Ephes. 5. de stultiloquio, quod dicitur ad rem non pertinere.

9. *Secunda regula.* *Regula secunda*: quando vel traditione Divina, vel Apostolica, vel concordi sententiâ *SS.* PP. & TT. aliqua actio pronunciatur mortaliter peccaminosa; tunc censenda est peccatum mortale, & nequaquam veniale; v. g. quia materiæ & formæ Sacramentorum; item ritus varij sacramentorum ex Divina, & Apostolica traditione sunt determinata; ea substantialiter varians peccat moraliter; Item quia communiter SS. PP. & timorati TT. docent etiam simplicem duntaxat fornicationem involvere mortalem culpam, propterea talis pro mortali tenenda est.

10. *Tertia regula.* *Regula tertia*: quando aliqua actio alioquin quidem est peccaminosa mortaliter ob legis graviter obligantis transgressionem; attamen hic & nunc processit ex non plena, & sufficienti deliberatione; sed ex subreptione, & indeliberatione voluntatis, censenda est solùm Veniale peccatum v. g. si Plato ex motu primo, & indeliberato impetu percutiat Clericum; vel verbum alias graviter contumeliosum proferat in Socratem, censetur peccare solùm venialiter.

11. *Quarta regula.* *Regula quarta*; quando lex graviter obligans deliberatè violatur, resultat peccatum Mortale; quando verò lex leviter tantùm obligans violatur, consurgit peccatum Veniale; v. g. quia lex illa Divina data Protoparenti Gen. 2. *de ligno scientiæ boni, & mali ne comedas* graviter obligabat; ideirco ex ejus violatione resultavit peccatum Mortale. Gravis porrò obligatio alicujus legis rectè colligitur, tum ex Scriptura apponente transgressoribus talis legis graves interminationes, de quibus *regulâ* 1. actum est. Tum ex unanimi consensu timoratorum DD. Tum ex ratione naturali, quæ spectando materiæ legi substratæ dignitatem, & naturam, læsionem notabilem charitatis Dei, vel proximi; legislatoris verisimilem intentionem; prudens format dictamen, talem legem gravem continere obligationem.



QUÆSTIO III.

Num, & quâ ratione Veniale possit transire in Mortale; ubi etiam alia quæsita de Veniali resolvuntur.



DICO primò Peccatum ex se Veniale potest fieri Mortale ratione gravis scandali, quô proximo ruina spiritualis infertur. Ita communis TT. 1. *Peccatum Veniale potest fieri Mortale ob annexum scandalum.*

Probatur: Tum quia ita constat ex S. Scriptura, scandalum inter gravia, seu Mortalia peccata recensente illa interminatione *væ*, Mortalis culpæ expressivâ; unde Matt. 18. dicitur *væ homini illi, per quem scandalum venit.* Tum quia actio aliàs levis ratione annexi scandali gravis graviter damnificat proximum in bonis Spiritualibus, dum ei præbet occasionem Mortale peccatum committendi; v. g. si vir Religiosus, & apud plebem spectabilis æstimationis, atque imitationis sub Divinis in Ecclesia cachinnos, discursus, vel alias levitates exerceat; etsi absque intentione contemptûs Dei; plebs tamen inde arripit occasionem licentiosos jocos, aliaque ludicra cultûs Divini contemptiva, aut impeditiva exercendi; talis actio Viri Religiosi ratione scandali censenda est Mortale peccatum.

DICO secundò: similiter Veniale ratione periculi proximi incidendi in culpam mortalem efficitur Mortale peccatum. Ita quoque communis TT. 2. *Item ob periculum.*

Probatur: Tum authoritate S. Scripturæ dicentis Eccles. 3. *qui amat periculum in illo peribit*, incurrendo similiter mortem animæ, seu peccatum Mortale. Tum ratione, quia operans cum periculo proximo incidendi in culpam mortalem, censetur contemnere salutem spiritualem, & interpretativè velle peccatum Mortale, utpotè cujus periculum proximum amat: v. g. si quis experimentô compertum habeat, se ex alloquio fœminarum pati stimulos carnales, & exinde ---- consensum turpem, vel morosam delectationem, & hoc non obstante colloquium simile practicet; censetur interpretativè velle peccatum Mortale, consensum, seu morosam delectationem: Ergo

go veniale ratione periculi proximi incidendi in culpam mortalem, efficitur mortale.

3. *Item ob præfixionē ultimi finis.* DICO tertiò: quotiescunque in Veniali statuitur ultimus finis, transit in Mortale. Ita pariter communis TT. Moralistarum.

Probatur: qui in peccato Veniali statuit ultimum finem, ita afficiendo materiæ Veniali, v. g. vanæ alicui conversationi mulieris, vel chari socij, ut propterea sit paratus violare legem graviter obligantem, v. g. de audiendo sacro die festo, is censetur appretiativè creaturam præponere Deo, ejúsque amicitiæ, & ordinem ad verum ultimum finem destruere, quod est peccatum Mortale: Ergo quotiescunque in Veniali statuitur ultimus finis transit illud in Mortale.

4. *Et ob contemptum legis.* DICO quartò: Veniale similiter transit in Mortale, si accedat contemptus formalis legis Divinæ, graviter obligantis. Ita etiam communis TT. Moralium.

Probatur: Tum authoritate D. Bernardi *lib. de dispensat. & præcept. cap.* 12. ubi dicit, *Venialia non contemni sine crimine*, subditque, *porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis est.* Tum quia contemptus formalis continet vilipensionem, & consequenter irreverentiam erga Legislatorem Deum, quod est grave Peccatum: Ergo Veniale accedente contemptu transit in mortale.

5. *Potest quis priùs peccare venialiter, quàm mortaliter.* Quæres primò: num priùs peccatum Veniale possit reperiri in homine infecto solo Originali, vel jam baptizato? quàm Mortale? Respondeo affirmativè. Ita S. Bonaventura, Major, Durandus, Herincx, & communior DD. contra Suarez, Vasquez, & Thomistas. Ratio est; Tum quia ut bene arguit P. Herincx, potest contingere, ut infectus solo Originali, vel etiam baptizatus dum assequitur diluculum usûs rationis, leviter mentiatur, aut alium actum peccaminosum exerceat cum imperfecta deliberatione: Ergo potest priùs in tali homine reperiri Veniale quam Mortale. Tum quia in pueris ordinariè est imperfectum judicium de moralibus, ob organorum imperfectionem: Ergo tales operantes malum, citiùs Venialiter, quàm Mortaliter peccant.

6. *Varia pæ-* Quæres secundò: quænam sint pænæ, & effectus peccati Venialis? *næ, & effectus peccati Venialis.* Respondeo: *primò* in hac vita per illud minui fervorem charitatis, quatenus noxæ Veniales ponunt obices perfectissimis actibus amoris Dei, & detestationis omnium peccatorum, etiam levium, *secundo*; propter easdem culpas Deus in via sæpe infligit varias pænas temporales purgativas earundem, imò & mortem physicam; uti patet in Oza extentente manum ad Arcam sustentandam. *Tertiò*; Deus quandoque justè ob Venialia multiplicata denegat copiosiora specialia auxilia gratiæ quæ aliàs elargitus fuisset. *Quarto*; post mortem Deus in justis Venialia punit pænis temporalibus Purgatorij, de quibus in *Tract. de Beatit. & Purgat. dist.* 2. *q.* 1 Similiter in damnatis non nisi temporalibus tormentis mulctatur; ut docet Scotus 4. *dist.* 21. *q.* 1. *n.* 6. Gabriel, Navar. Herincx, & alij DD. contra Thomistas. Ratio est; quia Deus cùm sit justissimus, non punit ultra demeritum; puniret autem ultra demeritum, si Venialia in damnatis mulctaret tormentis æternis: Ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De quidditate, & quantitate malitiæ peccati Mortalis, Personalis.

NOTA primò: Peccatum *Mortale* exinde dici tale, quia affert mortem spiritualem animæ peccanti, seu exclusionem à Regno Cælorum. Personale verò, quia à persona creata humana, seu ab homine rationis compote voluntariè, ac librato consiliò personaliter ponitur. 1. *Quid nominis & rei peccatum Mortale Personale?*

DICO primò; rectè describitur peccatum Mortale personale quòd *sit violatio voluntaria alicujus legis graviter obligantis, & ordinantis ad finem supernaturalem, facta ab humana persona.* Deducitur ex S. P. Augustino *lib.* 2. *de consen. Evang. cap.* 4. Et alijs SS. Patribus.

Probatio hujus descriptionis patet ex dictis *hac dist. q.* 1. *conclus.* 1. Circa alterum articulum quæstionis.

DICO secundò: nullum peccatum Mortale Personale in ratione offensæ Dei est simpliciter infinitæ malitiæ moralis. Ita Scotus 2. *dist.* 31. *q.* 1. Et *in* 3. *dist.* 19. 2. *Nullum peccatum Mortale est infi-*

nita malitia, *dist.* 19. *ad* 2. Et *dist.* 30. Et tenet communis Scotistarum, ac plures RR. Lugo, Svarez, Meracius, Becanus, Salas, Arriaga &c. contra D. Thomam, Cajetan. Alvarez, Medinam, Lezanam, Hurtadum, Aversam, &c.

Probatur primò: iden secundùm Adversarios peccatum personale mortale (de quo imposterum in hac distinctione) in ratione offensæ esset simpliciter infinitæ malitiæ moralis, quia offensa talis versatur circa objectum infinitum, puta circa dignitatem Dei infinitam, quæ læsa infinitam gravitatem refundit in actum peccaminosum; sed ex hoc capite peccatum Mortale non debet censeri simpliciter infinitæ malitiæ moralis: Ergo &c. Probat. Min. etsi visio clara & intuitiva Dei, elicita ab Angelo, vel anima beata; item actus charitatis supernaturalis versentur circa objectum infinitum Deum, non idcirco tale objectum in visionem, & actum charitatis ullam simpliciter infinitam perfectionem refundit: Ergo à pari, licèt offensa peccati Mortalis versetur circa objectum infinitum, non propterea hæc refundit infinitam gravitatem in peccatum Mortale. Præterea peccatum Veniale etiam includit offensam Dei infiniti; & tamen idcirco Veniale non habet infinitam malitiam: Ergo neque Mortale.

3. *Alia ratio pro finitate malitiæ Mortalis culpæ.* Probatur secundò: secundùm Scotum *quodl.* 5. infinito in eo genere, in quo est infinitum, non potest dari majus; aliàs infinitum jam haberet terminum, ultra quem protenditur illud quod est majus; atque ita infinitum non esset infinitum; sed finitum in illo genere, in quo infinitum ponebatur: sed ex peccatis Mortalibus unum est alio majus in ratione malitiæ, & offensæ: Ergo eorum malitia non est infinita. Probat. Min. nam asserere peccatum Mortale non esse majus altero est coincidere in errorem Joviniani, docentis omnia peccata esse æqualis gravitatis in ratione offensæ, quem SS. PP. signanter D. Hieronymus *lib.* 2. *contra Jovin.* & D. Augustinus *epist.* 29. *ad Hieron.* impugnârunt: & patet exinde esse falsissimum, quia aliàs æquè offenderetur Deus per blasphemiam, idololatriam, & alia enormissima peccata, ac per simplex furtum unius asrei: Ergo ex peccatis Mortalibus unum est majus alterò in ratione malitiæ, & offensæ.

4. *Varia objecta proponuntur.* Objiciunt Adversarij *primò*: SS. PP. passim docent peccata Mortalia continere infinitatem quandam injuriæ, & offensæ: Ergo &c. *Secundò*: merita Christi habuerunt simpliciter infinitum valorem propter dignitatem personæ merentis: Ergo & peccata Mortalia habent infinitam malitiam ob infinitatem Dei, qui offenditur. *Tertiò*: omne peccatum Mortale punitur pœnâ infinitâ; quia æternâ, quæ in infinitum durat: Ergo ejus offensa est infinitæ malitiæ. *Quartò*: quodvis Mortale est ex sua natura destructivum Dei; eò quòd peccator, quantùm in se est nollet Deum esse legislatorem; insuper privat Deum dignitate ultimi finis; cùm finem ultimum in creatura statuat: Ergo habet malitiam infinitam. *Quintò*: offensa, & injuria crescit ex dignitate personæ offensæ: sed persona Dei est infinitè digna: Ergo offensa, & injuria peccati crescit in infinitam gravitatem.

5. *Eadem diluuntur.* Respondeo *ad primum*, glossando SS. PP. & dico, eos loqui de infinitate quadam morali, seu summitate; non verò de simpliciter infinitate. Volunt itaque omne peccatum Mortale in æstimatione morali continere summam injuriam, & offensam propter ordinem supremum, in quo est persona, quæ offenditur scilicet Deus; quæ tamen summitas sit finita, sicut actus visionis beatificæ est finitus, etsi ejus objectum Deus sit in supremo ordine. *Ad secundum* Neg. Ant. nam ut *Tract. de Incarnat. Verbi Divini, dist.* 10. *q.* 6. ostendi, merita Christi, etsi habuerint summum valorem, is tamen physicè fuit finitus. *Ad Tertium* Neg. Conseq. nam sicut meritum Francisci non est infinitum simpliciter, etsi illi correspondeat præmium gloriæ in æternum duraturæ: ita nec offensa peccati Mortalis, etsi ei correspondeat pœna æterna. Itaque pœna æterna, & cum quadam infinitate extensiva duratura ideo infligitur à Deo pro Mortali; quia culpa æternaliter durat in obstinata voluntate Damnatorum, ut observat S. Augustinus *de fid. ad Petrum* dicens, *permanente in eis injustæ affectionis malo, permanet in eis justa retributionis damnatio.* Item ex alia congruitate durat perpetua pœna mortalis, ut videli-

delicet, magis vitentur mortalia peccata metu æternæ durationis. *Ad Quartum* Neg. Aut. nam ut actus aliquis censeatur esse verè destructivus alicujus rei debet ponere aliquid, ex quo certò, vel probabiliter novit secuturam destructionem alicujus rei; & debet in animo habere, ac intendere talem destructionem; quæ omnia non contingunt in positione peccati Mortalis, nam peccator non intendit positivè annihilationem Dei ut legislatoris, neque talis annihilatio actu sequitur ex ejus peccato; uti nec privatio dignitatis ultimi finis. *Ad Quintum* respondeo *primò*, hoc argumentum ex calculatione desumptum, quò potissimè utuntur Adversarij, si valeret, probare quoque quodvis Veniale peccatum continere offensam, ac injuriam infinitam, quod est falsum. Item quemlibet actum supernaturalem charitatem Dei, cùm æquè respiciat personam infinitam esse infinitum. Respondeo *secundo* Dist. Maj. offensa, & injuria crescit ex dignitate personæ offensæ quoad æqualitatem Neg. Maj. secundùm aliquam proportionem Conc. Maj. Itaque ex dignitate personæ offensæ non crescit gradatim ad æqualitatem malitia offensæ, ac injuriæ; sed tantùm secundùm quamdam proportionem; quia dignitas personæ v. g. Dei non est causa præcisa gravitatis, seu augmenti offensæ Dei; sed aliæ quoque concurrunt, cognitio scilicet dignitatis personæ, deliberatio voluntatis, & conatus potentiæ, quæ cùm sint finitæ, & limitationis majoris & majoris, minuunt rationem offensæ; adeòque ex tali calculatione dignissimæ personæ offensæ, non sequitur infinitas simpliciter in ipsâ offensa seu injuria.

QUÆSTIO V.

De Consensu concurrente ad peccatum Mortale.

1. *Quid sit consensus in Mortale; & quotuplex.*



NOTA primò: Consensum in proposito rectè describi, quòd *sit actus voluntatis, quò Peccator vult positionem peccati.* Hic vel est absolutus; vel conditionatus. *Consensus absolutus* est, quem peccator præstat circa positionem peccati independenter ab ulla conditione; talis est hic, volo non obstantibus quibuscunque committere homicidium, vel fornicationem &c. *Conditionatus* est, qui modificatur aliqua conditione, si daretur occasio. Absolutus alius est perfectus; alius imperfectus. *Consensus Absolutus perfectus* est, qui procedit ex plena, & perfecta deliberatione, ac distincta prævia notitia malitiæ objecti; talis fuit consensus Judæ tradentis Christum. *Imperfectus* est, qui procedit ex semiplena, & imperfecta deliberatione; ob dubia rationabilia occurrentia circa malitiam objecti, & ex advertentia confusa; unde nascitur plerumque ex admixta distractione ad alia objecta, ex ignorantia, oblivione, improvisione, subito eventu rei, animo passionibus, iræ, timoris & similibus perturbato.

2. *Consensus sufficiens ad Mortale debet esse perfectè deliberatus.*

DICO primò: ut aliquis actus sortiatur veram actionem peccati Mortalis, debet procedere ex consensu perfecto, seu perfecta deliberatione, ac advertentia aliqua malitiæ. Ita Alensis, S. Bonaventura, Henricus, Sylvester, & communis TT.

Probatur: Tum quia ita sentiunt SS. PP. & torrens TT. Tum quia peccatum Mortale est completus, & verus actus humanus, qui à ratione voluntarij perfecti, seu consensûs perfecti necessariò pendet; ut ostendi *tract. de Actib. Human. dist.* 2. *q.* 1. *conc.* 4. Ergo &c. Tum quia peccatum Mortale dissolvit præexistentem amicitiam Dei, constituitque peccatorem reum Gehennæ, seu pœnæ æternæ: Ergo non est credibile, quòd hominem tantò beneficiò spoliet, tantòque supplicio supponat, nisi procedat ex consensu perfecto, seu perfecta deliberatione, ac advertentia malitiæ.

3. *Et non sufficit imperfectè deliberatus.*

DICO secundò: si actus procedat ex consensu duntaxat imperfecto, & insufficienti deliberatione, non sortitur rationem peccati Mortalis; sed Venialis duntaxat. Ita Navarrus, Medina, Layman, Cajet: & alij TT.

Probatur: Tum quia aliàs conscientiæ etiam timoratorum nimis frequentibus peccatis Mortalibus gravatæ forent. Tum quia opposita doctrina non est commensurata fragilitati humanæ; imò inductiva infinitarum perplexitatum, & scrupulorum, animi tranquillitatem evertentium cum gravi periculo salutis. Tum quia neque ex SS. PP. neque ex TT. aut rationibus Theologicis constat sufficienter, hominem sem-

per peccare mortaliter, quotiescunque cum deliberatione semiplena, seu verè imperfecta, orta ex aliqua passione animi, distractione, notitia confusa, aut simili impedimento, operatur moraliter: Ergo dicendum est, quod actus procedens ex consensu imperfecto, & insufficienti deliberatione, non sortiatur rationem peccati Mortalis; sed Venialis duntaxat.

4. *Consensus perfectè deliberatus colligitur ex varijs indicijs.* NOTA autem secundò: ex sequentibus indicijs bene trutinatis, quemvis posse in dubio colligere, num habuerit consensum perfectum, vel imperfectum circa malitiam objecti. *Primò*, si quis alioquin sit verè timoratæ conscientiæ, & solitus non consentire; sed reprimere pravas tentationes in materia gravi, dum eas realiter, & distinctè advertit adesse, dubitet autem an etiam hac vice eas repulerit, vel consenserit in peccatum Mortale, potest prudenter concludere, se hac vice non perfectè consensisse; sed tentationes repulisse. Secus dicendum, si sit conscientiæ prostitutæ, & facilis ad consentiendum tentationibus.

Secundò: quando quis agitatus aliqua passione vehementi iræ, timoris, concupiscentiæ &c. vel distractus ad alia objecta, postea sibi benè præsens sentit, se animo ita dispositum, ut tametsi cum omni facilitate, & commoditate posset peccatum Mortale ponere; non tamen poneret, tunc potest prudenter resolvere, se priùs non elicuisse perfectum, & debitè deliberatum consensum in peccatum mortale.

Tertiò: si occurrat dubium, num obscæna delectatio, quam priùs habuerat, fuerit in vigilantia, an in somno, potest rationabiliter concludere, se ejusmodi delectationi non præbuisse plenè deliberatum, & perfectum assensum, cujus utique recordaretur à somno expergefactus.

Quartò: si quis frequentiùs solitus sit protestari contra omnem consensum perfectum in qualecunque futurum peccatum mortale, & sibi redditus semper renovat easdem resolutiones ac protestationes, inque occursu occasionis ad grave peccatum sæpius practicè substitit sine consensu perfecto; sit autem dubius, num etiam in hac occasione non præbuerit consensum perfectum; practicè, probabiliter potest æstimare, se non consensisse perfectè, & deliberatè.

Quintò; legitimum quoque indicium est, aliquem non habuisse consensum perfectum in peccatum Mortale, si sentiat se aliquo motu, v. g. carnali v. g. sed brevissimo convelli, vel etsi longò, sine tamen advertentia intellectûs, ad alia distracti: item si voluntas timore, & tristitiâ afficiatur, doleatque talem motum insurrexisse, postquam intellectus eum plenè advertit.

DICO tertiò: Consensus conditionatus sufficit ad efficiendum peccatum Mortale, quando objectum circa quod versatur dictus consensus, cadit sub legem graviter obligantem, & per adjectam conditionem omnis malitia ab objecto non præscindatur; secus si præscindatur; nisi vitietur pravo fine. Ita P. Herincx, & alij TT. 5. *Consensus conditionatus aliquando sufficit ad Mortale.*

Probatur prima pars: quando objectum, circa quod versatur Consensus conditionatus, cadit sub legem graviter obligantem, adjecta conditio non præscindens ab omni malitia, censetur pro non adjecta, v. g. si sit talis conditio, vellem fornicari, si non deprehenderer à Patre, vel punirer; quia in ejusmodi adhuc remanet affectus ad malitiam fornicationis: Ergo consensus taliter conditionatus sufficit ad Mortale peccatum.

Probatur secunda pars: quando per conditionem præscinditur totaliter ab omni malitia objecti, ita ut nullus remaneat affectus ad malitiam, v. g. si fiat talis conditionalis, vellem modò fame adactus comedere, si non esset jejunium rigorosum hoc die: Ergo stante tali conditione, Consensus conditionatus non est sufficiens ad Mortale. 6. *Aliquando non.*

QUÆSTIO VI.

De quantitate materiæ requisitæ ad Mortale peccatum; ejusdem pænis; & morosa delectatione.



NON quamlibet quantitatem materiæ statim efficere Mortale peccatum, in confesso est apud omnes TT: sed requiritur quantitas notabilis, seu gravis materia, uti patet de furto unius grossi, & unius aurei &c. Hæc autem quantitas, & gravitas prudenti morali judicio, & æstimatione timoratorum est taxanda, atque æstiman- 1. *Requiritur notabilis quantitas materiæ ad Mortale.*

æstimanda, ut habet communis DD. sensus.

NOTA autem primò: ut vir timoratus ritè instituere possit præfatam taxationem, & judicium prudens morale, ac conscientiosum de quantitate notabili ac gravitate materiæ requisitæ ad Mortale peccatum formare, attendere debet sequentes regulas.

2. *Variæ Regulæ ad cognoscendam notabilem quantitatem materiæ ad Mortale.*

Regula prima: si circa determinationem quantitatis notabilis, seu gravitatis materiæ conveniant communiter illustriores Theologi, & Canonistæ, ea censenda est sufficiens quantitas materiæ pro peccato Mortali v. g. quia plerique insigniores TT. docent, illam quantitatem pecuniæ furtò ablatam invitò graviter dominò, esse notabilem ac sufficientem ad Mortale furtum, cujus ablatio damnificat Dominum integrò, decenti, & moderato victu unius diei, quod damnum est grave; idcirco furtum unius aurei illustri personæ surrepti, & ablatio unius floreni germanici personæ communi diviti subtracti, censentur esse quantitas notabilis, seu gravis materia furti Mortalis.

Regula secunda: in ferendo judicio practico de quantitate notabili, ac gravitate materiæ debet vir timoratus attendere adfinem, à legislatore justè intentum; & ad proportionem ac necessitatem rei, præceptæ ad illum consequendum; quare si advertat finem esse gravem, ac necessarium; ex hoc capite prudenter judicet materiam præceptam, ad talem finem conducentem esse gravem, tametsi alias ex se parva appareat, v. g. quia aliquis Superior Regularis tulit legem Religiosis suis de cavenda determinata aliqua domo sæculari ob finem necessarium, ne Religiosi per accessum talis domûs incidant in occasiones mortaliter peccandi; propterea etsi accessus ad domum sæcularem ex se sit materia levis, imò quandoque nulla; tamen hic & nunc practicè ex fine intento à legislatore censendus est materia gravis, & sufficiens ad Mortale.

Regula tertia: quando materia præcepta, vel prohibita sub mortali est divisibilis in plures partes; tunc quævis ejus pars notabilis prudenter æstimanda est notabilis quantitas, gravis, ac sufficiens ad Mortale peccatum, v. g. quia totum Divinum Officium Breviarij est materia divisibilis in septem partes, seu Horas Canonicas; ideo omittens unicam partem, seu unam Horam Canonicam peccat mortaliter; ut fusiùs doceo *Tom 3. tract. de Relig. dist. 2. q. 1.* Similiter quia totus dies festus est materia quoque divisibilis in plures horas diei; idcirco laborans duabus horis (quod spacium in prudenti æstimatione censetur notabile) peccat pariter mortaliter.

Regula Quarta: quando plures parvæ materiæ inter se moraliter continuantur, ita ut efficiant unum quid in morali æstimatione; tunc ejusmodi materiæ prudenti judicio æstimari debent materia gravis, & notabilis quantitas, sufficiens ad Mortale peccatum, v. g. si quis eodem die interpolatis vicibus plura minora furta committat, quæ tandem collectivè sumpta conficiunt notabilem quantitatem ablatam; tunc ejusmodi minuta furta tandem collectivè sumpta censenda sunt peccatum Mortale. Idem est de illo qui eodem die jejunij pluries aliquot bolos comedit, etsi nullò eorum saturetur, tandem tamen ad notabilem quantitatem cibi illo die assumpti pervenit. Item de illo, qui est obligatus Petro competenter diviti quotidie solvere unum grossum, & hanc solutionem viginti diebus (qui correspondent integro floreno Germanico, negligit, quibus evolutis efficitur notabilis quantitas, & gravis materia peccati Mortalis. Item de illo, qui etsi modicis, pluribus tamen excessibus tandem naturam lædit graviter, quo effectu secuto peccat mortaliter.

Regula Quinta in peccatis, quæ directè sunt contra Deum, quævis materia æstimanda est gravis, & sufficiens pro Mortali; nisi imperfecta deliberatio aliqua ex parte peccantis interveniat; unde quævis materia infidelitatis, desperationis, formalis blasphemiæ seu contemptûs Dei, perjurij assertorij, superstitionis, & odij Dei, imò & simoniæ veræ, est quantitas notabilis, & materia sufficiens ad Mortale peccatum. Similiter communior DD. tenet quamlibet materiam in Venere esse Mortalem. Circa alterum punctum quæstionis de pænis & effectibus peccati Mortalis, puta deputatione ad Infernum, pæna ignis realis infernalis, pæna damni, remitto me ad *Tract. ultimum hujus Tomi de beatitudine, purgatorio, inferno, &c. dist. 3. q. 2.* Quoad tertium.

NOTA

3. *Quid sit Morosa delectatio.*

NOTA secundò; quòd Morosa delectatio sit simplex aliquis motus circa aliquod objectum prohibitum, absque ullâ cogitatione exequendi ipsum actum circa tale objectum, talis est in Petro qui complacet sibi de furto, vindicta, vel actu venereo, sistendo sibi præsens per imaginationem ipsum opus tanquam objectum delectationis. Hic motus solet dici *delectatio*, quia eum aliqua specialis delectatio instar risûs spiritualis, seu gaudij voluntatis sequitur tanquam passio; vocatur *morosa*, non à mora temporis; sed à perfecta deliberatione voluntatis, quæ ei deliberatè inhæret ac immoratur.

4. *Morosa delectatio circa objectum grave est Mortale.*

DICO primò: delectatio Morosa circa aliquod objectum aliàs graviter prohibitum, etsi absit consensus, vel periculum consensûs in actum, est nihilominus peccatum Mortale. Ita Scotus 2. *dist.* 42. *n.* 13. *&* Scotistæ; ac Thomistæ cum D. Thoma *q.* 74. *ar.* 8. contra Martinum de Magistris docentem, delectationem Morosam de re venerea non continere culpam Mortalem.

Probatur primò authoritate D. Augustini (quam etiam affert Scotus *citat.*) *lib.* 12. *de Trin. cap.* 12. dicentis, *nec sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volens libenter, quæ statim ut attigerunt animum respui debuerant, negandum non est esse peccatum; sed longè minus, quàm si & opere statuatur implendum.* Et ne videatur hic S. Pater per ly *longè minus* adstruere Morosam delectationem esse duntaxat veniale, paulò infrà subdit, *totusque damnabitur* (quod arguit Mortale) *nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis censentur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur*: Ergo &c.

Probatur secundò ratione Theologica: stante Morosa delectatione circa aliquod objectum graviter prohibitum, v. g. actum venereum copulæ carnalis, vel furti gravis, censetur Morosi voluntas mediante imaginatione per illam voluptatem sibi unire opus malum, illúdque sibi reddere moraliter præsens quam diu delectatur; ac si exteriùs præsens esset: hoc autem continet culpam mortalem: Ergo Morosa delectatio circa objectum graviter prohibitum est peccatum Mortale.



DISTINCTIO IV.

De Peccatis Capitalibus; & alijs in Particulari.

PRÆFATIO.

Quædam Peccata à TT. vocari solent *Capitalia*; eò quòd sint quasi quædam capita, & fontes ex quibus dimanant alia peccata; ut dixi suprà *dist.* 1. *q.* 1. sunt autem numerô septem; Superbia, Invidia, Avaritia, Ira Acedia, Gula, & Luxuria: quæ sigillatim breviter perstringam. Unde sit

QUÆSTIO I.

De Superbia; Invidia; Avaritia; & Gula.

1. *Definitio Superbiæ, ejusque modi.*



Superbiam definit D. Bernardus, quòd *sit propriæ excellentiæ appetitus. S.* verò Augustinus, quòd *sit amor propriæ excellentiæ*, seu *perversæ celsitudinis appetitus.* Clariùs sic posset describi, *Superbia est quædam inordinata extollentia sui super alios, orta ex amore propriæ excellentiæ.* Hoc peccatum secundùm D. Gregorium *lib.* 23. *Moral. cap.* 4. contingit varijs modis; puta, si vel homo sibi attribuat suâ opinione mentali, vel verbô, vel factô aliquod bonum majus, quò

quô revera caret; vel tametsi illud habeat, non tamen suis meritis id possidet: vel quando arbitratur se excellere alios in aliquo talento, merito, dignitate: vel quando se jactat extrinsecâ actione super talenta, merita & dignitates aliorum; vel ea sibi usurpat ineptè & ambitiosè vel alios contemnit quoad perfectiones aliquas naturales, vel morales, &c. Ex his ulteriùs.

2. *Gradus, & Filiæ Superbiæ.* NOTA primò: variosesse gradus, quibus ascendit superbus usque ad finem, quem intendit; potissimos enarrat S. Bernardus *tract. de grad. humil. §. 1. & sequent.* (qui & filiæ superbiæ possunt vocari) videlicet curiositatem, levitatem mentis, ineptam lætitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem peccandi, & consuetudinem. *Curiositas* est diligens inquisitio rumorum, quid scilicet de se dicatur. *Levitas mentis* est levis aliqua mutatio de delectatione, ex laudibus orta, in tristitiam propter vituperia illata. *Inepta lætitia* est gaudium conceptum super aliorum defectus, & crimina. *Jactantia* est evulgatio aliorum bonorum, vel malorum propriorum, eo fine facta, ut ab alijs æstimetur, & laudetur; hæc aliàs coincidit cum *Vana gloria*, *Singularitas* est peculiaris quædam ostensio aliquorum operationum, eo fine facta, ut solus videatur, æstimetur & laudetur. *Arrogantia* est jactantia de aliquibus rebus sibi attributis, quas revera non possidet. *Præsumptio*, prout de ea hic, est ingerentia quædam sui in actiones, negotia, & alia, quæ non pertinent ad se. *Defensio peccatorum* est excusatio aperta de commissis suis erroribus moralibus quasi non commissis; etsi revera commissi sint. *Simulata confessio* est excusatio occulta de erroribus suis moralibus, seu culpis commissis, quasi non commissis. *Rebellio* est resistentia legitimis superioribus facta, oppressio inferiorum, ac inductio parium ad resistendum. *Libertas peccandi* est excussio omnis conscientiæ, & profusio libera in omne genus peccati.

3. *Superbia est genere suo est Mortale* NOTA secundò: Superbiam ex genere suo esse peccatum Mortale; nisi indeliberatione, vel parvitate materiæ excusetur; uti colligitur ex illo 1. *ad Tim. 3. non neophytum ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, quæ verba mortalem culpam in superbia indicant, juxta regulam primam supra *dist. 3. q. 2.* datam Et patet ex casu Luciferi ob superbiam tanquam mortalem culpam damnati. Circa Invidiam.

NOTA tertiò: Invidiam definiri à D. Augustino, quòd *sit odium felicitatis alienæ.* Clarius sic posset describi, quòd *sit dissensio ab alieno, eò quòd æstimetur diminuere proprium.* Et contingit potissimè tribus modis; vel erga Superiores, quando quis eis non potest hìc & nunc æquari: vel erga pares, quando ipsi in meliorem sortem fortunæ, & prosperitatis emergunt: vel erga inferiores, ne isti invido æquentur. 4. *Definitio Invidiæ & ejus modi.*

NOTA quartò: Invidiam quoque ex genere suo importare culpam mortalem; nisi indeliberata voluntate, vel exilitate materiæ, aut alia ratione purificetur. Ratio est; quia invidia est vitium oppositum charitati, quæ non æmulatur, sed congaudet veritati; charitati autem nihil opponitur, nisi vitium mortale: Ergo &c. 5. *Invidia est ex genere suo Mortale.*

NOTA quintò: filias Invidiæ secundùm D. Gregorium recenseri sequentes, odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, & afflictionem in prosperis ejus. *Odium* est perversa volitio, quâ quis proximo vult malum, ipsum contristans, & absentiam boni consolantis. *Susurratio* est seminatio dissidiorum inter fratres. *Detractio* est denigratio famæ alienæ verbis consumata; de hoc peccato vide, quæ trado uberiùs *tom. 4. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 9. q. 2. Exultatio in adversis proximi* est gaudium de alienis malis conceptum. *Afflictio* est tristitia, orta ex aliena prosperitate. Circa Avaritiam. 6. *Filiæ Invidiæ describuntur.*

NOTA sextò: Avaritiam rectè describi, quòd *sit immoderatus amor acquirendæ, vel retinendæ pecuniæ.* Hoc peccatum pariter ex genere suo est Mortale; nisi parvitate materiæ, aut aliò motivò purificetur ab ejusmodi formalitate; Ratio est; quia ita deducitur ex illo Apostoli 1. ad Cor. 6. *neque avari; neque ebriosi &c. regnum DEI possidebunt.* Filiæ avaritiæ sunt duodecim nimirum rapina, usura, latrocinium, taliæ injustæ, fraus Negotiatorum, deceptio Advocatorum, acceptio Munerum, simonia, peccata Anachoitarum, fraus Mercatorum, avaritia Scientiæ, & iniquitas Lusorum. Descriptiones rapinæ usuræ, & simoniæ infra adducam; alias hìc breviter evolvam. *Latrocinium* est de præda- 7. *Quid sit Avaritia; & quæ ejus filiæ*

prædatio facultatum, & insidia vitæ corporalis, spe occupandi bona aliena. *Talia injusta* sunt impositiones iniquæ onerum civilium in ordine ad conquirendas pecunias, vel alias res. *Fraus Negotiatorum* est deceptio in negotijs interveniens, ad circumventionem proximi exercita. *Deceptio Advocatorum* est fraus ab Advocatis in litibus, & alijs clientum commissa: *Acceptio munerum* est corruptela resultans ex muneribus elargitis ad causam aliquam in Judicio obtinendam, vel ad beneficium aliud acquirendum. *Peccata Anachoitarum* sunt illæ imperfectiones morales, quæ oriuntur in promotis favore, & potentia Principum. *Fraus Mercatorum* est deceptio in mercimonijs interveniens. *Avaritia scientiæ* est iniqua subtractio scientiarum ex parte Magistrorum, quibus incumbit eas communicare; & iniqua conquisitio eorum, qui eas addiscaot ad coacervandas, & corradendas peccunias, aut alias facultates. *Iniquitas Lusorum* est dolosa machinatio, & deceptio in Lusibus lucrativis. Circa Gulam.

8. *Quid Gula; & quæ ejus filiæ?* NOTA septimò: Gulam explicari rectè, quòd *sit immoderatus amor edendi, vel bibendi*. Gulæ peccatum etiam ex genere suo est Mortale; nisi parvitate materiæ, inadvertentia, aut alia ratione excusetur; ut colligitur ex illo Scripturæ exemplo de Epulone damnato. Et illo passu Apostoli 1. ad Cor. 6. *neque Avari, neque ebriosi regnum DEI possidebunt*. Filiæ Gulæ numerantur duæ, Gastrimargia, quæ est excessus in cibo; & Ebrietas, quæ est excessus in potu.

Quæstio II.

De Luxuria; Ira; & Acedia.

1. *Luxuria definitur.*



NOTA primò: Luxuriam bene describi, quòd *sit inordinatus appetitus, vel usus venereorum*. Hæc similiter unà cum suis omnibus filiabus, & speciebus est peccatum Mortale ex genere suo, quemadmodum constat ex Apostolo ad Gal. 5. ubi inter opera carnis, luxuriam quoque enumerat, & damnat inquiens, *qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*.

2. *Species Luxuriæ.* NOTA secundò: Filias, seu species luxuriæ à Moralistis rectè assignari sequentes; simplex fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, vitium contra naturam, & concubitus sacrilegus.

3. *Fornicationis explanatio, & multiplex reductio vitiorum ad eandem.* NOTA tertiò: simplicem fornicationem rectè describi, quòd *sit illicita carnalis commixtio personæ solutæ cum soluta*. Ad hanc revocantur lascivi amplexus inter personas non conjugatas; item oscula lasciva; tactus; aspectus impudici, & turpes, id est instituti causâ venereæ delectationis, consurgentis ex commotione spirituum, generationi inservientium circa partes venereas corporis. Item turpiloquium; turpis cantus; comœdiæ obscœnæ; litteræ amatoriæ, cum deliberatione debita exaratæ; elaboratio turpis picturæ, vel statuæ; & similia, causâ veneris facta, & scripta. Nam etsi hæc sæpe non inferant ipsam carnalem commixtionem; tamen suapte naturâ eò spectant, ac tendunt tanquam viæ, dispositiones inchoationes, & incitamenta.

DIXI *inter personas non conjugatas*; quia si inter conjuges oscula, amplexus &c. fiant ut præparationes, seu incitamenta ad copulam conjugalem, non censentur esse peccata mortalia luxuriæ fornicariæ; ùt habet communis TT. Si autem inter easdem fiant in ordine ad voluptatem duntaxat capiendam, notant esse peccatum veniale Armilla, Sanch. Laym. Cajet. & alij DD. Moralistæ. Si verò unus conjugum se solùm tangat turpiter ob solam voluptatem dicunt esse Mortale, Vasq. Laym. Armilla, &c. Ratio est; quia non habet jus in corpus proprium ad usum venereum, nisi per accidens, ut scilicet possit copulari cum conjuge suo Item si Sponsi præviè se turpiter tangant, vel lascivè, sensualiter, & carnaliter osculentur, aut exerceant amplexus cum periculo pollutionis, aut consensus in copulam; imò etiam his præcisis, ut colligitur ex propositione 40. damnata ab Alexandro VII.

4. *Adulterium, & aliæ species luxuriæ afferuntur.* NOTA quartò: *adulterium* bene describi, quòd sit copulatio carnalis ligati cum ligata; vel etiam ligati vel ligatæ cum soluta vel soluto. Plura de hoc peccato vide *tom. 4. tract. de Virtut. Card. dist. 8. q. 6.* Incestus *est commixtio carnalis inter consanguineos vel affines*. *Stuprum* est congressus carnalis cum virgine. Plura de hoc vitio vide *Tom. 4. tract. de Virt. Card. dist. 8. q. 6. Raptus* est violenta abductio fœminæ in ordine ad usum Venereum. *Vitium contra naturam*

turam est usus venereus alio modo factus, quàm natura ipsum docuit; quod quatuor modis contingit, *Primò* si absque concubitu profusio seminis humani procuretur; hæc profusio mollities, seu pollutio vocatur. *Secundo* si concubitus exerceatur cum supposito alterius speciei v. g. cum capra, vel vacca; hic concubitus vocatur bestialitas; ad hunc revocatur concubitus cum dæmone in forma hominis, vel bruti. *Tertiò* si concubitus fiat cum persona ejusdem speciei, ac sexûs, id-est maris cum mare, vel fæminæ cum fæmina; hic concubitus nominatur Sodomia. *Quartò* si concubitus fiat inter personas quidem diversi sexûs; non tamen servato naturali concũbendi modo, v. g. si non in vase legitimo; sed loco præpostero seminetur. *Concubitus Sacrilegus* est commixtio cum persona DEO consecrata, puta Religioso professo, vel Religiosa professa, Subdiacono, Diacono, vel Sacerdote.

5. *Quid sentiendum de Motibus concupiscentiæ?* Quæres: quid sentiendum de motibus concupiscentiæ, exortis in sensualitate, num, & quomodo sint peccata luxuriæ? Respondeo *primò*, si ejusmodi motus præveniant rationem, & debitam deliberationem, ac consensum in venerem, non sunt peccata luxuriæ. Ita communis TT. contra Lutherum, Calvinum, & alios Hæreticos asserentes, præfatos motus sensualitatis esse omnino peccata, ex vitio fomitis orta. Ratio responsi catholici est *primò*; quia ex S. Scriptura constat, tales motus sæpè causari in quovis homine citra voluntatem, & consensum hominis; adeoquè non esse peccata; unde Jac. 1. dicitur, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Et ad Rom. 7. *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ratio est *Secundo*; quia Tridentinum *sess. in decreto de de peccato Originali* definit, *concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Ratio est *tertiò*; quia S. Augustinus *lib. 2. de pec. merit. & remiss. cap. 4.* docet de concupiscentia, *quod in baptizatis ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura*; noceret autem si esset propriè peccatum: Ergo &c. Ratio est *quartò*; quia nil potest propriè dici peccatum luxuriæ, nisi sit voluntarium & liberum: sed motus concupiscentiæ ex sensualitate orti sæpe non sunt voluntarij, neque liberi; quia præveniunt rationem, & debitam deliberationem: Ergo non sunt peccata luxuriæ.

Respondeo *secundò*: si verò in motus concopiscentiæ; seu sensualitatis sufficienter per rationem animadversos voluntas consentiat deliberatè sive directè, sive etiam indirectè in causa, sunt peccata luxuriæ. Ita communis TT. Ratio est; quia ita constat ex illo præcepto Decalogi, *non concupisces uxorem proximi, non ancillam*, &c. quibus verbis prohibetur consensus voluntatis in motus concupiscentiæ, sufficienter per rationem animadversos:

DIXI, *sive etiam indirectè in causa*; quia aliquando voluntas censetur in motus sensuales consentire, & mortaliter peccare in causa eorum, quando videlicet deliberatè ponit causam proximam, ex qua prævidet motus carnales orituros, & tandem delectationem veneream; v. g. si det oscula lasciva, exerceat amplexus, & tactus impudicos, se inebriet, comedat gulosè, & valde calida, ponat aspectus curiosos, legat turpia, &c. Ex quibus prævidet plerúmque delectationem veneream, & pollutionem secuturam, & memorata adhibeat ad finem delectationis venereæ, & pollutionis. Circa Iram.

NOTA quintò *Iram* bene describi, quòd sit motus inordinatus, & concitatus animi in ordine ad vindicationem sumendam. Ira est ex genere suo peccatum Mortale; nisi indeliberatione, vel exilitate motûs modificetur. Ratio est; quia contrariatur charitati, quæ juxta Apostolum, *non irritatur*, *non cogitat malum.* Hujus vitij filiæ sunt rixa, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia, & vituperium. *Rixa* est motus audax concitatus per se vindicandi injuriam illatam. *Contumelia* est viodicatio publica injuriæ per exprobrationem malorum, famam imminuentium; de hac vide dicta *Tom. 4. tract. de Virtut, Cardin: dist. 9. q. 2.* *Clamor* est vindicatio injuriæ per exaltationem vocis. *Indignatio* est vindicatio injuriæ per signa aliqua exteriora, quibus vel invehitur in proximum, vel eum dedignatur. *Blasphemia* est ultio injuriæ per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum. *Vitu-* 6. *Quid Ira; & quæ ejus filiæ?*

Vituperium est vilipensio personæ per verba, diminuentia qualitates proximi. Circa Acediam

7. *Quid Acedia; & quæ filiæ ejusdem?* NOTA sextò: *Acediam* rectè describi, quòd sit tædium animi, bonum inchoare negligentis. Acedia ex genere suo est mortale, quando versatur circa necessaria salutis, quæ negligit operari; uti colligitur ex illo Evangelio, *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens dignus est regno Dei.* Si verò versatur solùm circa ea, quæ non sunt necessaria ad salutem, aut graviter obligatoria, est tantùm veniale. Filiæ Acediæ ex S. Gregor: *lib. 31. Moral. cap. 17.* sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, & vagatio mentis circa illicita. His addit Isidorus otiositatem, verbositatem, & curiositatem.

QUÆSTIO III.

De Usura; Simonia; Rapina; Furto; Infidelitate, Superstitione, Duello; Sacrilegio; Desperatione illicita; Præsumptione; Occisione; Schismate; Bello injusto; Judicio temerario; Suspicione; Perjurio; Tyrannide; & Inobedientia.

1. *Describitur Usura.* NOTA primò: peccatum Usuræ rectè describi, quòd *sit lucrum ultra sortem, ex mutuo immediatè proveniens tanquam debitum.* De hoc peccato vide plura, quæ doceo *tom. 4. tract. de virtut. Cardinal. dist. 12. q. 6. per totum.*

2. *Et Simonia.* NOTA secundò: Simoniam definiri ex glossa *in cap. 11. qui studet 1. q. 1.* quòd *sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Pro exacta, & fusa notitia hujus peccati remitto Lectorem ad *tom. meum 4. tract. de Religione dist. 7. q. 5. per totum.*

3. *Rapina, & Furtum.* NOTA tertiò: Rapinam esse *ablationem rei alienæ per vim,* ut dicitur *L. 1. C. de vi bonorum raptorum.* Et *cap. pœnale 14. q. 5.* Furtum verò, *est ablatio rei alienæ occulta.* De utróque peccato vide, quæ trado fusiùs *Tom. 4. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 10. q. 1.*

NOTA quartò: Infidelitatem describi quòd *sit voluntaria negatio veræ fidei sive in toto, sive in parte*: hujus species sunt Paganismus, Judaismus, & Hæresis; quarum descriptiones, uti & alia peccatum Infidelitatis concernentia vide *Tom. meo 4. tract. de Virtut. Theol. dist. 2. q. 5. & 6.* 4. *Infidelitas.*

NOTA quintò: Superstitionem *esse cultum excessivum vero, vel falso Numini exhibitum*: hæc continet sub se tanquam species subalternas Idololatriam, Divinationem, Vanam observantiam, & Magiam; quas ritè descriptas, & in suas species atomas (cujusmodi sunt cultus planetarum, animalium, &c. Astrologia Judiciaria, Physiognomia, Chiromantia, irreligiositas, &c.) discriminatas, aliáque peccata superstitionis concernentia, vide *tom. meo 4. tract. de Relig. dist. 7. q. 1. 2. 3. & 4.* 5. *Superstitio.*

NOTA sextò: Occisionem illicitam *esse ablationem iniquam vitæ humanæ.* Huic affinis est Mutilatio, quæ *est ablatio unius duntaxat, vel plurium membrorum corporis, subsistente tamen vitâ physicâ.* Utrumque hoc peccatum vide ampliùs deductum *tom. meo 4. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 8. q. 2. & 5.* 6. *Occisio.*

NOTA septimò: Schisma rectè describi, quòd *sit separatio voluntaria ab unitate Ecclesiæ, prout ipsa est corpus mysticum, ex diversorum statuum fidelibus, tanquam membris, & cum uno capite Christo, ejusq; in terris Vicario connexis, servata tamen Christiani Nominis professione.* Species Schismatis vide explicatas *tom. meo 4. tract. de Virtut. Theol. dist. 5. q. 11.* 7. *Schisma.*

NOTA octavò: Bellum injustum bene definiri, quòd *sit congregatio plurium personarum hostilium, vi & armis iniquè nocentium.* De bello justo, & carente peccato vide plura à me dicta *tom. 4. tract. de Virt. Theol. dist. 5. q. 11.* 8. *Bellum, & Duellum.*

NOTA nonò: Duellum *esse pugnam duorum, conclusam utrinque certo loco, & tempore, cum mortis periculo perficiendam.* De pœnis duellantium, & casibus exceptis, in quibus licitum est duellum, vide quæ doceo tomo, tractatu, distinctione, & quæstione mox *citatis num. 11. & 12.*

NOTA decimò: Sacrilegium aptè definiri quòd *sit violatio rei Deo dicatæ.* Res autem sacræ, per quas committitur Sacrilegium, sunt in triplici 9. *Sacrilegium.*

plici

plici differentia; nimirum vel personæ Deo sacratæ per sacram Ordinationem, vel Religiosum statum; vel sunt locus sacer, seu Deo consecratus, puta Ecclesia, Altare, &c. vel sunt res sacratæ aliquo modo: de quibus omnibus, uti & alijs peccatum hoc concernentibus vide *tom. meum 4. tract. de Religione dist. 7. q. 4.*

10. *Desperatio.* NOTA undecimò, desperationem bene sic describi; *est voluntaria omnimoda defectio à spe consequendæ beatitudinis.* Plura de isto peccato vide *tom. 4. tract. de Virtut. Theol. dist. 4. q. 4.*

11. *Præsumptio* NOTA duodecimò: præsumptionem *esse actum voluntatis quo quis absque medijs à Deo ordinatis sperat se beatitudinem obtenturum.* De hoc peccato recurre ad dicta *tom. 4. tract. de Virtut. Theolog. dist. 4. q. 4. conc. 1.*

12. *Judicium temerarium.* NOTA decimò tertiò: Judicium temerarium ritè describi *est primus animi assensus absque sufficienti fundamento, asserens de proximo defectum alicujus boni, vel aliquod malum.* Suspicio verò *est assensus debilis sufficientibus rationibus de fama vitiata proximi.* Utriusque exactiorem notitiam quære *tom. meo 4. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 9. q. 1.*

13. *Perjurium.* NOTA decimò quartò: perjurium, *est advocatio Dei in testimonium alicujus veritatis assertæ, vel promissæ, etsi nulla subsit veritas.* De hoc peccato consule dicta *tom. meo 4. tract. de Relig. dist. 6. q. 3. conc. 6. & 7.*

NOTA decimò quintò: tyrannis *est usurpatio supremi regiminis in aliquo Regno aut provincia sine jure, vel etsi sit cum jure, abusivè tamen exercetur.* Plura peccatum istud concernentia quære *tom. 4. tract. de Vir. Cardin. dist. 8. q. 3. num. 6.* 14. *Tyrannis.*

NOTA decimò sextò: Inobedientiam *esse denegationem debitæ obedientiæ, & venerationis, iis, quibus aliqua ratione obedientia & veneratio est impendenda.* Hæc varijs modis potest contingere, puta si homo peccet contra mandata, & leges Divinas; si fideles Christiani transgrediantur Sanctiones S. R. Ecclesiæ; si Religiosi excuciant jugum obedientiæ erga suos Superiores legitimos; si vasalli non obtemperent decretis suorum Dominorum; Uxor præceptis rationabilibus Mariti; Filij & Pupilli mandatis Parentum, ac Tutorum; Famuli jussionibus honestis Herorum &c. Reliqua peccata personalia facilè deprehendet industriosus Lector percurrendo *4. Tomos hujus meæ Scholæ Theologicæ*, quibus sparsim pro materiarum opportunitate sunt inserta, in quem finem consulat indices alphabeticos in calce Tomorum annexos. 15. *Inobedientia.*



DISTINCTIO ULTIMA.

De Peccato Originali.

PROOEMIUM.



PEccatum Originale à SS. PP. varias Sortitum est appellationes; nam à D. Cypriano vocatur *contagium mortis antiquæ*: à S. Chrysostomo *radicale peccatum*: à S. Dionysio *habitus dissimilitudinis, à Deo homini ingenitus*: ab Irenæo *chyrographum quod scripsit Adam*: à S. Ignatio *antiqua impietas*, à doctissimo P. nostro Meyronio *hæreditaria macula, antiqua labes, mortis chyrographum, & nota irregularitatis, quâ omnis ex Adam propagatus contrahens illegitimus fit ad suscipiendum, & obtinendum Sacrum Ordinem Angelorum.* Dicitur autem Originale, vel quia est aliorum peccatorum origo; vel quia origine ipsa, seu na-

turali generatione in omnes transfunditur; vel quia à primo homine, qui fuit origo totius generis humani, ortum duxit, & in ejus posteros fuit propagatum. De hujusmodi peccato variæ veniunt resolvendæ controversiæ, magnæ indaginis; de quibus hac distinctione; unde sit

QUÆSTIO I.

De existentia peccati Originalis.

1. *In quovis homine, est Originale peccatum ex Scriptura.*



DICO primò: in quovis homine ex Adami progenie propagatu (exceptâ unicâ Matre Dei semper Immaculatâ) reperitur peccatum Originale ante susceptum baptisma. Ita Scotus 2. *dist.* 32. *q.* 1. & communis TT. contra varios Hæreticos Rufinum, Pelagium, Armenos, Albigenses, Pet. Abailardum Roterodamum, Zwinglium, & Anabaptistas.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, peccatum Originale asseverantis; unde dicitur Gen. 17. *masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit:* quæ verba expendens D. Augustinus *lib.* 16. *de Civ. Dei cap.* 27. *quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum dissipatum est Testamentum, generatio disperdet; nisi regeneratio liberet.* Et Job. 14. *quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* supple mundus; quem textum septuaginta sic vertunt; *nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Et Psalm. 50. *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Præfatas duas authoritates etiam adducunt SS. PP. Augustinus, & Hieronymus ad probandam Originalis peccati existentiam. Huc etiam facit illud Apostoli ad Rom. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt:* Ergo in quovis homine ex progenie Adami propagato reperitur peccatum Originale.

2. *Et Concilijs SS.* Probatur secundò authoritate CC. conclusionem definientium; unde Conc. Palæstinum inter cæteros articulos hæreticos Cælestij, & Pelagij, etiam ille fuit damnatus, qui negabat in parvulis recenter natis Originale peccatum. Similiter Conc. Milevit. II. sub Innoc. I. *can.* 2. dogmatizavit in hunc modum, *placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam contrahere originalis peccati, quod regenerationis lavacrò expietur*, &c. *anathema sit.* Eandem doctrinam protulit Arausicanum II. sub Felice IV. Patet etiam ex Florentino in Decreto Eugenij IV. Et tandem Tridentinum *sess.* 5. *can.* 2. ait, *si quis Adæ prævaricationem suam, & non ejus propaginis asserit novissimè*, &c. *anathema sit.* Et *can.* 3. *si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum in omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI*, &c. *anathema sit* Ergo &c.

3. *Et SS. quoq; Patribus.* Probatur tertiò authoritate SS. unanimiter conspirantium in hanc Catholicam veritatem conclusionis; ùt videre est apud Irenæum *lib.* 5. *cap.* 17. & 19. Et Tertulianum *lib. de anima cap.* 5. Et Origenem *hom.* 8. *in Levit.* Et Basilium *in expos. Psalmi* 32. Et Gregorium Nazianzenum *orat.* 3. *de pace.* Et Chrysostomum (quem maximè Pelagiani pro se citabant secundùm D. Augustinum) *epist. ad Olymp.* dicentem; *Adam sic peccavit illud grave peccatum, ut omne genus hominum in commune damnaret.* Et Augustinum *lib.* 1. *adversus Julianum cap.* 7. qui pro eadem sententia citat D. Hieronymum dicens, *hic Græcò, & Latinò insuper & Hebræò eruditus eloquiò ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam in locis sanctis, atque in litteris sacris usque ad decrepitam vixit ætatem, cujus nobis eloquium ab Oriente usque ad Occidentem ad instar lampadis resplenduit, non aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam* (quàm scilicet conclusionis præmissæ) *nam in cap.* 6. *Oseæ ait; & ibi, hoc est in Paradiso, omnes prævaricati sunt in me, & in similitudinem prævaricationis Adam; non enim mirum, si quod in paren-*

, parente præcessit, etiam in filijs eadem nectur, &c. Et lib. 2. contra Julian. cap. 6. rursus ait idem Præsul Hypponen: post occulta spiramenta viscerum qui nascitur, funditur in ortu ploratur& reatum, quem contraxit ante ortum: Ergo in quovis homine ex progenie Adami propagato reperitur peccatum Originale.

4. *Rationes Theologicæ ad idem.* Probatur quartò rationibus Theologicis: primò, omnibus hominibus ex Adami progenie propagatis est ad salutem necessarios baptismus, juxta illud Salvatoris Joan. 3, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest intrare regnum Dei: Sed non ob aliam rationem, quàm quia in eis reperitur peccatum originale, baptismò emnodaodom; Ergo in omnibus hominibus ex Adami progenie propagatis reperitur peccatum Originale ante baptismum. Min. patet, tum quia propterea ad Ephes. 5. vocatur baptismus lavacrum aquæ in verbo vitæ. Et ad Tit. 3. lavacrum regenerationis, & renovationis. Tum quia baptizatio est ablutio quædam, seu mundatio; talis autem supponit aliquas sordes præexistentes; utique non alias in parvulis, quàm Originales: Ergò &c.

Secundo Christus mortuus est pro omnibus hominibus ex Adam progenie propagatis, secundùm illud Apostoli 2. ad Cor. 5. Christus pro omnibus mortuus est: Ergo priùs omnes spiritualiter erant mortui, ut rectè ratiocinatur ibidem S. Apost. loco cit. inquiens, si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: sed parvuli non aliâ morte, quàm Originalis peccati mortui sunt: Ergo in omnibus his reperitur peccatum Originale.

Tertiò: ad comprobandam conclusionem de existentia peccati Originalis quoque inserviunt omnes illæ pænæ, & ærumnæ, quibus omnes homines ex progenie Adæ propagati illicò ex utero effusi subjiciuntur, ob contractum peccatum Originale; ut rectè advertunt SS. PP. signanter D. Augustinus lib. 3. contra Julian. cap. 3. Tertulianus, & alij: quare expendens has ærumnas Ecclesiasticus dixit cap. 40. grave jugum super filios Adæ à die exitùs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ. Similiter Ecclesiasticæ cæremoniæ solitæ adhiberi in baptismo, exorcismus videlicet, renuntiatio Sathanæ, & insufflatio in ordine ad abigendum Dæmonem, possidentem animam parvulorum; ut patet ex D. Augustino lib. 2. de nupt. cap. 18. dicente de Juliano, accusat Ecclesiam toto Orbe diffusam, in qua omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, in quo necesse est vasa iræ possideantur; Dæmon autem non possidet animas, nisi propter peccatum aliquod; Ergo in omnibus parvulis ex Adam genitis reperitur peccatum Originale.

DIXI in conclusione, exceptâ unicâ Matre DEI semper immaculatâ; quia B. V. Maria singulari privilegio fuit præservata in conceptu, post conceptum, & post ortum, ab omni prorsùs labe peccati Originalis; ut uberiùs & ex professo docui hoc Tomo Tract. de Incarnat. disp. 16. q. 1. & 2. 5. *B. V. Maria caruit Originali.*

6. *Hæreticorum objecta contra Originale peccatum.* Objiciunt Hæretici primò; Ezech. 18. dicitur, filius non portabit iniquitatem patris. Secundò; S. Chrysostomus epist. ad Neophytos dicit, hac de causa & infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccatò, nempe ut eis addatur sanctitas, &c. Tertiò; Deus nequit esse mali artifex: Ergo non producit homines cum malo Originali. Quartò; nuptiæ sunt bonæ: Ergo & homines qui ex ijs nascuntur pariter boni; & consequenter carentes malò Originalis labis. Quintò; arguit Julianus apud S. Aug. lib. 2. de nupt. & concup. cap. 28. non peccat iste qui nascitur; non peccat ille qui genuit; non peccat ille qui condidit; scilicet Deus: per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? Sextò; peccatum debet esse voluntarium: sed Originale in parvulis non potest esse voluntarium: Ergo in eis non est.

7. *Eadem refutantur.* Respondeo ad primum, glossando textum Ezech. & dico, eum loqui de iniquitate personali patris; quod hæc in filium non transfundatur, nec filius ob eam puniatur, nisi eidem consentiat per pravam imitationem. Ad secundum, interpretor cum D. Augustino lib. 1. contra Jul. cap. 6. dictum allegatum S. Chrysostomi, & dico, eum pariter loqui de peccato personali, quò revera carent parvuli ob defectum usûs rationis; unde in Græcis exemplaribus locò hojos singularis peccatò ponitur plurale peccatis, ad designandum peccata personalia. Ad tertium, Neg. Conseq. nam ut advertit D. Augustinus lib. de Peccat. Orig. cap. 32. in productione hominis originaliter infecti duo sunt designanda, natura, & vitium naturæ; primum attri-

attribuitur Deo ut artifici, alterum non, sed Adamo prævaricanti Legem primordialem, ex cujus prævaricatione omnis homo nascitur cum labe Originali. *Ad quartum* Neg. Conseq. nam nuptiæ ideo tantùm dicuntur bonæ; quia institutæ à Deo ad multiplicationem generis humani; unde omne individuum humanum ex ijs progenitum censetur bonum, quia multiplicativum generis humani; cum quo stat, quòd quodvis possit esse vitiatum malò Originali, quod non nuptijs: sed Adæ prævaricationi est adscribendum. *Ad quintum* respondet S. Augustin. ibid. *citat. quid quæris latentem rimam cùm habeat apertissimam januam? per unum hominem ait Apostolus, per unius delictum ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis; quid quæris amplius? quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?* licèt ergo nec natus, nec genitor, nec Conditor Deus peccet, &. sit causa ingressûs peccati Originalis; adhuc ob aliam rationem ingreditur animam parvuli, puta ob peccatum Adæ. *Ad Sextum*, cum Scoto Dist. Maj. peccatum debet esse voluntarium vel in se; vel in alio, in quo moraliter constituitur tanquam in capite Conc. Maj. debet esse voluntarium semper in se Neg. Maj. Itaque peccatum Originale parvulorum est sufficienter voluntarium in Adam, in quo tanquam capite totius vitiatæ propaginis humanæ constituitur. & *ex cujus voluntate* (ùt loquitur D. Augustinus *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 28.*) *seminatum est, ut in illo esset, & in omnes transiret.*

QUÆSTIO II.

De quidditate peccati Originalis.



NOTA primò: circa quidditatem, naturam, seu rationem formalem peccati Originalis plurima dispa- ratissima fuisse sentimina; tum Hæreticorum, tum AA. Catholicorum; quæ singula pro institutò meo tangam, sequentibus conclusionibus. Unde

1. *Peccatum Originale non est formaliter fomes natura.*

DICO primò: quidditas peccati Originalis formaliter non consistit in fomite, aut concupiscentia naturæ humanæ, prona ad malum. Ita communis Catholicorum; contra Novatores nostros Lutheranos, & Calvinistas.

Probatur primò authoritate Scripturæ; Iacobi 1. *cap.* dicitur de fomite, & concupiscentia, ut prona ad malum, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum* ex quo textu habetur fomitem seu concupiscentiam secundùm se, & quidditativè non esse peccatum; sed inclinare duntaxat ad peccatum: Ergo peccatum Originale formaliter non consistit in fomite aut concupiscentia naturæ humanæ, prona ad malum.

Probatur secundò authoritate Tridentini; quod *sess. 5.* definit, *manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hac Sancta Synodus fatetur, & sentit*, &c, sed peccatum Originale in baptizatis non manet; uti constat ex eodem Concilio, *loc. citat.* Et illo Apostoli ad Rom. 8. *nihil damnationis est in his, qui renati sunt in Christo*: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. asserentium fomitem, & concupiscentiam congenitam naturæ discerni, ac distingui à peccato; & consequenter non esse formaliter & quidditativè aliquod peccatum; sed disponere tantùm ad peccatum; unde D. Augustinus *membro 6. contra Julian.* expendens illum passum D. Jacobi 1. *cap. concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum* dicit *profectò in his verbis partus à parturiente discernitur; pariens enim est concupiscentia, partus peccatum*: Ergo &c.

Probatur quartò ratione: fomes, & concupiscentia fuisset etiam in hominibus conditis in puris naturalibus; ùt docui *tract. de plasmat. hominis ejusque vario statu dist. 4. q. 2.* & patet inde; quia tales homines fuissent præditi appetitu, inclinante ad objectum delectabile: sed in illis non fuisset ullum peccatum Originale: Ergo peccatum Originale non consistit formaliter, & quidditativè in fomite, seu concupiscentia. Præterea fomes est defacto effectus, & pæna peccati Originalis; ùt docet D. Augustinus. *lib. 5. contra Julian.* dicens, *concupiscentia pæna peccati est quia reddita est meritis inobedientiæ*: Ergo fomes nequit esse formaliter, & quidditativè ipsum peccatum Originale: Conseq. tenet; quia unum idemque nequit esse peccatum, & pæna peccati; aliàs esset causa, & causatum.

DICO secundò: neque peccatum Originale est quidditativè ipsa substan- 2. *Neque est ipsa anima*

ma substantia vitiata peccato Adæ. tia animæ, peccatò Adæ substantialiter vitiata, & ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem Diaboli transformata. Ita quoque communis Catholicorum; contra Illyricum, fundatorem sectæ Centuriatorum.

Probatur primò authoritate SS. PP. uno ore docentium, peccatum generationis non esse aliquam substantiam essentialem, vel subsistentiam, & consequenter nec Originale peccatum erit aliquid substantiale; ita dogmatizat D. Augustinus scribens *in Psalm. 62. iniquitas ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus.* Et Nazianzenus *orat. in* S. *Bapt.* dicit, *crede nullam esse mali essentiam.* Et Epiphanius *hær. 37. neque malum est quiddam per se subsistens.* Et D. Augustinus specificè de Originali malo *lib. 6. contra Julian. cap. 7.* docet illud neque esse corpus, neque substantiam: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: ex sententia Illyrici sequerentur duo absurda: Ergo &c. Probat. Ant. *primo* sequeretur Deum esse authorem peccati Originalis, nam ipse condidit immediatè omnem substantiam, & essentiam humanam, substantialiter secundùm Illyricum, vitiatam. *Secundò* sequeretur, Originale per Baptismum non tolli; quia remanet tota substantia, & essentia naturæ humanæ: Ergo &c.

3. *Neque aliqua macula ab anima contracta ante infusionem.* DICO tertiò: neque aliqua macula, contracta ab anima antequam corpori infunderetur; neque in morbida aliqua qualitate, ex corruptione appetitûs carnalis in ipsam animam derivata, consistit Originalis labes. Ita pariter communis Catholicorum; contra Originem quoad primam partem; & contra Arimin: Gabriel, ac Gniliel: quoad secundam.

Probatur prima pars authoritate SS. PP. asserentium Peccatum Originale in posteritatem Adæ derivari ex ipso Adam; quorum aliquos vide citatos *priori quæst.* & alios passim apud DD. in hoc tractatu; nulla autem anima in posteritate Adæ contenta, antequam infunderetur suo corpori, habuit ullam Originem, aut consanguinitatem cum Adam: Ergo Originale in ea repertum non consistit in aliqua macula contracta ab anima antequam corpori infunderetur. Deinde ex nulla Scriptura, Concilio, aut ratione constat, animas extitisse priùs tempore, ut proinde possent maculari, antequam corpori infunderentur: Ergo &c.

Probatur secunda pars: Tum quia ex sententia Arimensis, & aliorum sequeretur, Deum esse authorem peccati; quia esset author talis morbidæ qualitatis, unacum natura humana à se conditæ; sed sequela est impia. Ergo peccatum Originale non consistit in aliqua morbida qualitate. Tum quia non potest sufficienter explicari, qualis sit ista qualitas morbida: non enim est corporalis; quia qualitas corporalis nequit debitè maculare, & inficere substantiam purè spiritualem, qualis est anima: neque est spiritualis; quia appetitus carnalis non potest efficere, & derivare aliquid spirituale, quale esset ista qualitas; cùm hoc sit ultra sphæram activitatis suæ: Ergo &c. Tum quia non videtur credibile, ejusmodi qualitatem per tot annorum millia, & tot millenas generationes tandem non esse absumptam; atque ita Originale peccatum in modernis posteris Adæ cessâsset: non cessavit autem, ut novissimè definivit Tridentinum *sess. 5.* Ergo labes Originalis non consistit in aliqua morbida qualitate, ex corruptione appetitûs carnalis in animam derivata. 4. *Neque aliqua morbida qualitas.*

5. *Neque ipsa Adæ prævaricatio, in posteros transfusa.* DICO quartò: neque peccatum Originale est quidditativè ipsa Adæ prævaricatio contra Legem primordialem, in suos posteros moraliter transfusum, & perseverans quousque remittatur. Est contra Lugon, Arriag, Granad. Ouviedo, & alios RR. nec non ex Scotistis contra P. Poncium, P. Vulpem, P. Frassen, P. Herincks, P. Cavellum, & quosdam alios.

Probatur primò authoritate *S.* Scripturæ; ad Rom. 5. dicitur, *per unius hominis inobedientiam peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*, ubi notanda est illa dictio *per*, quæ causalitatem denotat: nunc sic arguo, Peccatum Adæ est causa peccati originalis in suis posteris: Ergo idem peccatum Adæ nequit esse causatum, seu peccatum Originale eorundem posterorum, quatenus in eos transfusum, & moraliter permanens quousque remittatur.

Probatur secundò authoritate Conc. Tridentini, quod *sess. 5. in decreto de Peccat. Orig.* dogmatizavit in hunc modum, *si quis hoc Adæ peccatum, quod Originale unum est, & propagatione, non imitatione trans-*

transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli &c. *anathema sit*: ex quo Canone habetur, peccatum originale transfundi in posteros per peccatum Adæ, & esse unicuique proprium: Ergo nequit esse ipsum Adæ peccatum; nam peccatum ab Adam commissum nequit transferri in posteros; eùm transierit; & similiter nequit esse cuicunque posterorum proprium.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. discriminantium peccatum Originale posterorum à peccato actuali Adæ, ut causam & effectum; item peccatum Adæ ut aliud à peccato posterorum: unde Augustinus *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 26.* ait, *voluntarium peccatum hominis primi Originalis est causa peccati.* Et Anselmus *lib. de concept. Virg. cap. 27.* scribit *unumquemque non portare peccatum Adæ; sed suum; nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantium; illud enim est causa, istud effectus*: Ergo peccatum Originale non est quidditativè ipsa Adæ prævaricatio contra Legem primordialem, in suos posteros moraliter transfusa, & perseverans quousque remittatur; aliàs esset simul causa, & effectus.

Probatur quartò ratione: Tum quia prævaricatio Adæ contra legem primordialem jam pridem est à Deo dimissa; & tamen peccatum Originale parvuli, qui hodie nascitur, non est dimissum; sed primò remittetur in Baptismo: Ergo in illa prævaricatione non rectè statuitur quidditas peccati Originalis. Tum quia etsi obedientia Christi nos reddat justos secundùm illud Scripturæ, *ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi*; non tamen per eandem formaliter redduntur justi; sed per gratiam sanctificantem: Ergo similiter licèt per inobedientiam, seu prævaricationem Adæ reddamur injusti, seu peccatores, originaliter juxta eandem Scripturam, *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; non tamen reddimur formaliter peccatores originaliter per illam; & consequenter in illa inobedientia, seu prævaricatione Adæ quidditativè non constituitur peccatum Originale.

6 DICO quintò: neque peccatum Originale est quidditativè ipsa Adæ prævaricatio contra legem primordialem quatenus imputata posteris suis ùt propria, vel communis singulorum. Est contra Pighium, Catharinum, Salmeronem, & quosdam alios DD. Catholicos.

Neque eadem, ut imputata posteris Adæ.

Probatur primò authoritate Tridentini quod *sess. 5. can. 3.* priori conclusione relata, dogmatizat Adæ peccatum esse origine unum, & propagatione, non imitatione transfusum, & omnibus posteris inesse ùt proprium: Ergo censet illud peccatum unicuique propriè, ac intrinsecè inhærere; sed quod duntaxat imputatur alteri, non in hæret intrinsecè alteri; sed extrinsecè tantùm denominat: Ergo peccatum Originale quidditativè non est ipsa prævaricatio Adæ quatenus imputata posteris suis.

Probatur secundò ratione: ut defacto dicatur aliquis verè Sanctus, & justus, non sufficit ut sanctitas, & justitia Christi ei imputetur; sed requiritur aliquid intrinsecè inhærens, puta gratia habitualis: Ergo similiter ut posteri Adæ dicantur verè peccatores, & infecti Originali labe, non sufficit, ut prævaricatio Adæ eis imputetur; sed requiritur aliquid ipsismet posteris intrinsecè inhærens.

7. DICO sextò: neque peccatum Originale quidditativè importat solam privationem gratiæ sanctificantis; neque solam privationem justitiæ Originalis. Prima pars est contra Thomistas; secunda contra veteres Scotistas.

Neque sola privatio gratiæ sanctificantis; vel sola privatio justitiæ originalis.

Probatur: Peccatum actuale Adæ non tantùm fuit privativum gratiæ sanctificantis in Adam, & posteris ejus; sed etiam justitiæ originalis; uti patet ex Conc. Trid. *sess. 5. in decret. de Peccat. Orig. can. 2.* docente, *Adam acceptam à Deo sanctitatem, & justitiam* (scilicet originalem) *perdidisse sibi, & nobis, per inobedientiæ peccatum*: Ergo peccatum Originale quidditativè non importat solam privationem gratiæ sanctificantis; nec solam privationem justitiæ originalis.

8. DICO septimò: Peccatum Originale quidditativè, & formaliter consistit in privatione duplici simul, nimirum gratiæ sanctificantis, & justitiæ Originalis, ut connotante actuale Adæ peccatum. Ita Scotus *2. dist. 32. q. unica.* ubi in fine ait, privationem originalis justitiæ includere virtualiter privationem gratiæ sanctificantis, & quòd hæ privationes in posteris Adæ sint connexæ; & consequenter quòd utraque concurrat ad constitutionem Originalis culpæ.

Sed utraq; simul

Probatur primò ex rejectione aliarum opinionum mox præmissa: nam si peccatum Originale quidditativè, & formaliter non consistat in fomite, neque in ipsa substantia animæ, neque in macula, neque in ipso Adæ peccato moraliter perseverante, aut imputato, neque in sola privatione gratiæ sanctificantis, aut sola justitia originali; relinquitur, quòd ex utraque privatione adæquatè conflctur ejusdem quidditas.

Probatur: hæc sententia est planè ad mentem Conc. Trid. *sess. 5. can. 1.* dogmatizantis, *primum hominem Adam cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*: ex quo Canone sequitur, quòd sicut utrumque donum à Deo accepit pro se, & suis posteris, utrumque pariter sibi & nobis perdiderit; atque ita utriusque privatio ad nos transiverit, & in nobis constituat Originale peccatum.

9. *Quatenus connotant actualem Adæ peccatum.* DIXI in conclusione *in privatione utrâque, connotante actuale Adæ peccatum*: nam cùm omne peccatum debeat esse voluntarium aliquo modò, & Originale nequeat esse voluntarium voluntate parvulorum, voluntarium dici debet per ordinem ad volitionem Adæ, in qua omnes voluntates posterorum fuerunt inclusæ tanquam in primo capite nostro nedum physico, sed etiam morali: ut rectè discurrit Scotus *loc. citat.* atque adeò privationes illæ duæ, gratiæ scilicet sanctificantis, & justitiæ Originalis connotare debent actualeAdæ peccatū, verè voluntarium.

QUÆSTIO III.

De traductione peccati Originalis in filios Adæ; ejúsque effectibus.

1. *Originali traducitur in omnem hominem.*  Eccatum Originale traduci in quodvis individuum generis humani, seminaliter generatum (unicâ Deiparâ exceptâ ob privilegium singulare) de fide est, & sufficienter ex S. Litteris, CC. & PP. ostensum supra *q. 1. conc. 1.* Sed quomodo ejusmodi traductio fiat? ardua olim videbatur quæstio D. Augustino, ut videre est *Epist. 29. ad Hierony.* Et *lib. 5. contra Julian. cap. 4.* Et propterea eadem quæstio fecit Scholasticos quoque abire in varia sententias, quæ, breviter tangam hic. Unde.

DICO primò: traductio peccati Originalis in filios Adæ non contingit per morbidam aliquam qualitatem humano semini inexistentem, aut per infectionem realem ei superadditam, qualis solet esse in semine leprosi tanquam principium lepræ. Est contra Magistrum Sent. Ariminen. & Gabriel. 2. *Non quidem per morbidam qualitatem seminis humani.*

Probatur: Tum quia talis morbida qualitas esset, ut suppono, materialis: Ergo nequit ut causa totalis in subjecto spirituali, cujusmodi est anima, producere peccatum Originale. Tum quia ex nulla Scriptura, Concilio, Patre, aut ratione constat, semen Patris generantis parvulum fuisse aliquà morbidà qualitate infectum; cùm nullum ejus indicium extet; & si infectum esset, ejus infectio sanè deberet authori naturæ imputari; & consequenter etiam peccatum Originale; quod est falsum: Ergo &c.

DICO secundò: neque traductio Originalis fit per concupiscentiam carnis, ab Adam propagatæ, animam parvulorum inclinantis deorsum, & distortam obliquàmque reddentis. Est contra Alensem, & alios DD. 3. *Nec per concupiscentiam carnis animam obliquantis.*

Probatur, Tum quia si caro alicujus parvuli ex nihilo crearetur; & tamen adhuc foret subjecta motibus concupiscentiæ; uti modo est, talis parvolus pateretur à concupiscentia inclinationem animæ deorsum; & tamen careret peccato originali; cùm non sit propagine Adæ genitus: Ergo traductio originalis non fit per concupiscentiam carnis, animam inclinantis deorsum. Tum quia concupiscentia carnis manet in hominibus jam baptizatis & ab Originali depuratis: Ergo per eam non fit traductio originalis.

DICO tertiò: traductio originalis peccati fit per seminalem propagationem viâ communi generationis, ita nimirum, ut anima parvuli illò instanti, quò à Deo infunditur corpori organizato & constituit cum eo individuum filij naturalis Adæ, parvulus censeatur in Adam tanquam in capite totius generis humani prævaricatus fuisse legem primordialem, & excidisse à gratia sanctificante, ac justitia originali. Ita Scotus, *2. dist, 32. q. un.* 4. *Sed modò, in conclusione hac expressâ.*

Probatur primò authoritate Tridentini, quod *sess. 6. cap. 3.* sic docet, *sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ex propagatione per ipsum, dum concipiuntur,* pro-

propriam injuſtitiam contrahunt, &c. quibus verbis traductio originalis peccati reſunditur in propagationem ſeminalem via communi generationis: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate SS. PP. peccatum originale pariter in commixtionem corporum referentium: unde Auguſtinus *lib: 2. de nupt. & concup. cap. 4. ideo autem homines expertes non ſunt delicti; quia de illa commixtione ſunt nati, qua ſine pudenda libidine non poteſt etiam, quod honeſtum eſt operari*: Et Ambroſius in Iſaiam ſcribit, *ſervatum eſt igitur, ut ex viro, & muliere, id eſt per illam corporum commixtionem nemo videatur eſſe expers delicti*: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: non videtur commodior via explicandi tranſfuſionem, & traductionem originalis peccati in filios Adæ, quàm via communis propagationis ſeminalis: unde rectè S. Leo Papa *ſerm. 5. de Nativ. Domini* eximit Chriſtum ab originali; quia nimirum per propagationem ſeminalem viri, & fœminæ non fuit generatus, dicens, *ſolus inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus eſt; quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus*: Ergo &c. Circa alterum articulum quæſtionis.

5. *Originale cauſat damnoſos plures effectus.*

NOTA primò: in omnibus poſteris Adæ peccatum originale varios, eóſque damnoſiſſimos cauſare effectus, tum in bonis gratuitis, tum in naturalibus; quare unicuique ſecundùm SS. PP. & gloſſam ordinar. quadrat illa parabola Luc. 10. *hominis deſcendentis à Jeruſalem in Jericho, & incidentis in latrones; qui deſpoliaverunt eum, plagiſque impoſitis abierunt ſemivivô relictô*, ubi nomine ſpoliationis intelligitur ablatio Divinorum chariſmatum; nomine verò vulnerationis veniunt varia vulnera, potentijs naturalibus hominis inflicta ab originali. Unde

6. *Signanter privat gratiâ ſanctificante, & juſtitiâ originali.*

NOTA ſecundò: quemlibet poſterorum Adæ ratione originalis peccati naſci orbatum gratiâ ſanctificante, & juſtitiâ originali; ut diſertè docet Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 2.* dicens, *ſi quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, non ejus progeniei aſſeris nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit ſibi ſoli, & non nobis etiam, eum perdidiſſe, anathema ſit.*

7. *Vulnerat intellectum ignorantiâ*

NOTA tertiò: cujuslibet pariter filij Adæ intellectui quatuor præcipua vulnera occaſione originalis fuiſſe inflicta: *Primum* eſt ignorantia rerum neceſſariarum, ad ipſius etiam vitæ naturalis converſationem; hoc eleganter perſtringit D. Auguſtinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiſ.* *Secundum* eſt fatuitas, & mentis hebetudo, quæ in quibuſdam etiam adultis hominibus tanta eſt, ut pene pecoribus aſſimilentur: hoc exaggerat idem S. Pater *epiſt. 28. ad Hieron.* *Tertium* vulnus eſt difficultas diſcendi, & ſcientias comparandi: de hoc ſermocinatur idem S. Præſul *lib. 1. de peccat. merit. cap. 36.* *Quartum* eſt ipſa animi levitas, ac inconſtantia, quâ mens ſæpiſſimè transfertur de ſalutaribus, & eximijs cogitationibus, ad ludicras & exiles ſpeculationes; hoc vulnus deſcribit idem S. Doctor *lib. 10. Confeſſ. cap. 35.*

fatuitate, difficultate diſcendi, & inconſtantiâ.

8. *Voluntati infligit amorem perverſum, & alia mala.*

NOTA quartò: ex parte voluntatis deſcendentium ab Adam quoque quatuor gravia ab originali inflicta fuiſſe vulnera. *Primum* eſt exceſſivus & perverſus amor ſui ipſius, quô plerumque mortales quærunt duntaxat quæ ſua ſunt. Hoc lethale vulnus eleganter depingit S. Auguſtinus *lib. 22. de Civ. Dei cap. 22.* *Secundum* eſt ingens difficultas in ſuperandis, atque extirpandis vitijs, necnon virtutibus implendis, & excolendis; ac tandem negligentia in his comparandis; hoc eruditè adumbrat idem Auguſtinus *loc. citat.* *Tertium* continua voluntatis propriæ in ſeipſum pugna, ac inſtabilitas, quâ nunc hoc, nunc illud proſequitur: de hoc lege eundem Auguſtinum *lib. 8. Confeſſ. cap. 6.* *Quartum* eſt notabilis liberi arbitrij imminutio, quod ita debilitatum eſt, ut abſque gratia peculiari ad virtutem ſectandam infirmum ſit: hoc vulnus agnoſcit idem S. Pater *epiſt. ad Vital.*

9. *Portioni quoque inferiori nocet multipliciter.*

NOTA quintò: portionem inferiorem, ſeu appetitum ſenſitivum quoque cujuſvis ex Adam propagati hominis per originale peccatum multipliciter eſſe vulneratam. *Primò* namque ipſa continua rebellione adverſatur portioni ſuperiori; hanc luctam unuſquiſque in ſemetipſo moleſtiſſimè experitur; & de eadem exclamat Apoſtolus 6. ad Rom: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Secundò* ſuboriuntur ex hoc capite in homine variæ pœnalitates, miſeriæ, ac calamitates, puta varia morborum genera, dolores, &c. quas recitat, & originali ut effectus infelices adſcribit D. Auguſtinus *lib. 4. adverſus Julian. cap. 6.* *Tertiò* animalis iſta hominis portio deteriorata eſt indigen-

tiâ

tià cibi, & potûs, sine quibus collaberetur vita humana; de qua discurrit sæpe memoratus Augustinus *lib.* 22. *de Civ. Dei cap.* 22. *Quartò* in hominis lapsi excidium debachantur ac conspirant omnia Elementa, bestiæ terræ, ac maris, imò totum Universum, quemadmodum eruditè observat *citat.* Augustin.

10. *Imò totam naturam hominis damnificat.* NOTA sextò: tandem originale peccatum totam nativam hominis ad bonum honestum propensionem vitiavit, obices quosdam statuendo, quibus ad illud attingendum præpeditur, aut retardatur; cujusmodi sunt inclinatio ad malum, juxta illud Gen. 8. *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum proa sunt ab adolescentia sua.* Mala societas, tædium ad exercitium virtutis, & alia *in superioribus notabilibus* allata.

QUÆSTIO IV.

De pœnis peccati Originalis post mortem; ubi de Parvulorum non baptizatorum pœna & statu.

1. *Morientes parvuli cū Originali incurrunt pænam damni.* ICO primò: quivis homo, etiam parvulus ex hac vita decedens cum originali peccato subit perpetuam pœnam damni, Ita communis TT. & fidei; contra Calvinum, Zwinglium, & alios Hæreticos.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ Joan. 3, dicitur, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei.* Et ad Rom. 5, *ex uno in omnes in condemnationem.* Et 1. ad Cor. 2. *sicut in Adām omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, ex quibus authoritatibus generaliter loquentibus habetur omnes decedentes ex hac vita sine baptismo damnari: damnatio autem potissimè consistit in pœna damni: Ergo omnes cum originali decedentes subeunt perpetuam pœnam damni.

Probatur secundò: authoritate CC. docentium, parvulos sine baptismo migrantes ex hac vita non habituros vitam æternam; & consequenter subituros pœnam damni; ita loquitur Palæstinum teste Augustino *lib. de gestis Pelagij cap.* 8. Et Carthaginense apud eundem S. Doctorem *num.* 90. Et Milevitanum, uti liquet *ex epist.* D Augustini 92. Et colligitur ex Florentino *sess. ult.* Et Tridentino *sess.* 5. *can.* 4, anathematizante eos, *qui asserunt parvulos nihil ex Adam habere originalis peccati, quod regenerationis lavacrò necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam*: Ergo supponit parvulos, & quoscunque alios contrahentes originale peccatum, & non expiantes lavacrò baptismatis, non consequi vitam æternam; adeoque subjici pœnæ damni post mortem. 2. *Non item pænam sensûs, uti constat ex S. Scriptura.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. conclusionem maximè de parvulis asserentium, eos omnino damnari si in originali moriantur; ut videre est apud S. Anselmum *lib. de concept. virg. cap.* 27. Et S. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum cap.* 2. Et S. Prosperum *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 8. Et apud D. Augustinum *lib.* 2. *de orig. animæ cap.* 12. dicentem, *novellos Hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit authoritas, eò quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum, etiam præter regnum Cælorum*: Ergo &c.

DICO secundò: probabiliùs est, parvulos cum solo originali defunctos non pati ullam pænam sensûs ab igne infernali; verme, aut alio instrumento punitivo provenientem. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 33. S. Bonaventura, S. Thomas, Magister Sent. & horum Discipuli, exceptis paucis, inter quos noster Conrius & Bellarm. Abulens. Arimin. Driedo, Estius, & alij.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: Apoc. 18. dicitur, *quantum se glorificavit, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: sed parvuli cum solo originali defuncti nullatenus se glorificauerunt, neque in delitijs fuerunt: Ergo nullum ipsis dabitur tormentum sensûs ab igne, verme, aut aliunde proveniens.

3. *Summ. Pontificibus.* Probatur secundò authoritate Sum. Pontificum: nam Innocentius III. *cap. majores de Bapt. & ejus effectu* dicit, *pæna Originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò peccati est* (sub audi insuper) *gehenna perpetua cruciatus*: sed parvuli cum solo originali defuncti non habuerunt ulla actualia peccata: Ergo non subibunt cruciatum gehennæ, id est provenientem ab igne gehennali, & alijs instrumentis punitivis. Simili-

ter Eugenius IV. *in litt. union. Græcor.* docet, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo Originali decedunt, descendere mox ad infernum, pænis tamen disparibus puniendas*, quæ disparitas pænarum vel maximè consistet in hoc, quòd quædam patientur pænam damni, & sensûs simul; quædam verò ut parvulorum solam pænam damni, & non sensûs.

4. *SS. quoque Patribus, etiam Augustino.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. concessionem sustinentium, ut videre est apud S. Gregor. Nazian. *orat. 40. in sanctum Baptisma.* Et S. Gregorium Nissen. *orat. 1. de infant.* dicentem, *immatura mors infantium neque in doloribus, ac mæstitia esse eum qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.* Inclinat etiam D. Augustinus *lib. 5. contra Julian. cap. 11.* scribens, *quis dubitaret parvulos non baptizatos, qui solum habent originale in damnatione levissima futuros? quæ qualis, & quanta erit, quia definire non possum, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent meliùs expediret* (alludit ad illud dictum Christi de Juda, *meliùs erat illi, si natus non fuisset*) *quàm ut ibi essent; at certè potius expediret, illos non esse, quàm igne inferni ardere in perpetuum; quis enim hoc malit, si sapit?* Et *lib. 3. de lib. arbitrio cap. 23.* docet non dari locum medium inter cælum, & terram pro defunctis infantibus cum solo originali; bene tamen mediam sententiam inter præmium, solitum dari bene operantibus propriâ voluntate, & supplicium solitum dari malè operantibus propriâ voluntate; per hoc adstruens parvulos fore liberos à supplicio ignis; quod infligitur malè operantibus propriâ voluntate, seu actualia peccata ponentibus.

5. *Et ratione Scoti.*

Probatur quartò rationibus Scoti; Parvuli cum solo originali defuncti non patientur pænam sensûs exterioris; quia pæna ista, quæ solet esse acerbitas quædam ignis affligentis sensus corporeos correspondet delectationi inordinatæ, præhabitæ in vita, sed parvuli defuncti cum solo originali non præhabuerunt ullam delectationem inordinatam; Ergo neque patientur pænam sensûs exterioris. Neque etiam patientur pænam sensûs interioris, id est aliquam tristitiam ad intra causatam de suo statu; tum quia tristitia ex S. Augustino est de his quæ nobis invitis accidunt, ita ut velimus oppositum eorum: sed parvuli defuncti cum solo originali non sunt inviti taliter, ut velint oppositum dispositionis Divinæ de eorum statu, aliàs diceretur murmurare contra Deum, quod communiter negatur. Tum quia pæna interioris sensûs, seu tristitiæ non videtur infligenda parvulis defunctis cum solo originali; cùm sit nimis gravis, & longè gravior, quàm pæna sensûs exterioris seu dolor externus; magis enim affligitur voluntas; cùm sit magis appetitus hominis, quàm aliquis sensus exterior: Ergo &c.

6. *Adversariorum oppositiones ex Scriptura.*

Objiciunt Adversarij primò authoritatem S. Scripturæ: Matt. 25. refertur, quòd in Judicio universali tota collectio judicandorum dividetur in duas turmas, quarum una puta ovium collocabitur à dextris supremi Judicis; altera verò scilicet hædorum à sinistris; ad judicandas oves turmæ à dextris dicet Judex, *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum* &c. ad judicandos verò hædos turmæ à sinistris dicet, *discedite à me maledicti in ignem æternum*: sed parvuli cum solo originali defuncti erunt de turma à sinistris: Ergo hi relegabuntur in ignem æternum; & consequenter patientur pænam sensûs ab igne provenientem. Item Apoc. 20. cap. habetur, *vidi mortuos magnos, & pusillos ---- & qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*; & consequenter ad torturam ab igne sustinendam. Sed parvuli cum solo originali defuncti non sunt inventi scripti in libro vitæ: Ergo &c.

7. *Resolutio.*


Respondeo *ad primum* cum S. Augustino *lib. contra Donatist. cap. 4.* in allegato cap. Matt. solùm describi formam Judicij universalis quoad adultos judicandos, & in duas turmas distinguendos, atque illâ duplici sententiâ Judicis præmiandos, & damnandos propter personalia actualia merita, & demerita; uti constat ex contextu utramque sententiam sequenti; nam post primam dicitur *esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, quæ locutio est expressiva personalis meriti: & post secundam additur *esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, quæ est dictio expressiva personalis demeriti: *Ad secundum* dico cum Expositoribus illustrioribus, in textu relato Apoc. esse pariter sermonem de adultis duntaxat; uti liquet ex illo intertextu medio, *judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum*, quod solis adultis convenit, dicuntur verò in allegato textu

quidam

quidam adulti pusilli, non ob ætatis defectum; sed ob conditionem juvenilem, & plebeam quâ constant: Tandem etsi D. Joannes *loc citat.* etiam loqueretur de parvulis, quòd fiat mittendi in stagnum ignis (de quo tamen multi DD. ut P. Smising, Lessi, Suarez, &c. aliter sentiunt;) adhuc non sequeretur, eos puniendos pœnâ sensûs ab igne; sed tantùm in eo detinendos tanquam in loco communi omnium damnatorum; disparibus tamen pœnis puniendos, ut loquitur Florent. supra *citat.*

8. *SS. Patres, præsertim Augustinus reconciliantur pro conclusione.* Objiciunt secundò: SS. PP. contrariantur conclusioni ut D. Gregorius 9. *Moral. cap.* 12. Et Fulgentius; sed præsertim D. Augustinus, qui *serm* 14. *de verbis Apostoli cap.* 3. ait, *venturus est Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis; & sicut Evangelium loquitur duas partes facturus est, dextram, & sinistram; sinistris dicturus est, ut eant in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus; dextris dicturus, venite benedicti Patris, percipite regnum &c. Hanc regnum nominat, illam cum Diabolo damnationem: nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes:* Ergo cùm ituri sint in ignem æternum utique patieutur pœnalitates sensûs ab eodem. Respondeo *primò*, opponendo citatis DD. & Augustino authoritatem Innocentij III. supra relati, Gregorij, Ambrosij, Bonaventuræ, S. Thomæ, Scoti, & gravissimorum aliorum Sanctissimorum DD. Respondeo *secundò*, glossando *SS.* PP. allatos, & præsertim D. Augustinum, dicòque eum solùm velle, quòd infantes non sint futuri in aliquo loco medio, ubi nullas prorsus pœnas, etiam damni sustinerent; sed quòd sint ituri etiam ad locum inferni supremum, ut vult D. Thomas: non tamen passuri omnes ejus pœnas maximè sensûs sicut damnati adulti; à quibus Divina Bonitas nos misericorditer præservare dignetur.

Quidquid Peccator de peccatis dixi, humiliter intaminatæ Sponsæ Christi S.R. videlicet Ecclesiæ subjicio pro emendatione.



TRA-

TRACTATUS IX.

DE BEATITUDINE; PURGATORIO; INFERNO; RESURRECTIONE; ET JUDICIO UNIVERSALI HOMINUM.

PRÆFATIO.


In prioribus Tractatibus actum est de statu vario hominum Gratiæ, Meriti, & Demeriti, seu Peccati: in præsenti simul complectar examinandos nonnullos alios status eorundem novissimos, (unde & tractatus iste *de 4. Novissimis* solet intitulari) puta Beatorum, Purgandorum, Damnatorum, Resurgentium; & Judicandorum, exordiendo â statu Beatorum, seu Beatitudine supernaturali hominum; de qua quia plures quæstiones jam expedivi in *Tom. 1. Tract. 1. de Deo in se subsistente. dist. 4. de Visione Beatifica*, per totam: idcirco hac distinctione solùm attingam eas, quæ adhuc desiderantur ad complementum totius materiæ de eadem Beatitudine.



DISTINCTIO I.
De Beatitudine supernaturali hominis, seu ultimo Fine.

QUÆSTIO I.
Quid sit Beatitudo supernaturalis hominis; in quo consistat; quotuplex sit; & ubi conferenda?

1. *Descriptio Beatitudinis.* DICO primò: rectè describitur Beatitudo supernaturalis hominis, quòd *sit illud summum bonum, quò adeptô appetitus ejus completè satiatur, & ultimatè quiescit tanquam in fine ultimo.* Est in re communis DD.

Probatur: hac descriptione adæquatè exprimitur natura Beatitudinis supernaturalis hominis: Ergo eâ rectè describitur. Ly *bonum* est genus: reliqua subeunt rationem differentiæ. Dicitur *summum bonum*, ad distinctionem complurium bonorum naturalium sive spiritualium, sive corporalium, v. g. divitiarum, honorum, voluptatis, eximiæ scientiæ, sapientiæ, &c. quæ absolutè

ipsè summa non sunt; ut infra ostendetur. Dicitur *qui adeptò appetitus ejus completè satiatur*, ut magis exprimatur perfectio, & excellentia hujus summi boni, Beatitudinis supernaturalis, quod ratione supremæ pulchritudinis, delectationis, felicitatis, & beatificationis, quam affert, adæquatè exaturat appetitum rationalem hominis, seu voluntatem uti & intellectum. Additur *& ultimatè quiescit tanquam in fine ultimo*, ad majorem expressionem saturationis provenientis à Beatitudine supernaturali veluti ultimo scopo creaturæ rationalis operantis.

2. *Beatitudo alia est Objectiva, alia Formalis.* DICO secundò: bene dividitur Beatitudo mox descripta in objectivam, & Formalem. Est communis apud TT.

Probatur: omnis Beatitudo supernaturalis hominis vel est ipsum objectum summè bonum, cujus attingentià, & possessione homo beatur; & tunc habetur Beatitudo Objectiva; talis est Deus ipse secundùm suam Essentiam, & attributa clarè, ac intuitivè visus: hanc Beatitudinem DD. etiam vocant *Essentialem*. Vel Beatitudo est ipsa actualis attingentia, & possessio talis objecti puta ipsa clara visio, & fruitio Divinæ Essentiæ, ac attributorum; & tunc habetur Beatitudo Formalis: Ergo Beatitudo supernaturalis bene dividitur in Objectivam, & Formalem.

3. *Opiniones Philosophorum de Beatitudine hominis.* NOTA autem primò: circa utramque Beatitudinem diversas esse opiniones, in quonam consistat. Nam quo ad Beatitudinem Objectivam erroneè sensêre Stoici, & alij cum Zenone, eam consistere in bonis animi, puta in quibusdam virtutibus, potestate, & principatu, seu dominio. Epicuræi cum suo lascivo principe Epicuro putarunt eam sitam esse in bonis corporis, delectationibus nimirum carnalibus; quos secutus est spurcus Machometes cum sua Secta. Alij eam statuerunt in divitijs, honoribus, gloria, fama &c. Academici demum docuerunt eam in utrisque bonis collectivè consistere. Sed contra hos omnes errores cum Catholicis.

4. *Rejiciuntur errores Philosophorum circa Beatitudinem.* DICO tertiò: Beatitudo Objectiva hominis non consistit in ullo ex enumeratis, aut alio quocunque bono creato naturali.

Probatur: in nullo ex enumeratis, aut alio quocunque bono creato naturali obtento satiatur appetitus hominis completè, tanquam in objecto adæquatè beatificante; neque in ullo ex ijsdem objectis tanquam in ultimo fine quiescit: Ergo in nullo tali consistit Beatitudo Objectiva. Probat. Ant. Bonum creatum naturale quod ab antiquis Philosophis statuitur pro Beatitudine Objectiva vel est quid internum physicum animæ, cujusmodi sunt potentiæ animasticæ intellectûs & voluntatis; habitus acquisiti scientiarum, & alij, & tali bonò non satiatur completè homo; quia est quid imperfectius homine, & ad ipsum hominem tanquam finem ordinatum. Vel est quid internum morale; quale est principatus, dominium &c. Et nec hôc satiatur completè, neque in eo quiescit ultimatè; quia tale bonum potest quandoque afferre fastidium; uti patet experientià quorumdam Principum, qui in suo dominatu multa fastidia patiuntur. Vel est aliquod bonum externum v. g. honor, gloria, divitiæ &c. Et neque istô satiatur perfectè homo; cùm ejusmodi bonum sit amissibile, & commune bonis, ac malis hominibus. Vel est bonum corporis, quale est bona valetudo, robur, pulchritudo &c. Et nec tali debitè exaturatur appetitus hominis; eò quòd sit commune hominibus, & bestijs. Vel est delectatio aliqua corporea in tactu, gustu &c. Et nec hôc completè satiatur homo; quia sæpè post longum, & nimium usum talis delectatio affert ægritudinem, vel contrariatur rationi, vel causat mæstitiam, vel impedit majora bona spiritualia. Vel denique est aliud aliquod bonum creatum purè naturale; & neque in eo quà tali quiescit ultimatè appetitus hominis ut in fine ultimo; nam ut rectè sententiat sapiens Eccles. 1. *vanitas vanitatum, & omnia* (scilicet creata, dependentia, & naturalia bona) *vanitas*. Et Ecclesiast. *Cunctæ res difficiles, non potest homo eas explicare sermone; non saturatur oculus visu, nec auris auditu*, &c. Ergo in nullo bono creato naturali consistit Beatitudo Objectiva hominis.

DICO quartò: Beatitudo Objectiva hominis consistit in solo Deo potito, ut dicit tum Essentiam suam, tum attributa, & personas Divinas; qui proinde est ultimus finis hominis. Ita Scotus 1. *dist.* 1. *q.* 2. & communis TT. 5. *Deus est Objectiva Beatitudo hominis.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: nam solus Deus est *Alpha*, & *Omega*, principium, & finis Apocal. *cap.* 1. Item solus Deus est bonum summum, completè satians appetitum ho-

hominis, juxta illud Psalm. 16. *tunc satiabor, cùm apparuerit gloria tua*: Ergo in solo Deo potiùs consistit Beatitudo Objectiva hominis; & ipse est finis ultimus ejusdem hominis.

Probatur secundò authoritate D. Augustini; qui *lib. 1. Confess. cap. 1.* ait, *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: Ergo Deus est ille finis, in quo omnis hominis cor, id est appetitus quiescit velut in centro ultimato, & consequenter veluti in objectiva Beatitudine, & fine ultimo.

Probatur tertiò ratione Theologica: solus Deus ratione suæ infinitæ perfectionis potest quietare, ac ultimatè saturare appetitum hominis; item omnia entia creata, quæ à veteribus Philosophis & alijs assignantur pro Beatitudine Objectiva, à Deo dependent tanquam à primo principio: Ergo in solo Deo posito consistit ultimata Beatitudo Objectiva, & finis ultimus hominis.

6. *Formalis Beatitudo non consistit in aliquo illapsu peculiari Dei.*

DICO quintò: Beatitudo Formalis supernaturalis hominis neque consistit in aliquo illapsu Dei in animam Beati; neque in aliquo habitu; sed in operationibus intellectûs, & voluntatis, quæ dicuntur visio, & fruitio beatifica. Ita Scotus *4. dist. 49.* cum sua Schola; & communi modernorum; contra Henricum, & alios veteres TT.

Probatur prima pars: Tum quia illapsus Dei, quem ponit Henricus, non sufficienter immutat propriè animam Beati, quæ reverà propriè immutatur per Beatitudinem Formalem formaliter inhærentem; nam Deus illabens, seu Deiformans (eò modò, quo ferrum candens significatur per substantiam ignis, ut discurrit hic Henricus) non se habet instar alicujus formæ formaliter inhærentis, à qua solet immutatio propriè dicta provenire: Ergo Beatitudo Formalis non consistit in ejusmodi illapsu Divino. Tum quia illapsus Deiformans non est præstantior, quàm Unio hypostatica; quæ tametsi Deiformet humanitatem Christi; non tamen eam reddit formaliter beatam; ut ostendi *hoc Tom. Tract. 1. de Incarnat. dist. 8. q. 2. conc. 2.* Ergo neque iste illapsus. Tum tandem, etsi Deus non illaberetur animæ Beati eò modò, quò discurrit Henricus, objectivè tamen concurreret ad visionem, & fruitionem supernaturalem ejusdem, tunc completè satiaretur appetitus hominis, & quiesceret in ejusmodi objecti possessione tanquam in fine ultimo; ac consequenter haberet Beatitudinem Formalem: Ergo in illapsu Dei non consistit Beatitudo Formalis hominis.

7. *Neque in habitu.*

Probatur secunda pars: Tum quia esse formaliter Beatum importat quamdam vitam; habitus autem est entitas quædam mortua; & reperitur etiam in dormientibus: Ergo in eo non rectè statuitur Beatitudo Formalis. Tum quia nequit ostendi qualis sit iste habitus; non enim est lumen gloriæ, quod, ut patet ex ijs, quæ docui *Tom. 1. Tract. 1. dist. 4. q. 5. conc. 5.* est quid habituale; neque est habitus gratiæ, sanctificantis; quia uterque iste habitus est principium effectivum Beatitudinis, adeòque nequit esse ipsa Beatitudo formaliter: neque est aliquis alius habitus; nam quòcunque tali ablatò, & positis solis operationibus supernaturalibus visionis, & fruitionis habetur completa Beatitudo Formalis; quia habetur satietas perfecta, & quietatio ultimata: Ergo in habitu non consistit Beatitudo Formalis. Unde

8. *Sed in visione, & fruitione Dei.*

Probatur tertia pars *primò*; S. Literæ agentes de Beatitudine Formali eam exprimunt per operationes visionis, & fruitionis beatæ; ut videre est Joan. 3. *videbimus eum sicuti est.* Et rursus *cap. 17. hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum.* Et 1. Cor. 13, *tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* Et Psalm. 16. *tunc satiabor, cùm apparuerit gloria tua*: Ergo Beatitudo Formalis consistit in operationibus visionis, & fruitionis. *Secundò*; similiter Conc. Florentinum *sess. ult. in decreto Unionis*; & Clementina *ad nostram, de Hæreticis*: Et rursus Extravagans Benedicti XII. Beatitudinem significant per actus visionis, & fruitionis ab homine elicitis: Ergo &c. Circa locum Beatitudinis,

9. *Locus Beatitudinis est cælum Empyreum.*

DICO sextò: locus, in quo Beati stabiliter perfruentur Beatitudine, est Cælum Empyreum, cui post Judicium universale inserentur cum anima, & corpore. Ita communis DD.

Probatur: Tum quia ità colligitur ex S. Scriptura Apocal. 14. & 19. & alibi, ubi Beati dicuntur in cælo cantare laudes: nomine autem cæli per antonomasiam venit juxta Interpretes Cælum Empyreum: Ergo &c. Tum quia locus, in quo Christus perfruitur Beatitudine stabiliter, est Cælum Empyreum

reum secundùm omnes Patres: Ergo cùm Beati teste Scripturà sint regnaturi cum Christo, consequenter in eodem loco erunt gaudentes Beatitudine, conregnaturis paratà.

QUÆSTIO II.

An in utrâque operatione æqualiter consistat Beatitudo Formalis; ubi & de ejus gaudio; perpetuitate; & securitate.

1. *Quid sit operatio Unionis & Fruitionis Dei?*



NOTA primò: per operationem Visionis, quam importat Beatitudo Formalis, intelligi actum intellectûs, quô anima Beati clarè intuetur Deum sicuti est, id est secundùm Essentiam, aliaque in ipso contenta sive realiter, sive formaliter, sive eminenter: de hac operatione procedit illud Joan. 3. *videbimus eum sicuti est.* Per operationem verò Fruitionis intelligitur actus voluntatis amor, quô anima in Deum clarè visum ardentissimè fertur propter seipsum; de hac loquitur, D. Augustinus *lib. de doctrina Christiana cap. 4.* dicens, *frui námque est amore inhærere alicui rei propter seipsam.*

2. *Beatitudo essentialis consistit in Unione, & Fruitione simul.*

, DICO primò: Beatitudo Formalis seu essentialis non consistit in sola operatione intellectûs, seu Visione; sed etiam in operatione voluntatis, seu fruitione Dei simul. Ita S. Bonaventura, Alensis, Aureolus, Vega, Richardus, plurimi Scotistæ, Nominalium Schola, & complures RR. contra Thomistas, statuentes Beatitudinem essentialiter in sola Visione; & contra multos Scotistas; ponentes eam in Fruitione sola. Scotus in hoc punctô est problematicus; & tametsi passim dicat Beatitudinem consistere in operatione voluntatis; tamen in sensu sequentis duntaxat conclusionis loquitur.

Probatur primò authoritate: S. Scriptura, Summi Pontifices, & SS. PP. statuunt pro Beatitudine Formali seu essentiali tam actum intellectûs Visionis, quàm actum voluntatis Fruitionis: Ergo nec in uno nec in altero solo, & divisim, sed in utrôque simul consistit Beatitudo Formalis, seu essentialis. Probat. Ant. Ex S. Scriptura pro actu intellectûs Visionis militat ille textus Joan. 3. *videbimus eum sicuti est.* Et ille 1. ad Cor. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Et ille Psalm. 35. *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: pro actu verò voluntatis Fruitionis ille passus Psalm. 35. *torrente voluptatis potabis eos.* Et ille Matt. *intra in gaudium Domini tui*; in quibus locis ly *voluptatis*, & ly *gaudium* designant actum voluntatis. Ex Sum. Pontificibus Benedictus XII. in *Extrav. citat.* utrumque actum pariter affert pro completa Beatitudine essentiali, dum ait, *ex tali Visione & Fruitione eorum animæ* id est Sanctorum ante diem Judicij) *sunt beatæ.* Ex SS. PP. dicit D. Dionysius *de cæl. hier. cap. 7. in his Beatitudo constat cognoscere, & amare Deum.* Et D. Bernardus *epist. 18. sicut initiat in hac vita fides, & desiderium; sic etiam in alia consumat Visio, & Amor*: Ergo S. Scriptura, Sum. Pontifices, & SS. PP. statuunt pro Beatitudine Formali seu essentiali tam actum intellectûs Visionis, quàm actum voluntatis Fruitionis Dei.

3. *Ratio Theologica ad idem.*

Probatur secundò ratione Theologicà: utrôque actu Visionis, & Fruitionis Dei immediatè vitaliter attingitur Deus tanquam Beatitudo Objectiva, & possidetur utrôque: Ergo in utrôque simul consistit Beatitudo Formalis. Præterea anima D. Francisci v. g. tam secundùm potentiam intellectûs, quàm secundùm potentiam voluntatis est beatificabilis; puta utrâque ultimatè potest saturari, & quiescere in fine ultimo; intellectus quidem clarissimè, & perfectissimè videndo objectum Divinum summè pulchrum; voluntas verò diligendo objectum Divinum summè bonum, & appetibile: Ergo in utriusque potentiæ operatione simul consistit Beatitudo Formalis.

4. *Thomistarum argumenta varia pro Visione sola.*

Objiciunt Thomistæ primò: S. Scriptura dicit Joan. 17. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et Augustinus *lib. 1. de Trin. cap. ult.* ait, *quòd sola Visio est summum bonum nostrum.* Et in *Psalm. 90.* scribit *tota merces nostra Visio est*: Ergo Beatitudo Formalis consistit in sola operatione Visionis. *Secundò*; sola Visio est adeptio, & consecutio objecti Beatifici, Dei scilicet: Ergo in ea sola constituenda est Beatitudo Formalis. Probat. Ant. objectum tantùm adipiscitur, & possidetur illâ operatione, quâ fit potentiæ præsens inten-

tionaliter: sed per solam Visionem fit potentiæ præsens intentionaliter: sed per solam Visionem fit potentiæ intentionaliter præsens: Ergo &c. *Tertiò*; Beatitudo essentialis collocanda est in operatione omnium præstantissima: sed talis est sola Visio: Ergo &c.

5. *Quæ eliduntur.* Respondeo *ad Primum*: ex allegata scriptura solùm sequi, quòd vita æterna, seu Beatitudo essentialis etiam consistat in cognitione, seu visione intuitiva Dei; non autem, quòd in ea sola. Ad S. Augustinum dico, in prima authoritate ly *sola* non excludere Fruitionem Dei; sed tantùm visionem humanitatis Christi, quæ non est summum bonum, eò quòd sit futura communis bonis & malis in die Judicij vniversalis. Itaque ly *sola* appellat super Visionem Deitatis Christi, quæ sola, & non visio humanitatis, erit summum bonum, & propria mundis corde; ut patet ex contextu. In secunda authoritate loquitur S. Doctor per concomitantiam, seu de Visione cum annexis, ut sensus sit, quòd Visio una annexa fruitione, gaudio &c. sit tota merces nostra. Ad *secundum* Neg. Ant. cum Maj. Probat. ejusdem; nam objectum etiam adipiscitur, & possidetur eâ operatione, quâ affectivè unitur potentiæ, quod fit mediante Fruitione. *Ad Tertium* Neg. Min. nam sicut voluntas est præstantior potentia, quàm intellectus, ita & actus Fruitionis est præstantior actu Visionis.

Objectiones Scotistarum, conantes ostendere Beatitudinem consistere in solo actu voluntatis, nil aliud probant, quàm quòd Beatitudo Formalis principaliùs consistat in actu voluntatis quàm in actu intellectûs: unde

6. *Beatitudo formalis consistit principaliùs in Fruitione.* DICO secundò: etsi in utrâque operatione intellectûs, & voluntatis consistat adæquatè Beatitudo Formalis, seu essentialis; in operatione tamen voluntatis, quæ dicitur Fruitio Dei, consistit principaliùs. Ita colligitur ex Scoto 4. *dist.* 49. *q.* 3. quem sequuntur Bassolius, Poncius, Herincx, Mastrius, & alij plures Scotistæ; contra Thomistas, & Becan. Molin. Vasq. Morisan. Arriag. &c.

Probatur primò: Deus perfectiùs tenetur à Beatis, & possidetur ab ijsdem per operationem voluntatis, quæ dicitur Fruitio Dei, quàm per operationem intellectûs; quia per Fruitionem perfectiùs unitur anima Beati Deo ut objecto beatifico; cùm operatio intellectûs visio beata scilicet sit tantùm imago, & similitudo intellectualis objecti præsentis; operatio verò voluntatis Fruitio videlicet sit copulatio quædam, quâ amans efficitur metaphoricè unus cum objecto amato, & in ipsum transformatur; unde rectè docet D. Dionysius *cap.* 7. *Angel. hier.* multò intimiorem esse unionem, & conjunctionem per actum amoris in objectum: Ergo Beatitudo Formalis, seu essentialis principaliùs consistit in operatione voluntatis, quæ dicitur Fruitio Dei.

Probatur secundò: operatio voluntatis Fruitio est entitativè perfectior operatio, quàm operatio intellectûs Visio; partim quia ad Fruitionem ordinatur Visio, ut docet D. Anselmus *lib.* 2. *cur Deus homo*; partim quia principium Fruitionis, puta voluntas, & habitus charitatis in voluntate subjectatus est longè perfectius principiò visionis, dicente S. Augustino *lib.* 15. *de Trin. cap.* 19. *in donis Dei nihil est perfectiùs charitate*: Ergo in ejusmodi perfectissima operatione statuenda est principaliùs Beatitudo formalis, seu essentialis.

Probatur tertiò: quia ut bene arguit Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 4. in eo actu principaliùs videtur collocanda Beatitudo essentialis, quem nos magis desiderare debemus, & Deus ipse à nobis magis exigit: sed juxta rectum rationis usum magis desiderare debemus actum perfectissimum amoris, seu Fruitionem Dei, quàm actum cognitionis, & hoc ipsum Deus in via magis à nobis exigit cùm illum passim caeuter præcipiat dicendo Deut. 6. *diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: Ergo in actu Amoris seu Fruitionis consistit Beatitudo Formalis. Circa Gaudium Beatitudinis

NOTA secundò: Gaudium in proposito, esse quamdam delectationem voluntatis Beati, ut habet Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 7. seu vitalem suavitatem, quæ ad præsentiam summi boni, Dei videlicet amati connaturaliter in eadem potentia Beati resultat ex Amore beatifico, seu Fruitione: circa quam pono sequentes conclusiones, & 7. *Quid sit gaudium beatificum?*

DICO tertiò: Beatitudo supernaturalis hominis includit revera quoddam inexplicabile Gaudium, seu lætitiam. Ita Scotus 4. *dist.* 49. S. Bonaventura 8. *Beatitudo habet æternum gaudium.*

ventura & communis Scholasticorum, ac Mysticorum TT.

Probatur: Tum authoritate S. Scripturæ; nam Psalm. 149. dicitur, *exultabunt sancti in Gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Et Isaj. 35. *venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt*. Tum authoritate SS. PP. conclusionem asserentium; ut videre est apud D. Augustinum *lib. 10. Confess. cap. 23.* & alios. Tum ratione; quia possessionem, & actualem consecutionem boni amati præsentis creati connaturaliter sequitur quædam animi suavitas, ac delectatio: Ergo à fortiori possessionem; & consecutionem boni increati infiniti, ac summi, Dei scilicet, per Beatitudinem possessi.

9. *Gaudium non est de essentia Beatitudinis.* DICO quartò: Gaudium Beatitudini essentiali annexum non est de ejus essentia; sed passio duntaxat ad ipsam sequens. Ita colligitur ex Scoto *3. dist. 15. q. unic.* & consentiunt Nominales; ac RR.

Probatur: Tum quia Beatitudo essentialis, seu formalis pro sua essentia importat solas operationes vitales visionis, & Fruitionis; ut *priori q. conc. 5.* ostensum est: Ergo Gaudium non est de essentia Beatitudinis essentialis; cùm habeat rationem passionis distinctæ à visione, & Fruitione. Tum quia Aristoteles dicit *10. Ethic. cap. 4.* Gaudium esse quid adveniens operationi: Ergo nequit esse de essentia operationum, in quibus consistit Beatitudo essentialis. Tum quia tristitia est mera passio: Ergo & Gaudium; adeóque non spectans ad Beatitudinis essentiam. Circa perpetuitatem Beatitudinis

10. *Beatitudo essentialis includit perpetuitatem.* DICO quintò: Beatitudo quoque supernaturalis essentialis includit Perpetuitatem; non tamen intrinsecam; sed ex mera Dei voluntate provenientem. Ita Scotus *4. dist. 49. q. 6.* & communis TT. contra Origenem quò ad primam partem; quò ad secundam verò contra Thomistas.

Probatur prima pars: Tum authoritate S. Scripturæ; nam Sap. 5. dicitur de Beatitudine Justorum, *Justi autem in perpetuum vivent*. Et Matt. 25. *Ibunt Justi in vitam æternam*. Tum authoritate SS. PP. eandem doctrinam asserentium; unde S. Augustinus *13. de Trin. cap. 8.* ait, *beata vita esse non potest, nisi sit immortalis*, id est perpetua. Tum ratione; quia Beatitudo est possessio summi boni: Ergo boni carentis fine. Præterea pœna damnatorum est perpetua secundùm Scripturam, Matt. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*: Ergo & Beatitudo supernaturalis beatorum.

11. *Perpetuitas non est Beatitudini intrinseca.* Probatur secunda pars: objectum Beatitudinis supernaturalis est Deus, qui se liberè ostendit Beatis, ita ut possit se non ostendere: Ergo potest de potentia absoluta cessare visio, & Fruitio hujus objecti, Deo scilicet nolente se ampliùs ostendere; atque adeò perpetuitas non habetur ex natura Beatitudinis essentialis, neque est intrinseca & entitativa, sed ex mera voluntate Divina, Beatos sine fine conservante in visione, & Fruitione beatifica. Deinde falsum est principium Thomisticum, quò sustinent ideo Beatitudinem esse intrinsecè perpetuam, quia non habet contrarium, à quo destruatur: Contra enim est, quòd etiam Angeli, anima rationalis, & materia prima non habeant contrarium, sui destructivum; & tamen propterea non rectè dicuntur intrinsecè perpetua, sed tantùm secundùm quid, per ordinem scilicet ad causas secundas: Ergo &c.

12. *Beatitudo essentialis includit securitatem perpetuitatis.* DICO sextò: Beatitudo tamen essentialis includit securitatem perpetuitatis. Ita Scotus *4. dist. 49. q. 6.* & communis DD.

Probatur: nam propterea D. Petrus 1. Petri 1. vocat Beatitudinem *hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem*, id est securam ab omni corruptione; deficientia, & fine: Ergo &c. Accedit quòd Beatitudo essentialis sit possessio summi boni: Ergo boni, quod non est habiturum finem. Tandem juxta textum scripturæ mox allegatum Beatitudo revelatur incorruptibilis: Ergo intellectus attendens ejusmodi revelationem tanquam infallibilem, accipit certitudinem stabilem de continuatione ejusdem; & consequenter in voluntate sequitur securitas de tali continuatione stabili, seu perpetuitate, quæ est quædam quies voluntatis de bono possesso non amittendo.

13. *Neutra tamen spectat ad essentiam Beatitudinis.* DICO septimò: neque securitas de perpetuitate Beatitudinis, neque ipsa perpetuitas est de essentia Beatitudinis supernaturalis. Ita communis DD.

Probatur prima pars: securitas est in voluntate, & supponit certitudinem in intellectu de continuatione Beatitu-

 dinis;

dinis: Ergo securitas non est de essentia Beatitudinis. Consequentia patet; quia certitudo prævia in intellectu de continuatione Beatitudinis supponit revelationem Beatitudinis, & ejus assecutionem, ex qua voluntas demum redditur secura; atque ita hæc omnia essentiam Beatitudinis ut jam in esse constitutam supponunt: Ergo securitas de perpetuitate Beatitudinis non est de essentia Beatitudinis.

Probatur secunda pars: posset esse vera Beatitudo essentialis, etsi non esset perpetua; talis fuit illa, quam habuit S. Paulus Apostolus, & Moyses videndo Essentiam Divinam ad modicum tempus, uti docui *Tom. 1. tract. 1. dist. 4. q. 2.* Ergo Perpetuitas non est de essentia Beatitudinis supernaturalis.

Quæstio III.

Varia circa Visionem, & Fruitionem beatam; impeccabilitatem; dotes; & aureolas BB. resolvuntur.

1. *Author remittit se in pluribus quæstionibus ad alibi dicta de Visione beata.*

Emitto Lectorem comprimis ad complures quæstiones Visionem beatificam concernentes, traditas *Tom. 1. tract. 1. dist. 4.* ubi ostendi visionem beatam concedi statim animabus in gratia sanctificante decedentibus à corpore *q. 3.* Item quosdam viatores habuisse visionem beatam in via *q. 2.* Item visionem beatam posse appeti appetitu innato, & elicito *q. 1.* Item visionem beatam esse supernaturalem in substantia *q. 4.* Ad eandem esse necessarium lumen gloriæ, quod non est aliqua species impressa Divinæ Essentiæ, sed qualitas habitualis, effectivè influens *q. 5.* Item ad eandem concurrere activè intellectum Beati ut causam partialem *q. 6.* Item visiones beatificas esse inæquales tum ratione meritorum, tum ratione inæqualis perfectionis intellectûs *q. 7.* Item objectum primarium visionis beatæ, esse Deum, ùt includit tam Essentiam, quàm perfectiones attributales, modales, & relationes *q. 8.* secundarium verò creaturas *q. 9.* Item quænam objecta creata in particulari attingantur visione beata *q. 10.* Item qua ratione visio beatifica sit formalis Dei similitudo, verbum mentis, notitia directa, & simplex *q. 11.* Circa autem Fruitionem ulteriùs

2. *Fruitio est de Deo immediatè.*

DICO primò: Fruitio beata est de Deo immediatè; non autem de visione ipsius, nisi ùt conditione Deum repræsentante. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 1. q. 2.* Et *4. dist 49. q. 4.* & concordat P. Occam, Paludan. Marsil. &c. contra Durand. Lezan. &c.

Probatur ratione Scoti, quam habet *in 1. citat.* objectum immediatum Fruitionis est aliquid increatum; nam ut dicit D. Augustinus *lib. 1. de Trin. cap. 8. Beatitudo est Frui Trinitate*, quæ est objectum increatum: sed visio est quid creatum: Ergo Fruitio est immediatè de Deo; non verò de visione.

3. *Fruitio est actus liber.*

DICO secundò: operatio Fruitionis beatæ est actus liber, Ita Scotus *1. dist. 1. q. 4.* & communis TT.

Probatur: Tum quia operatio Fruitionis est actus voluntatis, quæ est intrinsecè libera, dicente D. Augustino *in Enchr. cap. 37. aut voluntas non est, aut libera dicenda est*: Ergo operatio Fruitionis quóque est liber. Consistit autem hæc libertas in eo, quòd voluntas eliciens actum Fruitionis, quantum est ab intrinseco habeat indifferentiam ad posse agere, vel non agere; etsi ab extrinseco hìc & nunc ei denegetur concursus Divinus paratus ad utrumlibet, ob quam denegationem non potest proximè exire in oppositum fruitionis actum; potest tamen remotè, atque ita manet voluntas intrinsecè libera tam libertate essentiali, quàm accidentali, seu contingentiæ; à qua etiam libertate operatio Fruitionis rectè denominatur libera.

4. *Habitus charitatis est necessarius pro elicienda Fruitione.*

DICO tertiò: ad eliciendam operationem Fruitionis requiritur in voluntate Beati habitus charitatis. Ita Scotus *4. dist. 49. q. 11.* cum suis & S. Bonaventura, D. Thoma &c.

Probatur: Tum quia actus supernaturalis dilectionis Dei in via requirit habitum charitatis: Ergo à pari etiam operatio Fruitionis seu actus dilectionis Dei in patria. Tum quia *1. ad Cor. 13.* dicitur charitas remanere in patria, *charitas nunquam excidit;* in quem locum scribit D. Ambrosius, *charitas in præsenti prodest, & in æternum cum Deo manet*: sed non ob alium finem remanet, quàm in ordine ad eliciendam operationem Fruitionis: Ergo &c. Tum tandem quia intellectus requirit ad eliciendam operationem visionis

sionis habitum luminis gloriæ: Ergo & voluntas habitum charitatis ad eliciendam operationem Fruitionis.

5. *Hujusmodi habitus concurrit effectivè.*

DICO quartò: habitus charitatis concurrit activè effectivè ad eliciendam operationem Fruitionis. Ita Scotus *citat*, cum suis.

Probatur: Tum quia habitus luminis gloriæ concurrit activè effectivè ad eliciendam operationem visionis beatæ; ut ostendi *Tom. 1. Tract. 1. dist. 4. q. 6.* Ergo idem dicendum de habitu charitatis respectu Fruitionis. Tum quia in S. Scriptura aliqua causalitas activa effectiva charitati in via adscribitur illis textibus Cant. 8. *fortis est ut mors dilectio*. Et 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur* &c. Ergo à fortiori charitati in patria: sed non alia, quàm in ordine ad operationem Fruitionis: Ergo &c. Circa Impeccabilitatem BB.

6. *Omnes Beati sunt impeccabiles.*

DICO quintò: omnes Beati defacto sunt Impeccabiles hoc sensu, quòd non habeant, nec habituri sint, potentiam proximam expeditam ad denuò peccandum. Ita communis TT. contra Originem.

Probatur *primò* authoritate *S.* Scripturæ; quæ docet, quòd *non intrabit in cælum coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium*, Apoc. 21. Ergo à fortiori neque poterit quispiam Beatus in cælo facere coinquinatum, aut abominationem, aut mendacium, aut quodcunque peccatum. *Secundò* authoritate SS. PP. conclusionem asserentium; unde D. Augustinus *in Euchrid. cap. 105. sic oportet priùs hominem fieri, ut & bene velle posset, & malè ----- postea verò sic erit, ut malè velle non posset. Tertiò* ratione; Beati defacto stabiliter possident summum bonum, & eôdem perfectissimè fruuntur, eidémque uniuntur secundùm affectum tenerrimum, qui ita occupat voluntatem eorum, ut in alium actum hìc & nunc erumpere non possit: sed talis possessio, fruitio, & unio non potest consistere cum peccato; eò quòd hoc sit offensa summi boni, Dei scilicet: Ergo Beati omnes defacto sunt Impeccabiles in sensu explicato in conclusione.

7. *Impeccabilitas BB. non est physica.*

DICO sextò: hæc tamen Impeccabilitas non est physica, & intrinseca; sed extrinseca duntaxat, proveniens partim à Deo denegante suum concursum ad actionem aliquam peccaminosam Beati; partim à decretis & peculiaribus auxilijs gratiæ Divinæ; partim à perfecta unione potentiæ cum objecto Divino perfectissimè possesso, & efficaciter beatificante. Ita Scotus cum suis; & Nominalibus; Ægidio Lusitan. &c.

Probatur: Impeccabilitas quæ fuit in Christo viatore, & comprehensore simul non fuit physica, & intrinseca; ut ostendi *hoc Tom. tract. 1. de Incarnat. dist. 13. q. 2.* Ergo nec Impeccabilitas Beatorum. Præterea voluntas Beatorum, censetur verè libera: Ergo potens ab intrinseco, & physicè deficere, atque peccare, etsi nunquam sit defectura, aut peccatura ob decreta, & auxilia Divina, denegatúmque concursum Dei. Circa Dotes animarum Beatorum.

8. *Quid sint dotes animæ beatæ?*

NOTA primò: per *Dotes* hìc intelligi dona aliqua supernaturalia spiritualia, quibus anima gloriosa ab æterno Sponso Deo beatur; & sunt visio ipsa beatifica, fruitio, & comprehensio: de quibus D. Bonaventura *in Centiloq. par. 4.* abundè disserit; breviter ego: *Visio*, est ipsa intuitio Deitatis. *Fruitio* est delectatio in objecto infinitè bono possesso. *Comprehensio* est actus amoris concupiscentiæ, seu tentio visionis beatæ. Circa Aureolas BB.

9. *Et quid aureola?*

NOTA secundò: Ly *Aureola* derivari ab *Aurea*, quod usurpatur pro corona, seu præmio essentiali, quô donantur Beati, dum adeunt hæreditatem æternam; ut discurrit D. Bonaventura *loc. citat sect. 1.* Itaque *Aureola* est quasi parva corona; unde significat, quoddam præmium accidentale speciale, solitum conferri certis duntaxat Beatis propter merita excellentis cujusdam victoriæ; & per hoc distinguitur ab Aurea, quæ datur Beatis tanquam præmium quoddam essentiale.

10. *De aureolis Doctorum, Virginum, & Martyrum.*

NOTA tertiò: Aureolam tribus communiter generibus hominum quâ victorum conferri à Deo, puta Doctoribus, Virginibus, & Martyribus. *Doctoribus* datur specialis Aureola; quia victoriam agunt de Diabolo, dum eum profligant de proprijs, & alienis cordibus, proponendo, & instillando salutares doctrinas, expulsivas peccatorum, & adductivas pænitentiam, aliásque virtutes Christianas. De hac Aureola procedit illud Scripturæ Matt. 5. *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Et illud Daniel 12. qui

qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Virginibus datur; quia triumphant de carne stimulante ad peccatum. De hac procedit illud Apoc. 14. *cantabunt quasi canticum novum.* Et illud ibidem, *nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.* Et illud ibidem, *sequuntur Agnum quocunque ierit. Martyribus* tandem datur Aureola; quia victoriam reportant de Tyrannis mundi. De hac procedit illud Apoc. 7. *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Plura de Beatitudine, & gloria corporum BB. in Resurrectione generali hominum consequenda vide infra *dist.* 4.



DISTINCTIO II.
De Purgatorio animarum.

QUÆSTIO I.
De existentia Purgatorij.

1. *Deus varia constituit loca pro hominibus.*



NOTA primò contra Hæreticos varios, signanter Lutheranos, & Calvinistas: Deum ordinatissimâ suâ voluntate præter infernum adhuc alia quædam destinâsse loca, seu receptacula subterranea pro animabus variæ sortis recipiendis, & detinendis usque ad tempus à se definitum; de quibus fit mentio tum in S. Scriptura, tum in Concilijs, & SS. PP. Hujusmodi porro receptacula sunt lymbus patrum, lymbus puerorum, & Purgatorium.

2. *Quid Lymbus Patrum?*

NOTA secundò: per *Lymbum Patrum* intelligi quemdam locum in visceribus terræ, in quem ante Christi redemptionem exhibitam transferebantur animæ jam depuratæ ab originali peccato, & actualibus culpis, & ibidem præstolabantur Beatitudinem, post Christi Passionem consequendam. De hoc receptaculo procedit illa Scriptura Isai. 38. *in dimidio dierum vadam ad portas inferi.* Et illa Jobi *cap.* 13. *si sustinuero infernus domus mea est*, intellige non infernum damnatorum, de quo infra disseretur; sed Lymbum patrum, infra hominum habitationem situm. Et illa sententia Jacob Gen. 37. *descendam ad filium meum lugens in infernum.* Et de eodem tandem etiam loquitur ille articulus Symboli Apost. *descendit ad inferos*, ut scilicet animas patrum inde elevaret, ac suâ præsentiâ consolaretur, beatétque; nam animabus damnatis Christi præsentia nil poterat conferre. Hoc receptaculum Lymbi patrum vocatur à S. Scriptura *Sinus Abrahæ*, eò quòd esset locus quietis omnium Justorum, descentium ab Abraham, & expectantium gloriam cælestem.

3. *Quid Lymbus Puerorum?*

NOTA tertiò: per *Lymbum puerorum* intelligi locum, & receptaculum illud, in quo collocantur post mortem animæ infantium, in peccato originali à corporibus decedentium: animæ namque istarum creaturarum secundùm definitionem Conc. Florentini *in Litteris Unionis* etiam *ad infernum aliquem descendunt.* Hoc receptaculum statuunt aliqui DD. in Eadem concavitate loci damnatorum: alij verò illud ponunt separatum, ut D. Bonaventura, &c.

4. *Definitio Purgatorij.*

NOTA quartò: per Purgatorium intelligi *locum specialem in quo velut in carcere animæ decedentes vel cum culpis venialibus necdum expiatis, vel cum onere solvendi pœnas temporales, quæ pro peccatis mortalibus, vel venialibus jam dimissis debebantur, detinentur, ac purgantur usque ad tempus definitum, quô elapsô transferuntur ad Beatitudinem cælestem.* Hujusmodi Purgatorium extare contumaciter negârunt complures veteres, & novelli sectarij, ut Aerius, Waldenses, Albigenses, Apostolici, Wiclephistæ, Henriciani, Petrobusiani, Lutherani, & Calvinistæ; contra quos

5. *Extare Purgatoriū docet S. Scriptura 2. Mach. 12.*

DICO primò: omnino extat reale Purgatorium, tanquam locus pœnarum temporalium à quibusdam animabus separatis exolvendarum juxta æquissimam Dei ordinationem. Ita communis TT.

Probatur primò authoritate multiplici *S.* Scripturæ: nam *primò lib.* 2. *Machab. cap.* 12. dicitur, *sancta & salubris*

bris est cogitatio pro defunctis erare, ut à peccatis solvantur: ex quo textu habetur dari aliquos defunctos, seu animas jam à corpore separatas, quibus prodesse potest oratio in ordine ad solutionem à peccatis: sed hi non sunt alij, quàm defuncti seu animæ separatæ existentes in Purgatorio aliquo; hi enim soli possunt solvi, non verò damnati; neque Beati, qui ligati non sunt: Ergo extat Purgatorium.

6. *Libri Machabæorum: duo sunt Canonici.* Respondent communiter Hæretici recentiores: libros Machabæorum, non esse Canonicos, & de vera serie librorum S. Scripturæ; ac proinde authoritatem ex eis desumptam non probare existentiam Purgatorij. *Contra*; varia Concilia approbata libros duos priores Machabæorum esse Canonicos definierunt; ut Carthaginense III. *cap.* 47, cui interfuit, & subscripsit D. Augustinus. Et Florentinum sub Eugen. IV. Et Tridentinum sess. 4. *in decreto de Canonicis Scripturis.* Et eosdem esse revera Canonicos tenet communis SS. PP. sensus; habetque Innocentius I. *epist. ad Exuperium.*

7. *Alia Scriptura ex Matt. 12. pro Purgatorio.* *Secundò* favet conclusioni Catholicæ ille passus Matt. 12. *qui autem dixerit* (subintellige verbum blasphemiæ) *in Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: ex qua sententia colligunt SS. PP. dari quædam peccata, quæ in altero sæculo remittuntur virtute orationum, & suffragiorum Ecclesiæ militantis, ut exponit D. Augustinus *lib. 6. contra Julian. cap.* 15. Et *lib.* 21. *de Civ. cap.* 14. Et S. Gregorius *lib. 4. Dialog. cap.* 39. Et S. Bernardus *hom. 66. in Cantica.* Ambrosius, Isidorus, Fulgentius; Beda &c. Ergo etiam datur locus, in quo existunt illi, quorum peccata in futuro sæculo remittuntur: sed hic est Purgatorium: Ergo extat Purgatorium.

8. *Rursus alia ex 1. ad Cor. 3.* *Tertiò* favet eidem doctrinæ de existentia Purgatorij veri ille locus 1. ad Cor. 3. quô etiam utitur Scotus 4. *dist.* 21. *q.* 1. *si quis superadificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam &c. uniuscujusque opus manifestum erit, & igne probabitur; si enim opus manserit, quod superadificavit, mercedem accipiet; si autem arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem*: quem locum SS. PP. (quos refert P. Faber) pariter exponunt de Purgatorio dicendo, quòd per aurum, argentum & lapides pretiosos significentur opera Justorum, quæ mercedem statim accipient factâ separatione animæ à corpore, suppositô quòd non adsit aliqua culpa venialis non expiata, nec obligatio solvendi pœnas aliquas temporales; per lignum verò, stipulam & fœnum signantur opera peccaminosa venialia necdum expiata, quæ cremanda sunt, id est punienda, & purganda in loco Purgatorij; quò factô is, qui talia opera commiserat, salvus quoque erit, *sic tamen quasi per ignem*, subintellige Purgatorij: Ergo extat Purgatorium, exurens opera peccaminosa per pœnas varias temporales. Complura testimonia S. Scripturæ vide apud dogmaticos DD. signanter nostrum P. Wettweis, P. Brancatum, P. Hocqnardum, Bellarmin. Coccium, Valent. Bontempum, &c.

Probatur secundò conclusio authoritate Ecclesiæ, & CC. Purgatorium dogmatizantium, sic docet usus antiquissimarum Liturgiarum, ab Ecclesia approbatarum, D. Jacobi; D. Marci, S. Basilij; & Missale Romanum, quod creditur esse D. Petri, & habetur *tom. 6. Bibliot. PP.* in quibus extant certæ orationes pro liberatione animarum Purgatorij ordinatæ. Sic quoque dogmatizat Concilium Carthag. III. *cap.* 29. Et Braccarense I. *cap.* 39. Et Et Aurelianum II. *cap.* 14. Et Valentinum, Toletanum, Nicænum, Cabilonense, Tributinum, quæ citat P. Brancatus; & Florentinum *in Litt. Union.* ac novissimè Tridentinum *sess.* 24. *in decreto de Purgatorio*: ex quibus etsi nonnulla non utantur hâc voce *Purgatorij*; adstruunt tamen dari locum talem, ubi orationibus & suffragijs animæ defunctorum possunt juvari, quæ proinde ad ejusmodi officium constituunt, & mandant practicari in Ecclesia: Ergo extat Purgatorium. 9. *Ecclesia usus, & CC. pro eodem.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. communi consensu docentium, pro defunctis esse orandum; ex quo consequenter censent defunctos esse capaces adjutorij, & existere in loco, ubi tormentantur varijs pœnis, & purgantur, qui est Purgatorium; sic sentit S. Dionysius *De Ecclesiast. hier. cap.* 7. Et S. Basilius *in Liturgia.* Et S. Epiphanius in fine Operis *contra hæreses hær.* 75. Et S. Ambrosius *lib.* 2. *quæst.* 8. *ad Faust.* Et S. Chrysostomus *hom.* 41. *in epist.* 1. *ad Cor.* Et S. Cyrillus Hierosolym. *Catech.* 5. Et S. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. cap.* 55. 10. *SS. PP. quoque adstruunt Purgatorium.*

cap. 55. Et Nyssenus *orat. pro mortuis* circa medium. Et S. Augustinus *in Psalm. 37.* apertis terminis existentiam Purgaturij adstruit dicens, *in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam Emundatorio* (idem est quod Purgatorio) *igne non opus est.* Et *lib. 2. contra Manich. cap. 20.* ait, *qui agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, & post hanc vitam habebit vel Purgatorium ignem, vel pænam æternam*: Ergo extat Purgatorium.

11. *Ratio etiam illud extare suadet.* Probatur quartò ratione Theologicâ: si contingat aliquam animam separari per mortem hominis à corpore ante expiationem venialium culparum, aut ante persolutionem pænarum temporalium, in quas commutata fuit æterna pæna mortali peccato debita, talis anima non evolat in cælum; cùm sit coinquinata vel ligata obligatione ad persolutionem pænarum quarumdam temporalium; & *nil coinquinatum intrabit in regnum celorum* Apoc. 21. neque incarceratus egrediatur carcerem quousque solvat novissimum quadrantem Matth. 5. similiter talis anima non detruditur ad inferoum; quia eum non demeruit, & quia Deus justus est, qui neminem nisi ob demerita inferno includit: Ergo transfertur ad tertium locum, Purgatorium dictum: Ergo extat Purgatorium.

12. *Et exempla apparitionum animarum.* Probatur quintò exemplis authenticis animarum ex Purgatorio comparentium; plura namque similia referunt veridici Scriptores omni exceptione majores, & SS. PP. signanter S. Gregorius Mag. 4. *Dialog. cap. 40.* & 55. Et Gregorius Turon. *lib. de glor. Confess. cap. 5.* Et *lib. 3. hist. Anglor. cap. 19.* Et Gullielmus Abbas, Vincentius &c. Ergo extat horum, & ipsiusmet veritatis testimonio Purgatorium.

13. *Hæreticorum fundamenta.* Objiciunt Hæretici *primò*: Eccles. 11. dicitur; duos esse duntaxat status, in quibus homines post mortem collocantur, *si ceciderit* (inquit S. textus) *sive ad Austrum, sive ad aquilonem, ubicunque ceciderit, ibi erit*: Ergo non debet adstrui tertius locus Purgatorij. *Secundò*; Matt. 25. pariter assignatur solus status Beatorum, & damnatorum illis verbis, *ibunt hi in supplicium æternum; Justi autem in vitam æternam. Tertiò*; S. Augustinus fuit dubius de Purgatorio *in Enchrid. cap. 86.* Et *lib. 21. de Civ. cap. 26.* Ergo &c.

Respondeo *ad Primum*, & *Secundum*; ex his, & similibus authoritatibus Scripturæ solùm constare, quòd sint duo status ultimi hominum, & duo loca ultima, in quibus ultimatè & perpetuò homines collocabuntur post universale Judicium, gloriam scilicet, & gehennam; cum quo tamen stat, quòd datur locus tertius ante universale Judicium in quo ad tempus collocantur maculati venialibus, & debitores pænarum temporalium; uti rectè observavit Sixtus Papa epist. *ad malos Doctores* scribens, *ego in scriptura duo tantùm loca invenio, Regni, & gehennæ, hoc est vitæ, & mortis; Purgatorium semper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ expiantur. Ad tertium* dico, S. Augustinum *locis citatis* dubitare duntaxat de modu purgationis, an nimirum quædam animæ in Purgatorio purgentur eô modô à vitiosis affectibus, cum quibus discesserunt, quò purgantur multi in hoc mundo, igne videlicet tribulationis ab amore sæcularium: nam hic S. Doctor expressè alibi adstruit existentiam Purgatorij realis; ut supra eundem allegavi *probat. 3.* 14. *Convelluntur.*

QUÆSTIO II.

De ubi; varietate; & duratione pænarum Purgatorij.



Uia S. Ecclesia Catholica nihil determinavit; neque in S. Litteris clarè continetur, ubinam locorum situm sit Purgatorium? idcirco Catholici DD. hac in parte in diversa abière sentimina: Hugo de S. Victore arbitratur illud non extare in aliquo loco determinato; sed pro libitu Deum animas purgandas nunc huic, nunc illi loco affigere; maximè verò illi ubicationi, in qua peccàrunt: fundat se hic Doctor inquibusdam revelationibus, relatis à S. Gregorio Mag. *lib. 4. Dialog. cap. 25.* Et Petro Damiano *epist. 13. ad Desiderium.* Alij aliter ratiocinantur. Sed probabilius est, quod docet D. Bonaventura dist. 20. *p. 1. art. 1. q. 6.* Richardus, Paludanus, Durandus &c. Purgatorium extare in visceribus terræ prope infernum damnatorum. Ratio est; tum 1. *Arbitria AA. de ubi Purgatorij.*

tum quia S. Scriptura narrat in inferioribus terræ partibus subsistere aliquas animas justas, quæ laudant Deum; unde dicitur ad Philip. 2. *in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*, quod ultimum verbum nequit intelligi de animabus damnatis, quæ Christo genua non flectunt. Item de ijsdem animabus dicitur, quòd illuminabuntur à Domino Eccl: 24. *penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Et in Missa pro defunctis pro ijsdem oratur, ut liberentur è lacu *libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu*: Ergo &c.

2. *Animæ aliquando purgantur extra ordinarium Purgatorium.* Nota autem primò: etsi commune, ac ordinarium Purgatorium situm sit in inferioribus visceribus terræ; quandoque tamen Deus alium locum animabus purgandis destinare solet; tum propter celeriorem liberationem, ut nimirum in alio loco extra centrum terræ Purgatorium subeuntes, revelare ibidem commodiùs possint suas pœnas, ac impetrare liberationem; unde docet D. Gregorius Mag. 4. *Dialog. cap.* 40. animam Paschasij Diaconi, apparuisse Germano Episcopo Capuano, eidémque indicasse se detineri tanquam in loco pœnali purgatoriali in thermis angularibus, in quibus balneabat memoratus præsul de præscripto Medicorum; tum propter nostram instructionem, ut ait P. Herincx, quatenus recogitemus post hanc vitam defunctis peccatoribus infligi pœnas: tum propter alicujus Sancti gratiosam advocationem; sicut legitur de S. Patritio, quòd suâ advocatione à DEO impetraverit cuidam peccatori pro Purgatorio certum locum in terra, mitioribus pœnis instructum: tum tandem propter alias causas, soli Deo notas. Circa pœnas Purgatorij.

3. *In Purgatorio est pœna damni.* DICO primò: animæ in Purgatorio patiuntur ad tempus pœnam damni, id est carentiam visionis, & fruitionis Dei. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, Richardus, Paludanus, & communis TT.

4. *Similiter pœna veri ignis.* Probatur: Tum quia ita sentiunt CC. & SS. PP. Tum quia animæ existentes in Purgatorio necdum sunt insertæ cœlo: Ergo adhuc carent visione, & fruitione, solitâ exhiberi in cœlo.

DICO secundò: animæ in Purgatorio patiuntur quoque pœnam ignis veri. Ita pariter communis TT.

Probatur: Tum quia ita definitur in Conc. Florentino *sess.* 1. Tum quia ita colligitur ex illo 1. ad Cor. 3. *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Tum quia ita sentiunt Patres; signanter D. Cyrillus *lib.* 10. *in Joann. cap.* 14. Et Origenes *hom.* 6 *in Exod.* Et Oecumenius *in cap.* 3. *Epist.* 1. *ad Cor.* Theodoretus; & torrens TT. Latinorum disputantium contra Græcos in Conc: Florentino, huic conclusioni adversantes: Ergo &c. Modus autem, quò ignis verus, & realis, physicus, ac materialis possit agere in animas ut spiritus, tactus est *Tom:* 1. *Tract. de Angelis dist.* 9. *q.* 3. & rursus afferetur infra *dist.* 3. *q.* 2.

DICO tertiò: animæ in Purgatorio non torquentur ullo modo à Dæmonibus, tanquam justitiæ divinæ ministris, neque puniuntur præsentiâ aliquâ pœnali vermis. Prima pars est Scoti 4. *dist.* 21. *q.* 1. S. Bonaventuræ, D. Thomæ, Richardi &c. Secunda P. Fabri, Mastrij, & aliorum Scotistarum. 5. *Dæmones nō torquent animas in Purgatorio.*

Probatur prima pars; esset notabilis indecentia, non afferenda, quòd animæ illæ, quæ aliquando Beatitudine potientur, quæque contra Dæmones sæpiùs victoriam reportârunt in hac vita, & sunt amici Dei, essent subjectæ tormentis Dæmonum: Ergo &c.

Si objiciatur D. Bernardus, & V. Beda narrantes, quasdam animas Purgatorij apparuisse circumdatas Diabolis tormentantibus. Item quòd Ecclesia permittat picturas; exprimentes Dæmonum torturas circa animas Purgatorij. Respondeo; hujusmodi apparitionibus, & picturis permissis solùm significari acerbitatem notabilem pœnarum Purgatorialium, quæ à nobis intelligi non possunt, nisi per exempla nobis connaturalia; quæ proinde propter captum simplicium solummodo afferuntur; etsi à parte rei sic se res non habeat. 6. *SS PP Bernardus & Beda reconciliantur.*

Probatur secunda pars: ex Scoto 4. *dist.* 50. *q.* 6. per vermem pœnalem infernalem significatur quædam tristitia, & continuus conscientiæ remorsus ortus ex deperdito summo bono beatitudinis: sed in animabus Purgatorij non est ejusmodi tristitia, & remorsus cùm sint aliquando consecuturæ Beatitudinem: Ergo neque pœna vermis. Præterea datò etiam quòd per pœnam vermis intelligatur physica quædam corrosio vermis realis, ut sentiunt probabiliter nonnulli DD. & ego quoq; admisi *Tom.* 1. *Tract. de Angelis, dist.* 8. *q.* 3. *n.* 8. non videtur tamen 7. *Neque vermis rodit animas Purgatorij.*

tamen talis pœna ullibi in S. Scriptura, vel SS.PP. expressa pro istis aoimabus Purgatorij, ~~sicut expressa invenitur pro istis animabus Purgatorij~~, sicut expressa invènitur pro tormentis odis animabus inferni, ut dixi *loc. citat.* Ergo &c.

8. *Pæna Purgatorij est acerbior quâcunque aliâ in via.*

DICO quartò: pœna ignis Purgatorialis est loogè acerbior, quàm quæcunque in hac vita hactenus excogitata, vel excogitabilis. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, Richardus, Paludanus, Valentia. Bontempus, &c.

Probatur primò authoritate SS.PP. nam D. Anselmus scribens *in epist. 1. ad Cor. cap. 3.* ait, *sciendum est, quòd gravior est ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* & D. Gregorius *in Psalm. 3. Pænitent.* scribit, *illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intollerabiliorem.* Eandem doctrinam habet D. Augustinus *in Psalm. 37.* Et *21. de Civ. cap. 2*˜. Et V. Beda *in Psalm. 3. pænitent.* Et D. Hilarius *in Psalm. 118.* Cæsarius, & alij PP. Ergo &c.

Probatur secundò ratione Theologicà: homo in hac vita abusus est tempore sibi concessò ad benigniorem compensationem faciendam: Ergo meritò Deus in altera vita infligit acerbiores pænas, quàm sint omnes in hac vita excogitatæ, aut excogitabiles. Circa porrò durationem istarum pœnarum.

9. *Animæ possunt citiùs liberari è Purgatorio.*

NOTA secuodò: Durationem pœnarum Purgatorij Deo esse arbitrariam; unde eò miserente, & accedentibus suffragijs varijs, ùt jejunijs, eleemosynis, & Missis Fidelium juxta Florent. & Trident. Concilium *sess. 24. in decreto de Purgat.* abbreviari possunt, & animæ citiùs iode liberari: quod ulteriùs constat ex communi Ecclesiæ praxi, tum veteri, io Liturgijs varijs contenta, tum moderna in Missali Romano expressa, ubi orationes, & suffragia pro liberatione animarum Purgatorij ordinantur. Idem uberiùs ostendetur *sequenti quæstione.*

10. *Animæ debent priùs plenè purgari, antequam dimittantur.*

NOTA tertiò: animas reas tam diu detineri in Purgatorio, qunusque plenè sint purgatæ, vel per propriam satispassionem, vel per Fidelium suffragia, & alia booa opera: à Deo acceptata locô purgationis personalis aliàs præstandæ: unde secundùm plures DD. huc facit illud quod dicit Christus in parabola Matt. 5. *amen dico tibi, non exibis hinc, donec reddas novissimum quadrantem.*

NOTA quartò: nullas animas detineri ultra diem Judicij io Purgatnrio; ut docet D. Augustinus *21. de Civ. Dei cap. 16.* Et est Ratio, quia post celebratiooem Judicij universalis erunt tantùm duo status animarum, ut dicitnr Matth. 5. Benedictorum scilicet, qui ibuot in gloriam; & maledictornm, qui ibunt in gehennam. 11. *Nulla anima purgatur ultra Judicium universale.*

NOTA quintò: multas animas ex Purgatorio liberari ante diem Judicij universalis; ut habet commuois Ecclesiæ, & TT. seosus: Estque Ratio; quia quædam animæ per mortem hominis separantur à corpore cum paucis, & parvis culpis venialibus, vel obligatione solvendi paucas pœnas temporales, in quas commutata erat æterna: quædam etiam statim juvantur copiosis precibus, Missis, & varijs salutaribus operibus pænalibus: Ergo tales animæ citiùs. quàm dies Judicij uoiversalis celebrabitur, liberaotur. 12. *Neque omnes usque ad diem Judicij univer.*

NOTA sextò: incertnm esse determinatum tempus liberationis cujuslibet aoimæ ex Purgatorio, oisi eisdem Indulgentia solita ab Ecclesia pro defuuctis concedi, vel sacrosanctum Missæ sacrificium applicetur, vel adjuvetnr alijs sanctis operibus: nam neque ex Scriptura, neque ex CC. neque ex SS. PP. hac de re quidquam certi colligi potest. Unde infundatè Soto tempus totius Purgatorij cujuslibet animæ exteodit ad 20 annos. Itaque divinô decretò taxatum est tempus mansionis animarum in Purgatorio. nunc longius, nunc brevius pro varietate, & qualitate demeritorum, atque obligationis contractæ solveodi pæoas plures, vel paucinres temporales; ùt teuet communis TT. quod quia igootum est nobis, ideo rectè Ecclesia permittit celebrari anniversaria pro animabus istis etiam post 100. annos. 13. *Tempus liberationis animarum è Purgat. est incertum.*

NOTA septimò: Etsi animæ separatæ ita Divioò decretò regulariter affixæ siot loco Purgatorij, ut exire pro libitu oequeant; tamen nonnunquam, licèt rarissimè, à Deo dispensantur, ut egredi valeant, & hominibus se se ostendere, tum ob bonum ipsarum animarum, ut videlicet citiùs liberentur; tum ad exemplum viventium: quare quasdam tales apparitiones ut veras refert S. Gregorius *4. Dialog.* & V. Beda, ac alij SS. PP. in tali autem casu secumserunt pænam ignis, sicut febricitans febrim, 14. *Aliquando permittuntur animæ egredi è Purgatorio.*

eòquo

eòque torquentur non minùs, quàm in Purgatorio ipso, ut testantur iidem Patres.

Quæstio III.

Varia alia circa Purgatorium resolvuntur.

1. *Animæ in Purgatorio nec merentur, nec demerentur.*



DICO primò: animæ in Purgatorio sunt extra statum merendi, & demerendi. Ita Scotus 2. *dist.* 7. *q. un.* & communis TT. contra Lutherum, qui priusquam totaliter negaret Purgatorium, censuit animas ibidem detentas continuò peccare fugiendo, & horrendo pœnas ignis piacularis.

Probatur primò authoritate S.Scripturæ: nam Eccles. 11. dicitur, *ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos reperire cibum*, hoc est opera salutaria, ut glossant SS. PP. Et Joan. 9. habetur, *me oportet operari opera ejus, qui misit me donec dies est; veniet nox, in qua nemo potest operari*; quem textum expendens D. Augustinus *tract.* 64. *in Joan.* dicit per noctem significari tempus, mortem subsequens, in quo nemo potest sive meritoriè, sive demeritoriè operari: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Deus ordinavit, statum merendi & demerendi esse statum viæ; uti patet ex illo 2. ad Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis*, (nota statum conjunctionis animæ cum corpore, seu viæ) *sicut gessit, sive bonum, sive malum*: Ergo animæ in Purgatorio, tanquam jam existentes extra statum viæ, sunt extra statum merendi, & demerendi. Accedit contra Lutherum, quòd suppositis continuis peccatis novis animarum in Purgatorio, non sit unquam futurus finis Purgatorij; quia semper fient nova & nova peccata secundùm ipsum, quæ egent purgatione: sed erit aliquando finis Purgatorij: Ergo &c.

2. *Animæ Purgatorij sunt securæ de Beatitudine assequenda.*

DICO secundò: animæ in Purgatorio sunt securæ, & certæ de Beatitudine aliquando consequenda. Ita S. Bonaventura, Bellarminus, Roffensis &c. contra Lutherum, incertitudinem, & desperationem his animabus adscribentem olim, antequam penitùs negâsset Purgatorij existentiam.

Probatur: Tum authoritate S.Scripturæ; nam Matth. 10. dicitur, *qui perseveraverit* (scilicet in amicitia Dei finaliter) *hic salvus erit*, quam Scripturam noverunt animæ Purgatorij; cui proinde credentes securæ, & certæ redduntur de Beatitudine aliquando consequenda; cùm ipsæ perseveraverint in gratia sanctificante finali. Tum ratione; quia ex sententia Judicij privati, quod à Christo Judice constituto juxta illud Joan. 5. *neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* fit, cognoscunt se post satispassionem ab igne Purgatoriali esse elevandas, & in cælum transferendas; adeóque vi talis cognitionis fiunt securæ, ac certæ de Beatitudine aliquando consequenda. Unde

3. *Datur Judicium particulare cujuslibet animæ.*

NOTA primò: erroneam esse illam sententiam Lactantij *lib.* 7. *Divin. instit. cap.* 21. *nemo putet animas post mortem protinus judicari*, & illam, *omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quô maximus Judex meritorum faciat examen*: nam ex S. Litteris constat, circa quamlibet animam è corpore egredientem immediatè à Christo exerceri Judicium particulare, & sententiam definitivam in eo ferri de loco, in quem transferenda sit; unde Luc. 16. dicitur, *mortuus est dives, & sepultus in inferno*: & *cap.* 23. *hodie mecum eris in Paradiso*: sed translatio in Paradisum, & sepultura in inferno primò fiunt post exercitum Judicium, latámque sententiam. Et quidem hujusmodi Judicium particulare arbitratur S. Bonaventura fieri in ipso loco, in quo anima separatur à corpore, & moritur homo.

4. *Animæ Purgatorij possunt pro nobis intercedere; & miracula facere.*

NOTA secundò: probabilem esse opinionem P. Brancati; Fabri, & Bellarmini, quòd animæ Purgatorij possint pro nobis orare cum effectu. Ratio est; quia non obstantibus pœnis, quas subeunt, sunt animæ Deo charæ, ac in gratia sanctificante constitutæ, adeóque aptæ ad orandum pro nobis cum effectu. Similiter probabile est, quod docent iidem DD: quasdam animas Purgatorij posse facere vera miracula hoc sensu, quòd nimirum Deus intuitu aliquorum insignium præcedentium meritorum nobis conferat aliquas gratias particulares, quas pro nobis animæ illæ postulant à Deo: unde similia miracula complura referunt SS. PP. signanter narrat S. Gregorius Mag. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 40.

 quòd

quòd dalmatica Paschasij Diaconi quondam magni eleëmosynarij, adhuc in Purgatorio existentis superposita obsessæ dæmonium ejecerit. Et est Ratio; quia Deus est, qui principaliter, & effectivè patrat miracula; hic ergo poterat moveri à meritis insignibus in via exhibitis, & ad instantiam animarum in Purgatorio edere miracula, quæ ipsis animabus aliquo modo adscribi possunt, tanquam causis impetratorijs modo explicato. Ex his tamen non sequitur, animas istas in Purgatorio de novo mereri supplicationibus, & orationibus: nam sola merita in via exercita sunt, quæ in casu miraculi movent Deum, ut supplicationibus, & orationibus earum deferat, & miraculum operetur.

5. *Animæ Purgatorij possunt juvari indulgentijs.*

NOTA tertiò: animas Purgatorij posse juvari applicatione Indulgentiarum, quas Summi Pontifices proinde pro ijsdem animabus sæpiùs concedunt; non quidem per modum absolutionis, uti fit circa homines vivos, sed per modum suffragij: qui duo modi in hoc differunt; quòd collatio Indulgentiarum *per modum absolutionis* fiat ad instar judicij directè remittentis, in quo Papa pœnam debitam temporalem, in quam fuit commutata æterna, remittit authoritativè absolvendo. *Per modum absolutionis suffragij* fit, dum Pontifex offert duntaxat Deo satisfactionem Christi, & Sanctorum quasi prætium, ut is animas à pœnis residuis persolvendis liberet, ac remittat residuam obligationem solvendi pœnas restantes; nam in tales animas Pontifex nullam ampliùs jurisdictionem directam habet. Quòd autem Indulgentijs modò præfatò concessis adjuvari possint, patet ex vetusta Ecclesiæ praxi, concedentis Indulgentias pro defunctis; & ex CC, maximè Tridentino.

6. *Similiter Suffragijs Fidelium.*

NOTA quartò: easdem animas quoque juvari nostris Suffragijs, ut *priori q. notab.* 2. ostendi. Sunt autem Suffragia partim quædam satisfactiones, & solutiones pœnales, quas fideles pro animabus Purgatorij solvunt in via, dando eleëmosynas, jejunando, disciplinando corpus, peregrinando atque ita præstando moraliter æquivalentem pœnam temporalem illi quam animæ in Purgatorio deberent exantlare: partim sunt orationes fervidæ, quas ad Deum fundunt ijdem fideles viatores, supplicando ut misericorditer animas in Purgatorio detentas liberare dignetur; ex his efficacissimæ sunt Missæ. Utraque ista Suffragia commemorat, & tanquam utilissima remedia juvandi animas Purgatorij asserit Scotus *Quodl.* 20. *art.* 1.

7. *Indulgentiæ, & Suffragia infallibiliter prosunt defunctis.*

NOTA quintò: tam Indulgentias à Sum. Pontificibus concessas, quàm Suffragia à Fidelibus ritè facta animabus in Purgatorio prodesse infallibiliter, acceptarique à Deo, ùt colligitur ex Scoto *Quodl.* 20. & habet S. Bonaventura, S. Thomas, Richardus &c. Ratio primi est; quia ita patet ex Bulla Leonis X. directa ad Cajetanum Cardinalem, in qua æqualiter, & absolutè liberatio à pœnis per Indulgentias promittitur vivis, & defunctis; vivis autem conceditur infallibiliter: Ergo & defunctis, Ratio secundi; Tum quia ex CC. & PP. habetur Suffragia vivorum juvare animas Purgatorij, pœnas earum minuendo, vel penitùs tollendo; qui modus loquendi infallibile quoddam juvamen insinuat. Tum quia ut tenent citati DD. Suffragia vivorum prosunt defunctis non tantùm ex misericordia Dei; sed etiam ex justitia, quatenus promisit se velle liberare animas in Purgatorio detentas, si posita fuerint talia Suffragia; uti liquet ex compluribus authenticis apparitionibus animarum (quas refert Braneatus) gratias agentium pro impensis Suffragijs, vigore quarum liberatæ fuerunt.

8. *Conditiones Suffragiorum.*

NOTA sextò: ut Suffragia vivorum suum sortiantur valorem liberationis è Purgatorio debent tria concurrere. *Primò*, positio substantiæ operis, seu suffragij exhibiti in realis, v. g. datio eleemosynæ, actuale jejunium &c. *Secundo*, dispositio personæ exhibentis Suffragium, ut talis nimirum sit in statu gratiæ, & ut habeat intentionem offerendi Suffragium pro anima; ùt docet S. Bonaventura ex D. Gregorio Mag. *in Pastoral. pag.* 1. *cap.* 1. *Tertiò*, dispositio necessaria ipsiusmet animæ, pro qua offertur Suffragium, ut videlicet actu indigeat liberatione.

9. *Etsi executor testata eleemosynæ in peccato eam det, satisfactoria est.*

NOTA septimò: tametsi executores alicujus eleëmosynæ à Petro v. g. morituro ordinatæ pro animæ suæ refrigerio, sint in peccato mortali, dum exequuntur punctum hoc testatæ eleëmosynæ; nihilominus adhuc valet datio talis eleëmosynæ ùt opus verè satisfactorium pro anima testatrice in Purgatorio detenta; ut habet S. Bonaventura 4. *dist.* 45. *art.* 2. *q.* 2. Ratio est; quia tales executores non operantur propriâ

priâ virtute; sed virtute, & voluntate aliena testatoris Petri. Debet tamen ipse testator, dum ordinat ejusmodi eleëmosynam pro se ùt satisfactoriam esse in gratia; vel saltem dum confirmat testamentum; ut habet P. Mastrius, Brancatus, & Faber.

10. *Quale sit peccatum non exequi constituta suffragia; & restitutionem?* NOTA octavò: executores constitutorum Suffragiorum v.g. Missarum, eleëmosynarum &c. negligentes ea exequi graviffimè peccare peccatò infidelitatis, & injustitiæ; unde à Conc. Carthaginensi IV. & Agathensi vocantur *necatores pauperum*: sunt nàmque tales in causa ut animæ tentatrices protrahantur in pœnis Purgatorij, & fraudentur acceleratione gloriæ; ut rectè hic discurrit noster Astesanus *p. 1. lib. 3. tit. 37. art. 3.* Idem dicendum de negligentibus facere restitutionem, à morituro demandatam. cujus anima interea quoque patitur remoram in Purgatorio occasione ejusmodi neglectûs, & protelationem pœnarum; ùt habet Richardus, Gabriel, Faber &c. & docet S. Brigitta *lib. 6. Revelat. cap. 66.*



DISTINCTIO III. De Inferno Damnatorum.

QUÆSTIO I.

De quidditate; existentia; ubi; realitate, & æternitate pœnarum Inferni.

1. *Quid sit Infernus?* NOTA primò: tam lymbum patrum, quàm lymbum puerorum, & Purgatorium appellari passim Infernum, eò quòd fint loca inferna terræ, seu in visceribus terræ constituta; locus tamen, in quo velut in carcere perpetuo deterrimo includuntur animæ damnatæ, per antonomasiam dicitur *Infernus*: & describitur rectè, quòd *sit locus aliquis realis in visceribus terræ, in quo Divinò decretò detinentur perpetuò quotquot damnantur sive de Angelis, sive de hominibus, & æternis suppliciis cruciantur.* Ly *locus* est genus: reliqua ponuntur pro differentia, & patent singula dicta ex ipsis terminis claris.

2. *Extat Infernus realis damnatorum.* DICO primò: extat omnino realis Infernus damnatorum. Ita communis Catholicorum; contra nonnullos Hæreticos, & Atheos.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, cui plùs credendum quàm perversis somnijs falsis opinionibus, & infundatis dogmatibus Hæreticorum atque Atheorum, tum propter antiquitatem ejus, tum propter compilatores, & Scriptores ejusdem: itaque Job 21. de Inferno apertum extat testimonium, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt.* Item Psalm. 6. *in Inferno autem quis confitebitur tibi.* Et rursus Psalm. 13. *dolores Inferni circumdederunt me.* Et iterum Psalm. 18. *erubescant impij & deducantur in Infernum.* Et Luc. 16: *mortuus est dives, & sepultus est in Inferno:* Ergo extat Infernus realis damnatorum.

Probatur secundò authoritate CC. Inferni existentiam definientium, unde Florentinum *in Litt. Union.* dogmatizat *animas impiorum mox in Infernum descendere.* Tertiò authoritate SS. PP. communi calamo Infernum asseverantium; ut videre est apud D. Augustinum *lib. 21. de Civ. cap. 29.* Et in Psalm. 49. Et in 51. Apud D. Gregorium, Hieronymum, Fulgentium, Origenem, &c.

DICO secundò: Infernus probabiliùs situs est circa centrum terræ. Ita Scotus *4. dist. 48. q. 2.* S. Bonaventura, & communior TT. 3. *Infernus est situs circa centrum terræ.*

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: nam Psalm. 54. & Job. 21. paulo ante relatis, ac alibi dicuntur damnati acceptâ sententiâ damnationis *descendere ad Infernum*, quod indicium est, Infernum esse situm in inferioribus partibus terræ, & consequenter circa centrum ejusdem: Ergo &c. *Secundo* authoritate SS. PP. & DD. Classicorum conclusionem passim tenentium. *Tertiò* ratione; quia non videtur locus magìs aptus pro situ Inferni, quàm viscera terræ circa centrum. Et præterea ordo depressionis est juxta statum ignobiliorem

liorem secundùm culpam: sed damnati fuut culpæ mortalis rei: Ergo damnati in depressiori loco terræ, seu centro ejus sunt collocandi, adeoque ibidem situs est Inferous.

4. *Animæ eum mortali decedentes statim in Inferno inferuntur.* DICO tertiò: animæ in peccato mortali decedentes statim acceptâ sententiâ io Judicio privato Christi detruduntur ad Infernum, & ibidem subjiciuntur pœnis realibus infernalibus, Ita communis Catholicorum.

Probatur primò authoritate S.Scripturæ: nam de ejusmodi animabus dicitur Job, 21. *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Infernum descendunt.* Et quòd anima Epulonis fuerit damnata ad Infernum; & statim detrusa eò ac subjecta pœnis, narratur tanquam vera historia secuodùm D.Augustioum, Gregorium, & Ambrosium: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate CC. idem doceotium; uode Florentioum *in Litt. Unien.* ait, *illorum animas, quæ in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox ad Inferuum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*: Ergo&c.

Probatur tertiò authoritate SS.PP. eaudem doctrinam cooclusionis asserentium; unde S.Gregorius 4. *Dial.cap.28.* dicit, *si esse Sanctorum animas in cælo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas & iniquorum animas in Inferno.* Quartò accedit Ratio; justorum animæ decedentes in gratia sanctificanti, & sioe obligatione ad solvendas aliquas pœnas temporales Purgatorij statim transferuntur in cœlum; & potiuotur gloriâ, ut osteodi pluribus argumentis contra Millenarios *Tom. 1. Tract. 1. dist. 4. q. 3.* Ergo pariter animæ impiorum decedentes in mortali peccato, statim acceptâ seoteotiâ in Judicio privato Christi detruduotur ad Infernum, & subijciuntur pœnis realibus ejusdem. Consequentia tenet à pari: & quia Justitia Dei circa præmianda merita, & punienda mortalia peccata, seu demerita, debet se habere pariformiter.

5. *Pœna Inferni sunt perpetua secundùm Scripturam.* DICO quartò: Pœnæ Iosernales damnatorum in æternum durabunt. Ita Scotus, S.Bonavent. S. Thom: Magister Sent. & communis TT. contra Origenem, ejusque sequaces.

Probatur primò authoritate S.Scripturæ; æternitatem Pœnis Infernalibus attribuentis. unde dicitur Matt. 25. *discedite a me maledicti in ignem æternum.* Et paucis interpositis, *ibunt hi in supplicium* (Græcus legit punitionem) *æternum.* Et Apoc. 20. habetur, *ubi Bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum*, id est ut glossant Interpretes in æternum: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate CC. æternitatem Pœnarum Ioferoi definientium; ut videre est io Synodo VI. *act.11.* Et in Cooc. Lateran. sub Ionocentio III. ut *cap. firmiter* refertur. *Tertiò* authoritate SS. PP. idem sentientium; unde S. Athanasius *in Symbolo* ait, *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum.* Et D. Augustinus *lib. 21. de Civ. cap. 17.* deridens illos, qui dicebant, aliquorum pœnas in Ioferno esse temporales, aliquorum verò æternas, dicit, *profectè misericordior fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum atq; Angelos ejus ex illis cruciatibus eruendos dixit, cujus doctrinam S. reprobavit Ecclesia.* Lege etiam D. Fulgentium *lib. de fide ad Petrum.* Et Epiphanium Et Hieronymum *in Apol. adversus Ruffin.* ubi ex professo Origeuem io hoc puocto impuguat: Ergo &c. *(6. Concilia & Patres.)*

7. *Originistarum Fundamenta heretica.* Obijciunt Origioistæ *primò*: Psalm. 76. dicitur, *aut oblivisceturmisereri Deus? aut continebit in ira miserationes suas?* Ergo recordabitur Deus, & miserebitur etiam animarum in Inferoo; adeòque Pœnæ Inferoales oon sunt duraturæ io æternum. *secundò*, in historijs authenticis legitur quosdam magnos peccatores mortuos, & utique jam in Infernum detrusos finaliter salvatos fuisse precibus quorumdam Sanctorum: Ergo horum Pœna Infernalis non fuit æterna. Ant. patet de Trajano Cæsare, qui teste D. Damasceno *orat. de fidel. defunct.* precibus S. Gregorij Mag. fuit post mortem jam pridem peractam salvatus. Similiter precibus *S.* Teclæ quædam Falconilla gentilis fœmina mortua legitur salvata. Item *S.* Augustinus oarrat *serm. 33. de diversis*, quemdam iusantem sine baptismate defunctum, precibus S. Stephani fuisse resuscitatum ad horam, ut baptizaretur: Ergo &c.

8. *Resolvuntur.* Respondeo *ad Primum* cum *S.* Augustino *in Euchrid. cap. 12.* texum *citati Psalmi* intelligendum esse de solis Vasis misericordiæ, seu Electis ad gloriam, quorum Deus fioaliter miseretur si contingat eos labi in peccata, Vel si cooceodant Originistæ eum etiam intelligi de damnatis, dico quòd Deus non continebit in ira sua miserationes suas cum eis, eò quòd mitiùs eos puoiet, quàm merentur suis delictis; posset enim jure

eosdem

eosdem acerrimè propter quodvis peccatum mortale punire, imò penitùs annihilare; quod tamen non facit. *Ad secundum*; si veræ sint allegatæ historiæ de Trajano, Falconilla &c. dico, memoratas personas precibus dictorum Sanctorum salvatas necdum fuisse ad Infernum detrusas, neque Pœnis Infernalibus subjectas; sed eorum sententiam de loco, in quem finaliter essent transferendæ, ex prævisione futurarum precum D. Gregorij, S. Teclæ, & S. Stephani extraordinariè suspensam, & demum executioni datam in re exhibitis precibus dictorum Sanctorum.

QUÆSTIO II.

De varietate; & modo Pœnarum Inferni.



1. *In Inferno est pœna damni.* DICO primò: damnati puniuntur in Inferno Pœnâ damni, seu carentiâ visionis, fruitionis, aliorùmque bonorum Beatitudini annexorum. Ita Scotus 4. *dist.* 50. *q.* 6, & communis TT.

Probatur: Tum authoritate S. Scripturæ; nam 1. ad Cor. 6. dicitur, *iniqui regnum Dei* (id est Beatitudinem consistentem in visione, fruitione, alijsque bonis) *non possidebunt*. Et Matt. 25. habetur, *discedite à me* (qui scilicet sum objectum primarium Beatitudinis) *maledicti*: Ergo damnati punientur in Inferno Pœnâ damni, per carentiam regni Dei, & discessum à Deo significatâ. Tum authoritate CC. & SS. PP. Pœnam damni damnatis assignantium. Tum ratione; Beati ob merita sua gaudebunt in cœlo visione, fruitione, alijsque bonis supernis: Ergo damnati ob sua demerita è contra privabuntur istis bonis, atque ita punientur Pœnâ damni.

2. *Quas carentias pœna damni importet?* NOTA autem primò: Pœnam damni completè sumptam importare sequentes carentias. *Primò* dicit carentiam facialis visionis Dei, & fruitionis beatificæ, quarum objectum est infinitè bonum. *Secundò* carentiam luminis gloriæ, & consecutionis gaudij beatifici. *Tertiò* carentiam incolatûs cælestis patriæ, & per consequens carentiam contubernij, ac Societatis cum Christo, Deipara Virgine Maria, SS. Angelis, & Beatis hominibus. *Quartò* carentiam omnium virtutum supernaturalium, & naturalium. *Quintò* carentiam intuitionis elegantissimi cæli Empyrei, aliorùmque mirabilium operum cælestium, & terrestrium. *Sextò* carentiam scientiæ multiformis circa res Divinas, & creatas in proprio genere. *Septimo* carentia omnium delectationum corporalium: quæ omnia damna, dum considerabunt, in æternum duratura, quòdam vivacissimò, & supremè cruciativò dolore; atque tristitia afficientur.

3. *Damnati cruciantur panâ sensûs ab igne materiali.* DICO secundò. damnati quoque subeunt in Inferno pœnam veram sensûs seu tormentationem ab igne vero corporali, alijsque causis extrinsecis provenientem. Ita Scotus in 4. *dist.* 44. *q.* 2. & communis TT. contra Hæreticos.

Probatur prima pars de igne; *primò* omnibus illis fundamentis, quibus ostendi *Tom.* 1. *Tract. de Angelis dist. ult. q.* 3. Angelos damnatos torqueri ab igne vero materiali; quod à pari idem quoque dicendum est de hominibus damnatis. *Secundò* authoritate speciali S. Scripturæ; quæ pœnam ignis veri, & materialis adscribit hominibus damnatis varijs in locis signanter Matt. 25. illis verbis, *discedite à me maledicti in ignem æternum*. Et Mar. 9. Et Apoc. 14. Et 20. *cap.* Et Psalm. 10, 20. 139, & alibi; Ergo damnati subeunt in Inferno pœnam veram sensûs, ab igne provenientem.

4. *Hæreticorum glossa de igne metaphorico refutatur.* Nec valet infundata prorsus Responsio Hæreticorum dicentium hos, & similes Scripturæ passus intelligendos esse de igne metaphorico, id est de tortura malæ conscientiæ, ad instar ignis, intentionaliter urentis. *Contra* enim est, quòd citatos, & similes textus in sensu litterali intelligant vetustissimi, & juniores SS PP. ut videre est apud Origenem *lib.* 2. *Periarch, cap.* 11, Et apud D. Augustinum *super Matt.* 25. *cap.* dicentem, *dicamus quamvis miris, veris tamen modis Spiritus incorporeos posse panâ ignis Infernalis affligi*. Et apud D. Gregorium 4. *Dialog cap.* 30, scribentem, *si Diabolus ejúsque Angeli, cùm sint incorporei corporeô sunt igne cruciandi; quid mirum si anima antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta*? Et apud Nyssenum *tract. de anima*. Et Justinianum *de casto connubio cap.* 16. &c. Accedit, quòd Scripturæ citatæ loquantur eodem planè modo de igne tormentaturo corpora damnatorum; ac de tormentante defactò animas separatas: sed de priori loquitur út de vero corporali igne: Ergo & de

& de secundo. Ad Patres solitos in oppositum adduci respondi *Tom. 1. Tract. de Angelis dist. ult. q. 3.*

Probatur eadem prima pars tertiò authoritate SS. PP. nam D. Gregorius 4. *Dial. cap. 28.* ait, *sicut Electos Beatitudo lætificat, ita credi necesse est quòd die exitûs sui ignis reprobos exurat.* Præterea SS. PP. torturam ab igne vero corporeo agnoscunt in Angelis; ut docui *Tom. 1. citat.* Ergo eandem oportet ponere in animabus separatis.

5. *Varias quoque alias causas extrinsecas, affligentes animas damnatas asserit Scriptura; & PP.*

Probatur etiam secunda pars conclusionis: Scriptura S. præter ignem, commemorat quoque alias causas extrinsecas realiter tormentantes animas damnatas, puta nives, & frigus Job. 24. *cap. de aquis nivium transibunt ad calorem nimium*: & propterea dicitur in Evangelio quòd in Inferno *erit stridor dentium*, solitus provenire à frigore. Item ponit tenebras Matt. 8. *ejicientur in tenebras exteriores.* Item sulphur Apoc. 19. *qui adoraverunt imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis, ardentis sulphure.* Et SS PP. statuunt complures alias causas extrinsecas, varia mala damnatis afferentes, maximè post reunionem animæ cum corpore; unde D. Augustinus *lib. de triplici habit. cap. 1.* ait, *locus Inferni plenus est tenebrarum, discordia, odij, stultitia, miseria, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitû, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest*: Ergo damnati subeunt in Inferno veram pænam sensûs, à varijs causis extrinsecis provenientem.

6. *Modus verus, quò ignis corporeus potest cruciare Spiritus damnatos.*

DICO tertiò: modus verus, quò ignis Inferni corporeus tormentat, & cruciat animas damnatorum est, quòd eidem igni Divinò decretò sint alligatæ perpetuò, ita ut ab eo se liberare non possint; quæ alligatio cognita & nolita vehementem causat tristitiam, ac mærorem perpetuum in illis animabus. Ita Scotus *4. dist. 44. q. 2.* & Scotistæ communiter; quibus subscribunt S. Bonaventura; complures Thomistæ; atque RR. Amicus, Aversa, Nazarius, &c.

Probatur: eòdem modò tormentat ignis Inferni corporeus animas damnatorum, quò cruciat Angelos damnatos; cùm nulla sit ratio discriminandi modum istum respectu utrorumque spirituum; sed Angelos cruciat modò in conclusione adductò; ut pluribus fundamentis ostendi *Tom. 1. Tract. de Angelis dist. ult. q. 3. conc. 7.* Ergo & animas damnatorum: Et consequenter modus verus quò ignis corporeus Inferni tormentat, & cruciat animas damnatorum est, quòd eidem Divinò decretò sint alligatæ perpetuò, ita ut ab eo se liberare non possint, quæ alligatio ab animabus cognita, & nolita vehementem in ipsis causat tristitiam, & mærorem perpetuum. Alios modos varios AA. de cruciatu ignis, hic solitos objici, vide impugnatos *Tom. 1. citato.*

7. *Ignis Infernalis est ejusdem speciei cum elementari.*

NOTA secundò: ignem Infernalem tormentantem animas damnatorum esse ejusdem speciei cum nostro elementari; ut docet Scotus *loc. supra citat.* & S. Bonaventura. Ratio est; quia neque ex S. Scriptura; neque ex SS. PP. neque ex ratione Theologica constat, illum ignem esse diversæ speciei. Neque est ulla necessitas eum ponendi diversæ speciei. Insuper Scriptura de eo loquitur tanquam de ordinario igne.

8. *Diversitas proprietatum non semper arguit naturas diversas speciei.*

Nec valet instantia quorumdam dicentium, quòd habeat diversas proprietates, ex eò quòd minùs luceat, acriùs urat &c. Item quòd non egeat ullò pabulò sicut elementaris; atque adeo quòd sit diversæ speciei. *Contra* enim est, quòd diversitas istarum proprietatum non inferat distinctionem specificam: nam dantur etiam quædam aquæ fontales apud Garamantas teste D. Augustino *21. de Civ. cap. 5.* quæ de die habent proprietatem summi frigoris, ita ut bibi non possint; de nocte verò summi caloris, ut tangi non possint; & tamen hæ sunt ejusdem speciei cum alijs aquis. *Ad illud de pabulo* dico, quòd ignis Infernalis perpetuam sui conservationem absque pabulo non habeat ex natura sua distincta specifica; sed ex Divina ordinatione: vel certè quia in visceribus terræ ita conclusus detinetur, ut deficere nequeat, eò modò, quò dixerunt nonnulli de lucernis antiquis perpetuis Romanorum, intra mausolea accendi solitis, quæ non egent novò pabulò, nec unquam extinguuntur, si ab accessu aëris arceantur, ita ut evaporare nequeant.

9. *Quid sit pœna vermis in inferno?*

NOTA tertiò: inter cæteras pænas infernales damnatorum etiam esse pænam vermis; juxta illud Isai. 66. *vermis eorum non morietur.* Per vermem Scotus intelligit tristitiam quamdam, seu remorsum conscientiæ ratione peccatorum præteritorum, quem damnati patiun-

patiuntur ex eo, quòd ob tam levem satisfactionem, ex peccato haustam, vitam æternam amiserint, tàmque gravibus pœnis se se obnoxios reddiderint. Hanc pœnæ vermis explicationem sumpsit Doctor Subt. ex D. Ambrosio *in cap. 5. Luc.* scribente, *vermis est, eò quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungant, & quadam exedant viscera conscientia, quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur tamquam ex corpore peccatoris.* Alij DD. & sat rationabiliter docent per vermem tormentantem, præter remorsum conscientiæ, quæ metaphoricè tantùm vermis dicitur, etiam intelligi horribiles aliquos serpentes, vel alteriùs sortis vermes qui corpora damnatorum post reunionem animæ jugi corrosione cruciabunt. Ratio est; quia S. Scriptura sæpe hujusmodi vermium facit mentionem; qui proinde eôdem modô literaliter intelligendi sunt, quô ignis in eadem simultaneè expressus; unde dicitur Luc. 9. *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et Judith. 16. *dabit ignem, & vermes in carnes eorum.* Et Ecclesi. 7. *vindicta carnis impij ignis, & vermis.*

10. *Dæmonum societas est quoque pœna inferni.* NOTA quartò: inter pœnas Infernales quoque referri perpetuam societatem cum atrocissimis larvis, seu Diabolis, qui postpositô omni affectu compassionis, continuò odiô æstuant contra damnatos, & tanquam ministri Divinæ justitiæ Pœnas Infernales atrocissimè exequuntur in miseris damnatis; ut habet D. Bonaventura *4. dist. 20. p. 1. art. 1. q. 5.* & D. Augustinus *lib. de tripl. habit. cap. 2.* Et Petrus Damianus *epist. 2.* & Rabanus scribens *lib. 3. in Ecclesi. cap. 2. bestias Diabolicas atrocissimas sentiet se punire tortores.*

11. *Omnes 5. sensus affligentur in inferno.* NOTA quintò: post reunionem animarum damnatarum cum corporibus singulos quinque sensus affligendos fore specialibus pœnis; ut hic discurrit P. Herincx; *Visus* enim probabiliter tenebris, & aspectu stagni ardentis sulphuris horribilis castigabitur; item suimet, & sociorum, maximè complicum; item fortassis aliorum terribilium spectrorum. *Auditus* cruciabitur perceptione horrendarum blasphemiarum, ejulatuum, convitiorum, & forsitan etiam ingratis sonis, turbinibus, &c. *Gustus* perceptione sulphuris, aliarumque fœditatum, item maximâ siti, & fame. *Odoratus* perceptione abominabilis odoris sulphurei, aliarumque sordium. *Tactus* perceptione ignis vehementissimè urentis; item compressione, & angustiâ mutuâ tot corporum damnatorum, in massam conglobatorum.

Quæstio III.

Alia varia circa damnatorum Pœnas resolvuntur.



1. *Cur Deus ordinaverit ignem pro principali tormento damnatorum?* NOTA primò congruentiam; quare Deus potiùs constituerit ignem pro instrumento principali tormentante damnatos; quàm aliud ens creatum v.g. aërem, vel aquā vel terrā &c nam ignis est instrumentum ex natura magis aptum ad tormenta inferenda; quia sua naturali & physicâ actione, magìs est activus ignis, quàm alia elementa; ad quam actionem cùm agit in rem animatam maximè animâ rationali, qualis est homo, sequitur in sensibus, & tandem etiam ob consensum physicum, in voluntate immutatio intentionalis, causans dolorem vehementissimum, qui sanè decet damnatos ob sua demerita.

2. *Pœna inferni sunt intensæ adeò, ut annihilari petant puniti.* NOTA secundò: Pœnas damnatorum esse adeò intensas, & acerbas, ut cupiant potiùs esse annihilati, quàm similibus Pœnis affligi; ut discurrit Scotus *4. dist. 50. q. 2.* Ratio est; quia esse annihilatum non est per se malum; sicut non esse ab æterno non est per se malum; affligi autem tam acerbis, & gravibus pœnis est per se malum, & propterea simpliciter nolendum; unde hoc ipsum insinuatur illo textu Apoc: 19. *desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis.*


3. *Et acerbissima.* NOTA tertiò: etsi pœnæ damnatorum sint acerbissimæ, & gravissimæ; non tamen sunt infinitè intensæ; ut docet Scotus *in 3. dist. 19. q. unc. ad 3.* Et *in 4. dist. 50. q. 6.* in fine. Ratio est; Tum quia, ut latiùs doceo *in Schola Philosophica, de Infinito*, infinitum categorematicum etiam in qualitate (quale esset pœna infinitè intensa) repugnat. Tum quia pœnæ damnatorum sunt inæquales; ut infra ostendam: Ergo nulla est infinitè intensa. Tum quia malitia peccati mortalis quantum ad aversionem, & conversionem est finita; Ergo & pœna eidem correspondens in intensione.

4. *Damnati nullam sentiunt delectationem.* NOTA quartò: damnatos nullam prorsus delectationem etiam levissimam habere intermixtam suis pœnis; ut habet Scotus 4. *dist.* 44. *q.* 2. Occam cum suis Nominalibus, & Zumel, Medina, Vasquez, &c. *Contra* Suarez, Ariagam, &c. Ratio est; quia Beati ratione beatitudinis formalis seu essentialis nullam etiam levissimam patiuntur tristitiam: Ergo damnati ab opposito, ratione damnationis, & continuæ pœnalitatis nullam, nec quidem levem sentiunt delectationem. Accedit; quod vehementia, & acerbitas dolorum non sinat ullam delectationem resultare in damnatis: & aliunde non est ratio concedendi ipsis ullam delectationem: Ergo &c.

5. *Neque remissionem pœnarum.* NOTA quintò: damnatos quoque non sentire ullò unquam tempore minimam remissionem pœnarum; ut docet P. Herincx, Bellarm. & alij TT. contra Prudentium *lib. Cathemerinon hym.* 5. Ratio est; Tum quia ita sentiunt SS.PP. signanter Cyprianus *tract. contra Demetriad.* dicens, *non erit unde habere tormenta, vel requiem possint aliquando vel finem*; quia videlicet *Bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Tum quia pœna damni est principalis damnatorum; hæc autem nunquam intermittet, ita justè decretante DEO propter præcedentes prævaricationes: Ergo &c.

6. *Pœnæ inferni sunt dispares.* NOTA sextò: pœnas damnatorum esse dispares, & inæquales, juxta demeritorum qualitatem, & mensuram, Ita Scotus 4. *dist.* 50. *q.* 6. P. Hicquæus Mastrius, Herincx, & alij Scotistæ; contra Durand. Capreol. Palud. & P. Bassolium. Ratio est primò; quia ita colligitur ex S. Scriptura Sap: 6. *potentes potenter tormenta patientur - - - - fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Et Apoc. 18. *quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Et Luc. 12. *servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ratio secundò; quia ita docent SS.PP. unde Hieronymus *in cap.* 30. *Ezechiel.* ait, *sicut bonorum apud Patrem diversæ sunt mansiones; ita & Ægypti suppliciorum diversa judicia.* Et Gregorius 4. *Dial. cap.* 43. *unus quidem est gehennæ ignis; sed non unô modô omnes cruciat peccatores.*

7. *Deum exercere justitiam in puniendo damnatos.* NOTA septimò: Deum exercere debitam justitiam in infligendis Pœnis damnatorum. Ita Scotus 4. *dist.* 46. *q.* 4. Ratio est primò; quia ita patet ex S. Litteris 2. Cor. 6. *reddet unicuiq; secundum opera ejus* (quod proprium est justitiæ punitivæ, & distributivæ) *ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; ijs autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Ratio est secundò; quia ut discurrit Scotus *loc. cit.* de singulis pœnis, imprimis pœna derelictionis in peccato finali justè à Deo permittitur; quia ipse posuit legem, quam bene novit peccator, *quod si ceciderit lignum ad austrum, aut aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit,* Eccles. 11. & tamen non curando ejusmodi legem peccat. Similiter pœna damni justè à Deo imponitur peccatori, qui præponit commodum modicum per peccatum obtinendum summo & æterno bono beatitudinis. Etiam pœna sensûs ob eandem rationem justè infligitur; *quantum enim glorificavit se* (homo) *& in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum,* per inflictionem pœnæ sensûs ut glossant SS. PP.



DI-

DISTINCTIO IV.

De Resurrectione Mortuorum.

QUÆSTIO I.

De quidditate, possibilitate, & futuritione Resurrectionis Generalis Mortuorum.

1. *Quid sit resurrectio mortuorum?*



OTA primò: Resurrectionem mortuorum rectè describi, quòd *sit perfecta reunio animarum aliquando separatarum, & corporum physicorum, iteratò constituentium veros priores viventes homines.* Desumitur ex dictis SS. PP. maximè Damasceni *lib. 4. cap. 19.* Hujusmodi reunio vocatur passim *in Symb. Apost.* CC. & PP. *resurrectio carnis*; ex eo, quòd homines solùm secundùm carnem, seu corpus, quod in morte ab anima deseritur, moriantur, remanente animâ in sua entitate. Dicitur etiam *regeneratio*; quandoquidem in ea idem esse humanum supernaturaliter recipitur, quod in prima generatione acceptum fuit deinde per mortem deperditum. Possibilitatem hujus regenerationis, seu Resurrectionis hominum, & à fortiori futuritionem olim negârunt non solùm Ethnici; sed etiam Saducæi, item Basilides, Hymenæus, Philectus, Simon Magus &c. Hæretici. sed

2. *Resurrectio est possibilis.* DICO primò: supernaturaliter possibilis est Resurrectio hominum. Ita Scotus 4. *dist.* 43. *q.* 1. D. Bonaventura, S. Thomas, Magister Sent. & communis TT.

Probatur primò authoritate SS.PP. possibilitatem Resurrectionis hominum asserentium; unde D. Cyrillus Hierosol. *Catech. 18.* ait, *qui ex nihilo res fecit, nunquid jam existentes, & cadentes* (uti fit cum morientibus hominibus) *rursus suscitare non poterit?* Et D. Augustinus 22. *de Civ. cap.* 20. *etsi omnibus perijsset modis* scilicet caro hominum, de qua ibidem loquitur) *nec ulla ejus materia in ullis naturæ latebris mansisset; tamen si vellet, eam repararet omnipotens.* Idem habet Tertulianus *lib. de Resurrect. carnis cap.* 11. Et Irenæus *lib. 5. adversus hæreses*: Ergo &c.

Probatur secundò ratione Scoti *citat*: non videtur ulla repugnantia Resurrectionis hominum neque ex parte Dei effectivè resuscitantis illos; cùm sit idem agens infinitæ virtutis tam in creando primâ vice, quàm in recreando seu resuscitando secundâ vice: neque ex parte ipsorum hominum; nam eorum corpora antequam essent in rerum natura generata, erant creabilia, & animæ unibilia: Ergo pariter postquam sunt per mortem destructa, recreabilia, & reunibilia sunt.

DICO secundò: Resurrectio hominum non tantùm est possibilis; sed revera etiam aliquando futura. Ita Scotus 4. *dist.* 34. *q.* 1. & communis TT. Catholicorum; contra Hæreticos citatos, & Saducæos. 3. *Imò & futura aliquando ut constat ex Scriptura.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; passim Resurrectionem hominum commemorantis; sic dicitur Job. 19 *in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea.* Et 2. Machab. *cap.* 7 *potiùs est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim Resurrectio* (allocutio est ad Tyrannum Antiochi) *ad vitam non erit.* Et infra, *sed enim mundi Creator qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum, nobis iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Et rursus *cap. 12. vir fortissimus Judas collatione factâ misit duodecem millia drachmas argenti Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorum, justè & religiosè de Resurrectione cogitans* &c. Et Joan. 5. *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona egerunt in Resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in Resurrectionem Judicij.* Eadem veritas adstruitur ad Rom. 6. Et 1. *cap.* Tessalon. 4. Et 2. ad Timoth. 2. Et Act. *cap.* 17. & alibi: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate CC. Resurrectionem hominum adstruentium; ut videre est in Conc. Constantinop. *in Symb.* Et in Nicæno *in Symb.* Et in Ephesino, Lateranensi; & novissimè in Tridentino *sess.* 3. *in Symb. fidei* dicente, *& expecto Resurrectionem mortuorum.* Et *in Symb. Apostol. credo carnis Resurrectionem*, Ergo Resurrectio mortuorum revera est aliquando futura. 4. *Concilijs.*

Probatur tertiò authoritate SS. PP. idem 5. *SS. Patribus.*

idem unà voce dogmatizantium: signanter hoc docet Irenæus *lib. 5. adversus hæres. cap. 14.* Et Tertulianus *lib. de Resurrect. carnis.* Et Augustinus *lib. de Doctr. Christi cap. 21.* Et *lib. 19. contra Faustum cap. ult.* Et *lib. 4. de Trin. cap. 2.* Et *serm. 64. de verbis Domini cap. 11.* ubi ait, *mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit, quod non erat; & tamen fecit quod non erat, & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis, quos fecit, quod non erat?* Ergo &c.

6. *Rationi evidenti nequit probari Resurrectio hominum.* NOTA autem secundò: Resurrectionem hominum futuram non posse probari ratione naturali evidenti ac demonstrativa; ut pluribus ostendit Scotus *4. dist. 43. q. 2.* sed esse merè creditam per fidem; unde Epicuræi, & Stoici Philosophi veteres solis naturalibus principiis innitentes reputabant D. Paulum, Athenis Resurrectionem mortuorum prædicantem, novitatum Authorem dicentes *Act. 17. quid vult seminator verborum hic dicere? alij novorum Dæmoniorum annunciatorem*; & à Festo *Act. 26.* propterea proclamatur stultus, *insanis Paule*. Et sanè seclusà fide ratio non ostendit demonstrativè, rem aliquam semel corruptam, & in pulverem versam (uti fit cum corpore hominis mortui) denuò resuscitari; nam natura rei corruptæ naturaliter adeò refugit regressum, ut sit commune axioma Philosophorum *à privatione ad habitum non dari regressum, ex lib. prædicam. cap. de oppositis.* Unde Aristoteles *8. Physic. tex. 36.* dixit, *quæ corrumpuntur secundùm substantiam, non redeunt eadem numerò; sed specie.* Per solam itaque fidem innotescit nobis Resurrectio generalis hominum futura aliquando. Quare rectè concludit hic Scotus *citat. ex his apparet quantæ sint gratiæ referendæ Deo, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam,* (ad quam ordinatur quoque Resurrectio) *ad quæ ingeniosissimi, & eruditissimi quasi nihil poterant attingere.*

7. *Congruentiæ tamen quædam afferuntur circa eam.* NOTA tertiò: suppositâ fide assignari posse quasdam persuasiones rationis de Resurrectione hominum; quas affert D. Bonaventura *4. dist. 43. art. 1. q. 1. Primò*; quia remuneratio Divinæ Justitiæ distributivæ exigit ut fiat Resurrectio hominum, maximè justorum, quæ justitia retribuit, & distribuit homini præmia juxta mensuram meritorum, & sicut meruit; meruit autem in corpore: Ergo hoc resuscitandum est ad præmium accipiendum. *Secundò*; eandem Resurrectionem exigit perfectio gloriæ quæ omnem animæ appetitum complebit, & quietabit; & consequenter etiam appetitum ad reunionem corporis glorificandi. *Tertiò*; perfectio naturæ Justorum idem postulat, quæ consistit in toto composito, & non in una duntaxat parte, puta anima superstite: Ergo &c.

Objiciunt *primò* Hæretici: Eccles. 3. dicitur, *unus est interitus hominum, & jumentorum. Secundò* Job. 14. *homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cælum non evigilabit*: Ergo &c. 8. *Objecta Hæreticorum eliduntur.*

Respondeo primò *ad primam authoritatem* glossando eandem, & dico ipsam loqui de pari interitu hominum, & jumentorum quò ad corpus; eò quòd utrorúmque corpus corrumpatur; etsi hominum rursus Divinà virtute sit resuscitandum, ob gloriam consequendam; ad quam jumentorum corpora non sunt à Deo prærordinata. Respondeo secundò cum Scoto *citat. q. 1.* Sapientem in *allegato cap. 3.* loqui in persona impiorum, erroneè putantium, animam hominis totaliter interire, sicut interit anima jumentorum: suum autem sensum verum exprimit idem sapiens in fine *capitis allegati*; & rursus *cap. ult.* dicens, *revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Ad secundum* glosso pariter verba Jobi allegati, & dico ipsum solùm velle, quòd naturaliter non resurget homo, cùm mortuus fuerit; bene tamen supernaturaliter; sicut fiet Resurrectio Generalis hominum. Vel certè vult, quòd non resurget antequam ultima immutatio totius mundi, cæli, nimirum, & per conflagrationem extremam fiet, de qua dicitur 2. Petri *3. cap. cæli magno impetu transient elementa vero calore solventur*: quæ glossa insinuatur in ipsa objecta authoritate illis verbis, *donec atteratur cælum.*

Quæres; an etiam aliæ res creatæ viventes sint post sui destructionem rursùs aliquando habituræ Resurrectionem aliquam, & vitam? Affirmativè respondet Plato, ut refert D. Augustinus *12. de Civ. Dei cap. 13.* imò hic Philosophus non tantùm docuit omnes res creatas animatas, & viventes, cujusmodi sunt homines, pecora, plantæ &c. rursùs aliquando revicturas; & quidem naturaliter; sed etiam omnia alia hujus mundi 9. *Fabula Platonica de reditu omnium rerum refutatur.*

mundi individua secundùm eosdem effectus reditura peractis certis annorum periodis, & post completam circulationem Octavæ Sphæræ cælestis, quæ peragitur secundùm quosdam Mathematicos spaciô sex millium anoorum; secundùm alios verò spaciô quadraginta novem millium annorum; unde natus est usus Anni Platonici. Sed ego cum D. Augustino *loc. citat.* & communi sana Christianorum Philosophia, Respondeo Negativè. Ratio est; Tum quia hujus Fabulæ Platonicæ nullum est reale fundamentum; nam quòd dicat Plato post circulationem Octavæ Sphæræ rediturōs omnes cælos tanquam causas omnium creatarum rerum ad eundem numerô situm, & motum, atque idcircò eosdem numerô effectus, & res creatas, utpote quæ necessariò redeunte sua causâ eâdem redeunt. *Contra* est; quòd omnes Astrologi doceant, signanter Clavius in *cap. 1. Sphæræ §. de periodis motuum cælestium*, orbes cælestes nunquam ampliùs rediturōs ad eundem situm, & punctum; quia motus eorum adeò inter se varij sunt, ut incommeosurabiles censeantur. Et datô etiam casu, quòd omnes orbes cælestes redirent ad eundem situm; adhuc materia rerum creatarum posset habere alium situm; quia per actionem agentium liberorum posset removeri ad aliam situationem; imò & per actionem agentium duntaxat naturalium posset complетâ illâ assertâ circulatione Platonicâ dispergi ad alium situm; atque ita non redirent ijdem numerô effectus, & res creatæ omnes. Tum quia hæc sententia Platonica præjudicat beatitudini supernaturali hominis, à qua anima beata non volet excidere, & unita corpori rursus redire ad hunc mundum, tot miserijs refertum. Præjudicat etiam Scripturæ ad Rom 6. dicenti, *semper cum Domino erimus*: Ergo neque homines post Generalem Resurrectionem, simul peractam neque aliæ res viventes, neque non viventes habituræ sunt aliquando reditum ad eosdem numerô effectus.

QUÆSTIO II.

De generalitate Resurrectionis omnium prorsus hominum mortuorum.

DICO primò: Resurrectio hominum erit generalis, id est omnium prorsus hominum tam Justorum, quàm damnatorum, & infantium; ijs exceptis, qui jam actu cum corpore translati sunt in cælum. Ita communis Scholasticorum; contra Tertullian. Theodoret. Theophil. &c. arbitrantes Justos qui propè horam Judicij adhuc erunt vivi, non morituros, nec consequenter resurrecturos. 1. *Omnes justi homines resurgent secundùm S. Scripturam*

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; generaliter loquentis de morte corporali omnium prorsus hominum, ac Resurrectione consequenti eorundem; sic dicitur 1. ad Cor. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, scilicet per vivificam Resurrectionem. Et ad Rom. 5. *ita & in omnes mors pertransijt*. Et ad Hebræ, 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori*: ex quibus & alijs compluribus Scripturis habetur generalis mors omnium hominum Justorum; & consequenter etiam generalis Resurrectio eorundem, quæ necessariò sequitur mortem.

Probatur secundò authoritate SS. PP. nam S. Athanasius *in Symbol.* generaliter quoque loquitur de Judicio, & Resurrectione omnium, & consequenter etiam includit Justos, dum ait, *inde venturus est judicare vivos & mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*. Et similiter D. Augustinus *in Enchrid. cap. 84. resurrecturam carnem omnium, qui nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt, atque morientur, nullô modô dubitare debet Christianus*. Idem docet D. Hieronymus *epist. 152*. Et alij PP. 2. *Et SS. Patres.*

Probatur secunda pars *primo* authoritate S. Scripturæ; Joan. 5. generaliter dicitur, quòd *omnes qui in monumentis sunt* (& consequenter etiam damnati) *audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona egerunt in Resurrectionem vitæ; qui verò mala in Resurrectionem Judicij*. *Secundò* authoritate Conc. Lateranensis, Resurrectionem etiam damnatorum definientis. *Tertiò* ratione; nam Justi omnes resurgent, ut præmium nedum animæ, sed etiam corporis glorificandi recipiant: Ergo etiam damnati, ut pœnas nedum animæ, sed & corporis, quod complex erat demeritorum, recipiant. 3. *Etiam omnes damnati.*

Probatur tertia pars: Tum quia etiam 4. *Ac omnes parvuli.*

etiam infantes cum, vel sine originali decedentes comprehenduntur in illa generalitate locutionis scripturisticæ, Resurrectionem omnium intonantis 1. ad Cor. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, etiam ita in Christo omnes vivificabuntur*; infantes autem sunt mortui in Adam: Ergo vivificabuntur per Christum in Resurrectione. Et in illa ad Rom. 14. *omnes stabimus ante tribunal Christi.* Et illa 2. ad Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Tum quia infantes quoque resurrecturos docent SS. PP. ut Augustinus 22. *de Civ. Dei cap.* 16. ubi ait, *resurgent itaque omnes tam magni corpore, quò vel erunt, vel futuri erant in juvenili ætate, etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma.* Tum quia ita suadet ratio; nam finis Resurrectionis generalis erit ostensio Divinæ Justitiæ, & liberalitatis Dei præmiantis, ac punientis: infantes autem cum originali decedentes sunt capaces pœnæ damni; baptizati verò sunt capaces gloriæ: Ergo hi omnes quoque resurgent.

5. *B. Virgo, & quidam alij SS. non resurgent.* Probatur quarta pars: nam de B. V. Maria tenet Ecclesia; & de quibusdam alijs Sanctis antiquis habetur Matt. 27. quòd *monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt resurrexerunt.* Isti itaq; jam consumarunt suam Resurrectionem ad vitam immortalem, & unà cum corpore translati sunt ad beatitudinem, jam recipientes eam actu tam in anima, quàm in corpore: quare non est ratio, ut hi denuo resurgere dicantur.

6. *Quædam argumenta ex scriptura afferuntur.* Objicies contra 1. partem conclus: *primò* 1. ad Cor. 15. dicitur, *ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus; omnes tamen immutabimur*: Ergo secundùm Apostolum non omnes justi morientur ante immutationem ad gloriam. *Secundò*, ad Thesal. 4. habetur, *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus*, ubi Apostolus loquitur paulò ante judicium universale viventibus, quòd sine prævia morte vivi obviaturi sint Christo. *Tertiò* ad Rom. 14. de Christo dicitur, quòd *constitutus est Judex vivorum, & mortuorum*: Ergo Christus Judex venturus reperiet adhuc aliquos viventes in hoc sæculo; atque adeò non omnes morientur, & resurgent ante judicium universale.

7. *Quæ curantur.* Respondeo *ad Primum*; illam authoritatem 1. ad Cor. 15. esse adductam secundùm editionem Græcam; aliter enim legitur in veteri vulgata editione Latina, quæ secundùm Tridentinum *sess.* 4. *cap.* 1. in tota Ecclesia est sequenda, nempe sic, *omnes resurgemus; sed non omnes immutabimur*, qui textus nullatenus favet Patribus oppositis Tertuliano, Theodoreto, Origeni, Didimo, & alijs Græcis. Posset etiam dici retentò priori textu Græcò, quòd ly *non dormiemus* solùm significet Justos circa judicij diem adhuc viventes non dormituros longo tempore, sicut dormierunt alij jam pridem mortui; quia illi Justi brevi post mortem suam statim iterum resurgere habent ad judicium universale, & parum vel breve tempus pro nihilo reputatur phrasi Scripturæ. *Ad Secundum* dico, etiam illos rapiendos in nubibus priùs morituros, saltem in ipso raptu, ut sic satisfaciant legi generali scripturæ ad Heb. 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori*; & eosdem illico rursus resuscitandos, ut obvient Christo in aëra. Potest etiam dici scripturam de illis rapiendis etsi reverà priùs morituris, tamen de eis loqui ut viventibus; eò quòd modicum tempus inter eorum mortem, & Resurrectionem mediabit. *Ad Tertium* dico, Apostolum *per mortuos* intelligere illos jam defunctos, quando verba allegata ad Rom. 14. proferebat; *per vivos* verò illos, qui tunc actu vivebant tempore Pauli, & post eum victuri sunt usque ad finem mundi; quorum omnium Christus constitutus est judex.

8. *Soli abortivi animati resurgent.* Quæres primò: an abortivi etiam resurgent in Generali Resurrectione? D. Augustinus de horum Resurrectione fuit dubius *in Enchirid. cap.* 84. Respondeo ego cum communi Scholastic: cum distinctione, fœtus abortivos jam animatos resurrecturos; non verò inanimatos. Ratio primi est *primò*; quia ad ejusmodi fœtus animatos etiam extenditur illa authoritas Apostoli 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*; hi enim fœtus cùm animam jam adepti sint, peccatum originale Adæ contraxerunt, & ratione hujus mortem, & demum Resurrectionis necessitatem. Ratio est *secundò* quia & hæ creaturæ animatæ sententiam Judicis ultimi recipere debent, ut destinentur ad locum sibi debitum æternæ mansionis: Ergo ad Judicium universale resurgent. Ratio secundi; hujusmodi fœtus defectu animæ nullam sententiam

tiam subire possunt propriè loquendo: Ergo nec Resurrectione egent.

9. *Sola item monstra animata humana in parte tantùm degenerantia.* Quæres secundò: num monstra humana quoque resurrectura sint? Respondeo rursus cum distinctione: si ejus, mudi monstra totaliter à specie humana degenerent; ut si ex fæmina nascatur felis, simia, vel rana, non resurgent: si verò in parte tantùm degenerent v. g. si careant solâ manu, vel habeant tres manus vel pedes ferinos informata tamen sint animâ rationali; tunc resurgent eum alijs hominibus; sed in forma perfecta humana; ut dicam infra. Ratio primi est, quia talia Monstra, etsi ab homine generata sint, non tamen inter individua homana recensentur; adeoq; ad sententiam judicis supremi super homines pronunciandam in Generali Resurrectione resurgere non habent necesse. Ratio secundi; Tum quia ita sentit D. Augustinus *in Enchirid. cap. 87.* Tum quia ejusmodi monstra sunt veri homines: Ergo ad ea quoque generalis Lex resurgendi Apostoli 1. ad Cor. 15. extenditur.

QUÆSTIO III.

De causis Resurrectionis hominum.

1. *Solus Deus est causa efficiens physica Resurrectionis.*



DICO primò: causa physica efficiens Resurrectionis generalis hominum est ipse Deus. Ita Scotus *4. dist. 43. q. 5.* S. Bonaventura, & communis DD.

Probatur primò: Tum authoritate S. Scripturæ, soli Deo attribuentis Resuscitationem hominum; unde 2. ad Cor. 1. dicitur, *non simus fidentes in nobis; sed in Deo, qui suscitat mortuos.* Et ad Thesal. 4. *si enim credimus, quòd Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.* Ergo &c. Tum authoritate SS. PP. idem asserentium, unde Augustinus *serm. 139. de temp.* ait *unde fieri potest, ut homo resurgat? dico ego, Deus est, qui facit.* Et Ambrosius *lib. 4. in Luc. cap. 4. liberare à Dæmone, & homines in verbo Dei possunt; Resurrectionem mortuorum imperare, Divinæ solius est potestatis.*

Probatur secundo ratione Scoti *citat.* planè ad omnipotentiam Divinam solam spectat mirabilis ille modus, quô continget Resurrectio; nam colligendæ erunt omnium corporum materiæ, quorum multæ jam in elementa, lapides ligna, aliaque mixta, & creaturas vivas v. g. pisces, lupos & conversæ sunt; item in easdem materias jam collectas inducendæ erunt priores formæ carnis, ossium, nervorum &c. uti & quatuor principales humores, ac organizationes animatinni corporis inservientes; tandem ipsæ animæ partim ex lymbo puerorum, partim ex inferno, partim ex cœlo, vel purgatorio adducendæ ad jam reorganizata corpora, ijsq; reuniendæ; & hæc omnia modico tempore erunt perficienda; unde patet, quòd non nisi Divinâ virtute Resurrectio effici possit: Ergo solus Deus est causa physica efficiens Resurrectionis.

DICO secundò: causa principalis instrumentalis generalis Resurrectionis erit Christus quà homo; non quidem physica; sed moralis duntaxat. Prima pars est communis TT. secunda Scoti, & Scotistarum; contra Thomistas. 2. *Christus quà homo est causa principalis instrumentalis Resurrectionis.*

Probatur prima pars: Tum quia influxus instrumentalis Christi in Resurrectione colligitur ex S. Scriptura 1. ad Thessal. 4. illis verbis *ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum* scilicet tanquam per causam instrumentalem (*adducet cum eo.* Et ex illo Matt. 24. *tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli & mittet Angelos suos*) en instrumentalem causalitatem (*cum tuba & voce magna.* Tum quia Christus quà homo non potest esse causa physica efficiens Resurrectionis; cùm hæc ad solum Deum pertineat; ut supra ostendi: Ergo saltem erit causa principalis instrumentalis. Tum quia SS. PP. Athanasius, Damascenus, & alij appellant humanitatem Christi *instrumentum Divinitatis* in ordine ad effectus miraculosos (qualis etiam est Resurrectio) Ergo &c.

Probatur secunda pars: Christus quà homo in patrandis alijs miraculis non exercuit ullam causalitatem physicam instrumentalem, ut latiùs doceo contra Thomistas, & RR. *hoc Tom. Tract. de Incarnat. dist. 13. q. 1. conc. 1.* Ergo neque in patrando miraculo Resurrectionis. Consequentia tenet à pari. Probatur Ant. Tum ex dictis *Tom. citat.* Tum quia D. Augustinus *tract. 8. in Joann.* post medium ait, *miraculum quod facturum erat* (scilicet Christus) *secundùm Divinitatem facturus erat, non secundùm humanitatem; secundùm quod erat Deus, non secundùm quod infirmus natus erat.* 3. *Sed moralis duntaxat.*

itaque

Itaque Christus quà homo solùm erit instrumentum morale universalis Resurrectionis, quatenus nimirum ejus imperiô, & mandatô, Sancti Angeli peragent actiones illas Resurrectioni deservientes, quæ erunt in activitate eorum: & quatenus DivinitasChristo quà homini unita, ad nutum humanitatis ejus perficiet opus completum Resurrectionis; quæ omnia influxum quemdam, ac causalitatem duntaxat moralem importabunt. Hæc causalitas magis quoque patebit ex sequentibus. Unde.

4. *Christus quà homo erit causa imperans Resurrectionis.* DICO tertiò: Christus quà homo erit vera causa imperatoria, ut fiat Resurrectio. Ita Scotus 4. *dist.* 48. *q.* 1.

Probatur authoritate S. Scripturæ; imperium Christi circa peragendam Resurrectionem allegantis, unde dicitur 1. ad Thessal. 4. *quoniam ipse Dominus in jussu.* (Glossa interlinearis habet *id est imperiô*) *& in voce Angeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Et Marc. 13. *mittet Angelos suos cum Tuba, & voce magna, & congregabunt Electos ejus.* Mittere autem importat rationem imperij: ErgoChristus erit causa imperatoria Resurrectionis.

5. *Christus causa meritoria Resurrectionis Elect.* DICO quartò: Christus quoque fuit causa meritoria quantùm ad Resurrectionem Electorum. Ita Scotus citat. D. Bonaventura, Mastrius, Herinex &c.

Probatur. Tum quia ita patet ex illo Scripturæ 1. ad Cor. 15. *Christus resurgens à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem* (scilicet Christum mereotem) *Resurrectio mortuorum.* Tum quia primus Adam fuit causa demeritoria corruptionis utriusque, id est mortis spiritualis, & corporalis; Ergo secundus Adam Christus fuit causa meritoria duplicis Resurrectionis, scilicet ad gratiam, & ad vitam corporalem.

6. *Christus erit causa exemplaris Resurrectionis Justorum.* DICO quintò: Christus quà homo pariter erit causa exemplaris Resurrectionis justorum, Ita S. Bonaventura 4. *dist.* 43. *q.* 6. S. Thomas. Richar:

Probatur: Tum authoritate Scripturæ, adstruentis Resurrectionem Justorum fore ad instar ResurrectionisChristi; quod arguit in Christo rationem causæ exemplaris; unde dicitur 1. ad Cor. *unusquisque in suo ordine, primitia Christus, deinde ij qui sunt Christi,* subintellige tanquam maximè similes resurgent. Et ad Philip. 3. *reformabit corpus humilitatis nostra configuratum corpori claritatis suæ.* Tum ratione: quia Justi in Resurrectione erunt in pluribus similes Christo: Ergo ipse est exemplar Resurrectionis eorum. Prob. Ant. Justi imprimis habebunt eandem staturam cum Christo, juxta illud ad Ephes. 4. *in mensura ætatis plenitudinis Christi. Secundò,* Justi habebunt corpus dotibus gloriosis ornatum sicut Christus, juxta illud ad Philip. 3. mox citatum *reformabit corpus humilitatis nostræ.* Ergo &c.

DICO sextò: Causa ministerialis Resurrectionis erunt Angeli Boni qui Christi jussa, & imperia exequentur. Ita Communis TT. 7. *Ministerialis verò Angeli boni.*

Probatur afferendo varia ministeria, quæ Angeli ex imperio prævio Christi impendent Resurrectioni mortuorum. *Primò* enim exercebunt sonitum tubæ convocatoriæ mortuorum ex universo orbe ad Judicium: ita habetur Matt. 24. & Marci 13. *mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt Electos ejus à quatuor ventis, à summis Cælorum usque ad terminos eorum. Secundò,* ex imperio Christi ijdem Angeli colligent, & comportabunt cineres, seu partes materiarum dispersarum, quibus olim constabant corpora judicandorum, & reunient ipsas, ut aptentur ad informationem animæ, à Deo præstandam; uti colligitur ex citato textu Apostoli illis verbis *congregabunt Electos ejus à quatuor ventis;* & tenet S. Augustinus 3. *de Trin.* 4. Et S. Gregorius 4. *dial. cap.* 5. *Tertiò,* homines jam debitè suscitatos à Deo, & viventes adducent ad locum Judicij; ut habet Scotus. S. Bonaventura, & communis TT. hìc, & colligitur ex eodem passu Apostoli; habentque SS. PP. scribentes in dictum locum, signanter Hieronymus, & Augustinus in *Psal.* 49. super illum Versum 11. *congregate illi Sanctos ejus.*

DICO septimò, causa finalis seu finis Resurrectionis generalis mortuorum est ostensio aliquorum attributorum, puta justitiæ, & potentiæ; Ita communis SS. PP. 8. *Causa finalis Resurrectionis generalis erit ostensio Divinæ Justitiæ.*

Probatur prima pars: *de Justitia:* Tum authoritate scripturæ; nam 2. ad Cor. 5. habetur, *omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum:* quibus verbis pro motivo, & fine Resurrectionis Justitia Dei administranda assignatur. Tum authoritate D. Athanasij *in symb.* idem motivum afferentis,

resur-

resurgere habent omnes homines cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem coram Judice Christo scilicet. Eandem doctrinam habet D. Augustinus 20. *de Civ. Dei cap. 1.* Tum ratione; quam affert Damascenus *lib. 4. orthod. fid. cap. 28. erit igitur Resurrectio; nam cum Deus Justitia laude prestet, iis quoque, qui eum patienti animo expectant, mercedem persolvet. At si quidem anima sola in virtutis palestra, sola quoque coronam obtinebit; & si sola in voluptatis ceno se volutavit, sola quoque meritò pœnas luet: at cùm nec substantiam inter se discretam habuerint, nec anima virtutem, nec vitium sine corpore voluerit, meritò proinde ambo simul, aut præmiis, aut pœnis afficientur*: Ergo finis Resurrectionis est, ut Deus Justitiam suam ostendat, & exerceat circa Justos, & injustos in præmiorum, atque pœnarum distributione, tam corpori quàm animæ ut unitis impertiendo juxta meritorum, atque demeritorum mensuram.

9. *Et Potentiæ.*

Probatur secunda pars *de potentia*: nam cùm Resurrectio sit opus prorsus admirabile, ob materiæ quorundam corporum jam in alia mixta conversionem; ob subitam reorganizationem corporum & animæ in eadem reintroductionem; idcirco omnipotentia Divina in eo perficiendo singulariter relucebit, & manifestabitur: Ergo finis Resurrectionis Generalis mortuorum quoque erit ostensio Divinæ potentiæ.

10. *Causa materialis erunt corpora resuscitanda; formalis animæ uniendæ.*

DICO octavò: causa materialis Resurrectionis mortuorum erunt corpora eorum resuscitanda; formalis verò ipsæ animæ rationales reuniendæ. Ita communis DD.

Probatur: causæ materialis, & formalis Resurrectionis mortuorum sunt illæ quæ constituunt mortuos resuscitatos in Resurrectione generali: sed hæ sunt corpora resurgenda, & animæ rationales reuniendæ: Ergo &c.

11. *Omnes partes puriores corporum resuscitabuntur.*

DICO nonò; eadem numero causa materialis, seu idem corpus physicum tractabile cujusvis hominis, quod accepit in conceptione, & usque ad terminum augmenti quoad partes puriores resuscitabitur in Resurrectione generali mortuorum. Ita Scotus 4. *dist.* 44. & communis TT. contra Eutichium, negantem tractabilem corporum Resurrectionem.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex S. Scriptura Job 9. *in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea.* Tum quia etsi nonnullæ partes maximè molliores fluxerint in vita per activitatem caloris eas depascentis, quæ proinde non resurgent; attamen rectè dicitur adhuc idem numerò corpus physicum resurgere; quia resurgent omnes partes principales, puta ossa, nervi, pellis &c. ex quibus identitas numeralis corporis attenditur. Tum quia ita docent DD. maximè D. Gregorius Nissenus *orat. 3. de Resurrect.* dicens *propter hunc diem pars corporis quam ante mille annos carnivora aves comederint integra* (id est eadem numero) *reperietur; & quam vel canes, vel cete, cæteraque animalia marina devoraverint, una cum homine resuscitato resurget; quin etiam quod ignis concremaverit, quod vermis in sepulchro absumpserit, & omnia denique corpora, quotquot corruptio aboleverit integra, nullaque sui parte carentia reddentur è terra*; Divinâ scilicet ita operante virtute: quam redditionem integram Gentilibus suadet S. Ambrosius *orat. de fide Resurrect.* exemplô seminum putrefactorum, viridantia folia emittentium; & Phœnicis, quem etiam Gentiles reviviscere dicunt.

12. *Homines resurgent cum omnibus membris integralibus, & capillis moderatis; non tamen cum partibus additis vi nutritionis.*

Ex dictis sequitur *primò*: homines resurrecturos cum omnibus prioribus membris integrantibus, cujuscunque modi sunt brachia, digiti &c. Ratio est; quia hujusmodi membra spectant ad integrationem, & identitatem numericam corporis physici, quod etiam colligitur ex illo ad Ephes: 4. *omnes occurremus in virum perfectum. Secundo* sequitur; homines non resurrecturos cum illis partibus, quæ additæ sunt per nutritionem post terminum augmenti quales sunt ventrositas, carnositas extraordinaria, pinguedo insolita, & aliæ, quæ in vita residua adjectæ fuère naturæ. Ratio est; Tum quia istæ partes successivè advenientes non reputantur ad identitatem numericam hominis. Tum quia Augustinus 22. *de Civ. Dei cap. 15.* ait *si hoc de Resurrectione corporum dictum est* (discurrit super illum passum Apostoli, quòd omnes resurgemus in mensura ætatis plenitudinis Christi) *restat ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex sit mortuus; vel fuerat habiturus, si antea est defunctus. Tertiò* sequitur; homines resurrecturos cum moderatis capillis, unguibus,

guibus, intestinis, & humoribus quatuor principalibus, puta sanguine, flava bile, atra bile, & pituita. Ratio de *capillis, & unguibus* est; quia ut ait hic S. Bonaventura hi spectant ad individualem pulchritudinem, decorem, & ornatum corporis; Ergo saltem Justi cum ejusmodi ornatu corporeo resurgent. Ratio *de intestinis, & humoribus quatuor* est; quia utraque spectant ad integritatem numericam naturæ hominum; & humores sunt medium uniendi animam corpori organizato; adeòque cum his resurgent homines.

QUÆSTIO IV.

Varia circa Resurrectionem hominum resolvuntur.

1. *Tempus Resurrectionis erit diurnum.*



DICO primò; probabiliter tempus Resurrectionis erit diurnum, & non nocturnum. Ita Scotus 4. *dist.* 43. *q.* 3. S. Bonaventura, Lyranus, Glossa Interlinear. &c. Contra Lactant. Hieronym. & Ambrosium.

Probatur Tum quia S. Scriptura tempus Judicij universalis, & consequenter immediatè præviæ Resurrectionis appellat diem, & non noctem; ut luc: 10. *nescitis diem* Et 1. *ad Thesal.* 5. *dies Domini* Et Joann: 6. *ego resuscitabo eum in novissimo die.* Tum quia, ut discurrit Scotus *citat.* tempus diurnum magis inserviet ad confusionem reproborum, ut videantur, tam ab invicem, quàm à bonis. Dies tamen, & hora diei determinata ignota penitus est omni creaturæ judicandæ; unde Matt. 24. dicitur: *de die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum nisi solus Pater.*

2. *Locus Resurrectionis erit ille, in quo quis sepultus est.*

DICO secundò: locus Resurrectionis probabiliter erit ille idem, in quo cineres mortuorum defacto sepulti jacent vel saltem major pars eorum. Ita P. Brancatus, Mastrius, Richardus, Suarez; Scotus in hoc fuit problematicus dicens, utrumque esse possibile, vel ut resuscitentur in diversis locis ubi cineres sepeliebantur; vel ut pulveres de singulis locis colligantur ad locum unum, ubi fiet Judicium universale.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex illo scripturæ Joann: 5. *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei* (quam scilicet per Angelos mandabit fieri in universo mundo) *& procedent* &c. ubi innuitur per ly *audient vocem* Resurrectio, seu vivificatio in ipso loco monumentorum; & per ly *procedent* facta Resurrectione significatur demùm translatio jam resuscitatorum ad locum Judicij. Tum quia Christus resurrexit in ipso loco sepulturæ: item tenetur communiter de B. V. Maria. Tum quia SS. PP. signanter Chrysostomus *hom* 32. *in epist. ad Rom.* docet SS. Apostolos Petrum, & Paulum Romæ resurrecturos, ubi cineres sacri eorum decumbunt: Ergo idem dicendum de alijs.

3. *Homines Resurgent cum differentia sexus.*

DICO tertiò in Resurrectione gegenerali homines resurgent cum pristina propria differentia sexuum. Ita Scotus in Reportatis *dist.* 20. *q.* 2. in fine; immeritò ergo à Cornelio à Lapide, & quibusdam alijs pro opposito refertur; Scotum sequitur communis TT. contra Originem, Armenos ac priscos quosdam PP. docentes, omnes resurrecturos in forma, & sexu masculino.

Probatur primò: Tum quia ita colligitur ex Scriptura Matt. 22. ubi Christus interrogatus à Saducæis Resurrectionem negantibus de illa muliere, quæ septem Fratribus nupserat, ut quisque illorum fratris defuncti semen suscitaret, cujus nam sit futura uxor post Resurrectionem, respondit, *erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei; in Resurrectione enim neque nubent, neque nubentur*: ubi quidem nuptias negavit; non autem sexuum differentiam; imò eum asseruit per illud *non nubent* quod propriè congruit fœminis. Tum quia alia scriptura narrat Gen. 1. *masculum, & fœminam creavit eos*: Ergo etiam recreabit, seu resuscitabit masculos, & fœminas. Tum quia differentia & varietas sexûs fœminei non est vitium, neque ex vitio naturæ proveniens; cùm Deus à principio talem sexum plasmaverit: Ergo cum eo resurgent homines, quotquot priùs cum eo nascebantur. Tum quia homines cum sexuum differentia resurrecturos docent SS. PP. Augustinus 22. *de Civ. Dei cap.* 17. D. Hieronymus, Hilarius &c. Tum quia noster P. à Castro *lib.* 13. *verbo Resurrectio* hær. 5. refert oppositam doctrinam ut hæreticā recenseri in Ecclesiasticis dogmat: septuagesimo loco his verbis, *in Resurrectione ex mortuis sexûs forma non mutabitur; sed vir mortuus resurget in forma viri, & fœmina in forma fœmina*: Ergo &c.

4. *Quadam*

Objicies primò; ad Ephes 4. dicitur,

objectiones contra sexus differentiam in Resurrectione. tur, *donec occurramus omnes in unitatem fidei agnitionis Filij Dei in virum perfectum*: Ergo omnes resurgent in sexu masculino. *Secundò* Scotus expressè docet 2. *dist.* 20. *q.* 2. in fine, quòd Sola B. Virgo in sexu fœmineo resurget; cæteræ autem mulieres in sexu virili; Ergo &c.

5. *Eliduntur.* Respondeo *ad primum* cum S. August. 22. *de Civ. cap.* 18. ly *virum* ibi juxta usitatam scripturæ phrasim accipi pro homine sive masculo sive fœmina; Scriptura enim sæpe hoc nomine utrumque exprimit, ut in Psal. III. *Beatus vir qui timet Dominum*, ubi nomine *viri* etiam fœmina venit; cum multæ fœminæ DEUM quoque timeant; item Psal. I. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; quod etiam fœminis timoratis solet convenire. Patet etiam dici, sensum allegatæ scripturæ esse, omnes homines resurrecturos in quantitate staturæ virilis, ut simus conformes Christo, qui in tali resurrexit; cum quo stat differentia sexuum. Ad *secundum* dico quòd doctrina allegata ex Scoto non sit de genuino ejus textu; sed tanquam quoddam marginale, & additamentum, ab aliquo Scholaste imperito appositum primò in margine; deinde verò antiquæ cuidam impressioni etiam ignoranter ab impressore insertum textui; quod tamen omnes scotistæ intelligentiores signant pro extra. ut advertit P. Cavellus, Gratian. Brixien. Mastrius, Brancatus, Herincx &c: nam Doctor Subt. expressè docet conclusionem in Reportatis *dist.* 20. *q.* 2. in fine dicens, quòd in Resurrectione aliqua fœmina plùs gaudebit de statu suo, quàm si esset vir, ut B. Virgo; non autem aliæ regulariter; quibus verbis in Resurrectione concedit fore alias veras fœminas.

6 *Homines omnes resurgent cū statura perfecta.* Dico quartò: omnes homines resurgent cum statura perfecta, quam circa trigesimumtertium annum circiter quisque habiturus esset, vel habuisset. Ita Scotus 4. *dist.* 44. *q.* 1. S. Bonaventura, Magister Sent. S. Thomas, & communis TT.

Probatur: Tum authoritate S. Scripturæ ad Ephes. 4. *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij DEI, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*; ubi Glossa ordin: ait, *omnes enim in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit, cujuscunque ætatis mortui fuerint.* **Eodem modo glossat hunc textum** P. Lyranus inquiens, quòd omnes resurgent in ætate triginta trium annorum circiter, quæ est ætas plena & perfecta Christi. Tum quia ita sentiunt SS. PP. signanter Augustinus *lib.* 22. *de Civ Dei. cap.* 14. Et Hieronymus *epist. ad Pammachium, cap.* 11. Tum quia Christus est causa exemplaris Resurrectionis nostræ, secundùm quam proinde reformanda sunt corpora nostra in Resurrectione. Tum quia protoparentes nostri creati fuerunt in statura perfecta corporea secundùm SS. PP. quam habuissent trigesimò tertiò annō: ergo in eadē resurgent omnes posteri ejus in Resurrectione.

NOTA autem primò: secundùm Scotum *citat.* & alios TT. communiter cum præfata doctrina stare, quòd in Resurrectione generali erit staturarum diversitas quædam, ita ut non omnes eandem prorsus quantitatem staturæ sint habituri; sed tantùm sibi debitam annō trigesimò tertiò juxta exigentiam, & temperamentum complexionis: unde quia temperamentum in quibusdam est promotivum altioris staturæ, in quibusdam humilioris, non tamen desectuosæ qualem Nani habent, idcirco quidam resurgent cum grandiori statura, quidam cum humiliori, ut habet S. Augustinus *loc. citat.* Ex quo patet conformitatem corporum, quam in Resurrectione generali habituri sunt omnes resurgentes cum Christo tantùm esse secundùm ætatem Christi accipiendam; non secundùm quantitatem staturæ Christi, ut habet expressè Augustinus *citat.* Et ratio est; quia ista varietas staturarum erit ad ornamentum totius collectionis resurgentium. 7. *Cum quadā tamen varietate.*

NOTA secundò: etsi sit futura staturarum diversitas quædam, non tamen ulla difformitas: unde omnes Nani resurgent cum corpore proportionatè alto; gibbosi cum statura recta; capitones cum moderata quantitate capitis; Gigantes cum ordinaria nostra mole; Æthiopes sine deformi nigredine distorti in facie cum vultu ordinarij coloris, ut habet Magister Sent: Lyranus, & Glossa Interlinearis, docetque S. Augustinus *in Enchirid. cap.* 91. de Sanctorum corporibus; de damnatorum verò P. Hiquæus, & Brancatus; eò quòd Resurrectio generalis sit opus solius Dei supernaturale, Dei autem perfecta sunt opera, quæ se solo facit sine concursu causarum secundarum, quæ quandòque morata vitia naturæ solent causare. 8. *Corpora resurgentium carebunt deformitate.*

9. *SS. Martyres resurgent cum cicatricibus.* NOTA tertiò: SS. tamen Martyres resurrecturos cum cicatricibus, & vulneribus, quæ pro Christo passi sunt, ut patet ex Augustino 22. *de Civ. cap.* 20. dicente, quòd *vulnerum cicatrices quæ Sancti pro Christi nomine pertulerunt non erit deformitas in eis; sed dignitas, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Ratio etiam est, quia Christus resurrexit cum vulnerum signis, quæ & ostendit Discipulo Thomæ Joan. 20. *cap.* Ergo idem de SS. Martyribus dicendum.

QUÆSTIO V.

De dotibus, quas in Resurrectione acceptura sunt corpora Beatorum; & primò de Impassibilitate, & Claritate.

1. *Corpora BB. erunt ornata Dotibus.* ICO primò: omnia corpora Beatorum in Resurrectione accipient à DEO quasdam perfectiones, seu dotes, beatitudinem, & gloriam singularem afferentes. Ita Scotus 4. *dist.* 49. per plures quæstiones, & communis TT.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, quatuor eximias perfectiones, & Dotes, corporibus BB. gloriam peculiarem afferentes exprimentis, nam 1. ad Cor. 15. dicitur, *seminatur* (scilicet corpus) *in corruptione, surget in incorruptione,* quibus verbis *Dos Impassibilitatis significatur, seminatur in incorruptione, surget in gloria,* his *Dos Claritatis* exprimitur; *seminatur in infirmitate, surget in virtute,* his *Agilitatis* importatur; *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale,* his *Dos Subtilitatis* insinuatur: Ergo Corpora BB. recipient in Resurrectione generali quasdam perfectiones seu Dotes glorificantes.

Probatur *secundo*: Tum authoritate *SS.* PP. communi calculo easdem Dotes corporibus BB. resurgentium concedentium, ut videre est apud Augustinum *lib.* 13. *de Civ. cap.* 18. Et Anselmum *de simil. cap.* 5. Et Gregorium *lib.* 14. *Moral.* Cyrillum, &c: Tum ratione, quia Christi Corpus, ad cujus exemplar BB. quoque corpora transformanda, & ornanda erunt in resurrectione, juxta Apost. ad Philip. 3. in Resurrectione præditum fuit, & gloriosum redditum quatuor memoratis perfectionibus, seu Dotibus: Ergo & corpora omnia BB. Tum quia corpus BB. est compositum ex quatuor elementis, & quia elementa sunt imperfecta, ideo quadruplicem defectum ab ijs accipit, puta ab aqua, quæ est humida, passibilitatem & corruptionem; à terra quæ est opaca obscuritatem; ab igne, qui est consumptivus, & egens pabulo, animalitatem, seu alimoniæ indigentiam; ab aëre, qui est fluxibilis & debilis infirmitatem: & ideo hi defectus à corporibus BB. in Beatitudine removendi sunt per oppositas quatuor perfectiones, nimirum passibilitas & corruptio per Dotem Impassibilitatis, obscuritas per Claritatem, animalitas per Spiritualitatem, seu Agilitatem, & per infirmitatem Penetrabilitas seu Subtilitas. Tum quia hoc ipsum ulteriùs patebit ex dicendis de qualibet Dote in particulari. Unde

DICO secundò; omnia corpora BB. omnino erunt in Resurrectione, & postea stabiliter affecta Dote Impassibilitatis. Ita Scotus 4. *dist.* 94. *q.* 13. & communis DD. 2. *Signanter Dote Impassibilitatis.*

Probatur *primò* authoritate Scripturæ: nam de ejusmodi Dote procedit illud Apostoli 1. ad Cor. 15. *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem;* incorruptio autem & immortalitas hic idem sunt, quod impassibilitas. Et illud Isa 49. *non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus. Secundo*: authoritate *SS.* PP. *probat* 2. *priori conc.* relatorum, Impassibilitatem corporibus gloriosis BB. concedentium. *Tertio* ratione; quia per Dotem Impassibilitatis TT. intelligunt immutabilitatem quandam perpetuam ab omni passione corruptiva, & afflictiva, v. g. à siti, fame, frigore, calore &c. ratione cujus immutabilitatis BB. corpora in æternum conservabuntur in optima dispositione: sed talem immutabilitatem habebunt corpora BB. in, & post Resurrectionem; hæc enim decet eadem propter gloriam animæ conjunctæ; & quia corpus Christi tali immortalitate fuit præditum: Ergo omnia corpora BB. in, & post Resurrectionem erunt stabiliter affecta Dote Impassibilitatis.

DICO *tertiò*: hæc Dos Impassibilitatis corporum gloriosorum non proveniet ex qualitate aliqua præservante, 3. *Impassibilitas BB. cor-*

cor-

porum non oritur ex qualitate aliqua præservante.

corporibus gloriosis à Deo specialiter indita. Est contra Richard, Paludan. Valent, Capreol.

Probatur ratione S. Bonavent. hujusmodi qualitas à DEO indita deberet impedire omnes actiones omnium qualitatum contrariarum simul, & ita opponeretur frigori, calori, humiditati, & siccitati; & esset in singulis partibus corporis gloriosi, & ita perpetuò vi deberet Deus perpetua miracula patrare; hæc autem nō sunt dicenda: Ergo Impassibilitas non provenit in aliqua qualitate peculiari, à DEO indita.

4. *Neque ex perfecto dominio animæ in corpus.*

DICO quartò: neque Impassibilitas ista provenit ex perfecto dominio animæ BB, in corpus, quò illud ita fortiter informat, ut satiet omnem appetitum materiæ respectu alterius formæ, quæ posset corrumpere. Est contra S. Thomam, ejúsque sequaces.

Probatur: non apparet quomodo voluntas ratione dominij in corpus possit efficere, ut primæ qualitates in corpore contentæ non insurgant, & impugnent corpora BB, illaque tandem corrumpant: item quomodo possint etiam statute forti informatione animæ præcipere causis extrinsecis, ut corpora eorundem non impugnent fætore, calore, frigore &c: & tandem destruant: Ergo quòd sint futura impassibilia non provenit ex perfecto dominio animæ in corpus. Falsum etiam est, quòd anima ita formaliter informet corpora BB. & satiet materiam, ut non possit recipi alia forma corruptiva: Ergo &c.

5. *Neq; ex carentia qualitatum activarum & passivarum.*

DICO quintò: similiter ista Dos non oritur ex carentia qualitatum elementarium activarum; & passivarum in corporibus Beatorum.

Probatur: quia corpora Beatorum necessariò habere debent qualitates primas elementares; aliàs non essent debitè mixta; & consequenter nec proportionata ad informationem animæ: Ergo ex carentia similium qualitatum non oritur Dos Impassibilitatis in corporibus BB.

6. *Neq; ex earundem nō contrarietate.*

DICO sextò: Etiam eadem Dos non oritur ex eo, quòd qualitates elementares in corporibus BB. contentæ non sint futuræ contrariæ.

Probatur: quod semel est tale, secundùm commune axioma, maximè Scoti, semper tale est: Ergo qualitas elementaris, si semel contrarietur, reverà in corporibus BB. etiam erunt contrariæ.

7. *Neq; ex cessatione motus cælorū.*

DICO septimò: neque provenit ista Impassibilitas ex eo quòd motus cæli cessabit in Resurrectione, & consequenter qualitates corporum BB. non agent ad invicem.

Probatur: motus cælorum impertinenter se habet ad activitatem qualitatum corporalium, & aliorum agentium naturalium; unde ignis comburerет stupam, etsi staret sphæra cælorum; quia cum ejusmodi motu non connectitur necessariò: aliunde etiam incertum est an in Resurrectione generali sit cessaturus motus cælorum: Ergo Impassibilitas non provenit ex cessatione motûs cælorum

8. *Neq; ex bonitate temperamenti.*

DICO octavò neque tandem provenit ex bonitate temporamenti, vel specifica ratione naturæ cujusdā cælestis corporum, quà constabunt corpora BB.

Probatur prima pars: Adam etiam in statu innocentiæ persistens habuisset optimum temperamentum; & tamen eo non obstante fuisset aliquando mortuus; nisi assumeret fructum ligni vitæ: Ergo Beatorum corpora similiter fuissent corrupta aliquando non obstante bonitate temperamenti.

9. *Aut natura cælesti.*

Probatur secunda pars: corpora BB, ante mortem erant naturæ elementaris: Ergo etiam in Resurrectione; cùm eadem necessariò, ut supra ostendi, sint resurrectura: adeóque impassibilitas eorum non provenit ex eo quòd sint naturæ cælestis.

10. *Sed provenit à Divina voluntate non cooperante causis secundis corrumpentibus.*

DICO nonò: Impassibilitas corporum BB. provenit à Divina voluntate non cooperante cum causis secundis corruptivis, Ita Scotus *4. dist. 49, q. 13.* Durandus, Gabriel, Major, Arriaga & alij RR, complures.

Probatur: Tum quia ab eadem voluntate non volente cooperari, provenit, quòd Enoch, & Elias in Paradiso terrestri vivi conserventur; quòd vestimenta, & calceamenta Hebræorum in deserto non fuerint attrita; quòd multi Martyres in ignes conjecti, & bestijs objecti non fuerint læsi: Ergo ab eadem censendum est provenire, quòd corpora BB, sint impassibilia, Tum quia iste modus explicandi Impassibilitatem corporum BB. est facilis, clarus, & sufficiens ad salvandam perfectam Impassibilitatem BB, à scriptura, & PP. assertam. Ergo &c. Hæc de Dote Impassibilitatis.

11. *Corpora BB.*

DICO decimò: singula corpora BB. in Resurrectione, & postea erunt glo-

erunt dotata Claritate. glorificata Dote Claritatis, Ita Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 15. *S.* Bonaventura, & communis TT.

Probatur primò authoritate scripturæ; hanc Dotem Claritatis exprimentis varijs in locis, signanter ad Philip: 3. *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori Claritatis suæ.* Et sap. 10. *dedit illi Claritatem æternam.* Et 1. ad cor. 15. ubi inæqualitas Claritatis BB. exprimitur, *alia est claritas solis, alia est claritas Lunæ, alia est claritas Stellarum; stella enim differt à stella in claritate, sic & Resurrectio mortuorum:* Ergo &c.

Probatur secundò, authoritate SS. PP. eandem Dotem Beatis corporibus adscribentium, unde S. Cyrillus Hierosolym. *cath.* 18. *Justi splendebunt sicut sol, & tanquam luna, & sicut splendor firmamenti.* Et B. Laurentius Justitian. *lib. de disciplina* ait, *Justus nimiâ quoque Claritate fulgebit ita ut solis species transcendat in splendore, non autem in luminæ suo intuentium se reverberabit aspectum, sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitque, eritque tota ejus substantia corporeis oculis visibilis, adeo ut viscerum cæterorumque membrorum harmonia Conditoris declaret magisterium admirandum.*

Probatur tertiò ratione: Dos Claritatis provenit partim, ut discurrit Scotus *citat.* à splendida manifestatione, seu fulgentia supernaturali colorum in gradu excellentissimo, ut colligitur ex Augustino 22. *de Civ. Dei cap.* 10. dicente, *coloris porrò suavitas quanta erit, ubi Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris?* Et est ratio, quia colores perfectâ simetriâ dispositi in corpore humano, maximè in vultu, miram venustatem afferunt, & ad pulchritudinem inserviunt, secundùm August: 22. *de Civ. Dei. cap.* 19. dicentem *omnis pulchritudo est partium convenientia cum quadam coloris suavitate*: insuper ijdem plurimùm delectant visum. Partim in perfecta luce à Deo immissa in corpora BB. de qua procedit illud scripturæ Matt. 13. *tunc fulgebunt Justi sicut sol in Regno Patris.* Et illud Sap. 3. *fulgebunt Justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*: sed tam fulgentia colorum, quàm lux perfecta decet gloriam corporum BB. utpote quæ socia fuerunt meritorum animæ: Ergo singula corpora BB. in, & post Resurrectionem erunt glorificata Dote Claritatis.

12. *Corpora BB. erunt quidem lucida; non tamen diaphana.* NOTA autem primò probabiliùs esse corpora BB. in Resurrectione, & post licèt lucida, non tamen fore diaphana, seu transparentia, Ita Scotus *citat*: S. Bonaventura, Durandus, Abulensis, Richardus &c: contra D. Thomam, Paludan: Lezan. &c. Ratio est, Tum quia ita colligitur ex scriptura, quæ comparat corpora BB. Claritate respersa alijs corporibus lucidis quidem, sed densis, non verò luminosis & diaphanis, ut videre est Matt. 13. ubi comparantur soli, *fulgebunt sicut sol*, sol autem est corpus lucidum densum. Tum quia corpora BB. erunt colorata, ut paulè ante dictum est; coloratum autem non est diaphanum, & transparens, ut docet Aristoteles 2. *de anima cap.* 7. Ergo &c. Tum quia non videtur diaphaneitas posse rectè componi cum densitate naturali ossium, &c: unde quando D. Augustinus 22. *de Civ: Dei cap. ult.* & Gregorius lib. 18. *in Job. cap.* 27. dicunt omnia membra interiora, & harmoniam corporis hominis in gloria patere, non adstruunt aliquam diaphaneitatem corporum, sed mentium; ita nimirum, ut unusquisque habeat cogitationes, & affectiones in corpore patentes. Vel certè volunt, quòd tunc cognoscet, & intelliget perfectè omnis beatus anatomiam corporis alterius, acsi omnia membra essent diaphana & oculis conspicabilia.

Quæstio VI.

De Dote Agilitatis; & Subtilitatis; atque operationibus sensuum BB.



1. *Corpora BB. quoque erût prædita Dote Agilitatis.* DICO primò: Corpora BB. pariter erunt prædita in, & post Resurrectionem mirà Agilitate. Ita Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 14. S. Bonaventura, S. Thomas, & communis DD.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: nam de ista Dote Agilitatis intelligitur illud Sap. 3. *tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, ut glossat P. Nicolaus Lyra. Et illud Isaiæ 40. *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt,*

Secun-

Secundò, authoritate SS. PP. eandem Dotem Agilitatis aſſerentium in BB. unde Anſelmus *lib. de ſimil. cap. 15. ipſis Angelis Dei aquè celeres erimus, qui dictò citiùs de cælo ad terram, & è converſò, dilabuntur. Tertiò* ratione; per Dotem Agilitatis Scotus *citat.* intelligit quandam in corporibus BB. habilitatem ad promptè ſe movendum ſecundùm locum ex perfectione virtutis motivæ animæ, & congrua diſpoſitione corporis: ſed talis habilitas decet corpora BB. ob conſortium animæ glorificatæ; & quia in Chriſti corpore ut cauſa exemplari noſtræ beatitudinis corporalis fuit ejuſmodi habilitas: Ergo corpora BB. erunt prædita, in & poſt Reſurrectionem Agilitate.

2\. *Agilitas corporum BB. non oritur ex aliqua virtute naturali.* DICO ſecundò Agilitas afficiens corpora BB. non provenit ex aliqua virtute naturali; vel ſupernaturali ſuperaddita, facilitante corpus ad promptè ſe movendum; nec ex ablatione gravitatis. Eſt contra Thomiſtas, Arriagam, Lezanam, Paludan: Major. &c.

Probatur prima pars: nequit aſſignari qualis ſit illa qualitas ſuperaddita; non enim eſt cæleſtis, cùm hujus nullum ſit indicium; neque elementaris, vel mixti; cùm nulla talis communicari poſſit corpori, ut illud moveatur ad omnem differentiam poſitionis, & ad omnem locum; quælibet enim talis ratione naturalitatis eſt determinata intrinſecè ad unum. Ergo Agilitas BB. non provenit ab aliqua qualitate naturali ſuperaddita.

3\. *Neque ex ſupernaturali.* Probatur ſecunda pars: etiam qualitates ſupernaturales non poſſunt habere virtutem ad tot diſparatos impulſus, ſurſum, deorſum, ante, retro, & quovis ubi producendos, qui ad Agilitatem exercendam requiruntur; cùm & hæ qualitates ſupernaturales dicant determinatas inclinationes; ut patet in Claritate, quæ eſt qualitas perfectiſſimè activa ſupernaturalis; & tamen habet determinatam inclinationem & operationem: Ergo non provenit Agilitas ab aliqua qualitate ſupernaturali.

4\. *Neque ex ablatione gravitatis.* Probatur tertia pars: gravitas eſt proprietas intrinſeca naturæ: Ergo corpora cum eadem reſurgent. Conſequentia tenet; quia corpora reſurgent in ſua integritate intrinſeca, & connaturalibus qualitatibus, ac proprietatibus, de quarum numero eſt gravitas.

5\. *Sed partim à virtute* DICO tertiò: Agilitas corporum BB. provenit partim à naturali virtute motiva animæ perfectionata, à Deo corroborata, ſine tamen additione alicujus qualitatis: partim à ſublatione variorum impedimentorum, aliàs impedientium virtutem motivam partim à collatione novorum ſubtiliſſimorum ſpirituū vitalium. Ita Scotus *4 diſt. 49. q. 14.* Braueatus, Herinx, Maſtrius &c. *animæ cōfortatæ dicitur; partim à remotione impedimētorum; & partim à collatione novorum ſpirituum.*

Probatur: eò ipsò, quòd adſint illa omnia, in concluſione ſpecificata, corpora BB. ſunt diſpoſitiſſima ad ſeſe movendum ad quamcunque ubicationem: Ergo ab his provenit agilitas BB. Prob. Ant. quòd de facto corpora noſtra non habeant Agilitatem ad quemlibet motum, provenit ex eo quòd virtus motiva non ſit in debita perfectione, & expedita activitate ad ſeſe pro libitu animæ movendum; neque habeat Divinam aſſiſtentiā ſeu corroborationem extrinſecam confortantem potentiam locomotivam; item quòd corpus ſubſtet cuidam inflexibilitati juncturarum, nervorum, & tumori muſculorum impedientium flexibilitatem; inſuper quòd corpus ſit impletum humoribus groſſis, & ſignanter caput varijs fumoſitatibus oneratum, inducentibus pigritiem, & impedientibus Spirituum bonorum communicationem, atque influxum in membra movenda: quæ omnia impedimenta dum in Reſurrectione Divina virtute fuerint ablata, & Spiritus vitales vivaciſſimi, & ſubtiliſſimi membris infuſi, totum corpus agillimum, & ad quemlibet motum expeditiſſimum erit.

DICO quartò: tandem corpora BB. etiam erunt in, & poſt Reſurrectionem affecta quadam ſubtilitate admiranda. Ita Scotus 4. *diſt. 49. p. 16.* S. Bonaventura &c: contra Lutherum & Calvinum, negantes poſſibilitatem penetrationis corporum, etiam reſpectu corporis Chriſti. 6. *Corpora BB. erunt pariter donata ſubtilitate.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; in qua referuntur varij caſus, ſubtilitatem corporis Chriſti continentes; ſic dicitur Chriſtum natum ex Virgine illæsò uterò; reſurrexiſſe de ſepulchro clauſò tumulò; ingreſſum ad Apoſtolos januis clauſis; cœlos penetraſſe, &c; quos omnes SS. PP. explicant per penetrationem Corporis Chriſti cum corpore Virginis, tumuli; januarum, & cœlorum, & conſequenter per ſubtilitatem, quæ eadem eſt cum penetratione: Ergò eandem ſubtilitatem, & penetrationem habebunt corpora BB. ad-

inſtar

instar corporis Christi in Resurrectione reformanda.

Probatur secundò authoritate SS. PP. conclusionem asserentium; ut videre est apud Ambrosium *lib. 10. in Luc. cap. ult.* Et Damascenum *lib. 4. de fide cap. ult.* dicentem, *seminatur corpus animale, crassum, & mortale, resurget corpus spirituale, immutabile, impassibile, & subtile; hoc enim designat spirituale, quale Domini corpus post Resurrectionem clausis portis ingrediens.* Idem docet Cyrillus *Cathe. 18.* Et B. Laurent Justinian *lib. de Monast. conversat. cap. 23.* Et Chrysostomus, Theophilactus, &c. PP. Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: per Dotem subtilitatis intelligunt TT. unanimiter perfectionem peculiarem, ratione cujus quodlibet corpus Beati poterit ad nutum instar spiritûs pervadere omnia alia, & compenetrare se cum quolibet corpore non beato: sed talis perfectio decet corpora BB. tum ob gloriam animæ conjunctam; tum ob merita, ad quæ in societate animæ concurrerunt; tum ob configurationem, & conformationem corporis Christi, ut causæ exemplaris: Ergo corpora BB. in, & post Resurrectionem erunt affecta subtilitate admiranda.

7. *Subtilitas BB. nō provenit ex ablatione quantitatis.* DICO quintò: Subtilitas corporum BB. nec oritur ex ablatione quantitatis; neque ex qualitate aliqua intrinseca seu dispositione BB. neque ex sublatione extensionis localis; sed ex assistentia extrinseca DEI, qui paratus concurrere est ad libitum cujusvis Beati ad positionem illius in eodem ubi cum alio corpore. Ita Scotus *4. dist. 49. q. 16.* Hicquæus, Mastrius, Brancatus, Herrinx, Rada &c. Scotistæ; & ex RR. Arriaga, Lezana &c.

Probatur prima pars: quantitas vel est planè indistincta ab ipsa materia corporum vel est proprietas ejus, juxta diversitatem opinionum, quas vide in Schola mea Philosop: sed quòcunque modò accipiatur quantitas nequit auferri à corporibus BB. & illorum, cum quibus fit penetratio: Ergo ab ejus ablatione oritur subtilitas corporum BB.

8. *Neq; ex qualitate aliqua intrinseca.* Probatur secunda pars: nulla qualitas aut intrinseca dispositio corporis potest à quantitate corporis penetrantis, vel penetrandi auferre repugnantiam naturalem penetrandi aliud corpus; neque vim expellendi aliud corpus ab eodem loco; cùm talis repugnantia vel sit effectus formalis secundarius qualitatis; vel si est in genere causæ efficientis, est illi ita connaturalis, ut à nulla causa secunda possit impediri: Ergo subtilitas corporum BB. non oritur ab aliqua intrinseca qualitate ipsorum BB.

Probatur tertia pars: nam sublatâ etiam extensione locali adhuc unus Beatus non potest se compenetrare cum corpore alterius Beati non consentientis in ejusmodi penetrationem, ut docet Scotus *citat.* S. Bonaventura. Præpositus, Lessius, Malderus, & communis DD. Ergo ex ablatione extensionis localis non oritur subtilitas corporum BB. Præterea extensio localis est perfectio connaturalis corporum BB. & ab ea palpabilitas, & visibilitas dependet: Ergo nequit auferri ab eis: & consequenter in ejus ablatione non consistit subtilitas. 9. *Neq; ex sublatione extensionis localis.*

Probatur quarta pars: quia asserendo, subtilitatem provenire in BB. ab assistentia extrinseca DEI, declinantur multæ difficultates, quæ alias sententias torquent; præterea Dos ista clariùs intelligitur; & patet, cur Beati non penetrent objectivè quodvis corpus; quia nimirum usus hujus dotis subjacet voluntati eorum, ita ut pro libitu possint eum practicare. Ergo &c: Hæc de Dotibus quatuor corporum gloriosorum, in & post Resurrectionem circa operationes sensuum. 10. *Sed ex assistentia extrinseca Dei*

DICO sextò: Beati in Resurrectione Generali unà cum corporibus reassument in debita perfectione omnia organa naturalia, sensuum tam internorum, quàm externorum quoad substantiam. Ita communis TT. 11. *BB. reassument in Resurrectione omnia organa sensuum.*

Probatur: Tum quia Beati habebunt beatitudinem consomatam, sed in tali includuntur etiam operationes sensuum, quibus corpus beatur suò modò: Ergo &c: Tum quia sensus BB. in vita senserunt multas austeritates, & adversitates; Ergo in Resurrectione ad gloriam, & deinceps sentire debent aliquam delectationem, atque voluptatem: talis autem fit mediantibus operationibus: Ergo BB. per organa sensuum elicient aliquas operationes, Sed videamus quas.

DICO septimò: BB. exercebunt operationes sensûs interni, appetitûs, Ita S. Bonaventura, Bonitempo, Herinx &c. 12. *BB exercebunt operationes sensûs interni, & appetitûs.*

Probatur: hujusmodi operationes sunt perfectiores operationibus sensuum externorum: Ergo si illas exercebunt BB. à fortiori istas.

DICO

13. *Non tamen vegetationis, & nutritionis.* DICO octavò: BB. non exercebunt operationes potentiæ vegetativæ, nutritivæ, & generativæ; Ita Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 13. & communis DD.

Probatur prima, & secunda pars: corpora BB. post Resurrectionem non ampliùs egebunt alimentis sicut modò, dum adhuc sunt animalia; unde dicit Apost. 1. ad Cor. 15. *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*, quem passum expendens D. Ambrosius ait, *animale corpus est dum cibis sustentatur ut vivat, spirituale autem cùm nihil horum indigebit, conversum in vitam*: Ergo tunc potentiæ vegetativæ & nutritivæ nullas exercebunt operationes vegetationis, nutritionis &c. quæ aliàs exercentur circa assumptum alimentum; unde corpora BB. vivent per solam informationem, & vivificationem spiritûs.

14. *Neque generationis.* Probatur tertia pars: nam Luc: 20. dicit Salvator: *in Resurrectione enim non nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei de cælo*: in quem locum ait Glossa Ordinaria, *cùm connubia sint propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem; ubi non est mors neque connubia erunt*: Ergo in, & post Resurrectionem, ubi ampliùs non erit mors, non erunt ullæ operationes generativæ potentiæ, seu prolificationes.

15. *BB. potientur visione corporali delectabili.* DICO nonò; sensus Visûs BB. exercebit in, & post Resurrectionem operationes suas cum delectatione circa plura objecta delectabilia, signanter circa humanitatem Christi, Beatam V. Mariam, Angelos alios BB. &c. Ita Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 14. & communis TT.

Probatur *primò* authoritate Scripturæ: nam Job. 19. dicitur, *in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum*, Et Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt*. Secundò authoritate SS. PP. conclusionem tenentium, signanter Nazianzi, Anselmi, Laurentij Justin: Et Augustini varijs in locis, ut *lib.* 22. *de Civ. Dei cap.* 30. Et in *Manuali cap.* 26. Et *lib.* 1. *de spir. & ani. cap.* 65. ubi ait, *visus reficietur in contemplatione humanitatis. Tertiò* ratione; quia ùt dicit hic D. Bonaventura, *potentia externa, cujusmodi est visus, in gloria sunt perficiendæ in eo, quod ipsis competit, & non habet annexam imperfectionem*: sed operationes sensus Visûs circa humanitatem Christi, B. Virginem, Angelos, & alia objecta delectabilia competit Beatis ratione statûs in quo sunt, neque habent ullas imperfectiones annexas: Ergo &c.

DICO decimò; sensus Auditûs etiam poterit in Patria exercere suas operationes cum delectatione proportionata. Ita Scotus 4. *dist.* 49. *q.* 14. S. Bonaventura, & communis TT. 16. *Similiter auditione recreativâ.*

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; adstruentis cantica, laudes, & exultationes vocales BB. ac consequenter operationes auditûs, quibus percipientur præfata; unde Psal: 83. dicitur, *Beati qui habitant in Domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Et 149. *exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorum. Secundò* authoritate SS PP. easdem laudes Divinas in BB. asserentium; ùt videre est apud Augustinum 22. *de Civ. Dei cap.* 30. Et Gregorium 8. *Moral. cap.* 31, istæ autem sunt vocales laudes, ut percipiantur à BB. cum delectatione; vox enim non solet esse, ubi non percipitur: Ergo &c. *Tertiò* ratione; quia decet BB. ut sicut Visu percipiunt delectationes, ita & Auditu à pari: Ergo &c.

DICO undecimò; Beati quoque in gloria, & Resurrectione habebunt sensationes olfactûs, seu odoratûs, Ita Herincx, Poncius, Mastrius, Brancatus, Tannerus &c. 17. *Et olfactûs sensatione.*

Probatur: Tum à paritate sensationum Visûs Auditûs, quas habebunt in Resurrectione, & gloria: Ergo & Olfactûs. Tum quia Apoc. 5. dicitur, quòd *vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes phialas aureas odoramentorum*: Ergo in ordine ad odorandum. Tum quia credendum est Beatorum corpora exhalatura suavissimum odorem; unde rectè Ecclesia in Antiphona canit, *& sicut odor Balsami erunt ante te*: Ergo hic sensabitur ab iisdem.

DICO duodecimò: similiter sensationes Tactûs erunt in BB. corporibus in gloria. Ita Scotus *citat*: S. Bonaventura, Mastrius, Herincx, Suarez, Arriaga &c.

Probatur: Tum authoritate D. Bernardi serm. 1. *de Assumpt.* admittentis B. Virginem Mariam exercere circa Filium castissima, & dulcissima oscula, atque amplexus, ubi intervenit sensatio Tactûs: Ergo hoc idem concedi potest de alijs BB. inter se in gloria. Tum quia B. Laurentius Justin. *lib: de perfect: Monast: convers: cap*: 23. Et S. Anselmus *lib. de simil. cap.* 48, concedunt Beatis honestas 18. *Tactus quoque delectationem habere poterunt.*

honestas delectationes: tales autem sunt etiam sensationes Tactûs præcisis omnibus imperfectis motibus. Ergo &c. Tum quia damnati puniuntur in Tactu: Ergo Beati in eo delectabuntur. Tum tandem, quia corpora BB. erunt palpabilia, sicut fuit corpus Christi Luc. 24. Ergo & tangibilia cum delectatione.

19. *Ubi & Gustûs delitiæ.* DICO decimotertiò: tandem probabiliter etiam BB. exercere poterunt sensationes Gustûs. Ita Henricx, Lezana, Arriaga &c. contra Mastrium, Bontempo, &c.

Probatur: Tum à paritate aliarum sensationum, quas DD. concedunt Beatis. Tum quia damnati cruciantur in Gustu, ùt tenet communis TT. Ergo BB. in ejus sensatione delectabuntur. Tum quia Beatitudo corporalis BB. debet esse completa, & completè in omnibus sensibus. Tum quia etsi BB. non sint ampliùs assumpturi cibum, & potum pro conservatione individui; credibile tamen est, eis à Deo propter delectationem causandam aliquem humorem optimi temperamenti in organum Gustûs infundendum, qui stabili sapore suavissimè palatum afficiat, & sensationem voluptuosam excitet: quam proinde sensationem, & delectationem omnium quinque sensuum eleganter exprimit B. Laurentius Justin. *citat.* dicens, *caro spiritualis effecta* (scilicet per Resurrectionem Generalem) *per omnes sensus suos multimodis exuperabit deliciis: delectabitur oculus in amabili Redemptoris aspectu: melotica cantica Civium superorum non mediocriter mulcebunt auditum: fragrans quoque suavitas cælestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum: indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium mellifluâ quâdam, & jucundâ suavitate oris saginabit palatum: ipse demum tactus sibi congruis abundabit delitiis, quas experti nôrunt. Fas enim non est, ut in illa cælesti gloria quidquam vacet à Dei laude, quin potiùs justum, ut cuncta corporis membra suum modò propriò efferant Conditorem, quatenus sicut ab ipso sumpsêre principium, ita & in illum deducant suæ Beatitudinis finem, ut sit Deus omnia in omnibus.*

DISTINCTIO V.

De Universali Judicio Hominum.

QUÆSTIO I.

De Quidditate; Futuritione; motivo; loco, & tempore Judicij Universalis.



1. *Quid sit Judicium Universale hominum.* DICO primò: rectè describitur Judicium Universale hominum, quòd *sit completa, & authentica determinatio Christi reddendi unicuique hominum secundùm opera hujus vitæ.* Ita Scotus 4. *dist.* 47. *q.* 1. cum suis; & est in re communis.

Probatur hac descriptione bene exprimitur ratio Judicij Universalis hominum: Ergo eâ rectè describitur Judicium Universale huminum. Probat. Ant. per ly *determinatio Christi*, quod est Genus, significatur Judex, & Præses Judicij Universalis, qui est Christus, Per ly *completa*, insinuatur firmitas, & perfectio actus judiciarij, futuri à voluntate Christi potente, & intendente exercere actum Judicij. Per ly *& authentica*, ostenditur Christum à Patre accepisse legitimam potestatem exercendi Judicium Universale, juxta illud Isa. 5. *Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio*; reliquæ particulæ exprimunt materiam, circa quam Christus exercebit Judicium Universale. Puta circa merita, & demerita, juxta illud 2. ad Cor. 15. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum:* Ergo ratio Judicij Universalis hominum benè exprimitur allegatâ descriptione.

DICO secundò: omnino futurum est aliquando Judicium Universale hominum. Ita Scotus *loc. citat.* & communis TT, contra Albigenses, aliósque veteres 2. *Fiet aliquando Iudicium Universale.*

veteres Hæreticos, & Politicos nostri temporis ridentes futuritionem Judicij Universalis.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ, passim mentionem facientis Judicij futuri in utroque Testamento: unde dicitur in veteri, Isa. 3. *Dominus ad Judicium veniet cum senioribus populi, & principibus eius.* Et Zachar. 14. *Et veniet Dominus Deus meus omnésque Sancti cum eo, & erit dies una, quæ nota est Domino*, scilicet Judicij dies. In novo, Joan. 5. *potestatem dedit Filio judicium facere; quia filius hominis est.* Et ad Rom. 14. *omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Et Matt. 12. *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, &c.* Et *Regina austri surget in Judicio cum generatione ista*: Ergo &c.

Probatur secundò: authoritate CC. dogmatizantium futuritionem Judicij Universalis; signanter Nicæni *in Symbolo*, Constantinopolitani; Lateranensis IV. Toletani IV. Et Tridentini sess. 4. *in Symbolo* illis verbis, *& iterum venturus est cum gloria judicare* &c. habetur etiam in Symbolo Apostolorum: Ergo &c.

Probatur tertiò authoritate SS. PP. eandem doctrinam de futuro aliquo Judicio Universali confitentium; ut videre est apud D. Athanasium *in Symbolo*, D. Augustinum, Gregorium, Anselmum, Bernardum, &c. *Quartò* ratione; nam cùm corpora fuerint complicia & socia meritorum, atque demeritorum hinc pariter in Judicium sunt adducenda, ut vel ad gloriam; vel ad pœnas deputentur sententiâ ultimati Judicis. Circa causam finalem, seu motivum Judicij Universalis celebrandi.

3. *Et quidem in ostensionem Divinæ Justitiæ.* DICO tertiò: Judicium Universale à Christo celebrabitur in ostensionem publicam, & exercitium Divinæ justitiæ distributivæ. Ita Scotus 4. *dist.* 47. *q.* 1. & communis TT.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; specificantis pro causa, & motivo Judicij Universalis redditionem gloriæ pro meritis, & damnationem pro demeritis; quod est proprium Justitiæ Divinæ distributivæ ostendendæ; unde Matt. 25. in sententia pro Electis ferenda, dicitur *venite benedicti Patris mei possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere*: Et in sententia reproborum, *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi bibere*: Ergo Judicium Universale celebrabitur in ostensionem Divinæ Justitiæ distributivæ.

Probatur secundò authoritate CC. idem docentium: unde Toletan: I. *cap.* 1. ait *Christum venturum in fine expectamus sæculorum cum resurrectione omnium æquissimo Judicio suo redditurum Justis præmia, & impijs pœnas.* Eadem habet Lateranense IV. *cap.* 1. Nicænum, & Constantinopolitanum, &c. *Tertio*: authoritate SS. PP. eandem causam Judicij celebrandi allegantium; ut videre est apud Gregorium, *in Psalm.* 88. Lactantium *lib.* 2. *cap.* 22. Anselmum in Elucid. Hugonem de S. Victore *lib.* 3. *de ani.* Augustinum *lib.* 20. *de Civ. Dei cap.* 14. Bernardum *serm.* 55. & alios. *Quartò ratione*; nam, ut benè arguit Scotus *citat.* licèt Deus in secretis Judicijs, quæ fiunt circa singulas personas illicò post mortem, justam pronunciet sententiam super earum merita, vel demerita; tamen quia talis sententia est secreta oportet ut manifestetur, & publicetur in aliquo Judicio Universali, per Christum celebrando; ut universæ collectioni hominum innotescat: Ergo motivum Judicij Universalis celebrandi est ostensio publica Divinæ Justitiæ distributivæ.

DICO quartò: locus Judicij Universalis erit tum Vallis Josaphat, Sita inter Jerusalem, & montem Oliveti; tum ejus vicinia. Ita Scotus 4. *dist.* 47. *q.* 3. 5. *de quarto.* S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antonin. &c. 4. *Judicium Universale exercebitur in Valle Josaphat.*

Probatur prima pars authoritate Scripturæ; exprimentis Vallem Josaphat, quæ literaliter est intelligenda, cùm nil obstet, unde Joelis 3. dicitur, *congregabo omnes Gentes, & deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*: Ergo &c.

Probatur secunda pars: Vallis Josaphat non potest capere totam collectionem resurgentium, & judicandorum, ut bene observat Glossa Ordinaria hic, Magister Sent. & P. de Ales; unde necessariò pro loco Judicij quoque assignanda est tota vicinia ejusdem Vallis, quæ à potiori parte Vallis Josaphat, in qua ubicationem & tribunal Christus habebit, etiam sortietur denominationem *Vallis Josaphat*: Ergo &c. 5. *Et ejus vicinia.*

NOTA itaque primò: Christum super ipsum medium Vallis Josaphat in aëre in fulgidissimo thronn fixurum sedem Judicij, & cum eo omnes electos in eodem aëre à dextris Christi super partem Vallis, & viciniam, juxta illud ad Thesal. 4. *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur rapiemur cum illis*) id est cum Electis pridem jam mortuis, & tunc resuscitatis) *in nubibus obviam Christo in aëra* &c. & doctrinam communem PP. in hunc locum Ambrosij, Augustini, Hieronymi &c; damnati verò collocabuntur in ipsa Valle à parte sinistra, & ejus vicinia. Circa tempus Judicij Universalis.

6. *Sentimen antiquorũ de tempore Judicij.* NOTA secundò: fuisse opininnem plurium PP. Judicium futurum post sex millia annnrum. Ita Lactantius *lib. 7. Instit. cap.* 14. Et Justinus Martyr. *q. 71 ad gentes*. Et Irenæus *lib. 5. cap.* 28. Et Hilarius *cap.* 17. *in Matt.* Et Gaudentius *Epist. tract.* 8. *in Exod.* Quam opinionē Augustinus 20. *de Civ. cap.* 7. non improbabilem judicat: Eodem modn prædixerunt Sybillæ teste Lactantio, & senserunt veteres Rabbini teste P. Galatinô *lib. 4. cap.* 20. sed

7. *Fiet in fine mundi.* DICO quintò: Judicium Universale erit quidem in fine mundi; Annus tamen mensis, & dies ejus determinata sunt nmninò occulta. Ita Scotus *4. dist.* 48. *q.* 2. S. Bnuaventura, & communis TT. mudernorum.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; tempus Judicij referentis ad finem mundi, & immutationem; unde dicitur Matt. 24. de adventu Christi Judicis in Judicio Universali, *sicut fulgor exit ab oriente, & paret usque ad occidentem; ita erit adventus Filij hominis; statim autem post tribulationem illam Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo &c.* Et 2. Pet 3. *cap. veniet autem dies Domini tanquam fur, in quo cali magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*: quæ omnia in fine mundi implebuntur; Ergo Judicium Universale erit in fine mundi. Eandem doctrinam adstruit, & definit tanquam dogma fidei Conc: Lateranense IV. *cap.* 1. & refertur in Jure Cannnico *cap.* 1. *de sum. Trinit.* his verbis, *Christus venturus est in fine sæculi judicaturus vivos, & mortuos.*

8. *Quã verò* Probatur secunda pars authoritate quoque S. Scripturæ; incertitudinem temporis minuti, & præcisi exprimentis, quô futurum est judicium Universale; sic dicitur Malach. 3. *ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare adventum ejus?* Et Marc. 13. *de die illa nemo scit.* Et Luc. 12. dicitur, *quâ horâ non putatis Filius hominis veniet.* Idem dogmatizat Lateranense V. *sess.* 11. *constit.* 1. & prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ, ne quis certum tempus prædicere audeat, seu diem futuri Judicij determinatum hunc. *die vel horâ ignoratur.*

QUÆSTIO II.

De signis quibusdam remotis, Judicium Universale approximans antecessuris.



NOTA primò: signa denunciantia Judicium Universale approximans esse in dupliei differentia; alia enim sunt remota, alia proxima. *Remota* sunt promulgatio S. Evangelij in universo mundn; defectio Romani Imperij; prælia; fames; divisiones Regnnrum; pestilentiæ; terræ motus; adventus Antichristi; & SS. Enoch atque Eliæ prædicantium cnntra dogmata Antichristi. *Proxima* sunt signa extraordinaria in cælesti sphæra, in elementis, &c. priora dicuntur remota; quia præcedunt mortem Antichristi: secunda proxima quia eam sequuntur, & ideo viciniora sunt Judicio. 1. *Signa Judicij immanentu alia sunt remota, alia proxima.*

DICO primò: promulgatio Evangelij Salvatoris nnstri in tota habitabili peripheria Orbis facta, est verum signum Judicij Universalis approximantis. Ita communis TT. 2. *Promulgatio S. Evangelij in toto orbe est certum signum remotum Judicij appropinquãtu.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ hoc signum allegantis; unde Apostolis interrogantibus de die Judicij Universalis Matt. 23. in hunc modum, *dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consumationis sæculi?* respondet Christus, *& prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consumatio. Secundò* authoritate SS. PP. idem signum ut legitimum approximantis Judicij Universalis agnoscentium; ut videre est apud Augustinum *lib. 2. de serm. Dom. in monte cap.* 10. Et Cyrillum Hierosolymitanum *cathe.* 15. Theodoretum in 2. *ad Thesal. cap.* 2. Et Damascenum *lib. 4. de fid. Orthod. cap.*

cap. 27. Et Chrysostomum hom. *in* 2. *epist. ad Thesal.* dicentem, *ponit autem multa ipse Dominus signa adventûs ejus, unum quidem maximum dicens, quando prædicabitur Evangelium apud omnes Gentes*; Ergo &c.

3. *Item defectio Romani Imperij.* DICO secundò: defectio Imperij Romani sæcularis est quóque legitimum signum appropinquantis Judicij Universalis. Ita communis TT.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ hujusmodi defectionem sub nomine *discessionis* allegantis; ut 2. ad Thesal. 2. *cap. rogamus vos Fratres per adventum Domini nostri JESU Christi, ne terreamini quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullô modô; quoniam nisi venerit discessio primum* (id est destructio Imperij Romani, ut glossat Glossa Ordiuaria) *& revelatus fuerit homo peccati* &c. *Secundò*: authoritate SS. PP. commentantium allegatum textum Apostoli, & per *discessionem* (quam sic obscurè nominat, ne calumniam apud Romanos tunc Dominos Judæorum arbitrantes Imperium suum fore æternum incurrat) intelligentium defectionem Imperij Romani; ut videre est apud Augustinum, Chrysostomum, Ambrosium, Theophilactum, & Hieronymum *ad Algasiam* dicentem, *nisi venerit discessio primum ut omnes Gentes, quæ Romano Imperio subjacent, recidant ab eis. & nisi fuerit Romanum Imperium ante desolatum* &c. Ergo defectio Imperij Romani est legitimum signum approximationis Judicij Universalis.

4. *Quæ debet esse totalis.* NOTA autem: memoratam defectionem debere iutelligi totalem, ita ut Imperatorum Romauorum Dominium, & potestas penitùs in omni Provincia sibi aliquando subjecta, sit cessaturum; ita enim loquuutur PP. *citati*: Et èst ratio; quia si per defectionem, quæ signum est Judicij Universalis approximantis, intelligeretur solûm quædam imminutio Romani Imperij, jam pridem venisset homo peccati id est Antichristus, ab Apostolo 2, ad Thesal. 2, prædictus; cùm dominium Romanorum Cæsarum jam à tempore Machometis II. Turcarum Tyranni in Oriente fuerit abolitum: & hôc nostrô sæculô sub Augustissimo Leopoldo I. Imperatore de domo Austriaca, Viennæ Austriæ residente, inter sulos Germaniæ fines cum expedita facultate reguandi concludatur.

5. *Alij signa certa Judicij.* DICO tertiò: prælia quoque varia, & gravissima gentium, atque regnorum; divisinues item regnorum; pæstilentiæ; fames; terræ motus: gravissima persecutio Iustorum; Martyria, & similia mala, singulari quâdam ingravescentiâ occurrentia, sunt signum appropinquantis Iudicij Universalis. Ita communis TT.

Probatur authoritate S. Scripturæ; præsata sigua enumerantis Matt. 24. *audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum ---- consurget Gens in Gentem, & Regnum in Regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terræ motus per loca, hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*; Ergo &c.

DICO quartò: adveutus SS. Enoch, & Eliæ ad consutanda falsa dogmata Antichristi, & ad prædicandam pænitentiam, est etiam certum signum Iudicij Universalis appropinquantis. Ita S. Bouaventura, cum communi TT. 6. *Adventus Enoch, & Eliæ est quoque signum memorati Judicij.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: nam Malach. 9, dicitur *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres.* Et Eccles. 44. *cap. Henoch translatus est in Paradisum, ut det gentibus pænitentiam.* Et Apoc. 11. *dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus* 1260. *Secundò* authoritate SS: PP: hoc signum adventûs duorum Prophetarum asserentium; ut habet Hilarius, Hieronymus, Origenes, Lactantius, Chrysostomus, Theodoretus *in cap. ult. Malach.* Et Augustinus *lib*: 9. *cap.* 6. *in Genes.* & alij complures: Ergo &c.

DICO quintò: similiter adventus Antichristi est signum infallibile approximationis Iudicij Universalis. Ita S. Bouaventura; & communis TT. 7. *Similiter adventus Antichristi.*

Probatur primò authoritate S. Scripturæ; nam 2. ad Thesal 2. de eo dicitur, *nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus &c. & tunc revelabitur ille iniquus*; quem passum Scripturæ SS. PP. præsertim Hieronymus *ad Algasiam q.* 11. intelligunt de Antichristo: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS. PP. Antichristi adventum ut signum præambulum Iudicij Universalis pronunciantium; sic loquitur Irenæus *lib.* 5.

Et

Et Hyppolitus Martyr *lib. de mundi consumat.* Et Ambrosius *lib. de benedict. Patriarchar. cap. 7.* Et Augustinus *q. 22. in Josue.* Et Prosper. *de promiss. part. 4.* Et Theodoretus *q. 109. in Genes.* Et Gregorius *lib. 31. moral. cap. 10.* Anselmus *in Apocal. cap. 7.* Et Beda, Rupertus, &c. Ergo &c.

QUÆSTIO III.

Varia circa Antichristum præcedentem Judicium Universale resolvuntur.

1. *Quid nominis Antichristus?*



NOTA primò: hoc vocabulum *Antichristus* componi ex Græco *Anti*, quod est oppositum, & *Christe*, ita ut *Antichristus* sit idem quod oppositus Christo, ut notat Damascenus 4. *de fid. cap.* 27. Hieronymus, & Augustinus: Erit enim Antichristus in omnibus contrarius Christo, ejusque capitalis adversarius. Hæretici nostri temporis, ut Lutherus, Calvinus, Magdeburgenses, Illyricus, Chytræus, &c. negant Antichristum esse particularem aliquam, & unicam personam Judicium Universale præcurrentem; sed dicunt nomine ejus intelligi omnes Romanos Pontifices, à tempore Gregorij Magni inclusivè, vel paulo post regnantes, ac proinde Antichristum jam venisse. Sed

2. *Nullus Romanus Pontifex est Antichristus.*

DICO primò: Antichristus erit particularis quædam unica persona, à Romanis Pontificibus penitùs distincta. Ita communis Catholicorum.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: quæ 2. ad Thess. 2. loquitur de Antichristo ut unico individuo, & particulari persona dicens, *& revelatus fuerit homo peccati. Secundò* authoritate SS. PP. relatorum *priori q. conc. 4.* qui discurrunt de Antichristo ùt unico homine; quibus adde Cyrillum *in cap. 5. Joannis.* Et Hieronymum *epist. ad Algasiam.* Ergo Antichristus erit particularis & unica persona, à Romanis Pontificibus distincta.

Probatur *tertiò*: neque Gregorio Magno, neque ulli ejus successori Romano Pontifici conveniunt characteres seu notæ, quæ vero Antichristo attribuuntur à Scripturâ, & à PP. nempe quòd sit nasciturus ex Judaica gente, ex tribu Dan, in Babylone, ac ex fornicaria muliere; ut docet Damascenus, Anselmus, Beda, Irenæus, Theodoretus, &c. Item quòd sit futurus turpissimus in moribus, blasphemus in Deum, & SS. occultè adorans Diabolum, & Magus &c. ùt habet Damascenus *lib. 4. fidei ort. cap. 27.* & alij PP. item quòd sit impugnaturus totam Religionem, & fidem à Christo traditam, reassumpturus legem Moysis ad tempus, & facturus se verum Messiam ut decipiat Judæos; item quòd sit præliaturus contra decem Reges, & eos superaturus, regnaturus non ampliùs quàm tribus annis cum dimidio, in Monte Oliveti tandem interiturus; de quibus uberiùs infra; item quòd Enoch & Elias sint prædicaturi contra eum, &c. Ergo nullus Romanorum Pontificum hactenùs fuit verus Antichristus. Vide plura de hac controversia apud Bellarminum *lib. 3. de Rom. Pontif.* S. Bonaventuram *lib. 7. compendij*, & alios dogmaticos.

3. *Antichristus erit verus homo natione Judæus, de tribu Dan.*

NOTA secundò: Antichristum futurum verum hominem; & non Diabolum incarnatum; uti putavit Hyppolitus Martyr, & Theodoretus. Nam Damascenus *lib. 4. cap. 27.* Ambrosius Beda, Irenæus, Anselmus, & communis PP. docent eum fore verum hominem propagatum per feminalem rationem ex parentibus Judæis, fornicariò concubitu commixtis, de tribu Dan descendentibus, & propterea arbitrantur S. Joannem Apostolum in Apocalypsi *cap. 7.* tribum Dan omisisse in odium videlicet Antichristi; quod etiam deducunt ex prophetia Jacob *Gen. 49. cap.*

4. *Educabitur viliter; fiet tandem Rex.*

NOTA tertiò: Antichristum primò fore educandum cum vili omninò, & abjecta conditione: tractu temporis tamen ope Dæmonis (cui erit totus quantus consecratus) & varijs actibus magicis tandem ad Regiam pertinget dignitatem; ita habent ijdem SS. PP.

5. *Character Antichristi.*

NOTA quartò: eundem habiturum speciale nomen, & peculiarem characterem, continentem numerum 666. quem suis adhærentibus imprimet ad distinctionem aliorum; juxta illud Apoc. 13. *& faciet omnes pusillos cum magnis divites, & pauperes liberos, & servos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere nisi habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus; hic sapientia est; qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus ejus 666.* quem locum licèt

licèt interpretetur noster Lyrannus de Machometis morte, incidente in annum 666. Et S. Bonaventura, ac Rupertus de universalitate omnium vitiorum Antichristi, illô numerô 666. significatorum: tamen alij DD. censent characterem in Apocalypsi mentionatum fore verum, & sensibilem characterem veri Antichristi; unde putat Justinus Martyr illum fore vel quoddam inversum Tau, ⊥. ut significet execrationem signi Crucis Christi; vel inversum numerum ternarium Ɛ. ut significet negationem SS. Trinitatis; vel inversum nomen Christi SdX. & duo SS. ut significet *nego Christum, & Sanctos*. Alij autumant fore hoc nomen Græcū ἀρνεμ©, quod facit 666. Sed probabiliùs tamen, dicendum cum Irenæo *lib. 5.* Arethas hìc, Bellarmino, &c. DD. nomen, & characterem Antichristi adhuc ignotum esse, & mansurum ignotum usque ad ejus adventum; nam multa reperiuntur nomina, quæ continent numerum 666. unde gravissimè hallucinatur David Cytræus Hæreticus qui *in caput 13. Apoc.* docet nomen Antichristi esse hoc Hæbraicum, מפירה quod latinè significat *Romanus*, quasi Romanus Pontifex gereret nomen Antichristi: Accedit, quòd hoc nomen errat in ultima littera ה, quæ non ponitur in masculinis in fine; quare sic est scribendùm ly *Romanus* מפירי *Romij*; quod vocabulum si summetur; resultat tantum numerus 266. ut patet in sequenti computatioue.

ר facit
200
ו
6
מ
40
י
10
י
10
―――
266.

6. *Pessimi mores Antichristi.* NOTA quintò: Antichristum fore præditum pessimis moribus, & omni sorte vitiorum; erit namque libidinosissimus, ut dicitur Dan. 11. Erit dolosissimus, unde comparatur Cerasti Gen. 49. Erit Magus Supremus, ut habet D. Augustinus *tract. de Antichristo* dicens, *habebit Magos, maleficos, divinos, incantatores, qui cum Diabolo inspirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falsitate, & nefaria arte, & maligni Spiritus erunt duces ejus, & socij semper, ac comites individui.* Erit Superbissimus, etiam super Nabuchodonosor, & Luciferum, ut constat ex 2. ad Thessal. 2. cap. & indicat S. Gregorius *lib. 2. epist.* Erit exteriùs insignis hypocrita; interiùs tamen atheus, idolatra, & Diaboli cultor, ac falsorum miraculorum patrator, inductor ad pessimas doctrinas suas: in summa, ut Damascenus *lib. 4. cap. 27. de fide* dicit, *omnem Sathanæ afflatum suscipiet; Deus etiam incredibilem quandam futuræ ipsius velitionis perversitatem præsciens, Diabolum in eo suum domicilium constituere sinet*; atque ita in omne genus malitiæ prorumpet, & ad idem homines inducet varijs medijs. Unde

NOTA sextò: media præcipuè, quibus utetur Antichristus ad seducendos homines, fore sequentia secundùm D. Bonaventuram *lib. 7. compend. cap. 9.* *Primo*: mirâ utetur eloquentiâ in insinuandis suis novis pessimis dogmatibus; ut habet S. Anselmus *in elucid.* dicens *erit sapientiâ, & eloquentiâ incredibili præditus, & omnem artem, & sapientiam memoriter sciet, Scripturam verò adulterabit; quamvis autem Legem Moysis sit docturus ad Judæos decipiendos; tamen postea eam negabit, regnô jam firmatô; docebit curiosa, ut doctos, & curiosos alliciat.* *Secundo*: elargietur copiosa munera hominibus, maximè egentibus; erit enim ditissimus mortalium, ut colligitur ex illo Dan. 11. *dominabitur autem thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti.* Et habet S. Anselmus *loco cit.* ubi ait, *industriâ Dæmonum omnis pecunia occulta erit ei manifesta.* *Tertio* patrabit varia miracula, sed falsa, & in mera magia consistentia; ut colligitur ex 2. ad Thessa. 2. *cujus est adventus secundùm operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.* Et docet Isidorus *lib. 1. de sum. bon. cap. 28. dicens olim faciebant miracula Martyres; tunc autem videbuntur facere ipsi persecutores* scilicet Ministri Antichristi, & ipse Antichristus. *Quartò* per exquisitissima tormenta pelliciet multos ad suam doctrinam; unde dicit Salvator Matt. 24. *tantam esse futuram persecutionem, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam Electi.* 7. *Media, quibus Antichristus utetur ad seducendos homines.*

NOTA septimò: doctrinam Antichristi fore pestilentissimam, & potentissimam 8. *Doctrina*

pestilentissima Antichristi. tissimam secundùm S. Bonaventuram collimaturam ad sequentia puncta. *Primò*: negabit Christum fuisse verum Messiam, omnia instituta ab eo Sacramenta, & Religionem Christianam universam impugnabit omni nisu, reassumens Circumcisionem, & alias cæremonias veteris Testamenti; ùt colligitur ex illo 1. Joan. 2. *quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum? & hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. Secundo*: prædicabit se esse verum Messiam, & Christum; ùt colligitur ex illo, *ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit* (Scilicet Antichristus, ut exponunt PP.) *in nomine suo illum accipietis. Tertio*: prædicabit se esse Deum; ùt patet ex illo 2. ad Thessal. 2. *extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Quartò*: persuadebit se esse Deum solum; ut habetur ex illo Dan. 11. *& Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit; quia adversùs universa consurget.* Hæc porrò capita, totamque ejus doctrinam fortissimè refutabunt SS. Enoch, & Elias, è Paradiso reduces in istum mundum habitabilem, ùt colligitur ex Apoc. *cap.* 11. & tenent PP. Ambrosius, Augustinus, Anselmus, &c. PP. quorum prædicatio durabit tribus annis cum dimidio, quo tempore vigebit imperium, & tyrannis Antichristi; & demum ab eodem martyriò afficientur.

9. *Sedes Regni ejus in Jerusalem,* NOTA octavò: sedem Regalem Antichristi fore in Hierusalem; ùt habet S. Bonaventura *lib.* 7. *compendii cap.* 7. & 14. Sic enim colligitur ex martyrio SS. Enoch, & Eliæ, de quo dicitur Apoc. 11. *& corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Deus eorum Crucifixus est*, quod contigit in Hierusalem. Et quia 2. ad Thesal. 2. dicitur, quòd *sedebit in templo Dei.* Idem docent PP. Irenæus *lib.* 5. Lactantius *lib.* 7. *cap.* 15. Hieronymus, & Theodoretus; Et est congruentia; quia Antichristus erit Judæus genere: Ergo præsumendum est quòd sedem regni sui fixuros sit in Metropoli Judææ, seu Jerusalem.

10. *De prælijs Antichristi, & victorijs ejusdem.* NOTA nonò: quòd Regiam dignitatem adepturus sit fraude in Babylone; ùt colligitur ex 5. Zacha: & notat D. Hieronymus, Cyrillus, & expugnatione decem Regum, qui extinctâ Monarchiâ Romanorum dominabuntur in omni orbe, olim Romanis subjecto, Ex memoratis verò Regibus tres trucidabit, videlicet Regem Ægypti, Lybiæ, & Æthyopiæ; reliquos verò septem suo subdet imperio, & eriget pro se novam Monarchiam totius mundi; uti colligitur ex Dan. *cap.* 7. & 11. supposita communi expositione SS. PP. quam de Antichristo formant in dictos passus Scripturæ dicentes, *cornua decem, decem Reges erunt; & alter consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & prioribus, & tres Reges humiliabit* &c. Inter cætera prælia quæ committet Antichristus tempore suæ Regiæ, & Monarchicæ dignitatis, erit bellum Gog, & Magog, registratum in S. Apocalypsi Joan. 20. *cap.* quod variè explanant DD. sed receptior est expositio, quam affert S. Bonaventura hìc, per *Gog* significari Antichristum; per *Magog* verò exercitum ejus: nam Ezech. 38. *Gog* semper vocatur Princeps, & *Magog*, natio, quæ est populus Scythiæ ultra mare Caspium habitans barbarus valdè: Itaq; *Gog* id est Antichristus assumptò *Magog*, seu natione barbarà Scytharum ultimum, sed omnium crudelissimum prælium, & persecutionem movebit contra Eliam; de quo in Apoc. 20. *cap.* fit mentio.

NOTA decimò: imperium Antichristi in universum duraturum tribus Annis cum dimidio; quibus elapsis virtute Christi occidetur in monte Oliveti, juxta illud 2. ad Thessal. 2. *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris ejus, & destruet illustratione adventûs sui.* Et eodem tempore cadet de cælo ignis, qui consumet quoque asseclas Antichristi, qui persecuti fuerunt Eliam, ut colligitur ex illo Apoc. 2. *descendit ignis à Deo de cælo, & devoravit.* Et tandem fiet tranquilitas in Ecclesia per dies 45. Justis quidem ad requiem, seductis verò, & alijs peccatoribus adhuc vivis ad conversionem, & pænitentiam; ùt docet Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus apud Suarez hic, 11. *Duratio regni Antichristi; & prodigia tunc occurrentia.*

QUÆSTIO IV.

De signis proximis Universale Judicium præcessuris.

Signa


Igna proxima certa Judicium Universale præ foribus esse significantia registrantur Matt. 24. illis verbis *statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Stellæ de cælo cadent, & virtutes cælorum commovebuntur, & tunc parebit signum Filij hominis in cælo, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majestate.* Et Luc. 21. *erunt Terræmotus magni per loca, terrorésque de cælo, & signa magna erunt, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Et Psalm. 96. *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Quæ breviter erunt expendenda.

1.
Signa proxima Judicij Universalis appropinquantis fient ante Resurrectionem.

NOTA itaque primò: post mortem Antichristi memorata signa comparitura, & quidem ante Resurrectionem universalem: Ita contra Eusebium Emyssenum, & Chrysostomum, atque Augustinum, tenet communior TT. & PP. Hilarij, Anselmi, Hieronymi, Bedæ, Origenis, Ruperti, Theodoreti, & aliorum. Estque ratio; quia dicta signa immittentur in terrorem, & anxietatem hominum; ùt colligitur ex illo Luc. 21. *atque arescent homines præ timore*: Ergo homines erunt adhuc viventes; & consequenter hæc signa fient ante Resurrectionem Generalem. Accedit, quòd signis post resurrectionem Generalem non erit opus ad terrendum: Ergo erunt ante.

2.
Et quidem realiter ac physicè.

NOTA secundò: allegata signa esse in sensu litterali intelligenda; non verò in mystico, & spirituali, quasi in Sole & Luna significetur Elias, in Stellis aliqui Doctores, & justi Ecclesiæ, ùt moralizat D. Augustinus *quæst:* 80. Ratio est; quia est regula PP. generalis, scripturam semper debere intelligi literaliter, quando sine incommodo fieri potest; hæc autem signa sine incommodo literaliter possũt intelligi: Ergo &c.

3.
Obscuratio Solis & lunæ; stellæ cadentes, & virtutes cælorum motæ sunt signa certa Judicij.

NOTA tertiò explicationem singulorum signorum in particulari: & primò quoad ea quæ in cælis apparebunt; obscuratio *Solis* secundùm P. Lyram fiet per interpositionem alicujus corporis opaci, Divinâ virtute adducti, sicut fit in eclypsi: *Luna* vero fiet per interpositionem nubium obscurarum coloratarum instar sanguinis; ùt colligitur ex illo Apoc: 6. *Luna tota facta est sicut sanguis.* *Stellarum casus* sic cõtinget, secundùm substantiã manebũt omnia astra cælis infixa; sed quia occultabũtur à nubibus densissimis, & de his nubibus versùs terram decident exhalationes ignitæ, virtute stellarum accensæ, quæ dicuntur *Stellæ cadentes*, ideo reputabuntur quasi cadere stellæ. *Virtutes cælorum commovebuntur*, id est Angeli de medio ordine secundæ Hierarchiæ sic dicti à scriptura à DEO mittentur ad patrandas transmutationes miraculosas, & incutiendum terrorem hominibus.

4.
Signa in terra, aëre, igne, & aqua

NOTA quartò circa signa, & mirabilia, quæ fient in Elementis: in Elemento *terræ* rursus fiet, sed cum majori aggravescentia, & insolito effectu *terræmotus*; unde de eo scribitur in Apoc. 16. *& terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram*; & infra, *& omnis insula fugit & montes non sunt inventi.* Et rursus, *erunt terrores magni de cælo, & signa magna*, id est varia, & prodigiosa meteora ignita apparebunt, ùt fulgura vehementia, corruscationes, & similia ab Elemento ignis procedentia &c. Item *excitabuntur* etiam *pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum*, id est ingentes tempestates, & collisiones marium in Elemento aquæ, edentes rumores, & enormes strepitus; ùt glossant, TT. & PP. In Elemento *aëris* apparebit *signum Filij hominis* id est Crucis Dominicæ; ùt docent PP. tam Græci, quàm Latini, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, &c. Rationem hujus apparitionis reddit Augustinus *serm.* 130. *ut agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum Majestatis crucifixerunt.* Addit Lyranus, non tantùm Crucem quam PP. vexillum appellant; sed & Clavos, & Lanceam ac alia instrumenta Passionis Christi comparitura, non quidem in entitate physica, quâ constabant tempore Passionis, ùt sentit Waldensis; essent enim nimis exigua, & proinde non visibilia ab omnibus judicandis; sed eorum imagines, & effigies proceræ in aëre efformabuntur, & ab Angelis deferentur; ùt sentit Anselmus *in elucidario*: D. Antoninus *4. par. tit. 24. cap. 11.* S. Thomas *4. dist. 48. q. 1. art. 2. ad 2.* Abulensis, &c. *Ignis* (qui inter signa Proxima Judicij Universalis computatur, juxta illud Isa. 66. *quia ecce Dominus in igne veniet.* Et Joël. 2. *ante faciem ejus ignis vorans*) erit verus, & physicus ignis; ùt tenet Hieronymus *in cap. 5. & 65. Isaiæ*, Augustinus *lib. 8. de*

Civ. DEI cap. 3. Cyrillus, Clemens, Eusebius, Basilius, &c. PP. Et quidem ejusdem speciei cum nostro Elementari; ùt habet S. Bonaventura, Mastrius, Brancatus &c. & deducitur ex Augustino. Hic ignis probabiliter è superiori regione ignis emittetur à DEO, vel Angelis; & hoc ad repræsentandam Divinam Justitiam, terrorem incutiendum Reprobis, & ad eosdem statim torquendos in corpore; sicut BB. corpora statim erunt beatà quatuor dotibus.

5\. *Signa alia secundùm D. Bonaventuram.* NOTA quintò: S. Bonaventuram præter jam enarrata, ex D. Hieronymo, & Mag. Scot, referre alia quoque signa, Judicium Universale proximè præcessura; quæ tamen non sunt certa; nam de ipsis ex scriptura apertè non constat, num revera sint futura ante adventum tremendi Judicij; suntque sequentia; maria exaltabuntur quindecim cubitis super excelsos montes: Eadem demergentur in profundum, ut vix oculis attingi valeant: eadem tandem redigentur ad statum primum: Belluæ maritimæ, & alia natatilia simul conclamabunt strepitu enormi: volatilia congregabuntur, & pariter edent strepitum ingentem: flumina consurgent ab occasu Solis contra faciem firmamenti usque ad orientem: omnes lapides scindeotur in quatuor partes, & collidentur: omnes plantæ sanguineum emittent rorem; omnia animalia terræ in campis congregabuntur, & rugient: omnia sepulchra apperientur, & patebunt: omnes homines fient quasi stolidi, & ùt insani concurrent: & tandem omnes morientur.

QUÆSTIO V.

De Judice magni Judicij.

1\. *Judex in illo Judicio erit Christus.* ICO primò: supremus Judex in Judicio Universali erit Christus Dominus. Ita Scotus 4. *dist.* 48. q. 1. & communis Catholicorum.

Probatur Tum authoritate S. Scripturæ; Joan. 5. *Pater non judicat quemquam; sed omne Judicium dedit Filio.* Et Matt. 25. *cùm venerit Filius in Majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes &c.* Tum authoritate CC. munus Judicij supremi Christo adscribentium; ùt videre est in Toletano VI. *cap.* 1. Et in Lateranensi IV. *cap.* 1. in Niceno *in Symbolo.* Et in Tridentino *sess.* 4. *de Symbolo.* Tum authoritate SS. PP. conclusionem unanimiter profitentium; unde Athanasius *in symbolo* ait, *inde venturus est judicare vivos, & mortuos; ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem:* Ergo &c.

NOTA autem *Primò*: adventum Judicis supremi Christi ad Judicium fore imprimis repentinum in aëre, & omnibus subitò apparentem, unde scriptura Matt. 24. *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, sic erit adventus Filij Hominis. Secundò*; idem adventus erit cum summo quodam splendore, majestate, & gloria, Angelorúmque comitatu; ùt habetur Dan. 7. Apocal. 20. Et Matt. 25. *cùm venerit Filius Hominis in Majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo. Tertiò*; fiet cum clangore tubarum, ab Angelis insonatarum; juxta illud 1. ad Thesal. 4. *ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba DEI descendet de cœlo.* Angeli porro comites Christi, & præcentores in tubis, probabiliter comparebunt in corporibus assumptis lucidissimis; nam cùm adventus Christi sit futurus sensibilis, cum gloria, & apparatu externo, congruum est, ut & omnes Christi comites in sensibilibus corporibus compareant, ut conspici possint. 2. *Ejus adventus erit subitus & admirabilis.*

NOTA *Secundò*: quòd Christus venturus Judex apparebit omnibus judicandis in forma visibili humanitatis; ut tenet communis TT. Et patet ex illo Matt. 26. *videbunt Filium Hominis venientem.* Et ex Augustino *tract. 24. in Joan.* dicente, *forma hominis Christi videbitur in Judicio a pijs, & impijs, justis, & injustis, fidelibus & infidelibus, a confisis, & confusis.* Formam autem Deitatis videbunt distinctè ac intuitivè soli Electi; ùt habet Scotus hic, S. Bonaventura, S. Thomas, & alij; docétque idem Augustinus *lib.* 1. *de Trin. cap.* 13. dicens, *illam DEI formam in qua æqualis est Patri, procul dubio impij non videbunt, non enim sūt mūdi corde, Beati enim mūdo corde, quoniā ipsi Deum videbūt.* Cum quo tamē stat, quòd impij cognoscent intellectu Christi Divinitatem aliqualiter ex eo, quòd sit venturus cum potestate magna, & Majestate Matt. 25. & hoc ad terrorem impiorum. 3. *Christus ùt Judex apparebit omnibus judicandis.*

NOTA tertiò: secundùm Scotum 4. *dist.* 48. q. 1. S. Bonaventuram, S. Tho- 4. *Forma Judicis Christi*

erit gloriosa.

S. Thomam, & alios TT. Christum appariturum pro Judicio celebrando in forma gloriosa, seu in corpore glorioso, talitérque fore videndum etiam à reprobis: ita enim colligitur ex illo *veniet cum potestate magna, & majestate.* Et est ratio; quia sicut in primo adventu comparuit in forma non gloriosa; sed in corpore infirmo; ita decet ut in secundo, compareat omnibus in forma gloriosa, seu cum corpore glorioso. Nec sequitur, reprobos habituros aliquam delectationem ex aspectu ejusmodi corporis; quia ùt ait Scotus *citat.* possibile est visionem objecti convenientis separari à delectatione. Itaque reprobi ex aspectu corporis gloriosi Christi potiùs confundentur, & tristabuntur propter conscientiæ remorsum, & propter expectationem sententiæ ferendæ; insuper verecundiâ ingenti suffundentur, eò quòd scient, sua facinora toti mundo brevì fore manifestanda.

5. *Christus & commissariè & principaliter judicabit.*

NOTA quartò: potestatem judiciariam Christo quà homini, convenire solùm commissariè, & subauctoritativè; potestate tamen eminenti, & summâ, ac possibili conferri creaturæ, principaliter verò eidem convenit hæc potestas quà DEO; ùt habet Scotus *4. dist. 48. q. 1.* Ratio secundi est; quia ad principalem potestatem Judiciariam universi mundi concurrit auctoritas in sententiando universas creaturas rationales, & potestas in præmiando æternis præmijs beatitudinis supernaturalis; hæc autem duo soli DEO conveniunt: Ergo &c: Ratio primi; quia ita colligitur ex illo Act. 2. *Dominum fecit DEUS hunc JESUM*, & illo Matt. *ult. data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Esse autem Dominum constitutum ab alio, & ab alio obtinere potestatem, est potestatem habere duntaxat commissariè, & subauthoritativè: Ergo &c: Ex quo patet à sententia Christi non dari in Judicio Universali appellationem; quia etsi ùt homo eam proferat commissariè; tamen quia simul est DEUS, ideo eandem principaliter profert.

6. *Christus eodem modo judicat in Judicio privato, ac in publico.*

NOTA quintò: Christum eòdem modò exercere potestatem judiciariam in privato Judicio quod celebrat circa quamlibet personam illico post mortem probabiliter in loco, in quo moritur; ùt colligitur ex illo Matt. 24. *vigilate, quia nescitis quâ hora Filius hominis veniet.* Et ex illo *data est mihi omnis potestas.* Et tenent SS. PP. communiter, Augustinus *lib. de vanit. sæc. 1.* Et Bernardus *in medit. cap. 2.* Et Chrysostomus *hom. 14. in Matt.* dicens, *animæ cùm hinc emigraverint, ad terribile illud deducentur tribunal.* In particulari itaque Judicio cujusvis Christus quà DEUS sententiat principaliter; quà homo verò commissariè sicut in Judicio Universali; nam verisimile est, eum datæ sibi potestatis Judiciariæ usum statim cæpisse usurpare postquam resurrexit ad statum gloriosum; ut discurrit hic ex Svarez Mastrius.

NOTA sextò: in Judicio Universali cum Christo assessuros etiam Apostolos; juxta illud Matt. 19. *amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Hujusmodi autem assessio secundùm S. Bonaventuram, & P. Bassolinum non erit in ordine ad simul cum Christo ferendam sententiam, neque ad consulendum Christo; sed erit per modum assistentiæ duntaxat honorificæ, unde S. Apostoli tanquam prima capita Ecclesiæ, & honoratiores Principes in populo judicando ad majorem solemnitatem Judicij Universalis sedebunt prope Christum Judicem, qui solus proferet sententiam, atque ita dicentur judicare duodecim tribus Israël assistentialiter, non autem authoritativè, sicut omnes Electi pariter dicentur judicare nationes, juxta illud Sap. *3. judicabunt nationes &c:* subintellige approbativè, eò quòd approbaturi sint sententiam Christi, ùt notat in præfatum textum P. Lyra. Angeli Sancti etsi venturi sint cum Christo Judice teste scripturâ Matt. *16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis;* tamen non conjudicabunt cum Christo homines, ùt habet S. Bonaventura, sed tantùm ministrabunt Judici in omnibus necessarijs. Nisi velis dicere cum eodem Seraphico Doctore, quòd in ferenda sententia Angelorum malorum fortassis assisteot Christo; sicut Apostoli in sententia reproborum hominum assistent.

7. *De assessoribus Christi in Judicio Universali.*

QUÆSTIO VI.

Quinam sint Judicandi?

1\. *Omnes prorsus homines judicabuntur in Judicio Universali.*

DICO primò: in Judicio Universali judicabuntur tam omnes Electi, quàm omnes reprobi. Ita S. Bonaventura, Magister Sent. & communis Scholasticorum.

Probatur *primò* authoritate scripturæ; generaliter loquentis de omnibus hominibus judicandis à Christo, unde Joan. 3. *congregabo omnes gentes & deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis.* Et 2. ad Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Secundò* authoritate SS. PP. conclusionem asserentium, ùt videre est apud Hieronymum, *Ecclesiast. ult.* Et Lactantium Lib. 2. *cap.* 22. Et Anselmum *in elucid.* Et *lib. de similit.* Et Gregorium in *Psal.* 88. Et Augustinum *lib.* 20. *de Civ. DEI cap.* 23. Et Bernardum *Serm:* 55. *Tertiò* ratione; quia, ùt discurrit hic D. Bonaventura, debet omnibus tā Electis, quàm reprobis nota fieri DEI justitia, tum in remuneratione bonorum, tum in punitione malorum: Ergo omnes isti judicandi sunt in Judicio Universali.

2\. *Dispari modo judicabuntur Electi & reprobi.*

DICO secundò: dispari tamen modo judicabuntur omnes Electi, & omnes reprobi, Ita communis scholasticorum.

Probatur: nam secundùm D. Gregorium *lib.* 16. *moral. cap.* 24. & communem doctrinam Scholasticam, quatuor comparebunt ordines personarum judicandarum in Judicio Universali; *Primus* est Electorum perfectorum, qui non tantùm legis præcepta omnia, sed etiam consilia servârunt, hi judicabuntur tantùm judiciò retributionis, & remunerationis; Ad hos pertinent Apostoli, & si qui alij sunt Assessores Christi in Judicio. *Secundus* est Electorum minùs perfectorum, qui quidem peccârunt contra præcepta Legis, sed iterum pænitentes facti, & opera bona, maximè misericordiæ, facientes salvatisunt finaliter; hi judicabuntur tam Judiciò discussionis, seu examinis super actiones singulas meritorias eorum, tum Judiciò remunerationis, & his dicet Judex, *esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c*; *Tertius* est reproborum infidelium; hi non judicabuntur judiciò discussionis, uti patet ex illo Joan: 3. *qui non credit, jam judicatus est.* Et docet Augustinus Serm: 38. *de SS.* dicens, *ad judicium non venient Pagani, nec Heretici, nec Judai, quia de illis scriptum est, qui non credit jam judicatus est;* Et quia in re notoria discussio non requiritur, sed statim ad sententiam proceditur, cùm notoreitas facti omnem probationem excludat, judicabuntur tamen judiciò condemnationis, seu sententiæ proferendæ à Christo quod significatur *Matt.* 25. *ite maledicti in ignem æternum.* Et quia hi non excipiuntur à generalitate scripturarum, supra *conc.* 1. citatarum. *Quartus* est fidelium quidem, sed mortuorum in statu peccati mortalis; diceturque eis à Judice, *esurivi, & non didistis mihi manducare*: Ergo dispari modo judicabuntur omnes Electi, & reprobi.

3\. *Infantes defuncti quoque judicabuntur.*

DICO tertiò: in numerum judicandorum à Christo in Universali Judicio etiam parvuli & infantes sunt referendi, Ita S. Bonaventura, S. Thomas, Suarez, Soto, Mastrius, & communior; contra Durandum, Carthusian. &c.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: generaliter loquentis de omnibus omnino judicandis, & consequenter etiam de parvulis, ac infantibus; unde 2. ad Cor. 5. dicitur, *omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit;* quem passum expendens P. Lyranus ait, quòd per ly *prout gessit*, non tantùm opera comprehendantur; sed etiam omnia media, quibos homines salvari possunt, vel damnari; & ita comprehenduntur actiones, receptiones sanctorum, & omissiones seu carentiæ; atque adeò comprehenduntur adulti, & parvuli: Ergo &c:

Probatur secundò authoritate SS. PP. etiam parvulorum Judicium docentium; ita facit Anselmus *in cap.* 5. *cit. ad Cor.* ubi ait, *referet unusquisque* (scilicet in Judicio Universali) *etiam parvuli; cum hoc tamen discrimine ab alijs, quod isti referent, quæ non per se ipsos; sed per alios gesserunt; quando scilicet per certa, & era gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati sunt.* Eandem doctrinam affert S. Gregorius *lib.* 9. *moral. cap.* 12. Et D. Augustinus Serm. 14. *de verbis. Apost.* Et *lib.* 3. *de lib. arbit.* Estque Ratio; quia etiam

etiam in parvulis potest ostendi Justitia Divina (quæ ostensio est finis Judicij Universalis) in baptizatis quidem, dum recipiunt gloriam, in non baptizatis dum subeunt pœnam damni: Ergo hi quoque referendi sunt in numerum judicandorum à Christo.

4. *Similiter Angeli.* DICO quartò: etiam Angeli erunt inter judicandos à Christo. Ita Scotus *4. dist. 47. q. 1.* S. Bonaventura, Richardus, Suarez, Mastrius, Bontempo &c: contra Thomistas.

Probatur: Tum quia ita colligitur ex S. Scriptura 1. ad Cor. *6. nescitis quoniam Angelos judicabimus.* Tum quia ita sentit Chrisostomus, Anselmus, Ambrosius, Theodoretus, Clemens Roman. *Lib. 7. constit. cap. 33.* Lactantius *lib. 7. cap. 26.* & alij PP. Græci, atque Latini. Tum quia, ùt ait Scotus *citat.* Judicium fiet ad discernendas familias Civitatis supernæ, & infimæ: sed Angeli boni pertinent ad supernæ Civitatis familiam; mali verò ad familiam infimæ seu Diaboli; Ergo Angeli sunt judicandi: Tum tandem, quia ùt ait S. Bonaventura, Judicium instituetur pro præmio bonorum, & supplicio malorum: sed aliqui ex Angelis sunt præmiandi, aliqui suppliciò afficiendi: Ergo omnes dijudicandi.

QUÆSTIO VII.

De causis subjiciendis Judicio Universali; & ejus sententia.

1. *Causæ in Judicio discutienda erunt omnia opera hominum teste Scripturâ.* ICO primò: causæ in Judicio Universali dicendæ à Christo, & publicandæ erunt omnia, & singula opera hominum, tam interna, quàm externa; tam bona, quàm mala. Ita Scotus 4. *dist. 47. q. 1.* S. Bonaventura, S. Thomas, & communis TT.

Probatur primò authoritate S. Scripturæ: nam Dan. 7. dicitur indefinitè, quòd Judex supremus *judicium sedit, & libri aperti sunt* Et Apoc: 20. *& vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni. & libri aperti sunt*: per libros hos S. Bonaventura Glossa ordinaria, P. Lyranus, & Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei cap. 14.* intelligunt conscientias judicandorum, in quibus scripta sunt eorum merita, & demerita: has proinde aperiet Judex, & leget in eis cuncta opera, manifestabitque per sententiam: Ergo causæ in Universali Judicio dicendæ, & publicandæ erunt omnia, & singula ópera hominum.

2. *Accedit authoritas SS. PP. & Ratio.* Probatur secundò authoritate SS. PP. conclusionem affirmantium; signanter D. Augustini *citati*, D. Hieronymi, & Theodoreti super allegatum textum Dan. 7. &c: *Tertiò*: accedit Ratio; quia Judicium Universale institutum est ad ostensionem Divinæ Justitiæ, & consequenter ad præmiandum merita, & demerita: Ergo opera sive interna sive externa; sive bona, sive mala fuerint in processum tribunalis Divini Christi adducenda erunt partim discutienda, partim finali sententiâ vel præmiatoriâ, vel condemnatoriâ afficienda.

3. *Etiam peccata Justorum tunc manifestabuntur.* DICO secundò: etiam Justorum peccata olim commissa, sed expiata, subjicientur Judicio, & manifestabuntur. Ita Scotus *4. dist. 47. q. 1.* S. Bonaventura, S. Thomas &c: contra Paludan: Durand: &c:

Probatur *Primò* authoritate S. Scripturæ; quæ *locis citatis* pro priori conclusione generaliter asserit libros continentes opera præterita patrata Judicandorum esse aperiendos, id est judicandos, & manifestandos. *Secundò* authoritate Ecclesiæ; quæ in sequentia Missæ defunctorum ait, *liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur*; quibus verbis nullius opera excipiuntur. *Tertiò* authoritate SS.PP. signanter D. Ambrosij *in 1. ad Cor. cap. 4.* dicentis indefinitè, *in die Judicij nil occultum erit eorum, quæ gesta sunt, aut cogitata, & simplicitas, & hypocrisis tunc apparebit &c: omnia enim nuda erunt in die Judicij.* Item habet S. Bernardus *lib. de inter. domi: cap. 38.* scribens, *omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt universa scelera tua, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum, & locutionum. Quartò* ratione P. Lyrani hìc; quia Judicium Universale debet apparere omnibus justum: adeóque constare omnibus de operibus tam bonis quàm malis Justorum. Justi tamen non tristabuntur ejusmodi manifestatione; quia agnoscent per hoc Divinæ misericordiæ, & pietatis in se olim pro conversione, & expiatione factæ abundantiam.

4. *Pro singulis judicandis peculiaris* DICO tertiò: probabiliter Christus Judex supremus pro singulis judicandis particularem pronunciabit sententiam, & demum duas generales, unam pro

Bea-

sententiâ profertur. Beatis, alteram pro Damnatis. Ita communior TT.

Probatur prima pars: Tum authoritate SS. PP. adstruentium particulares sententias in Judicio Universali; signanter Gregorij Nisseni *orat. in illud, quod uni ex minimis fecistis*. Tum ratione; sententia debet proportionari causis in Judicium adductis, seu meritis & demeritis: hæ autem causæ sunt variæ, disparatæ, & plus minúsque aggravatæ: Ergo varijs quoque disparatis, & proportionatis sententijs sunt judicandæ.

5. *Et demum duæ generales pro omnibus.* Probatur secunda pars: quia ita constat de duabus generalibus sententijs Matt. 25, quarum una pronunciabitur pro Beatis, *venite Benedicti Patris mei percipite regnum* &c: altera verò pro reprobis *ite maledicti in ignem æternum*. Et est Ratio; quia ùt arguit *Scotus citat.* præter hoc quòd unusquisque in Judicio adscribatur regno, vel igni æterno, etiam tota collectio Judicandorum simul per sententiam universalem præmiativam, & condemnativam debet determinari, ut sic duæ familiæ sequestrentur ad duas civitates Babylonem scilicet, & cælestem Hierusalem: Ergo Christus Judex duas quoque generales promulgabit sententias.

6. *Sententiæ pronunciatæ statim executioni mandabuntur.* NOTA primò: pronunciatis prædictis sententijs particularibus & generalibus statim dissolvetur Judicium Universale, & sententiæ executioni mandabuntur; ùt habet Scotus 4. *dist.* 47. *q.* 1. Ratio est; quia non supererit ullum motivum continuandi celebrationem Judicij, & ipsæ sententiæ erunt efficaciter pronunciandæ à Christo; adeóque executioni mandandæ. Itaque statim dehiscet terra, & absorbebit damnatos in abyssum Inferni; Electi verò cum Christo cœlum empyreum, quà sedem Christi, & BB. prope Deum conscendent, sine mora potituri stabili & æterna DEI visione, atque fruitione; ùt patet ex scriptura 2. ad Thesal. 4. *& sic semper cum Domino erimus.*

QUÆSTIO VIII.

De Innovatione Mundi post peractum Judicium Universale.

ICO primò: completô Judiciô Universali, universa sphæra mundi tam quòad cælos, quàm quòad elementa immutabitur, & innovabitur, exceptô cœlô empyreô. Ita communis TT. 1. *Completô Judiciô cõflagrabit totus mundus*

Probatur prima, & secunda pars: Tum authoritate *S. Scripturæ Isa. 65. ecce ego creo cælos novos, & terram novam.* Et Apoc. 21. *vidi cælum novum, & terram novam; primum enim cælum, & prima terra abijt.* Tum authoritate SS. PP. eandem innovationem, & immutationem sphæræ cælestis, atque terrestris docentium; ùt videre est apud Augustinum, Hieronymum, Gregorium, Ambrosium, & alios, scribentes in præfata capita Scripturæ: Ergo &c.

Probatur tertia pars: cælum empyreum non est creatum propter usum rerum inferiorum, neque propter earum generationes, & corruptiones conservandas, ùt cæteri cæli; sed ut sit sedes BB. quam oportet esse perpetuam, sicut est ipsa beatitudo: Ergo Cœlum empyreum non innovabitur, nec immutabitur. 2. *Exceptô cœlo Empyreo.*

DICO secundò: Innovatio, & immutatio sphæræ mundialis non erit quoad substantiam ejus totalem seu materiam, & formam substantialem, sed quoad accidentia duntaxat. Ita S. Bonaventura, Magister Sent. Lyranus, & communis TT, ac Interpretum; contra Catharinum, Molinam, Vallesium, Salmeron, &c: 3. *Mundus in cõflagratione innovabitur, sed quò ad accidentia duntaxat.*

Probatur authoritate SS. PP. asserentium substantiam mundi remansuram in conflagratione mundi, & solas formas seu qualitates accidentales interituras, unde Anselmus *in cap.* 7. *Epist.* 1. *ad Cor.* expendens illud *præterit enim figura hujus mundi*, dicit, *non substantiam præterire, sed formam*, scilicet accidentalem. Et Augustinus *lib.* 20. *de Civ. DEI cap.* 16. exponens illud Apost. 21. *vidi cælum novum*, ait, *in fine mundi illâ ignis conflagratione elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardende penitùs interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabiliter mutatione conveniunt.* Idem docet Hieronymus *in cap.* 65. *Isaiæ.* Et Beda *lib. de ratione temp. cap.* 66. Et Irenæus *lib.* 4. *contra hære, cap.* 6. Et Epiphanius *hær.* 64. Gregorius, Gennadius &c:

NOTA-

4. *Quô pactô fiet innovatio mundi quò ad accidentia?*

NOTA itaque primò: innovationem mundi in cælis solummodo futuram per additionem luminis, juxta illud Isa. 30. *erit lux lunæ sicut lux solis*; in elementis verò per abjectiunem qualitatum, cessationem actionum, & influentiam, per dissolutionem omnium superfluorum, mixtorum tam animatorum, quàm inanimatorum, & perfectam mediante igne depurationem omnium elementorum à formis accidentalibus corruptibilibus. Et hoc est, quod tantùm volunt illæ Scripturæ, quæ dicunt cælum liquefieri & terram atteri Isa. 51. *cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*. Et quæ dicunt cælum & terram transituram Matt. 24. *cælum, & terra transibunt.* & SS. PP. Ambrosius, Hilarius, Justinus &c: qui docent novos cælos, & nova elementa fore creanda: nam his, & similibus loquendi modis solùm insinuatur cælum, & terram fore alteranda, mutanda, interitura, recreanda quoad qualitates, & reddenda posthac incorruptibilia, adeóque quasi nova efficienda. De omnium Elementorum Innovatione in particulari lege Joannem Gersonem, Brancatum, & S. Bonaventuram, diffusè hanc materiam particulizantes.

5. *Igne purgabitur mundus.*

DICO tertiò: Innovatio, & immutatio accidentalis totius sphæræ mundialis fiet mediante igne, purgaturô universa corruptibilia. Ita communis TT. &

Probatur: Tum authoritate S. Scripturæ conclusionem docentis Psal. 49. *DEUS manifestè veniet, ignis in conspectu ejus exardescet*. Et 2. Petri 3. *cæli qui nunc sunt, & terra eodem verbo reposita sunt igni reservati in diem Judicij*. Tum authoritate SS. PP. idem affirmantium; ùt videre est apud Chrysostomum *Hom. 14. in epist. ad Roman.* Et Gregorium Nissenum *lib. de creat. mundi.* Et Anselmum *Epist. 1. ad Cor. cap. 7.* dicentem, *tunc figura hujus mundi quotidie senescentis perfectè præteribit, quando conflagratione mundana elementorum qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt.* Et apud Augustinum *lib. 20. de Civ. DEI cap. 16.* docentem, *figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit*: Ergo &c.

6. *Ignis purgaturus orbem erit verus elementaris, & ejusdem speciei cum elementari.*

NOTA autem secundò: ignem conflagrationis mundi fore ignem verum elementarem, & ejusdem speciei cum elementari; ùt habet Scotus hìc, Richardus, & alij DD. Ratio est; quia aqua diluvij, quâ primò perijt mundus, fuit ejusdem speciei cum aqua elementari; ùt habet Augustinus *lib. 20. de Civ. DEI cap. 16.* Ergo idem dicendum à pari de igne, quô peribit mundus secundò. Deinde non est ratio ponendi ignem de novo, & diversè speciei creatum à DEO in ordine ad instituendam conflagrationem mundi, cùm elementaris sit sufficienter activus, & copiosus. Unde

7. *Unde assumetur ignis præfatus?*

NOTA tertiò: ut mundus elementaris in omnibus locis sufficienter conflagret per sufficientem ignem, probabiliter in secunda regione ex vaporibus terreis, & exhalationibus ad concipiendum ignem dispositis, copiosè elevatis eò generabitur primò ignis; ùt habet Scotus *4. dist. 47. q. 2.* hic deinde augebitur per influxum superiorum corporum, DEO ita disponente, & per concursum omnium ignium, qui in sphæra ignis, atque terra, super terram, & subtus terram reperientur; ùt docet Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei, cap. 16.* Et tandem Divina virtute, ubi opus fuerit, multiplicabitur idem ignis, ita ut omnes creaturas passibiles elementarias accendere, dissolvere, & exurere valeat penitùs, absumendo quasdam, ut omnia corpora mixta v. g. animalia, plantas, mineralia, & similia, quæ sunt modò ad usum hominis, quorum usus post Judicium Universale non erit necessarius; quasdam verò, puta elementa duntaxat purificando à qualitatibus corruptibilibus; ùt habet idem *S. Pater citat.* & patet ex illo 2. Petri 3. *cap. terra, & omnia quæ in ea sunt, opera exurentur.*

8. *Motus cælestes cessabũt post conflagrationem Orbis.*

DICO quartò: post innovationem mundi cessabit motus corporum cœlestium. Ita Scotus *4. dist. 48. q. 2.* Bassolius, Lyra, & communis TT.

Probatur; Tum quia ita colligitur ex Scriptura: nam Gen. 1. dicitur *quòd luminaria facta sũt in firmamẽto cæli, ut dividant diem, & noctem; & sint in signa, & tempora, dies & annos &c:* dics autem, ùt rectè ait hìc Glossa Ordinaria, & anni motibus siderum fiunt; sed post conflagrationem mundi nulli ampliùs erunt dies; ùt patet ex illo Zach. 14. *erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox*; id est non erit vicissitudo diei & noctis; ùt ait Glossa *citat.* Et ex illo Isa. 6. *non occidet ultra sol tuus, & luna*

luna tua ultra non minuetur: Ergo neque erit ampliùs ullus motus luminarium cælestium; & idem dicendum à pari de motibus aliorum corporum cælestium. Tum quia sublatâ causâ finali tollitur medium ad ipsam ordinatum: sed generatio hominum, ejúsque corruptibilitas conservanda ministeriô motûs cælestis, est de facto causa motûs corporum cælestium; quæ cessabunt post conflagrationem Mundi: Ergo etiam cessabit motus corporum cælestium.

QUÆSTIO IX.

De Regno Christi, & Sanctorum in cœlis post conflagrationem mundi.

1. *Christus in cælo Empyreo regnabis.*

DICO primò: Christus regnabit in cælo Empyreo, & quidem in æternum, & cum eo Sancti. Ita communis TT. contra Cerinthum Hæresiarcham docentem, Christum regnaturum in urbe Jerusalem post Resurrectionem Universalem mille annis, cúmque eo omnes Sanctos in concupiscentijs, libidinibus, & gula.

Probatur prima pars authoritate S. Scripturæ; nam Luc. 1. dicitur de Christo, *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Et Dan. 7. *potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur*: Ergo Christus in cælo empyreo, ubi tantum est regnum æternum, & incorruptibile, regnabit post conflagrationem mundi.

2. *Et cum eo omnes Sancti*

Probatur secunda pars: Tum ex illo 2. ad Thesal. 4. de Sanctis dicitur, *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus*: Ergo in eodem Regno cælesti cum Christo in æternum regnabunt Sancti. Tum quia figmentum apertum est, quod elicit Cerinthus de delitijs carnalibus terrenis Sanctorum super terram post conflagrationem mundi, & directè militat contra illud Scripturæ Matt. 22. *in resurrectione* (& consequenter etiam post eandem) *non nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli DEI.* Et contra illud ad Rom. 14. *non est regnum DEI esca, & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* Unde aliæ Scripturæ, quæ faciunt mentionem cibi, & potûs in Regno Sanctorum, ut Luc. 17. *ego dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam in regno meo*, in Sensu Spirituali intelligendæ sunt de visione, fruitione DEI, & alijs gaudijs gloriæ cælestis.

3. *Regnum Christi in cælo erit æternum, & felicissimum secundum Scripturam.*

DICO secundò: Regnum Christi, & sanctorum in cælo empyreo futurum post conflagrationem mundi, non tantùm erit æternum; sed omni alia suprema felicitate quoque refertum. Ita communis TT.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; nam de felicissimo illius Regni statu procedit illud Apostoli *oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se.*

4. *Et SS. Patres*

Probatur *secundò* authoritate SS.PP. felicitatem illam, quantum captu humano intelligi potest, describentium sub amplissimis exaggerationibus; unde S. Bernardus *lib. de medit.* ait, *Beatus videbit, DEUm ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem, in æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit, Civis siquidem erit illius S. Civitatis, cujus Angeli Cives sunt, DEUS Pater templum, Filius splendor, Spiritus S. Charitas; ô Civitas cælestis, mansio secura, patria fertilis, totum continens, quod delectat! quàm gloriosa dicta sunt de te Civitas DEi! sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Et S. Chrysostomus *quæst. 5. ad Theod.* scribit de eadem felicitate, *quid igitur illâ vitâ beatius? non est cur illic pauperiem metuas, & morbum; nemo videbit contumeliosum, nec iniquè oppressum, nemo exasperatum, aut irascentem, aut invidentem, nemo ardentem absurdâ concupiscentiâ, aut mærentem, aut à Magistratu vapulantem, omnis enim affectuum turba, quæ hìc sedata est, perimitur; omnia erunt pax, lætitia, gaudium, omnia serenitas, tranquillitas, dies, splendor, & lux, lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantùm excedit fulgore, quantùm ea lumen lichni; neque enim occulitur hìc aut nocte, aut congressu nubium, non senium, nec senecta mala, quæque obnoxia sunt corruptioni è medio, & è pedibus tollentur, omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria, & quod omnium longè est maximum, continuâ fruentur conversatione cum Christo.* Eandem pluribus adumbrat D. Augustinus *lib. 22. de Civ. DEI cap. 30.* Et *lib. 2. quæst. Evangel. cap. 36.* Et *serm. de verbis Dom. cap. 3.* Et *lib. 3. de fide & sym. ad Cathec: cap. 12.* Et *lib. de triplici habitaculo cap. 12.* & alibi. Et Gregorius *hom. 37.* in


Evang.

Evang. quæ legitur in communi unius Martyris in Breviario Romano: Ergo &c.

5. *Et rationem Theologicam.* Probatur tertiò omnibus illis fundamentis, quibus supra *dist.* 1. *per totum* ostendi sanctorum Beatitudinem, quam quoad animam habituri sunt in cælis, cum summa perfectione, & sublimatione; & quibus *dist.* 2. *q.* 5. & 6. docui eorundem Beatitudinem quoad corpora, quatuor dotibus gloriosis exornanda, & delectabilissimis sensuum internorum, & externorum operationibus recreanda; quæ omnia felicissimum arguunt statum regni sanctorum in Cælis: Ergo &c. Et hæc ad Regis Cælestis, omniúmque SS. ejus gloriam & honorem dicta sint, qui Scriptorem suâ clementissimâ gratiâ in eodem regno cum sanctis suis perpetuum Civem adscribere, atque incorporare dignetur.

FINIS TOMI II.

Hæc & omnia alia à me conscripta Magistræ fidei veritatis S. R. Ecclesiæ castiganda, censurandáque humiliter submitto.



Rrr IN-

INDEX RERUM

QUÆ

IN TOMO SECUNDO CONTINENTUR.

Litera p. indigitat Paginam, Litera n. marginalem numerum.

A.

B.

I.

INDEX RERUM.

O.

P.

R.

S.

Scien-

F I N I S.





5-2